GONZÁLEZ DE SANTALLA, Tirso (S.I.)

Tomus quartus Selectarum disputationum ex universa theologia scholastica : id est tomi secundi pars altera, continens controversias circa statum pura natural... : ad finem adiicitur Disputatio apologetica contra Vicentium Ferrer / authore... Thyrso Gonzalez de Santalla, Societatis Iesu... -- Salmanticae : Apud Lucam Perez..., 1686

[20], 520 p., 2@6, 2@4, A-Z8, 2A-2H8, 2I-2K6 ; Fol.

Texto a dos col.

1. Escolasticismo 2. Eskolastizismoa I. Disputatio apologetica contra Vicentium Ferrer II. Título

R-6266 Ejemp. deteriorado, falto de port., de 16 p. del cuaderno de [20] p., de 16 p. del de 520 p. y de enc. -- Datos tomados de CCPB, 36895

DISPVTATIONES SELECTÆ, EX TRACTATV DE STATV PVRAE NATVRAE, AD QVÆST. 95. ET 96. 1. PARTIS.

DISPVTATIO PRIMA.

AN SIT POSSIBILIS STATVS PVRAE NATVRÆ, IN QVO HOMO NON ORDINETVR AD CLARAM DEI VISIONEM?

SECTIO PRIMA.

De multiplici ſtatu, ſub quo conſiderari poteſt natura humana: & qualis fuerit ſtatus primi hominis ante lapſum.

SVB triplici autem communiter ſolet conſiderari natura humana: primus eſt naturæ integræ, qualem habuerunt primi Parentes ante peccatum: ſecundus eſt naturæ lapſæ qualem nos habemus: tertius eſt puræ naturæ, qui de facto nunquam extitit, ſed qualem haberet homo ſi crearetur abſque omni dono ſupernaturali, dum ſine peccato exiſteret. In hoc ſtatu Philoſophi naturales crediderunt hominem fuiſſe creatum. Nec aliud ſine lumine divinæ revelationis intelligere potuerunt. Itaque ſtatus puræ naturæ, vt notat P. Suarez Prol. 4. de grat. c. 1. duo includit, alterum poſitivum, nimirum vt in eo habeat natura humana cum perfectione eſſentiali omnes naturales facultates, & concurſum, ac providentiam Dei ſibi naturaliter debitam; alterum negativum, videlicet vt nihil habeat naturæ ſuperadditum, ei non debitum, ſive malum, ſive bonum.

2 Sed quia ſtatus ille, in quo primus homo conditus eſt plurima dona amplectebatur; aliqui Theologi cum Caietano illum ſtatum in duos dividunt, nempe in ſtatum iuſtitiæ originalis, & in ſtatum naturæ integræ; ac pronde quinque ſtatus numerant, ſcilicet ſtatũ purę naturæ, ſtatum iuſtitiæ, ſeu ſanctitatis originalis, ſtatum naturæ lapſæ, qualis nimirum poſt primi Parentis peccatum relicta eſt, ſive conſideretur in his, qui ſolum infecti ſunt labe peccati originalis, ſive in his, qui peccata mortalia perſonalia commiſerũt: & ſi turæ per Chriſtum ita renovatæ, vt tiæ ſanctificantis, & alijs virtutibus e vt reperitur in iuſtis. Status iuſtitiæ lis conſiſtebat non ſolum in gratia, ſan te, & virtutibus infuſis illam concomi

ſed in iuſtitia originali. Quia enim homo naturaliter conſtat corpore & ſpiritu, & partim cum beſtijs, partim cum Angelis convenit, & ratione carnis, & communionis cum brutis habet propenſionem quamdam ad bonum corporale, & ſenſibile, in quod fertur per ſenſum & appetitum: & ratione ſpiritus & communionis cum Angelis habet propenſionem ad bonum ſpirituale intelligibile in quod fertur per intellectum, & voluntatem.

3 Ex his autem diverſis, contrarijſque propenſionibus exiſtit in vno eodemque homine pugna quædam, & ex pugna ingens bene agendi difficultas, dum vna propenſio alteram impedit: ideo divina providentia initio creationis, vt remedium adhiberet huic morbo, qui ex conditione naturæ oriebatur; addidit iuxta ſententiã communem homini donum quoddam inſigne, videlicet iuſtitiam originalem, qua veluti aureo quodam fræno pars inferior parti ſuperiori, & hæc facile Deo ſubiecta contineretur, vt inquit Bellarminus. Sic autem ſubiecta fuit caro ſpiritui, vt non poſſet ipſo invito moveri, neque ei rebellis fieri, niſi ipſe rebellis fieret Deo, quod in ipſius erat poteſtate.

4 Status naturæ integræ eſt ille, quo frueretur homo, ſi carens gratia ſupernaturali, & donis ipſum elevantibus ad colendum Deum vt authorem ſupernaturalem, & tendendum proportionate in Beatitudinem ſupernaturalem conſiſtentem in clara Dei viſione, nihilominus haberet perfectam ſubiectionem appetitus ad rectam rationem, & iſtius ad divinam legem naturalem tantam conſenſionem, vt facile poſſet, ſi veller, nihil efficere, in quo vel minimũ deviaret à ſuo fine naturali, aut naturale præceptum violaret. Dicitur autem à Caietano iſte ſtatus naturæ integræ, quia hominem iuvaret ad integram ſervandam legem naturę, ac proinde ad operandum omnia, quæ naturæ lumẽ dictat eſſe facienda. A Patre autem Suarez prologom. 4. cap. 2. dicitur ſtatus naturæ integræ, quia humana natura pote ſpectata quaſi diviſa eſt in ſuis naturalibus affectibus ad diverſa tendentibus, & quaſi manca ad recte ambulandum in ſuis moribus, & ideo quando in ſuis proprijs facultatibus internam pacem, & concordiam recipit, quaſi integrari cenſetur, & ita perfici, vt convenienter in moribus progredi poſsit.

5 Reſtat vt aliquid breviter præmitt[a]m circa ſtatum, quem habuit primus homo lapſum, circa quod, quamvis omnino [ut] inter Catholicos primum hominem [fu]iſſe in ſtatu iuſtitiæ originalis in creatione [ſu]æ: non tamen eſt inter omnes fixum, an ipſe iuſtitiã complexa fuerit gratiam habitualẽ quæ hominem Deo gratum, & filium Dei adoptivum conſtituit, illumque ordinat ad finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis conſiſtentis in clara Dei viſione & ſummi boni poſſeſsione. Non deſunt enim aliqui Theologi, qui gratiam originalem primo Parenti in creatione conceſſam ſeparent à gratia gratum faciente, aſſerantque accepiſſe primum hominem habitum quemdam ſupernaturalem, qui partem inferiorem ſuperiori ſubijceret, non tamen accepiſſe gratiam gratum facientem, quæ filios, & amicos Dei efficit, & ad vitam æternam promerendam neceſſaria eſt: ita teſtatur Bellarminus lib. de grat. primi hominis cap. 3. pro hac ſententia citãs Magiſtrum, & Scotum, & P. Suarez, prolog 4. cap. 4. n. 6. citat etiam pro ea Alenſem, Alhiſiodorenſem, Bonavent. Et Marſil. At communis Theologorum ſententia cum D. Thom. 1. 2. q. 95 art 1 conſtanter docet, primum hominem in prima creatione gratiam gratum facientem accepiſſe, quam late probat ibi Bellarminus.

6 Eſt tamen diſidium inter Theologos, an illud donum iuſtitiæ originalis fuerit ſimul donum gratiæ ſanctificantis, an fuerit realiter diſtinctum: fuiſſe idem docet P. Valentia tom. 1. diſp. 7. q. 2. punt. 2. cum Magiſtro Soto: fuiſſe diſtinctum realiter probabilius docet cum alijs P. Suarez prolog. 4. cap. 5. cum enim de facto in iuſtis detur gratia ſanctificans ſine iuſtitia originali, dicendum eſt hanc fuiſſe in primo homine donum diſtinctum realiter à gratia ſanctificante, quæ, vt probat P. Suarez, fuit in illo fœliciſsimo ſtatu fundamẽtum reliquorum donorum; nam in ſtatu innocentiæ iuxta D. Auguſtinum, & D. Thom. hic ordo conſtitutus eſt, vt pars inferior eſſet perfecte ſubiecta ſuperiori, & ſuperior Deo, ita vt non poſſet inferior inſurgere contra ſuperiorem, niſi hæc averteretur à Deo: ergo primum fundamentum illius ſtatus, à quo omnia pendebant, erat perfecta converſio, & ſubiectio ad Deum, hæc autem fit per gratiam: ergo illa erat fundamentum reliquorum.

7 Status ergo, in quo primus Parens ante peccatum fuit conſtitutus, gratiam habitualem, reliquoſque habitus ſupernaturales cõplectebatur, qui nunc infunduntur iuſtis; & inſuper donum iuſtitiæ originalis ſubijcientis partem inferiorem ſuperiori. Cum enim Deus in Adamo totum genus humanum in finem ſupernaturalem condiderit, nempe in claram ſui viſionem ac fruitionem, voluerit que vt homines ad eum finem per propria merita eidem cõgruentia pervenirẽt, vt ſic finis adeptus in maiorem ipſorum laudẽ, ac honorem cederet, contulit primo Parenti pro ſe & poſteris ſuis non ſolum principia, quibus vitam æternam

poſ-

possent promereri, nempe fidem, gratiam, charitatem, aliasque supernaturales virtutes, sed etiam dono iustitiæ originalis ita vires sentientes compescuit, vt adversus rationem non moverentur, bellumque illi nullum inferrent, eodemque dono, atque sua assistentia corpus à fatigatione, morbis, aliisque ærumnis omnino immune reddidit, vt homo ita ab innata virium sentientium rebellione, molestiaque corporis liberatus, prõpte, summaque cum facilitate viam, mandatorum omnium posset currere, vitam æternã promereri, & ad eam ita per propria merita pervenire, vt homo præmio, laude atque honore esset dignus, & tandem omnia in laudem, atque honorem ipsius conditoris, à quo velut è fonte emanarunt, cederent, ac redundarent. Sic describit innocentiæ statum P. Molina in concord. disput. 3.

8 Hanc originalem iustitiam accepisse hominem in sua creatione colligunt Doctores Catholici ex illo Ecclesiastes 7. *Solum modo hoc inueni quod Deus fecit hominem rectũ & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*: rectitudo enim hominis in virtute & sanctitate consistit. Et ex illo Ecclesiastici 17. *Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum, & vestiuit illum virtute.* Et ex illo Apostoli ad Eph. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*: id est, vera, iuxta phrasim Hebræam. His enim verbis secundum communem expositionem Patrum docet Apostolus *Nos renouari* per Christi merita ad iustitiam illam & sanctitatem supernaturalem in qua initio fuimus in Adamo, & quamvis non sit certum an in prima creatione acceperit homo gratiam sanctificantem, certum tamen est eam habuisse ante lapsum. Vt probat P. Valentia tom. 1. d. 7. q. 2. punct. 3. vbi merito reijcit vt temerariam sententiam Marsilij, qui negavit, Adamum habuisse gratiam gratum facientem ante lapsum, vtpote contrariam doctrinæ Sanctorum Patrum asserentium, Adamum ante peccatum fuisse in Paradyso fœlicissimum: non fuisset enim fœlicissimus si caruisset dono constituente amicum, & filium Dei adoptivum: imo post Tridentinum illa sententia erronea videtur; cum Concilium Sess. 5. in decreto de peccato originali definiat, primum parentem per peccatum sanctitatem & iustitiam amisisse, in qua constitutus fuerat, totumque fuisse in deterius commutatum secundum corpus & animam. Et cum statuat, Adamum non solum mortem, & pœnas corporis ingenus humanum transfudisse, sed etiam peccatum, & amisisse sibi, & posteris sanctitatem & iustitiam. Nam peccatum originale transfusum in posteros vel consistit in privatione gratiæ sanctificantis, vel cum illa necessario coniunctũ est: & nomine sanctitatis Concilium intellexit donum aliquod distinctum à iustitia originali, appetitum sensitivum compescente, quod donum dũ Deus infundit in Baptismo remittit peccatum originale, quamvis non tollat rebellionem appetitus contra rationem.

9 Gratiam sanctificantem, & alia dona supernaturalia, quæ Adam sibi & posteris amisit, restituit Deus per meritum passionis Christi; noluit tamen restituere donum iustitiæ originalis; ratio enim postulabat, vt quia homo, qui sine vlla difficultate poterat gratiam conseruare, & gloriam sine vllo labore acquirere, illam pro libito amisit, non nisi cum labore ad gratiam & amicitiam rediret; neque gloriam vt coronam posset obtinere, nisi pugnando cum concupiscentia, & rebellionem appetitus subiugando: vnde meritò Augustinus lib. 14. de Civit. capit. 15 loquens de peccato Adami aiebat: *In illius peccati pœna quid inobedientiæ nisi inobedientia retributa est? Nam quæ hominis est alia miseria nisi aduersus eum ipsum inobedientia eius ipsius, & quoniam noluit quod potuit, quod non potest velit.* Vt autem definit Tridentinum in Baptizatis manet fomes concupiscentiæ ad agonem & exercitium, quæ concupiscentia non consentientibus minime nocet, sed potius resistentibus occasio est ingentis lucri, & meriti.

10 His suppositis, disquirendum est, an Deus potuerit creare hominem quin illum per donum gratiæ sanctificantis ordinaverit ad beatitudinem supernaturalem, vel saltem an potuerit creare hominem sine iustitia originali, id est sine dono illo compescente rebellionem appetitus contra rationem, aliæque quæstione, his affines sunt exagitandæ.

SECTIO TERTIA.

Proponitur & refellitur sententia Iansenij negantis statum puræ naturæ.

11 COrnelius Iansenius Episcopus Hiprensis in illo suo opere, cui titulus *Augustinus Iansenij* tom. 2. tribus integris libris contendit impossibilem esse, & merum Scholasticorum figmentum, statum illum puræ naturæ, in quo homo à Deo crearetur sine iustitia & sanctitate, qualem habuit Adamus ante lapsum; ac proinde affirmat Deum adigi insuperabili necessitate, vt si naturam intelligentem creare velit, eam creet ornatam ea sanctitate, quæ ius huic ad beatitudinem, consistentem

clara Dei viſione. Hanc ſententiam nullus Doctor Societatis tuetur: ſed Ianſeniſtæ obij eijs vnis amplectuntur, eamque noviſſime defendit Rever. Pat. Antonius Roſende ex Sacra Familia Clericorum Minorum, tom. de juſtitia originali, d. 6. div. 2.

13 Hanc doctrinam late impugnat Antonius Moraynes, id eſt, P. Ioan. Martinon, noſtræ Societatis, ſub eo anagrammate nomen ſuum tegens in illo perilluſtri opere, cui titulus Anti-Ianſenius diſp. 3. & Pat. Ripalda contra Baium diſputat. 8. ſub Baionorum nomine Ianſenium intelligens, & Paret. Annatus in ſuo Auguſtino à Baianis vendicato libro 1 5.

14 Impugnatur ergo primo, quia eſt contra omnes Theologos, vt oſtendit ibi Rip. ſect. 3. & ſane P. Suarez prol. 4. cap. 1 num. 7. teſtatur ſe non invenire vllum Doctorem Catholicum, qui id expreſſe diceret; præter Michaelem Baium: nondum enim tunc ſcripſerat Ianſenius. Impugnatur ſecundo, quia hæc doctrina damnata videtur à tribus Pontificibus contra Baium Doctorem Lobanienſem, nimirum à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. nam inter alias damnatæ ſunt ſequentes propoſitiones, quæ ſunt 22. 24. 25. *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium diuinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis ac proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio quodam ſupernaturali & gratuito dono ſupernaturæ ſuæ conditionem fuiſſe exaltatum, vt fide, ſpe & charitate Deum ſupernaturaliter coleret. A vanis, & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia: hominem ab initio ſic conſtitutum vt per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus.*

15 Hinc Cardinalis Bellarminus, lib. de grat primi hominis, cap. 5 fine, merito ait, ſe neſcire quomodo poſsit vllus hoc tempore de hoc dubitare, cum duo Summi Pontifices articulum illum damnaverint, & tamē Ianſenius non de hoc dubitavit, ſed palam propoſitiones Baij damnatas ſuſcitavit: & incredibili audacia lib. 1. cap. 1. lib. 3. cap. 22. aſſerit hæc eſſe immobilia Auguſtini principia, quibus doctrina eius adverſus Pelagianos, & Manichæos incumbit: ſequi filium humanæ rationis, non Eccleſiaſticæ traditionis, qui reſiſtunt: invictè concludere Auguſtinum commentum illud puræ naturæ eſſe chymæricum, ingratum, & irreligioſum adverſus Deum, neque poſſe blaſphemia opinione ſubſtineri.

16 Quare aſſertio Ianſenij erronea multis videtur, nam erronea eſt illa aſſertio, quæ veram pronuntiat doctrinam, quam Sedes Apoſtolica iudicavit falſam: vt conſtat ex vera & recepta Theologia tradita ab omnibus, qui docent ſedem Apoſtolicam in definiendis rebus ad mores & doctrinam pertinentibus errare non poſſe, etiam ſine Concilio generali, & oppoſitum eſſe errorem, de quo conſulatur Bellarminus lib. 4. de Pontif. capit. 3. & Valentia tom. 3. q. 1. punct. 7. §. 41. At aſſertio Ianſenij de ſtatu puræ naturæ veram pronuntiat doctrinam illarum propoſitionum, quam Sedes Apoſtolica iudicavit falſam: ergo &c.

17 Nec vim argumenti effugies ſi reſpondeas Pontifices non damnaſſe illas Baij propoſitiones propter doctrinam, quam continent, ſed propter aculeatam cenſuram, qua traducunt opiniones oppoſitas; quamvis enim vt verum admittatur, id quod negat Ripalda diſput. 1. ſect. 4. aliquas Baij propoſitiones, præciſè ob cenſuram fuiſſe proſcriptas; id dici non poteſt de propoſitione vigeſsima ſecunda, quæ nullam cenſuram continet, & tamen damnata eſt: ergo præciſè damnata eſt ob doctrinam: ergo oppoſita propoſitio eſt certa, nempe hæc: *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in cōſortium diuinæ naturæ debita non fuit integritati primæ conditionis.* Ergo potuit homo ſine illa exaltatione produci.

18 Nec audiendus eſt Ianſenius dum ait multas propoſitiones in Bulla contra Baium damnatas, eſſe ab Auguſtino traditas tanquam indubitatas, ac proinde non dānari in perpetuum ab Eccleſia, ſed tantum ad tempus interdici propter ſcandala ſedanda. Hanc enim evaſionem falſitatis convincunt P. Ripalda d. 1. ſect. 2. & P. Annatus lib. 5. cap. 3. Conſtatque illam expoſitionem eſſe temerariam ex Bulla Vrbani VIII. qui confirmans Bullas Pij V. & Gregorij XIII. adverſus propoſitiones Baij in titulo præfixit: *Ad perpetuam rei memoriam.* Et confirmationis ſuæ hæc verba inſervit: *Hac perpetuo valitura conſtitutione eiuſdem Pij, & Gregorij Prædeceſſorum conſtitutiones perpetuo confirmamus.*

19 Impugnatur tertio illa Ianſenij doctrina, quia eſt contra Auguſtinum qui lib. 3. contra Maximinum Epiſcopum Arianum cap. 15. ait: *Homo ad Dei ſimilitudinem factus, non eſt verus filius: & ideo fit gratia filius, quia non eſt natura.* Ergo iuxta Auguſt. filiatio adoptiva non eſt debita naturę rationali innocenti, ſed donum gratioſe ſuperadditum, proindeque negabile, vnde lib. 12. de civ. c. 9. de Angelis, loquens, inquit: *Erat Deus ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam:* plane ſignificans gratiam eſſe donum liberaliter conceſſum ſuppoſita natura.

Eſt

Est etiam contra Cyrillum lib. 1. in Ioann. c. 13. ibi: *Alia naturæ ratio, alia adoptionis, alia veri filij, alia adoptati.*

20 Impugnatur quarto, quia est contra illud Apostoli Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Nam si vita æterna, seu visio clara Dei est gratia: ergo etiam est gratia ordinari ad illam per sanctitatem habitualem; tum quia cui indebitus & supernaturalis est finis, indebitum & supernaturale est medium vendicans finem: tum quia cui connaturalis & debita est gratia habitualis constituës filium adoptivum, connaturalis & debita est visio beatifica; quę est hæreditas filiationi correspondens, iuxta illud Apostoli Rom. 8. *Si filij, & hæredes.* Ergo nequit vita æterna esse gratia respectu alicuius, nisi sit respectu eius gratia forma illa, per quam in ratione filij adoptivi constituitur & nisi sint gratia merita illa, quibus vitam illam æternam promeretur. Vt docet expresse Augustinus Epist. 105. & de grat. & libero arbitrio cap. 6. his verbis: *Quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non pro operibus reddatur, sed gratis detur? Ista quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui nisi intelligatur, & ipsa bona opera, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.*

21 Dicet adversarius, vitam æternam dici gratiam ab Apostolo respectu hominis in hoc statu naturæ lapsæ, in quo vita æterna supponit gratiam iustificantem, quæ est omnino indebita homini peccatori: nō esse autem gratiam respectu hominis innocentis, qui neque peccatum originale contraxit ex alio, neque personale propria voluntate commisit. Sed contra, quia licet speciali titulo vita æterna sit gratia collata homini, qui aliquando fuit in peccato; vt tamen sit proprie gratia hoc non requiritur; vt patet in B. Virgine, respectu cuius vita æterna gratia est, quamvis nunquam habuerit peccatum: neque ad conceptum gratiæ requiritur quod sit positive indebita, sed sat est quod non sit debita; vt cernitur in Angelis, in quibus iuxta Aug. *Deus simul erat condens naturam & largiens gratiam.* Nam in illis nō præcessit peccatum ante gratiam; cum certum sit nullum Angelorum peccasse in primo instanti; & exploratum sit, nullum eorum habere vel aliquando habuisse gratiam post peccatum.

22 Et cernitur etiam in humanitate Christi, respectu cuius vnio hypostatica non solum fuit proprijssime gratia, sed exemplar altissimum totius gratię, vt inquit August. lib. de præd. Sanct. cap. 15. cum tamen fide sanctum sit humanitatem illam nunquam habuisse peccatum, vi cuius redderetur indigna tanta gratia. Et cernitur etiam in dono perseverantiæ, quod est specialis gratia respectu hominis iusti, vt talis, prout constat ex Trid. sess. 6. Can. 22. definiente iustificatum sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare non posse: & tamen homo iustus quatenus talis non est positive indignus illo dono. Dicitur ergo specialis gratia, quia illa non est dignus, nec titulo gratiæ sanctificantis ei debetur donum perseverantiæ.

23 Præterea impugnatur illa evasio, quia sicut Deus non dicitur invisibilis solum respectu naturæ creatæ, quæ aliquando peccavit, sed respectu cuiuscumque etiam innocentis: ita vita æterna non dicitur solum gratia respectu naturæ rationalis, quæ peccavit, sed respectu innocentis. Quod amplius vrgetur: nam 1. ad Timoth. 6 dicitur *Deus solus habere immortalitatem, & lucem habitare inaccessibilem.* Hoc autem secūdum ideo dicitur, quia nemo suis viribus eius intuitum assequi potest. Nam vt inquit Dyonis. Epist. 5. *Caligo diuina est inaccessibilis, in qua habitare Deus dicitur: hæc est inuisibilis propter nimiam claritatem, & inaccessibilis propter immensam luminis copiam.* Ergo repugnat substantia creata, cui debeatur visio beatifica, ad illāve possit viribus proprijs pervenire: ergo repugnat natura creata cui debita sit gratia sanctificans; nā cui debita est illa gratia, debita est gloria, suisque meritis proprijs potest ad illam pervenire.

24 Confirmatur: nam in eodem sensu dicitur Deus ab Apostolo habitare lucem inaccessibilem, in quo dicitur solus habere immortalitatem. At Deus dicitur solus habere immortalitatem, & immutabilitatem, quia nulla est possibilis creatura intellectualis, quæ varietate mutationum aliquomodo mori non possit, vt docet Aug. lib. 3. contra Maxim. c. 12. ibi: *Immortalitatem autem Deus habere dicitur solus, quia in omni mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse, quod erat.* Ergo dicitur lucem habitare inaccessibilem, quia nulla est possibilis creata, quæ ipsum naturaliter & citra elevationem videre possit. Et ideo vt ibidem subiungit Aug. scriptum est: *Inuisibilis soli Deo, quia videlicet solius Dei proprium est non posse connaturaliter ab alia substantia videri.*

25 Confirmatur rursus, quia vt inquit Bellarminus lib. de gratia primi hominis capit. 6. *Primi parentes electi fuerunt ad eam dignitatem, vt essent filij Dei, & Dij quidam, id est diuinæ consortes naturæ, vt Sanct. Petrus loquitur de his, qui iustificantur per Christum. Nec aduersarij negant; at profecto absurdissimum est, rem creatam, qualis est homo, Deum vel Dei filium naturaliter facere.* Ergo negari nequit, [illegible]

prie gratiâ reſpectu cuiuſcumque naturę creatę ſecundum ſe ſumptæ, nec ad illam pervenire poſſe per merita, quæ non ſint gratia, id eſt, profecta ex auxilio ſupernaturali. Idque eſt iam certum ex Bulla Pontificum damnante Michaelis Baij propoſitiones, quarum tertia ita habet: *Et bonis Angelis, & primo homini ſi in ſtatu illo permanſiſſet vſque ad vltimum vitæ, fœlicitas eſſet merces & non gratia. Quarta, vita æterna homini integro & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad conſequendam illam per ſe ſufficiunt. Septima: primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed iuxta modum loquendi Sacræ Scripturæ non recte vocantur gratia, quo fit, vt tantum merita, & non gratia debeant nuncupari.*

SECTIO TERTIA.

Reiiciuntur euaſiones Ianſenij, & ſequacium.

26 IANSENIVS vt ſaltem ſpecie tenus defenderet componi cum ſua ſententia de impoſsibilitate puræ naturæ gratiæ concepturæ, & ne ſe opponeret pal. Auguſtino differte afferenti cap. 11. de correct. & grat. primum hominem eguiſſe adiutorio gratiæ ad perſeverandum in bono, & gratiam accepiſſe cum qua perſeverare poſſet, ſi vellet, & ſine qua non poſſet: triplici via tentavit hanc difficultatem componere: primo, quia gratia apud Auguſtinum, & alios ſacros Scriptores ſolum excludit merita, quibus comparetur, quaſi gratia ideo talis ſit & dicatur, quia gratis, & ſine præcedentibus meritis datur, vt conſtat ex illo Pauli Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* Et capite 11. *ſi autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.*

27 Sed contra primo, quia ſi cum gratia proprie dicta ſolum pugnat opus creaturę, cui illa debeatur, vt vult Ianſenius libro 1. de ſtatu puræ naturæ, capit. 17. ſequitur Pelagium veram & propriam gratiam admiſiſſe ad primum opus meritorium cuiuſcumque hominis; cum manifeſtum ſit quod principium collatum homini à Deo ad primum actum meritorium, non eſt collatum ex merito præcedenti. Contra ſecundo, quia ex Apoſto-
&lo & Auguſtino ſolum habetur, quod gratia opponatur merito, non autem quod non opponatur aliis conceptibus: ac proinde licet meritum ſit caput ſufficiens ad excludendam rationem gratiæ, non tamen vnicum. Poteſt enim ac debet excludi ratio gratiæ, ſi ſit debita ex iure & exigentia phyſica naturæ: alioquin dicere poſſemus potentias animæ eſſe gratiam reſpectu naturæ, quia non dantur homini propter meritum, cum ante illas nullum meritum præcedere poſsit.

28 Contra ſecundo; quia multo magis opponitur cum ratione gratiæ exigentia phyſica naturę iure ſuo ſibi vendicans terminum aliquem ita vt citra miraculum negari nequeat à Deo, quam meritum congruum aut impetratio, cui in nullo vero ſenſu proprie debetur præmium. Atqui de conceptu gratiæ eſt quod ſit ſupra meritum etiam congruum, impetrationem, aut diſpoſitionem moralem naturæ, vt ex Concilijs & Patribus oſtendit Ruiz de provident. à diſp. 14. ad 24. & Ripalda tom. 1. à diſp. 16. ad 20. ergo à fortiori de conceptu gratiæ eſt quod ſit ſupra exigentiam naturæ, ac proinde quod hæc ſit ab illa ſeparabilis.

29 Contra tertio, quia ex terminis eſt implicatorium eſſe donum gratuitum reſpectu ſubiecti illud quod nec de potentia abſoluta Deus ipſi negare poteſt; nam gratia eſt materia orationis, non eſt autem tale id ad quod conferendum, vel producendum eſt Deus ex natura ſua neceſsitatus & ideo non poſſumus petere à Patre Æterno, vt generet Filium: ergo ſi Deus erat neceſsitatus ad conferendum primo homini gratiam ſanctificantem, hæc non fuit gratia reſpectu illius: quia non confertur gratioſe, quod confertur ex debito ineluctabili, & quod primus homo à Deo poſtulare non potuit. Quod confirmatur authoritate Richard. victor. lib. 6. de Trin. c. 1 fine vbi ait *Quod eſt ex ſola operatione gratiæ, pro authoris beneplacito poteſt eſſe, vel non eſſe.* Vide plura in hunc ſcopum apud Ruiz diſp. 92. ſect. 2. n. 14.

30 Sed opponunt nobis adverſarij locum Aug. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. vbi impugnans Pelagianorum errorem, qui dicebant, hominem quidem adiuvari ad perficiendum, ſeu ad capeſſendam perfectionem, nõ autem ad incipiendum, ſic inquit Iulianum alloquens: *Bonam dicis hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur: quod gratãter audirem, ſi hoc propterea, quia rationalis natura eſt, diceres. Nec enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum lapidibus, aut lignis, pecoribuſve præſtatur, ſed quia imago Dei eſt, meretur hanc gratiam, non tamen vt eius bona voluntas poſsit præcedere præter gratiam, ne vel ipſa prior det, vt retribuatur illi, ac ſic gratia non ſit gratia, dum non datur gratuita, ſed redditur debita.* Ergo ſenſit Auguſtinus ſolum eſſe contra ra-

tio-

tionem gratiæ, quod subsequatur ad merita naturæ, eisque reddatur vt merces; non vero quod tribuatur naturæ, sitque ei debita, quia est rationalis, & Dei imago. Respondeo D. August. ibi hoc vnum contendere contra Pelagianos, gratiam non dari ex actibus meritorijs arbitrij, quia hoc ipsi asserebant, & in eo erant Hæretici. Dum autem admittit, quod natura rationalis meretur gratiam, non quia operatur viribus suis, & operando prevenit gratiam, sed quia rationalis est: admittit in ipsa natura rationali secundum se meritum proportionis cum gratia, non meritum exigentiæ; quia enim est ad imaginem & similitudinem Dei potius quam lapides & bruta, ideo potius quam illa meretur gratiam, id est, habet proportionem & capacitatem ad recipiendam gratiam.

31 Secundo respondet Iansenius, etsi suppolita existentia primi hominis necessarium omnino fuerit vt Deus illi infuderit gratiam sanctificãtem, absolute tamen illam infusionem esse gratiosam, quia ipsa existentia hominis est gratiosa, seu gratis omnino concessa: sed contra, quia hoc pacto non admittitur gratia supernaturalis & Theologica, qualem PP. & Concilia adversus Pelagium statuerunt: siquidem illa est gratia naturalis pertinens ad donum creationis, quam Pelagius non negabat, imo suam hæresim quasi quodam palio hoc acceptione gratiæ tegebat, vt vidimus d. 1. sect. 1. & tamen damnatus est à PP. & Concilijs, vt hostis gratiæ: ergo quoad hanc partem in eadem damnatione est Iansenius. Assumptum inde probatur quod Patres Concilij Melivitani cum Augustino Epistol. 95. ad Innocentium scribunt: *Licet natura, & liberum arbitrium nõ improbanda ratione possit appellari gratia; eam tamen gratiam nõ esse, quæ in sacris eloquijs & Euangelicis, Apostolicisque litteris inuenitur relata.* Et Epist. 105. *Abijciatur à Christianorum cordibus ista fallacia: nã omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus, sed qua iustificati sumus vt iusti essemus.*

32 Nomine ergo gratiæ intelligunt Scriptura, Concilia, & Patres donum gratuitum naturæ superadditum, superansque illius exigentiam, præcipue vero illud, quo Deus naturam rationalem sanctificat, eique ad peccatum vincendum, & ad bene operandum auxilium præstat. Quare cum Iansenius ipse libro 1. de statu puræ naturæ capit. 2. & 3. palam fateatur, gratiam collatam Angelis, & homini in prima creatione fuisse supernaturalem, idque esse constantissimum in doctrina Augustinij cum ipso pugnat, & concepsum entis supernaturalis destruit, dum affirmat illam gratiam inseparabilem fuisse ab arbitrio hominis & Angeli pro prima creatione: non enim est supernaturale, quod ita annexum est naturæ, vt ab illa nec divinitus separari possit, nec superat vires, & exigentiam naturę perfectio illa, quam ei creator negare nequit.

33 Respondet tertio sanctitatem collatam homini & Angelo in prima creatione esse vere gratiam, & vere donum supernaturale quamvis sit inseparabile à natura innocente, nimirum, quia non fluit à natura tanquam proprietas, neque in viribus illius activis continetur, nec debetur naturæ, quasi ex meritis illius, sed ex sapientia & bonitate creatoris, cui omnino repugnat producere creaturam rationalem innocentem, quin illi infundat gratiam, eamque ordinet ad beatitudinem supernaturalem, & regnum Dei. Sed contra primo, quia impossibile est Deum esse ab intrinseco necessitatum ob suam bonitatem, & sapientiam ad concedendum homini & Angelo plusquam eorum natura ex meritis suis postulat, præsertim ad concedendum illa maxima, & prætiosa dona, quibus efficimur divinæ consortes naturæ, vt loquitur Petrus secunda capite 1. & amici, filijque Dei constituimur. Nam ad supremam creatoris maiestatem, & opulentiam pertinet, vt præter bona, quæ homini & Angelo sunt proportionata, eisque quasi ex iustitia rependuntur, habeat alia, quæ possit ex liberalitate largiri; pauperis enim est posse tantum solvere, non vero donare, si autem aliqua sunt eiusmodi dona, profecto sunt ista, quæ homini & Angelo tribuunt ius irrefragabile ad visionem claram Dei, & quæ Petrus maxima, & prætiosa appellat.

34 Contra secundo, quia sicut repugnat Deum esse ab intrinseco necessitatum ad dandum homini, vel Angelo esse: ita repugnat esse necessitatum ad elevandum illos in sui amicitiam, ex suppositione quod sint. Si enim homo non tenetur hominem in filium adoptare, nec ad sui familiarem amicitiam admittere; cur tenebitur Deus infinitę maiestatis? Rursus sicut foret contra dominium Dei esse necessitatum ad conservandum hominem, vel Angelum ex suppositione productionis; ita debet esse contra Dei dominium, quod ex suppositione productionis sit necessitatus ad infundenda dona gratiæ.

35 Contra tertio, quia sicut spectat ad perfectionem primi entis, quod nulli alteri dei conveniat esse nisi per gratuitam eius la-

gitionem, ita spectat ad eius perfectionē, quod nulli alteri substantiæ conveniat optime esse, seu esse beatam nisi per novam largitionem gratuitam ipsius, specialeque beneficium indebitum, pro quo novæ, specialesque ei debeantur gratiæ. At si Deus esset necessitatus ad conferendum homini & Angelo gratiam in prima creatione, non esset novus & indebitus favor communicatio visionis beatificæ: nam finito termino viæ non posset homini, vel Angelo habenti gratiam negare gloriam: ergo, &c.

36 Quare merito P. Suarez Prolog. 4. de grat. cap. 1. num. 18. pronuntiavit certissimum esse & necessarium contra errorem Pelagij fundamentum, nil facturum Deum præter id quod naturæ humanæ est debitum, etiam si ad visionem beatam illam non ordinasset.

37 Denique Ianseni sententiam impugno, quia si semel Deus est metaphisice necessitatus ad non creandam naturam rationalem quin illam producat propter beatitudinem supernaturalem, eamque ordinet ad intuitivam summi boni visionem, & possessionem; non est fundamentum ad asserendum Deum ordinare hominem & Angelum ad visionem beatificam per donum distinctum, quia datur mutua inseparabilitas inter primam creationem hominis, & Angeli, & formam illos ordinantem ad claram Dei visionem. Satius ergo esset dicere naturam ipsam rationalem per sua prædicata, absque dono superaddito esse ad id ex se ordinatam, & hominem & Angelum suapte natura esse filios Dei adoptivos, eisque deberi hæreditatem gloriæ, nisi per peccatum se reddant indignos: & ex se habere vires ad merendum augmentum gloriæ. Cum ergo hoc secundum dici nequeat, neque primum potest subsistere.

38 Dices ex Ianseno lib. 1. de statu puræ naturæ ex Patribus & Concilijs solum haberi, nos quoad ea, quæ mores concernunt, nihil bonī posse sine adiutorio Dei tam prævenienti, quam cooperanti, & neque hoc adiutorium dari ob præcedentia merita; atque hoc sensu non esse debitum: de alio autem debito, nihil curasse: ac proinde quamvis sit contra rationem gratiæ, quod debeatur debito iustitiæ, vel gratitudinis, seu quod conferatur ob exigentiam physicā naturæ, vel ob actum naturalem meritorium: non tamen esse contra rationem gratiæ quod debeatur debito puræ liberalitatis, & misericordiæ. Etenim extreme indigenti teneris succurrere; nec tamen propterea minus misereris, aut minus gratiæ exerces circa ipsum quam circa alium. Similiter qui magis est præditus liberalitate, magis debet donare, & est magis necessitatus ad aliquid donandum quam alius expers huius necessitatis, neque tamen per hoc est minus liberalis. Audiamus verba Ianseni ea col. 181. *Gratiæ propriſsime dictæ ſolum modo ſecundum doctrinam ſcripturarū & Auguſtini repugnat opus creaturæ, cui illa debeatur.*

39 Sed reijcitur, ex dictis, hæc solutio: huia misericordia & liberalitas Dei, etiam si ipsum inclinent ad conferendam gratiam homini quasi extreme indigenti, non tamen inducunt, seclusō libero decreto & promissione, vllam veram obligationem; alioquin cum Deus deficere non possit ab obligatione, seu contra obligationem agere, quia hoc ipso peccaret; Deus esset ex se metaphysice necessitatus ad conferendam homini gratiam; ad incarnadum, & ad alia exhibenda misericordiæ opera. Quod plane est absurdum. Neque exēpla adducta quidquam probant: nam vbi quis eleemosinam dat extreme indigēti, ad id stricte tenetur in conscientia, & peccaret negando: & quidem non solum contra charitatem, sed cōtra iustitiam: quia in extrema necessitate omnia sunt communia. Vnde non exercet gratiam, sed iustitiam, quia dat pauperi id ad quod habet strictum ius. Et quamvis si ad id obligaretur solum ex charitate, id non tolleret rationē gratiæ, ideo foret, quia absolute posset negare. At Deus si semel ex misericordia esset obligatus ad largiendum, non posset negare, quia id esset peccatum & Deus est ab intrinseco necessitatus ad non peccandum. Exemplum autem eius qui maiori liberalitate præditus est, nihil probat; quia liberalitas illa licet inclinet ad dandum, non tamen obligat, ac proinde liberalis citra culpam posset negare donum. Vnde exēplum potius evincit gratiam non esse annexam naturæ; quia licet Deus à sua misericordia, & liberalitate inclinetur ad eam largiendum, non tamen necessitatur, quia non est obligatus ad exercendam suam misericordiam, nisi quando voluerit, & quomodo voluerit.

40 Itaque Ianseni us docet, necessarium fuisse, vt homo conderetur ad beatitudinem supernaturalem; non quia id deberetur naturæ humanæ; sed quia id Deus debebat sibi ipsi: *Sæpe namque contingit* (inquit ille lib. 1. de statu puræ naturæ col. 780. impressionis Lovanienſis anni 1640.) *vt aliquid ſibi ipſi ſuiſque attributis Deus debere dicatur, non ſolum iuſtitiæ, ſed etiam clementiæ, fidelitati, magnificentiæ, ſapientiæ, aliiſque attributis omnibus, ipſi denique miſericordiæ, & liberalitati, quæ quam maxime gratuitæ ſunt operationes. Subinde namque ſecundum immutabiles rationes diuinæ ſapientiæ contingit, vt omnino deceat, & æquum ſit, Deum clementer, magnifice & miſericorditer cum creaturis ſuis agere, quod ſi non faceret, nihil*

hil omnino faceret contra ius iustitiæ in creatura: sed contra sapientiam suam, quam Deus non minus, quam iustitiam suam præterire non potest. Quando igitur istis modis, vel sibi vel sapientiæ suæ, vel alijs attributis Deus quidpiam debet, ne videlicet alioqui inconvenienter, vel insipienter agat, nihil omnino de gratiæ ratione tollit. Sapientiam autem suam inseparabiliter in omnibus Deus sequi debet. Hoc autem debitum tam arctum est, vt non magis immutari possit, quam ipse Deus.

41 Iuxta hanc doctrinam dicere quis posset statim puræ naturæ esse quidem physicè possibilem Deo, attentâ scilicet eius omnipotentia præcisè: esse tamen moraliter impossibilem; sumpta morali impossibilitate non pro aliqua difficultate, quia Deo nihil difficile est, sed pro aliqua infallibilitate fundata in Dei sapientia, benignitate, & clementia ex cuius frustratione aliqua chymæra contingeret. Ad modum quo iuxta aliquos Theologos Deus est moraliter necessitatus ad optimum, ita vt si optimum non eligeret, sequeretur aliqua chymæra, nempe Deum non esse Deum, vel necessitatem moralem, non esse necessitatem moralem.

42 Sed contrà, quia hoc pacto decretum liberum creandi hominem imponeret Deo metaphysicam necessitatem infundendi ei gratiam; proindeque illa infusio licet esset maximè libera libertate à coactione, quia infallibilitas infundendi gratiam oriretur ex summa Dei misericordia, & amore erga hominem, esset que proinde maximè spontanea, quo sensu generatio Verbi & productio Spiritus Sancti sunt actiones summè liberę; nõ tamẽ esset libera libertate indifferentiæ, quã postulat perfectissimum Dei dominium. Alioquin dicere possemus Deum ex redundantia suæ bonitatis, & ex inclinatione ad se cõmunicandum, ita fuisse moraliter necessitatum ad mundum creandum, vt chymæra sequeretur, si mundum nõ crearet; ex quo inferretur, eum non habuisse potẽtiam physicam ad non creandum mũdum; quia non habuit potentiam physicam ad chymæram. Quare sunt termini omnino incompossibiles, statum puræ naturæ esse physicè possibilem, & moraliter impossibilem, ea impossibilitate morali, ex cuius frustratione sequeretur chymæra: nam in Deo non datur potentia physica ad faciendam chymæram.

43 Eodem modo reijcienda est evasio Patris Rosende disput. 33. asserentis gratiam non esse debitam naturæ secundum se, sed vt terminanti actionem creativam, & primo productivam Dei. Etenim si natura secundum se gratiam non exposcit, neque cum eius existentia connectitur: nec natura vt terminans actionem creativam; nam actio creativa connaturalis termino, & ab ipso petita non potest maiorem connexionem habere cum perfectione talis termini, quam habeat ipse terminus, à quo specificatur, & in ordine ad quem totum suum esse habet. Nec dici valet, Deum esse ab intrinseco necessitatum ad non creandum hominem sine gratia sanctificante; esset enim maxima Dei imperfectio, & contra eius dominium, quod nequeat hominem condere, quin ei tribuat perfectionem superantem eius exigentiam. Rursus, ex eo quod actio creativa naturæ rationali connaturalis, & ab ipsa petita, habeat connexionem essentialem cum existentia gratiæ; manifestè infertur naturam ipsam eandem connexionem habere; quia natura essentialiter supponit actionem creativam, & cum eius existentia connectitur: ergo si illa ex se connexa est cum existentia gratiæ sanctificantis naturam, hæc secundum se cõnexa est cum eadem existentia: hoc autem pugnat cum conceptu supernaturalitatis; nõ enim est supernaturalis respectu naturæ illa perfectio cũ qua eius existentia connectitur.

SECTIO QVARTA.

Soluitur primum argumentum Iansenij desumptum ex appetitu naturali hominis ad beatitudinem: vbi multa de Beatitudine naturali.

44 EIVS argumenta proponit P. Martinon in Anti-Iansen. disp. 13. à sect. 4. vsque ad 15. Nos difficiliora dumtaxat attingemus. Arguit ergo primo. Homo appetitu naturali desiderat Beatitudinem; vt enim inquit Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 8. *Omnes Beatos esse velle, veritas clamat natura compellit, cui summe bonus, & immutabitabiliter beatus Creator hoc indidit.* Beatitudo autem hominis in sola adeptione summi boni, id est in clara Dei visione, & dilectione sita est: atqui ad providentiam, & conditionem naturalẽ hominis spectat quidquid est obiectum appetitus naturalis humani; frustra enim Deus vt author naturæ inderet hunc appetitum homini, nisi vt author naturæ posset illum satiare; & nisi homo posset ad illam facietatem naturaliter pervenire. Ergo beatitudo illa pertinet ad ordinem naturæ, ac proinde ad constitutionem naturalem eius spectat potestas obtinẽdi beatitudinem; non datur autem hæc po-

te

reſtas ſine gratia ſanctificante, & rectificante naturam in ordine ad illum finem; ergo gratia ſanctificans eſt debita naturæ, & inſeparabilis ab homine & Angelo in prima ſui creatione.

45 In primis hoc argumentum pariter probaret beatitudinem deberi naturæ vitiatæ per peccatum, & ad eius naturalem conſtitutionem pertinere poteſtatem eam obtinendi; ſiquidem homo in ſtatu naturæ lapſę non minus appetit beatitudinem, quam illam appeteret in ſtatu naturæ innocentis: ab omnibus ergo ſolvendum eſt hoc argumentum, cui poteſt reſponderi primo hominem non deſiderare appetitu naturali innato beatitudinem ſupernaturalem, vt cõtra Scotum, Durandum, Henriqu. Palud. & Sotum probant P. Vazquez 1. 2. diſp. 22. cap. 1. & P. Suarez ibidem tract. 1. diſp. 16. ſect. 2. & cum argumentum de hoc appetitu videatur procedere, falſa laborat ſuppoſitione.

46 Deinde reſpondeo hominem appetitu innato deſiderare beatitudinem perfectam conſiſtentem in Dei viſione; non quidem omnino abſolute, ſed quaſi conditionate, nempe ſub conditione quod per inventionem creatoris ad illam ordinetur: cum enim ex ſe habeat inclinationem innatam ad beatitudinem in communi quatenus dicit quietem & carentiam moleſtiæ, atque doloris, eamque fœlicitatæ, qualis etiam poteſt per beatitudinem naturalem obtineri; conſequens eſt vt habeat inclinationem ad perfectiſsimam beatitudinem ſubeõditione quod ad eam creatus ſit: & cum de facto fuerit purificata conditio, de facto habet abſolutum appetitum innatum ad beatitudinem ſupernaturalem: ex quo oritur appetitus elicitus, quo omnis homo naturaliter deſiderat eſſe beatus: qui appetitus dicitur naturalis, tum próut naturale opponitur libero, ſiquidem dum homo cogitat de ſua fœlicitate, neceſſario in illam afficitur: tum prout naturale opponitur ſupernaturali, ſiquidem viribus naturalibus in illum affectum erumpit.

47 Si autem ſermo ſit de appetitu elicito reſpondeo cum Bellarmin. lib. 1. de Grat. 1. hominis cap. 7. Beatitudinem eſſe finem naturalem hominis, quoad appetitum, non quoad conſecutionem: neque eſſe natura hominis indignum vt naturaliter appetat, quod non niſi ſupernaturali auxilio cõſequi valet. Et quidem poſſe obiectum ſupernaturale appeti per actum naturalem probatur: quia vt arguit D. Thom. 1, p. q. 12. art. 1. & 3. contra Gent. cap. 50. ad probandum poſsibilem eſſe viſionem Dei, omnes homines, præſertim ſapientes, viſis creaturis naturaliter excitantur in ſtudium ac deſiderium videndi Creatorem, qui tot creaturarum mirabilem perfectionem in ſe indiviſe continet iuxta illud Philoſophi; *Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant*: ergo ex principijs naturæ excitatur in nobis deſiderium viſionis Dei.

48 Confirmatur ex D. Thom. eo cap. 50. numero 3. quia ſicut naturale deſiderium ineſt omnibus intellectualibus naturis ad ſciendum; ita ineſt eis naturale deſiderium ignorantiam pellendi, ſubſtantiæ autem intellectuales, præſertim Angeli cognoſcunt ſubſtantiam Dei eſſe ſupra ſe, & ſupra omne id, quod ab ipſis intelligitur, & per conſequens ſciunt divinam ſubſtantiam ſibi eſſe ignotam: tendit ergo naturale eorum deſiderium ad intelligendam divinam ſubſtantiam prout eſt in ſe, & conſequenter ad illam intuitive videndam: ergo naturale deſiderium verſari poteſt circa aliquid ſupernaturale. Et quamquam hæc ratio non ſit efficax ad demonſtrandum poſsibilem eſſe viſionem claram Dei; vt oſtendo tractatu de viſione Dei, quia poteſt naturale deſiderium ferri ad aliquid impoſsibile, vt expendit P. Suar. lib. 2. de Attrib. neg. cap. 7. tamen efficax eſt ad probandum poſſe dari naturalem affectum terminatum ad viſionem Dei.

49 Probatur rurſus: nam Simon Magus affectu pravo, ac proinde naturali ambivit poteſtatem ſupernaturalem tribuendi Spiritum Sanctum, eamque ab Apoſtolis emere tentavit. Et vt docent Theologi 1. p. q. 66. art. 3. & in 2. diſt. 6. Angeli peccarũt appetendo inordinate beatitudinem ſupernaturalem, aut excellentiam Divinam aut Chriſti. Et vt docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. Hæretici vana fiducia ſperant remiſsionẽ peccatorum, & ſalutem æternam. Poteſt ergo dari deſiderium naturale rei ſupernaturalis.

50 Dices: ſecluſa revelatione Dei non poteſt dari cognitio beatitudinis ſupernaturalis: ergo non poteſt dari deſiderium naturale eiuſdem; nam deſiderium ſupponẽs revelationem, non eſt naturale. Reſpondeo ſecluſa revelatione, poſſe apprehendi vt poſſibilem viſionem beatificam, & cognoſci cognitione probabili; ac proinde non eſſe limitandum appetitum & deſiderium naturale viſionis beatificæ ad caſum, in quo illa per revelationem noſcatur vt poſsibilis: Quamquam ſuppoſita revelatione avidius feratur voluntas in illam viſionem per deſiderium elicitum viribus naturæ; cum enim natura ex ſe habeat appetitum innatum ad beatitudinem in communi, ex hoc appetitu ne-

necessario resultat desiderium elicitum beatitudinis vbi adest cognitio illam repræsentans: & vbi adest cognitio repræsentans perfectiorem beatitudinem magis accenditur desiderium; & impossibile est vt quis desideret fœlicitatem consistentem in cognitione naturali abstractiva Dei in suo genere perfectissima, & in amore naturali, & quod repræsentata perfectiori fœlicitate non feratur avidius in illam, quin ad eliciendum hoc desiderium adiuvari debeat viribus supernaturalibus.

51 Arguit deinde Iansenius apud Rip. num. 63. d. 8. Non potest Deus creare hominem, nisi propter aliquem finem vltimum: nullus autem est finis vltimus, in quo homo quiescat nisi Deus visus: ergo Deus non potest non creare hominem propter sui visionem: ergo nec potest non dare illi media necessaria ad eum finem; vana enim esset intentio finis absque dispositione mediorū conferentium in illum. Hæc autem media sunt dona iustitiæ; ergo sine istis non potest Deus creare hominem.

52 Quod argumentum promoveri potest primo, nam cum potentiæ naturę rationalis, intellectus videlicet & voluntas, tendant sub ratione veri, & sub ratione boni, ac proinde respiciant pro obiecto omne verum, & omne bonum; & cum omne verum & bonum creatum sit aliquid exiguum, nullum eiusmodi verum, & bonum potest satiare naturalem capacitatem illarum potentiarum donec deveniant ad possessionem primi veri, & primi boni, in quo eminenter continetur omne verum & omne bonum, imo sicut navigantes, quia non vident totam amplitudinem Oceani, quo plus è terra recedunt, eo plus spatij vident navigandum; ita intellectus creatus, quia ob suam limitationem non videt, nec apprehendit omnes veritates scibiles, quo plus proficit in scientijs, eo plura & altiora videt sibi restare sciendat vnde semper manet cum aliqua inquietudine, & desiderio.

53 Quod confirmatur, quia cum intellectus noster habeat naturalem curiositatem sciendi, & curiositas sit appetitus sciēdi ipsum cur, hoc est causam; & cum omnis alia causa præter primam sit etiam effectus, nihil explere potest curiositatem intellectus nostri præter cognitionem causæ primæ. Illa autem si non sit intuitiva attingens Deum prout est in se, sed sit abstractiva cum cognoscens in creaturis, non explet curiositatē, sed potius accendit; quo enim per cognitionem abstractivam, & enigmaticam, maiorem & altiorem concipimus æstimationem de aliquo obiecto, & ardentius desideramus illud prout est in se intueri: ergo nequit intellectus noster quiescere nisi in Deo clare viso.

54 Vrgetur hoc fundamentum in hunc modum. Finis hominis talis esse debet, in quo homo cesset deinceps moveri in illū, vt patet inductione omnium naturarum: ergo homo iam existēs in illo fine, neque moveri deinceps posset in alium finem, neque aliam fœlicitatem quærere; idque ei competeret non per aliquid extrinsecum, sed ex intrinsecis consecutionis sui finis. Hæc autem esse non possunt, nisi cognitio illa vel operatio, qua finem consecutus est, reddat illum impeccabilem; constat autem non posse hominem reddi impeccabilem per vllam cognitionem, & operationem extra visionem & amorem beatificum. Et quidem cum omnis motus voluntaris sit ex motu in finem; implicat vt homo existens iam in fine, moveatur in alium finem, vel recedat à fine iam possesso, & habito: ergo homo existens in fine debet esse impeccabilis; nam omnis peccans movetur ad quærendum aliquod bonum quo carebat; ergo homo existens in fine videt Deum & possidet summum bonum; ergo Deus clare visus est finis, in quem homo debet à Creatore ordinari.

55 Confirmatur, & probatur, non esse possibilem aliam hominis beatitudinem præter supernaturalem consistentem in visione, & possessione Dei. Nam vel homo possidens beatitudinem inferiorem sine fucco & additis diminuentibus esset vere, & simpliciter beatus, & vere factus, & expletus eius apperitus, vel solum expletus, & factus secundum quid, & simpliciter inexpletus, & expetens, & siciens, & desiderans? Si primum dicatur, derogatur multum beatitudini supernaturali, ad quam de facto sumus elevati, & magnitudini beneficij nobis in hac elevatione collati. Si secūdum, sequitur in primis hominem carere fine vltimo simpliciter tali, & deinde desiderium beatitudinis frustra fuisse illi à Deo inditum, quinimo quadam crudelitate fuisse iniectum desiderium inexplebile, & semper cruciatum. Dicere autem, hominem sine fine vltimo cōdipotuisse est absurdum & plane implicatorium, quia ad nihilum tunc moveretur. Hæc ille.

56 In primis hoc argumentum retorquetur in Adversarios à P. Rinalda; nā Deus etiam post peccatum nequit creare hominem, nisi propter aliquem finem vltimū, sicut non potuit ante peccatum. At etiam post peccatum nullus est finis vltimus, in

q

quo homo quiescere posset, nisi Deus clare visus: ergo etiam post peccatũ tenetur Deus creare hominem propter sui visionem, & cõsequenter conferre illi media necessaria ad illam, atque adeo dona iustitiæ, & sanctitatis, quod Iansenius omnino negat. Verum hæc instantia parum adversarios premit; quia Deus tradens Adamo pro se & posteris gratiam sanctificantem, ipsum & eius filios ordinavit in finem beatitudinis supernaturalis, omnibusque in Adamo contulit media ad illam consequendam; quia vero peccante Adamo omnes in ipso peccaverunt, decrevisse, omnes privare gratia in prima sua creatione, & non tribuere ipsis media ad obtinendam beatitudinem illam, nisi Christus pro Adami peccato satisfaceret; & quia Christus satisfecit, intuitu huius satisfactionis decrevisse omnibus quantum est ex se offerre media necessaria ad salutem. Vnde quãdo nunc creat hominem, ille ex vi intentionis antecedentis, qua Deus commisit gratiam Adamo etiam pro illo, dicitur ordinatus in vitam æternam: & etiam ex vi intentionis consequẽtis supponẽtis merita Christi, per quam quantum ex se est, ordinavit illum Deus ad eam beatitudinem in Adamo amissam restaurandam; & paratus est, mediãte Baptismo, conferre illi gratiam, nisi vel culpa Parentum, vel aliorum hominum, vel ex occursu causarum naturalium impediatur Baptismus.

57 Respondeo ergo, Deum quidem non posse producere hominem, vel Angelum, nisi propter aliquem vltimum finem, quo obtento quiescat; sicut enim omnia corpora respiciunt centrum, in quo quiescant; ita natura rationalis: huius autem centrum debet esse ipse Deus: vt enim inquit Apostolus Rom. 11. *Ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex ipso, quia ipse ex se omnia excogitavit, nemo ipsum docuit, nemo illi ostendit; per ipsum, quia per se omnia fecit nullius ope egens: in ipsum, seu ad ipsum, quia omnia ad ipsum, tanquam ad vltimum finem ex natura sua ordinantur. Finis immediatus propter quam Deus naturam rationalem condere debuit, est vt Creatorem suum cognoscat, amet, adoret, & laudet, & secundum regulas rationis vivens, ipsi placeat: hic est veluti scopus, in quem collimare debet omnis substantia mente prædita; vt autem naturam rationalem stimularet Creator ad sic operandum, debuit illi assignare aliquam felicitatem æternam in præmium infallibile virtutis; & in illam tanquam in finem ordinare, eique imprimere inclinationem ad illum, vt sic illiceretur ad opera virtutis exercenda, & ipsum desiderium obtinendi æternam felicitatem, eam impelleret ad recte operandum, & absterreret ab vitijs, per quæ felicitas illa amittitur, & incurritur æterna miseria.

58 Debuit, inquam, felicitatem æternam illi assignare, vt probat Cardinalis Sphortia 1. 2. q. 2. art. 1. nam finis ad quem animus rationalis, vel Angelus ordinatus est à natura, debet esse talis, vt non possit sine magna imprudentia contemni: alioquin natura proposuisset præmium & suplicium leve & contemptibile; ac proinde non sufficienter allexisset ad bonum, nec absterruisset ad malo: omne autem temporaneum potest sine magna imprudentia contemni, & ideo ait Christus; *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, neque amplius habent quid faciant.* Cuius rei exemplum dedit ipse, qui temporales cruciatus pro nostra salute contempsit: solũ vero æternum sine magna imprudentia contemni non potest: nam omne temporale est tale, vt tempus illud, pro quo est malum, vel bonum se habeat vt instans in ordine ad illud tempus, pro quo non est amplius malum vel bonum, & respectu cuius est pure præteritum; nam de pure præterito neque gaudemus, neque dolemus, nisi quatenus ex illo præterito remanet aliquod bonum, vel malum præsens. Quare bonum vel malum pure temporale non habet simpliciter rationẽ boni aut mali, sed secundum quid. Homo enim respiciens totum tempus futurum videt quod ipse æterno tempore perinde se habebit, si nanciscatur hoc vel illud malum temporale, ac si eo careat. Ergo hoc ipso, quod natura voluit allicere ad virturem per ingentia bona, & arcere à vitijs per ingentia mala, debuit constituere præmium, & pœnam æternam: hæc enim sunt, quæ nemo nisi infigniter temerarius, despicere possit. Sic non minus subtiliter, quam solide probat æternitatem præmij, & suplicij iste author.

59 Vnde dicimus non potuisse Deũ condere hominem, quin illum ordinaret ad aliquam felicitatem, vel beatitudinem æternam, si tempore viæ virtutem sectetur. Cæterum asserimus illam beatitudinem nõ debere esse supernaturalem consistentem in clara Dei visione: sed vel supernaturalem, vel naturalem: hanc enim duplicem beatitudinem agnoscit communis sententia Theologorũ apud Egidium tom. 1. de Beatit. lib. 3. q. 1. numero 13.

60 Vt autem notat P. Lessius lib. 1. de Summo bono c. 9. quatuor requirũtur ad beatitudinẽ hominis naturalẽ. 1. & principaliter, vt cognoscat Deum primum, rerũ omnium

omnium causam, & amet super omnia quantum viribus naturæ cognosci & amari potest. Secundo vt secundum virtutem ita perfecte vivat vt abstineat ab omni peccato: nã cum peccatum, præsertim mortiferum, sit ingens miseria, statui beatitudinis repugnat. Tertio vt corpore, etiam bene sit cõstitutus; morbi enim & dolores non parvæ sunt miseriæ: Quarto vt hæc omnia firmiter teneat; si enim facile posset amittere, semper esset anxius, nec vllum gaudium solidum percipere posset timore impendentis mali. Si autem sermo sit de beatitudine naturali animæ separatæ, illa complectitur ista omnia præter tertium, & præterea carentiam angustiæ, tristitiæ, vel anxietatis.

61 Si ergo condidisset hominem in pura natura, ad hanc beatitudinem illum ordinasset, posletque homo viribus naturæ illum finem assequi, non tamen sine beneficio gratuito intra ordinẽ naturæ: nam Deus vt author naturæ potest orationibus flecti ad concedendam beneficia naturalia, quæ sine iniuria negare posset, vt pluviam in tempore opportuno, procreationem filiorũ, bonam valetudinem, & remotionem occasionum labendi in peccata: vnde in pura natura posset cogitationem congruam, & auxilia immittere, & per externam protectionem hominem adiuvare ad servandam legẽ, & finem suum obtinendum, & homo precibus, & orationibus posset auxilia congrua intra ordinem naturæ impetrare: quæ dicerentur gratia quædam philosophica, non tamen Theologica, qualem requirunt Concilia, & Patres ad opera salutaria.

62 Dices, Patres colligere supernaturalitatem actum conducẽtium ad salutẽ, *seu qui spectant ad gratiam Theologicam*, ex eo præcipue, quod ad eos actus habendos sit necessaria oratio. Ergo repugnat gratia pure philosophica. Respondeo Patres colligere supernaturalitatem operum conducentium ad salutem, non ex necessitate orationum vtcumque, sed quæ fiant ex inspiratione Spiritus Sancti, quatenus, vt ait Augustinus epist. 105. *Accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*, Ad beatitudinem itaque supernaturalem obtinendam, ad quam de facto est ordinatus homo, requiruntur auxilia gratiæ supernaturalia, quæ sunt gratia Theologice. Ad beatitudinem autem pure naturalẽ, ad quam ordinaretur homo creatus in pura natura, sufficerent auxilia mere naturalia, Cõsulatur P. Quiros tom. 2. de Deo, disp. 2. & Ripald. tom. 2. disp. vltima num. 384.

61 Ad Primam confirmationem argumenti respondeo non posse intellectum creatum perfecte satiari vsque dum videat intuitive, & clare primam veritatem, in qua omnis veritas continetur: posse tamen satiari quantum satis fit ad tollendam anxietatem plus sciendi, & quantum sufficit vt homo dicatur habere beatitudinem: nã per hoc præcisse quod cognosceret quidditative & clare totius vniversi naturas, & in illis haberet altissimam cognitionem creaturæ & non esset ordinatus ad cognoscendum eum prout est in se, quiesceret in illa cognitione, nec haberet anxium desiderium clarius cognoscendi Creatorem: tum quia ignoraret, an esset possibile Deum intuitive videri à creatura: tum quia probe cognosceret sibi non deberi nobiliorem notitiam Creatoris: vnde neque torqueretur, sed contentus esset cogitans se frui bono sibi debito & suæ facultati consentaneo, & se esse in illo statu, ad quem à summa Creatoris sapientia ordinatus est. Sic Beatus videns Deum claritate vt vnum correspondente suis meritis, non torquetur, eo quod non videat claritate vt mille, sicut vident alij. Sic Adamus in statu innocentiæ, & Angeli in via nullo modo torquebantur ex eo quod non haberent notitiam intuitivam Dei sibi indebitam.

64 Vnde merito P. Fonseca 1. Metaph. cap. 1. q. 2. s. 3. ad 4. docuit si homines naturali fœlicitate fruerentur, nec fide tenerent beatitudinem supernaturalem esse sibi propositam, futurũ vt nihil amplius desiderarent. Vnde fieret, vt appetitus naturalis integre, ac perfecte quiesceret in summo bono naturali: nam cum felix ille esset prudens & sapiens, iudicaret quodcumque aliud bonum, quantocumque suo bono melius, esse sibi simpliciter impossibile; neque posset illud ratione sui status inordinate desiderare absoluto desiderio. Velleitas autem seu voluntas conditionata, qua in illud sine vlla inordinatione ferri posset, nullam appetitui inquietudinem afferret.

65 In hac tamen providentia in qua homo ordinatus est ad beatitudinem supernaturalem, non quiesceret intellectus in illa cognitione abstractiva Creatoris, quia natura rationalis ex se habet appetitum innatum ad intuitivam Dei visionem sub conditione quod ad illam ordinetur: qui appetitus purificata conditione transit in absolutũ & est principium ardentis desiderij eliciti videndi Deum, quod inquietudinem repugnantem statui beatitudinis causat, iuxta illud Augustini lib. 1. Confess. cap. 1. *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perveniat ad te.* Vnde P. Fonseca loco

ſuper eſtato exiſtimat hanc eſſe vocem hominis credentis & ſperantis futuram beatitudinem ſupernaturalem alterius vitæ: qua doctus cognitione non ſolum quodcumque bonum iudicat non eſſe ſummum, ſed etiam ſpei ſuæ faciandæ minus ſufficiens; atque adeo inquietum cor habet, donec quietetur in Deo clare viſo & poſſeſſo: quod tamen quietum haberet, ſi naturali fœlicitate frueretur abſque vlla cognitione, aut ſpe illius ſummæ fœlicitatis.

66 Quare licet beatitudo naturalis ſit poſsibilis, & daretur pro caſu in quo Deus nõ elevaſſet hominem ad finem ſupernaturalem: de facto tamen non datur: nam hoc ipſo quod quis ordinatus ſit ad claram Dei viſionem tamquam ad ſummum bonum à ſe appetendum, iam contemplatio Dei naturalis quantumcumque perfecta, non eſt illi ſummum bonum propterſe appetendum, ſed eam debet appetere propter vlteriorem finẽ; ac proinde talis contemplatio non eſt illi beatitudo & finis vltimus.

67 Ex dictis patet ad novam confirmationem additam; nam altiſsima illa contemplatio Dei vt authoris naturæ proponens infinitam Creatoris amabilitatem, eiuſque innumera beneficia moraliter neceſſitaret ad amandum Creatorem ſuper omnia, neque vlla eſſet in intelligendo & amando moleſtia, vel difficultas, quæ ab illo amore retraheret, debereturque illi ſtatui ſpecialis Dei providentia avertens irritamenta malorum & peccandi illecebras, per quas amor ille Dei tepeſceret, & tandem deficeret. Debet enim Deus vt rectus proviſor naturæ rationalis tempus illi aſsignare ad pugnandũ, & merendũ, & tempus, vel potius æternitatẽ ad percipiendum fructum victoriæ, & premium meriti, vel ad luendam pœnam deſidiæ, & prævaricationis, ſeu perduellionis. Vide finito tempore viæ in gratia & naturali amicitia Creatoris, eiuſque fideli obedientia, debet iam natura quieſcere, & perpetua pace frui, atque ab omni peccandi periculo liberari.

68 Quod confirmo: nam de pueris decedẽtibus ſine Baptiſmo communiter docent Theologi quod erunt impeccabiles non quidem ab intrinſeco ratione alicuius ſupernaturalis doni, quo reddantur impeccabiles, ſed ab extrinſeco ratione providentiæ Creatoris, vel avertentis motiva, & incentiva peccandi, vel negantis concurſum ad actum peccati, idque ratione ſtatus, quem habent in termino; in quo vt docet D. Thomas quæſt. 5. de Malo art. 3. corp. non mutatur voluntas a diſpoſitione, quam habuit in via; *non enim* (inquit) *poſt mortem in anima mutatur diſpoſitio voluntatis, nec in bonum, nec in malum. Vnde cum pueri ante vſum rationis non habeant actum inordinatum voluntatis, nec etiam poſt mortem habebunt.* Ergo à fortiori in ſtatu puræ naturæ ſi homo moriatur in amore Creatoris, quin tempore ſeparationis habeant anima aliquam culpã actualem, vel habitualem, erit in termino impeccabilis: ſpectat enim ad ſuavem providentiam Creatoris, vt non ſinat animam illam labi in vllam culpam.

69 Imo mihi ſatis probabilis videtur ſententia Patris Salas 12. tract. 2. d. 7. ſect. 10. num. 95. aſſerentis, omnem animam, vel creaturam rationalem, quæ abſque peccato mortali viam peregit, in termino viæ ſuæ eſſe ab intrinſeco impeccabilem, non ſolum moraliter, ſed phyſice. Id quod ab inconvenienti probat, quia alioquin miraculum eſſet, & præter ordinem naturæ animas Patrum & puerorum in Limbo, & animas Purgatorij nulla ratione peccare poſſe. Idque à priori ſuadetur, quia ad providentiam naturalem Dei ſpectat conſtituere viam, qua natura rationalis perveniat aliquando ad vltimum terminum, in quo ſit ſecura, de ſua Beatitudine naturali. Si ergo crearet hominẽ Deus in pura natura nec illum elevaret ad finem ſupernaturalem, & homo decederet immaculatus ex hac vita, deberet illum conſtituere in termino, in quo eſſet ſecurus de ſua beatitudine; non autem eſſet ſecurus ſi poſſet peccare: ergo deberet illum conſtituere in termino, in quo non poſſet peccare. Quamvis ergo omnis creatura rationalis pro tẽpore viæ ſit peccabilis, erit tamen impeccabilis in termino, ſi viam finit in amore Creatoris.

70 Ex dictis patet ad vltimam confirmationem. Dicimus enim beatitudinem naturalem collatam homini decedenti in pura natura in amicitia creatoris, ſufficere, vt ille diceretur ſimpliciter Beatus, quia eius appetitus eſſet ſimpliciter ſaciatus, nullamque inquietudinem & anxietatem pateretur, quamquam illa beatitudo comparata cum beatitudine ſupernaturali ſit valde inferior: vnde non deprimitur huius excellentia ex eo quod beatitudo naturalis ſuo modo ſaciaret appetitum; ſic beatitudo B. Virginis non deprimitur ex eo quod dicamus beatitudinem infantis ſimpliciter ſaciare eius appetitum.

71 Sed age admittamus impoſsibilem eſſe beatitudinem naturalem ſimpliciter talem, in qua appetitus hominis quieſcat: quid inde? An hinc licebit deducere neceſ-

cellarium omnino fuisse vt Deus elevaret hominem ad finē supernaturalem visionis Dei? Minime. P. Vazquez enim possibilitatem beatitudinis naturalis non agnoscit, vt constat ex 1. p. d. 226. cap. 2. & tamen non propterea dicit, hominem non potuisse creari quin ordinaretur ad finem visionis intuitivæ. Quid ergo sequitur? Hoc solum, nempe potuisse Deum condere hominem quia eum ordinaret ad aliquem finem vltimum simpliciter talem, in quo tamquam in centro quiesceret: idque oritur ex perfectione naturæ rationalis supra alias naturas; cum enim ex se capax sit videndi Deum, nequit extra ipsum clare visum quiescere: ad eum autem videndum nequit sine auxilio & favore sibi indebito pervenire.

72 Vnde ex eius perfectione supra alias provenit, quod nequeat habere finem in quo tamquam in centro quiescat, quem sine auxilio supernaturali sibi indebito possit obtinere. Et ex imperfectione aliarum naturarum provenit quod non indigeant auxilio gratuito ad obtinendum centrum, nimirum quia illud est bonum exiguum. Vt enim inquit D. Thom. q. 5. de Malo art. 1. *Multo* melius est quod est capax magni boni, quamvis ad illud obtinendum indigeat multis auxilijs, quam illud quod non est capax nisi parvi boni, quod tamen absque exteriore auxilio, vel cum pauco auxilio consequi potest; sicut melius dispositum dicimus esse corpus alicuius hominis si possit perfectam sanitatē, licet multis auxilijs medicinæ, quā si possit consequi solum sanitatem quandam imperfectam absque auxilio *medicinæ*. Creatura ergo rationalis in hoc præeminet alijs, quod capax est summi boni per divinam visionem & fruitionem, licet ad hoc consequendum naturæ propriæ principia non sufficiant, sed indigeat auxilio divinæ gratiæ.

73 In illo ergo eventu, in quo Deus conderet hominē in puris naturalibus, crearet quidem illum, vt Deum cognosceret, & amaret, & sic fœliciratē aliquam etsi imperfectam obtineret; non tamen crearet ad fœlicitatem in qua omne omnino desiderium esset exemplum, quin aliud quidquam posset appetere.

SECTIO QVINTA

Soluitur alia ratio contra statum puræ naturæ. Vbi an resurrectio corporum sit naturalis?

74 SED Iterum obijcies aliam rationem ad probandam impossibilitatē status puræ naturæ. Nam implicatorius videtur homini status, in quo sit necessaria ipsi mors, & impossibilis resurrectio: talis autem foret status puræ naturæ: in eo namque necessaria foret mors homini, vt pote constanti qualitatibus contrarijs, quæ mutua actione, & reactione tandem mortem inducunt: & impossibilis foret resurrectio, cū hæc sit supernaturalis & miraculosa: ergo &c. Maior probatur primo, quia videtur implicatorius ille status in quo ipse qui peccavit, aut meruit, non puniatur, aut præmietur; alioquin nihil concluderet argumentū commune pro immortalitate animę; quando autem ego pecco, vel mereor, non sola anima, sed ego ipse laudor, aut vituperor; & nō solum anima, sed ego ipse verissime sum filius Dei, aut non filius, amicus aut inimicus: & quidem non in aliquo sensu improprio, & locutione secundum quid vera, sed proprie & simpliciter vera, alioquin Sacerdos non deberet me absolvere, qui vere non peccavi, sed dumtaxat debere absolvere animā meam. Probatur secūdo, quia æquitas saltem, & ratio naturalis videtur postulare, vt qui pro virtute pugnavit in corpore, & in corpore mala passus est, præmiū reportet etiam in corpore. Demum, quia si anima rationalis in æternum esse posset extra corpus, non apparet cur in prima sui productione indiguerit corpore: & quare cum à corpore separatur, statim viatrix esse desinat: quare corpus, vel etiam homo tam *infœlicis* conditionis sit, vt solum illud assumatur ad *pugnam*, & non ad fructum victoriæ, vel *existere* debeat tempore pugnæ & *certaminis*, tempore autē præmij omnino omittatur corpus, & homo non sit, & ita homo vere pugna, & vincit, & homo non coronatur.

75 In primis hoc argumentum supponit vt certum resurrectionem corporis esse opus miraculosum, & supernaturale & nō posse esse à Deo vt authore naturæ, quod tamen non est certum, sed sub dubio, vt videre est apud P. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 44. sec. 7. vbi inquirit vtrum resurrectio hominis sit naturæ debita, ideoque sit à Deo vt authore naturæ: & quamvis ibi defendat resurrectionem esse supernaturalem, non tamen vt rem certam, sed dumtaxat probabiliorem. Vt videre etiam est apud Leisium lib. 1. de Summo bono, num. 64. & 65. vbi probabilem appellat sententiam asserentem resurrectionem hominis pertinere ad providentiam Dei vt authoris, naturæ. Et hanc partem defendit P. Theophilus Raynaudus in Morali Philosophia, id est tom. 3. suorum operum dist. 1. quæst. 4. art. 4. à num 341. vbi ostēdit hunc fuisse sensum plurimorum Philoso-

phor-

phorum, & multorum Patrum, dum impugnabant Ethnicos negantes reſurrectionem; cõtra quos non vrgebant, providentiam ſupernaturalẽ id expoſcere (eam enim providentiam illi non agnoſcebant) vrgebant ergo providẽtiam divinam ordini naturæ puræ conſentaneam. Ergo ex hac providentia eſt debita hominis reſurrectio.

76 Probatur autem hæc ſententia. Nam cum Deus nõ ſit neceſſitatus ad elevandum hominem ad viſionem claram ſui, potuit eum creare; vt ipſum coleret, & amaret & ad recte operandum allicere promiſſione præmij æterni, ſeu fœlicitatis, & beatitudinis immortalis; & à peccando abſterrere comminatione æterni ſupplicij, quę ab ipſo, vt proviſore naturali provenirent. Hæc autẽ promiſſio & comminatio, ſicut ſit homini ipſi, ita in ipſo debet adimpleri. Ergo cum admerendũ ſit neceſſarius ſtatus viæ, in quo homo in corpore mortali vivat, & pugnet contra concupiſcentias, & vitia, mortemque ipſam paratus ſit ſubire ne Deum offendat, debuit Deus homini illi poſt mortem præmium æternum rependere proportionatum merito; vt ſicut merens & patiens eſt ipſe homo, ita ipſe ſit, qui recepturus eſt præmium: ergo deberet Deus vt remunerator virtutis corpus illud reſuſcitare, & quidem cũ in pura natura poſſet homo ex Dei amore mortem potius ſubire, quam Creatorem negare, deberet Deus vt remunerator naturalis ei corpus reſtituere, vt in quo ſubſtinuit tormenta, in eodẽ frueretur præmio: idque æquitas ipſa & Dei bonitas atque munificentia poſtulare videtur.

77 Quare licet reſurrectio corporum ſit ſupra vires vniverſarum cauſarum creatarum; tamen cadit ſub providentiam naturalẽ Dei vt remuneratoris bonum operum & vindicis malorum: ſiquidem Deus iuxta naturæ leges debet bona opera fœlicitate rependere, & mala ſupplicijs vindicare, eædemque naturæ leges præſcribunt vt præmium, & pœna non ſolum animo, ſed etiam corpori deputetur: quod ſine eius reſumptione fieri non poteſt, vt inquit Ripalda, diſp. 8. num. 77. hanc ſolutionem ſecundo loco amplectens.

78 Alterum argumentum formare poſſumus ex reſurrectione puerorum decedentium ſine Baptiſmo. Vt autem id præſtemus, duo ſupponenda ſunt. Primum quamvis non ſit de fide pueros iuſtos reſurrecturos, ſicut de fide eſt reſurrecturos adultos, & Auguſtinus lib. 22. de Civit. c. 13. agens de infantibus, qui in materno vtero moriuntur, neque affirmare, neque negare audeat quod ſint reſurrecturi: tamen P. Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 50. ſec. 3. certum putat reſurrecturos, & efficaciter probat. Secundo ſupponendum eſt, iam apud Theologos certum eſſe, pueros decedentes ſine Baptiſmo nõ pati pœnam ignis, vel aliam pœnam ſenſus ex his, quas patiuntur damnati. Quamvis enim Auguſtinus & Fulgentius oppoſitum ſenſerint, nimirum pueros illos puniri æterna pœna ignis, licet mitiori, quam ſit illa, quam ſubeunt adulti propter peccata perſonalia, vt probat Petavius tom. 1. Theologic. dogmat. lib. 9. cap. 10. à num. 7. tamen à quingentis annis omnes Theologi conſtanter docent pueros illos nullam pati pœnam ignis, vt videre eſt apud Salas 1. 2. tr. 13 d. 11. & Bellarm. lib. 6. de Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati, c. 6. & 7. ſolũque ex Scholaſticis cum Aug. & Fulg. ſenſerunt Ariminenſis in 2. diſt 30. & 31. & Driedo lib. 1. de Grat. & lib. arb. tract. 3. cap. 2. quorũ ſententiam videtur ſequi Petavius vbi ſupra ad finem illius capitis. Vnde Scotus in 2. diſt. 33. q. vnica ad primum cum D. Bonav. ſentit D. Auguſtinum exceſſive locutum de pœna parvulorum, vt magis declinaret ab errore Pelagij. Vniverſaliterque advertit, quod frequenter Sãcti agentes contra hæreſes pullulantes, exceſſive locuti ſunt, volentes declinare ad aliud extremum: & ita multum ponderandum eſſe contra quos Hæreticos Sancti ſunt locuti.

79 Imo ipſe Auguſtinus firmus non fuit in ea ſententia, ſed valde dubius, & anxius, vt ipſe teſtatur epiſtola 28. ad Hieronymum his verbis. *Cum ad pœnas venitum eſt parvulorum magnis mihi crede, coarctor anguſtijs, neque quid reſpondeam prorſus invenio.* Et diſputans contra Pelagianos lib. 5. contra Iulianum cap. 8. virtualiter dicit, ſe non audere affirmare, quod parvuli non baptizati æterno igne puniantur, dũ ait: *Nõ dico parvulos ſine Chriſti baptiſmo morientes tanta pœna eſſe plectendos, vt eis non naſci potius expediret.* Quod falſum eſſet, ſi pœna ignis torquerentur: minus enim malum & magis eligibile ab ipſis eſſet numquam fuiſſe quam ſic torqueri: potius enim eligerent annihilari, quam vitam æterna ignis pœna miſeram ducere. Fruſtraque Petavius in confirmationem tam rigidæ ſententiæ adducit octavæ Synodus, id eſt, Concilij Florentini decretum, in quo definit; Animas, quæ in actuali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Vt enim bene exponit Pater Vazquez 1. 2. diſp. 134. num. 7. hæc pœnarum inæqualitas non in eo eſt vt parvuli

vuli mitius igne torqueantur, vt docebat Auguſtinus, ſed quod ipſi ſolum puniantur pœna damni, adulti vero pœna ignis & ſenſus.

80 His ſuppoſitis, ſic argumentor, Pueri decedentes ſine baptiſmo non reſurgunt vt in corpore recipiant præmium aliquod virtutis, cum in illis nullum meritum bonum præextiterit, ſed potius meritum malum peccati originalis, ob quod præmio digni eſſe non poſſunt; nec reſurgunt vt in corpore recipiant pœnam aliquam, quia cum in corpore nihil mali geſſerint, nullam pœnam in eo pati debent. Ergo ſi reſurgunt, vel ideo eſt, quia cum anima ſit immortalis, & aliunde naturalem inclinationem habeat ad corpus, debet Deus illum appetitum animæ complere reſuſcitando corpus, vt ab ea reſumatur, vel ideo reſurgunt, quia cum vere homo ipſe & non ſola anima dicatur in Adamo peccaſſe; homo ipſe, & non ſola anima debet à Regno Cœlorum arceri, & in perpetuo carcere concludi. Eę autem rationes pariter probant in pura natura.

81 Secundo argumentor, nam ſi pueri decedentes cum ſolo originali reſurgunt, & non reſurgerent pueri innocentes, qui in pura natura morerentur ante ætatem capacem culpæ, vel adulti, qui vitam finirent poſt exercita aliqua opera virtutis, & ante lapſum in culpâ peccarum originale faceret pueros illos melioris conditionis quam forent iſti alij, ac proinde lucrum & commodum reportarent ex peccato. Impoſsibile autem eſt, vt in alia vita ſit fœlicior ſtatus eius, qui migravit ex iſta cum peccato, quam eius, qui migraret cum innocentia, vel etiam cum merito bonorum operũ. Sequelam probo ex his quæ docent communiter Theologi de corpore, quo donãdi ſunt pueri decedentes in peccato originali in generali reſurrectione. Et loquatur pro omnibus Eximio Doctor tom 2. in 3 p. diſp. 50. ſect 5.

82 *Nam hi infantes* (inquit) poſt reſurrectionem habebunt non ſolum vera corpora humana, ſed etiam perfecta: primo in quantitate & robore, ſeu ætate corporis, non enim reſurgent in corpore infantili, ſed virili, ac perfecto, in quo poſsint, & ratione vti, & omnes operationes humanas, quæ materialem alterationem, & corruptionem non requirunt, exercere: deinde habebunt corpora ſana, vegeta, pulchra, ac bene temperata: cumque æterna futura ſint, oportet vt ſint incorruptibilia, nõ quidem ex intrinſeca cauſa, ſed ab extrinſeco ſaltem, ſeu per ſuſpenſionem omnis cauſæ corrumpentis & alterantis. Quare non indigebunt cibo, neque potu, quia omnis alteratio tunc ceſſabit, Deo ita providente, & ideo neque fatigabuntur ambulando, quamvis velocius moveri non poſsint quam naturæ vires patiantur. Item habebunt corpus plane ſubiectum ſpiritui quoad omnes inferiores eius motus, ita vt nullam pugnam, neque rebellionem carnis puſſuri ſint: tum quia hæc non contingit ſine materiali alteratione corporis: tum etiam quia hæc pugna carnis & ſpiritus magna eſt pœna, & moraliter loquendo coniuncta eſt cum culpa: hi autem homines in eo ſtatu neque permittendi ſunt novas culpas committere, cum iam non ſint in via, ſed in termino, & non ſint damnati per proprios actus: nec etiam patientur ſenſibiles pœnas, vt omnes Theologi docent: cum enim huiuſmodi infantes nihil mali geſſerint in ſuis corporibus, neque eis prave, & inhoneſte vſi fuerint, nec denique per proprium actum ad creaturam ſe converterint, nõ eſt cur doloribus, aliſve corporalibus pœnis cruciẽtur: ſed ſatis eſt quod omni ſupernaturali dono priventur. Habebunt ergo in corporibus perfectionem ſuæ naturæ debitam, & ſingulis individuis *accomodatam*. Hæc Pater Suarez.

83 Quis autem non videat hæc eſſe maxima quædam bona: ergo ſi pueri innocentes in natura pura non reſurgerent, multo deterior eſſet eorum conditio, quam eorum qui decedunt cum originali, quis autem non videat hoc eſſe abſurdum: ergo quia reſurrectio eſt debita naturæ humanæ ob immortalitatem animæ; quæ ſicut ad propagationem ſpeciei, & ad ſtatum merendi poſtulat corpus corruptibile tempore viæ; ita poſtulat incorruptibile in termino, vbi iam ſpecies non eſt propagãda & præmium eſt recipiendum.

84 *Argumentor* tertiò, nam damnati, qui poſt generale iudicium patientur in anima & corpore, non punientur vltra condignum: ergo peccando meruerunt, vt non ſolum anima, ſed totus homo in æternum puniretur: ergo meruerunt vt Deus reſuſcitaret corpus vt ſimul cum anima in æternum patiatur. Ergo vel reſurrectio eſt naturalis; vel ſi eſt miraculoſa, meruerunt vt Deus faciat hoc miraculum, vt ita pœnam ſibi debitam referant: ergo ad Deum vt remuneratorem bonorum operum, & vindicem malorum ſpectat corpora reſuſcitare, in quibus homo virtutem, vel vitium exercuit, vt in illis conferat pœnam, vel ſupplicium.

85 Argumentor quarto, nam omnes rationes, quas D. Thom. 4. contra g. 7. adduxit ad confirmandã veritatẽ catholicam de reſurrectione futura noſtrorũ corporum, militat etiam pro ſtatu purę naturæ; ires enim adhibet rationes, primã deſumit ex natura animę rationalis, quæ cũ ſit immortalis, eſt etiam ſecundũ ſuam eſſentiam forma corporis: vnde eſt con-

tra naturam eius eſſe abſque corpore: nil autẽ quod eſt cõtra naturam poteſt eſſe perpetuum: non ergo perpetuo manebit abſque corpore; ac proinde iterato ei vnietur; quod ſine reſurrectione corporis fieri non poteſt. Secundam deſumit ex naturali deſiderio hominis circa ſuam perfectam fœlicitatem; cuicumque enim deeſt aliquid ad perfectionem, non dum habet fœlicitatem perfectam, quia nondum eius deſiderium totaliter quietatur: eo quod omne imperfectum perfectionem conſequi naturaliter cupit: anima autẽ a corpore ſeparata eſt aliquo modo imperfecta, ſicut omnis pars extra totum ſuum exiſtens: non ergo poteſt homo vltimam fœlicitatem conſequi, niſi iterato corpori coniungatur. Tertiam & vltimam deſumit ex prouidentia Dei, ad quam ſpectat peccantibus pœnam, & bene agentibus præmium largiri: in hac autem vita homines & anima & corpore compoſiti peccant, vel recte agunt: debetur ergo hominibus & ſecundum corpus, & ſecundũ animam præmium, vel pœna quæ cum in hac vita ſæpe non conferantur, reſtat vt conferantur in alia: ergo & anima poſt hanc vitam manet, & corpus reſurgit. Iſtæ ſunt rationes, quibus vtitur D. Th. quæ vel nihil probant, vel pariter probant pro ſtatu puræ naturæ: in illo ergo Deus vt author naturæ, & vt remunerator bonorum operum & vindex peccatorum, deberet corpora reſuſcitare.

86 Et confirmatur ex naturali deſiderio, quod author naturæ homini indidit erga ſuam perfectam fœliciratem & beatitudinem: non enim homo naturaliter ſolum deſiderat, vt anima ſit fœlix & beata, ſed vt ſit totus homo beatus: cum ergo hanc fœlicitatem nequeat homo in hac vita obtinere, reſtat vt ſit poſsibilis in alia; nõ eſſet autem poſsibilis in pura natura, ſi ibi non eſſet poſsibilis reſurrectio: ergo &c. Et fauent huic ſententiæ multi Patres: nam Damaſc. lib. 4. fidei, c. 8. de reſurrectione tractans, ſic concludit: *Si non eſt reſurrectio, non eſt Deus, neque prouidentia.* Et Greg. Niſ. Orat. 3. de reſurrect. ſimiliter infert: *Si non eſt reſurrectio, non eſt iudicium.* Et Tertulian. lib. de reſurr. c. 14. inter alia multa ſic inquit: *Hæc erit tota cauſa, imo neceſsitas reſurrectionis, congruentiſsima ſcilicet Deo deſtinatio iudicij.* Sicut ergo ad Deum vt authorẽ naturæ ſpectaret in ſtatu puræ naturæ iudicare animas ſecundum ea, quæ geſſerunt in corpore; ita ſpectaret reſuſcitare corpora, vt in eis animæ puniretur, vel premiarentur in æternum. Deinde id non obſcure docet Clemens lib. 5. conſtitutionum ac 5. alias 8. inquiens: *Qui corpus Adæ ex terra fabricatus eſt, idem & Adæ corpus, & cæterorum poſt diſſolutionẽ reſurgere fatetur; quod hoc naturæ hominum rationis participi debeatur.* Et Chriſoſt. Hom. 65. in Ioan. reſurrectionem probat ex eo, quod alioquin ſæpe virtus maneret ſine præmio, & vitium ſine ſupplicio, cum in hac vita multi homines vitioſi in vltimam fœliciter perveniant ſenectutem, alij vero virtutis ſectatores ærumnis in hac vita premantur: ergo Deus vt remunerator virtutis, & vitij vltor debet corpora reſuſcitare, vt vnicuique reddat pro meritis.

87 Fauet etiam authoritas & ratio Apoſtolo 1. Corinth 15. v. 36 probantis reſurrectionem exemplo grani, quod in terra corrũpitur, & iterum vivificatur. Vnde Alniſiodorenſis 4. ſummæ, tract. 10. q. 1. In fine, ait reſurrectionem probatam fuiſſe à Paulo ratione neceſſaria à maiori; ſi enim Deus dedit naturæ poteſtatem vt de grano mortuo faciat vivens, multo magis ipſe habet hanc poteſtatẽ, vt corpora mortua vivificet, quæ hoc meruerint. Et ſicut primum hominem è puluere Deus vt author naturæ formavit: ita hominem in puluerem converſum vt author naturæ reformabit. Et quidem ad Deum vt authorẽ naturæ ſpectat homines ſpe reſurrectionis excitare ad mortificationem corporis & paſsionum ſubiectionẽ; & timore ſupplicij æterni in ipſo corpore luendi, homines deterrere à delectationibus corporis illicitis.

88 Sed obijcies primo. Ad Deum vt authorem naturæ non poſſe pertinere ſine cauſis ſecundis tot materias coniungere, & diſponere vt ad eaſdem animæ redeant. Sed negatur aſſumptum: ſicut enim ad Deum vt naturæ authorem ſpectat animã ex nihilo creare ad exigentiam diſpoſitionum naturalium: ita ad illum vt authorem naturæ ſpectat corpora reſuſcitare immortalia ad exigentiã animæ immortalis, quæ cum ſit forma corporis, poſtulat non manere ſine corpore per totam æternitatem, & ratione operum virtutis, quæ in corpore exercuit, poſtulat in corpore mercedem æternã recipere. Et quamvis hoc anima non exigeret, id poſtularet ipſa iuſtitia, & providentia divina, quæ hominem ipſum, qui meruit, debet remunerare, & qui peccavit debet punire.

89 Obijcies ſecundo non poſſe ex natura rei dari reditum animæ ad corpus, quia neque ad corpus immortale, & pœnitus ſpiritui ſubiectum: cum eſſe corruptibile ſit conditio naturalis corporis neque ad corpus mortale; ſic enim reſurgeret homo, vt iterum moreretur, & daretur infinitus proceſſus à vita ad mortem, & à morte ad vitam. Reſpondeo animæ rationali cõnaturale eſſe, vt cum primo producitur, detur ei corpus corruptibile, in quo pugnare, & mereri poſsit; & ſimul eſſe cõnaturale, vt cum vi mortis è corpore diſceſſit, non redeat ad ipſum vt corruptibile & mortale, ſed vt im-

mor-

mortale, & spiritui subiectum: quia non postulat redire ad corpus ad pugnandum & merendum, sed ad recipiendũ præmium in corpore immortali eorum, quæ gessit in ipso dum erat mortale: & cum non possit recipere præmium connaturaliter in corpore incorruptibili dum datur motus cœlorum, & successio generationis & corruptionis; non postulat anima redire ad corpus donec finiatur successio temporum, & vis agentium naturalium cesset. Vnde sicut in hac providentia Deus designavit certum annorum numerum, in quo detur generatio, & corruptio; quo termino finito cessabit motus cœlorum, & motus alterationis & generationis: ita in statu puræ naturæ deberet præstituere spatium determinatum, quo transacto cessarent generationes, & corruptiones substantiarum.

91 Quapropter quamvis corpus humanum pro hoc statu vię sit corruptibile, quia dantur agentia naturalia, à quibus corrumpatur; est tamen incorruptibile pro statu termini, & post resurrectionem defectu agentis corrumpentis. Hoc pacto secundum sententiam communem corpora puerorum morientium sine baptismo erunt incorruptibilia. Quod optime explicat S. Thomas in 2. dist. 33. q. 2. art. 1. ad quintum, vbi ait quod corpora puerorum non erunt impassibilia ex defectu potentiæ ad patiendum in ipsis, sed ex defectu agentis in ipsa, quia post resurrectionem nullum corpus erit agens in alterum, præcipue ad corruptionem inducendam per actionem naturæ, sed erit actio tantum ad puniendum ex ordine divinæ iustitiæ. Vnde illa corpora pœnam non patientur, quibus pœna sensibilis ex divina iustitia non debetur. Et idem habet quæst. 5. de malo, art. 2. ad 5. dicens quod in statu futuræ vitæ ignis & alia huiusmodi activa non agunt in animas, aut in corpora hominum secundũ necessitatem naturæ, sed magis secundum ordinem divinæ iustitiæ; quia ille status est recipiendi pro meritis. Vnde D. Bonaventura in secundum dist. 33. artic. 3. quæst. 1. ad finem, affirmat parvulorum corpora etiamsi in ipsis ignibus infernalibus volutentur, passionem non sentire, etiamsi non habeant dotem impassibilitatis. Idque constat ex doctrina D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 1. dicente, quod in corporalibus ad motum non solum requiritur ipsa forma, quæ est principiũ motus, vel actionis, sed etiam requiritur motio primi moventis: primum autem movens in ordine corporalium est corpus cœleste. Vnde quantumcumque ignis habeat calorem perfectũ, non alteraret nisi per motionem corporis cœlestis. Cum ergo in fine mundi cessaturi sint cœli à motu, tunc ignis non poterit comburere, nisi vt instrumentum divinæ iustitiæ.

92 Obijcies tertio, si resurrectio esset à Deo vt authore naturæ, non illam differret in statu puræ naturæ, sicut nunc differt vsque ad finem mundi, vt fides resurrectionis habeat meritum; quia, vt inquit Gregorius: *Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* Resp. negando sequelam, quia Deus vt author naturæ creans rẽpublicam rationalem debet præfigere spatium ad multiplicationem generis humani, vltra quod non extenderetur successio generationum, sicut de facto designavit: & præter iudicium particulare, quod de anima vniuscuiusque faceret in morte, deberet constituere diem iudicij vniversalis, in quo omnes homines comparerent, & omnibus manifestaretur divina iustitia, vt sic virtus haberet integrum præmium honoris, & vitium cumulatum supplicium decoris, & confusionis: & propter alias rationes, quibus Doctores probant convenientiam iudicij vniversalis. Et ante hunc diem nullus hominum resurgeret: tum quia durante motu primi mobilis, & influxu astrorũ, corpus humanum pateretur ab agẽtibus extrinsecis. Vnde si homines statim post mortem resurgerent, iterum resurgerent ad vitam mortalem & passibilem, ac proinde resurrectio potius cederet in detrimentum animæ, quam in eius vtilitatem, ac per consequens non foret iuxtà eius inclinationem, sed contra: quia naturaliter postquam pervenit ad terminum, refugit redire ad viam; & postquam attigit portum, *reverti* ad fluctus navigationis, & postquam pervenit ad statum quiescendi, refugit redire ad statum laborandi.

93 Anima itaque eatenus postulat reassumptionem corporis, quatenus postulat corpus, à quo commodum referat, quin patiatur incommodum. Tum etiam, quia si ante finem mundi homines resurgerent ad vitam immortalem, quam resurrectio postulat, in dies minueretur materia prima, quæ deservit generationibus, sicut si aquæ fluviorum egressæ è mari ad illud non reverterentur, tandem mare siccaretur. Vnde vel Deus deberet creare novam partem materiæ, quando homo resurgit, vel cito propter defectum materiæ cessarẽt transmutationes rerum. Quia ergo Deus novam materiam non crearet, præter illam quam creasset in prima rerum productione, ipsum vniversum postularet ne resurgerẽt homines vsque ad finem mundi, quando generatio, & corruptio cessare deberent.

94 Ex dictis infertur valde probabile esse, resurrectionem hominũ esse à Deo vt authore naturæ, animáque rationalẽ connaturaliter postulare duplicẽ statũ, alterũ viæ, &

motus ad pugnandum & merendum, alterum termini & quietis ad recipiendum pro meritis; & quia meritum naturaliter eſt prius præmio, poſtulare prius ſpatium ad merendum; & quia non poſſet præmio frui, ſi ſpatium merendi eſſet finitum, ideo connaturaliter poſtulare, vt tempus laborandi & pugnandi ſit finitum, & ſpatium fruendi ſit æternum: poſtulat ergo reuniri cum corpore immortali, & non amplius morituro. Itaque anima rationalis connaturaliter ab imperfecto procedit ad perfectum; primo enim naturale eſt illi reſidere in corpore, in quo pro aliquo tempore nõ vtatur ratione; deinde vt paulatim acquirat corpus, in quo vti poſſit ratione, ſed adhuc imperfecte, & quaſi in via ad ſtatum perfectiorem: præterea connaturale eſt illi, vt à corpore ſeparata per vim extrinſecam agentium naturalium, perfectius intelligat partim per ſpecies à corpore abſtractas, partim per ſpecies à Deo vt authore naturæ ipſi inditas: deinde tanquam vltimum terminum fœliciratis naturale eſſe ipſi regredi ad corpus, non quidem corruptibile, & tot miſerijs obnoxium, ſed ad corpus incorruptibile, & quod perfectam contemplationem, & creatoris amorem impedimento non ſit: vt in illo corpore quieſcat in æternum, in quo temporaliter laboravit: & in eo recipiat præmium, in quo exercuit meritum. Vnde ad Deum vt authorem naturæ ſpectabit reuniri animam ſeparatam corpori aliquomodo incorruptibili, vt in eo totam ſuam perfectionem obtinere poſsit, & perfecte beari, & omnia ſua deſideria naturalia explere.

95 Dices ex P. Læſio, lib. 1. de ſummo bono, numer. 67. animam ſeparatam connaturaliter refugere reunionem ad corpus, ac proinde iſtam non poſſe eſſe à Deo vt authore naturæ. Aſſumptum probat primo, quia vinculum corporis adimeret illi ſuam libertatem, qua ſoluta corpore fruitur, dum vbivis eſſe poteſt, & cum Angelis in cœlo verſari, quę libertas maxime eſt optabilis. Secundo, quia gravaret animam, & motus eius celeritatem impediret. Tertio, quia deprimeret eius cogitationes ad res corporales, & impediret puritatem contemplationis Dei vt authoris naturæ, & ſubſtantiarum ſpiritualium, quia hoc ipſo, quod anima eſt in corpore nil poteſt naturaliter, niſi corporali modo, & ſub corporali imagine intelligere. Quarto, quia impediret continuationem contemplationis: vnde etiam ſi corpus eſſet immortale per aſſiſtentiam Dei extrinſecam, vel per intrinſecam conſervationem temperamenti, animus horreret illi coniungi, & eius vnionem duceret in fœlicitati. Vnde infert, eum qui in ſtatu puræ naturæ vult animam rationalem facere beatam ea beatitudine, cuius in tali ſtatu capax eſt, non debere eam religare ad corpus.

96 Sed mihi videntur hæc non recte cohærere cum his, quæ docet hic Author, lib. 13. de Perfect. divin. capit. 22. de ſtatu puerorum decedentium ſine Baptiſmo; vt enim ipſe ait ibi num. 144. *Quamuis* in hoc ſtatu dum ſumus in hoc corpore mortali, non poſsimus quidquam intelligere niſi ſub quodam idolo corporali, alia tamen erit ratio in ſtatu illo immortali, vbi omnes vires perficientur, vt perfectas habere poſsint operationes: ille enim modus intelligendi eſt miſerrimus, vipote confuſiſsimus, & hærens in externa ſuperficie, & accidentibus ſenſibilibus, ita vt nullius rei etiam minutæ naturam diſtincte & clare poſsimus intueri; itaque longe perfectior in illa mundi renouatione dabitur, vt innumerabilis ille infantium populus in ſuo ordine non ſit otioſus, ne fruſtra in mundo eſſe videatur, ſed vt ex cognitione ſui, & aliarum rerum creatarum Authorem ſuum, & mundi totius illuſtri modo cognoſcant, ament, *laudent, &c.* Hæc Læſius.

97 Ex quibus deducitur, ſi homines reſurgerent in pura natura, ſaltem habituros eum modum cognoſcendi Deum, quẽ habebunt pueri lymbi poſt generalem reſurrectionem: nam iſti non habebunt modum cognoſcendi, qui non ſit conſentaneus naturæ, & ipſi debitus; modum autem conſentaneum naturæ haberent omnes, ſi reſurgerent in puræ naturæ. Quod ſic confirmo: conſideremus animam pueri egredientem in hoc ſtatu elevationis è corpore cum peccato originali, & animam pueri, quæ in ſtatu puræ naturæ egrederetur è corpore omnino immaculata: certe illa pro ſtatu ſeparationis non eſſet perfectior in modo cognoſcendi quam iſta, quia ſolum differrent penes culpam originalem, quæ nequit eſſe ratio cur animæ debeatur perfectior cognitio: ergo ſi vtraque regrediatur ad corpus per reſurrectionem, vtraque in ſtatu illo æqualis eſſet in modo cognoſcendi: ergo ſicut animæ puerorum poſt generalem reſurrectionem non impedientur à corpore quominus Deum cognoſcant cum ea perfectione, qua cognoſcũt pro ſtatu ſeparationis; ita neque animæ in ſtatu puræ naturæ impedirentur à corpore, ſi reunirentur; ſed cum eadem perfectione cognoſcerent intra ac extra corpus. Quare licet corpus pro ſtatu viæ, in quo eſt corruptibile, deprimat animam, & perfectionem cognitionis impediat, quia pro hoc ſtatu nequit anima cognoſcere niſi per ſpecies ingredientes per ſenſus, & dependenter ab operatione phantaſiæ; tamen poſt reſurrectionem animam non gravaret, nec impedi-

set illum modum cognoscendi, qui animæ separatæ connaturalis est; vt enim inquit P. Suarez lib. 4. de Anima cap. 7. n. 4. Post corporum resurrectionem necessaria dependentia intellectus à phantasia nulla erit.

98 Et patet etiam à paritate animæ beatæ, quæ post generalem resurrectionē, non minus clare videbit Deum existens in corpore, quam videt modo separata à corpore. Sicut autem in statu elevationis animæ discedentis sine macula culpæ, debita est beatitudo supernaturalis; ita in statu puræ naturæ animæ discedenti sine culpa debita esset beatitudo naturalis, ad quam esset creata: ergo sicut in statu elevationis dum anima beata beatitudine supernaturali regreditur ad corpus, in eo retinet totam perfectionem suæ beatitudinis: ita in statu puræ naturę, si anima regrederetur ad corpus, in illo retineret perfectionem totam suæ beatitudinis naturalis. Non ergo anima tunc refugeret vnionem ad corpus; siquidem eius consortium non impediret perfectionem cognitionis, & amoris: & aliunde delectatio non modica accederet ex vsu sensuum: & quamvis non posset anima intra corpus localiter moveri cum ea facilitate, ac velocitate, qua posset in statu separationis: nec sursum posset corpus ferre; tamen hoc nihil impediret eius fœlicitatem, quia motus localis in anima non ordinatur ad augendam eius beatitudinem: nec anima illa impediretur per distantiam localem, quominus cognosceret Angelos, & cum illis loqueretur locutione spirituali, perinde ac si esset in Empyreo: nam vt inquit P. Suarez lib. 6. de Anim. cap. 7. distantia localis vt plurimum impedit actionē localem, non pure spiritualem, quia hæc non pendet à loco. Vnde licet distantia localis impediat cognitionem sensuum; quia hi recipiunt speciem ab obiectis illam diffudentibus per medium; & hanc receptionem specierum impedit distantia localis: non tamen impedit cognitionem spiritualem: & aliunde illud incommodum magnis alijs bonis provenientibus ex vnione ad corpus compensaretur.

99 Adde quod per vsum perfectissimum sensuum, novas species acquireret, quibus iuvaretur ad melius cognoscendum plura obiecta. Quamvis enim anima in statu separationis accipiat novas species, quas Deus vt Author naturæ immittit, vt docent Theologi cum Divo Thom. 1. par. quæstione 89. artic. 1. non dubium quin ferat secum species, quas in hac vita acquisivit, quibus iuvatur ad intelligendum; vnde melius intelligeret in alia vita anima viri sapientis, quam anima pueri, si vtraque esset in pura natura sine gratia, & sine peccato. Et idem de facto continget in animabus Purgatorij; melius enim cognoscet, cæteris paribus, anima viri sapientis, quam rustici. Si ergo anima separata iuvatur ab speciebus, quas in hac vita acquisivit ad melius intelligendum, quamvis novas species in alia vita accipiat: ita contingeret in statu puræ naturæ, si anima separata rediret ad corpus perfectissimum cum speciebus illis, quas in statu separationis accipit: nam per istas post resurrectionem perficeretur in vi intelligendi.

Quod possumus confirmare ex doctrina eiusdem Pat. Suarez ibidem numer. 7. asserentis animam separatam ex natura rei non cognoscere alia singularia materialia, nisi ea, quæ in vita novit, & quorum species secum detulit: nam species quas post separationem accipit à Deo vt authore naturæ, deservirent solum ad cognoscendas rationes communes. Vnde anima separata regrediens ad corpus iuvaretur à sensibus ad cognitionem singularium. Rursus id possumus explicare iuxta sententiam Div. Thomæ 1. par. quæstione 89. artic. 1. vbi licet doceat, animæ separatæ à Deo infundi species rerum similes illis, quæ infunduntur Angelis, ait tamen animam imperfecte cognoscere cum illis, quia non habet lumen intellectuale sufficiens ad clare penetrandum illas veritates, quas Angeli propter maiorem intellectus perfectionem penetrant; sicut rusticus non cognoscit in principio aliquo vniversali eas conclusiones quas vir magni ingenij. Vnde sicut rusticus indiget comparationibus, & similitudinibus ad percipiendum id; quod vir acutus sine illis penetrat; ita anima separata valde iuvaretur ab speciebus rerum sensibilium, vt res illas intelligeret, quas species infusæ repræsentant: ac proinde cum ex regressu ad corpus acquireret novas & perfectiores; illis iuvaretur ad intelligendum.

SECTIO SEXTA.

Secunda eiusdem argumenti solutio.

100 SED quia Pater Suarez tom. 2. in 3. par. disputat. 44. sect. 7. & Pater Læsius lib. 1. de summo bono numer. 67. Cardin. Palavizinus disputat. 2. de actibus humanis quæstione 2. artic. 2. & Salas 1. 2. tract. 2. disp. 14. s. 2 n. 8. cum communi sententia defendunt resurrectionem esse in omni statu miraculosā, & à Deo, vt authore supernaturali provenire

ideo ad argumentum initio ſectionis præcedentis propoſitum, ſecundo reſpondeo admittendo ſequelam & negãdo eius abſurditatem. Admitto ergo in ſtatu puræ naturæ hominem mereri æternã beatitudinem à ſola anima percipiendam, etſi enim homo importet non ſolum animam ſed etiam corpus; tamen principaliter importat animam; corpus vero non vt ſocium, ſed vt famulum & mancipium, quo vtitur ad propriam fœlicitatem merendam, & anima eſt, quæ in corpore laborat, ac patitur, vt extra corpus perfecte quieſcat, & gaudeat. Nec homo corpus ſuum amat amore benevolentiæ, tanquam ſubiectum, cui vult bonum, & in quo ſiſtit affectus; ſed amore concupiſcentiæ, tanquam bonum vtile animæ, vnde quamvis corpus noſtrum mutaretur, & loco illius nobis daretur aliud æque, vel magis cõmodum animæ, nihil de hoc ſolliciti eſſemus; cum tamen vnicuique videatur lugenda deſtructio ſui. Ex quo ſequitur, vt ingenioſe notat Card. Palavizinus, cum concipimus, hoc quodeſt *ego*, non concipi à nobis hoc corpus, ſed hanc animam, vt anima ſit *ego*, & corpus ſit meum; amor autem ad mea, vtpote qui eſt amor concupiſcentiæ, recipit functionem in rebus æquivalentibus, amor autem ad me, vtpote qui eſt benevolentiæ, non recipit functionem, & ideo non eſſem contentus ſi loco meæ animę deſtructæ poneretur alia in corpore meo. Vt enim notat idem Cardinalis, hoc diſtat inter amorem benevolentiæ, & cõcupiſcentiæ, quod hic recipit functionem per aliquid ſimile in ſpecie, non autem ille, v. g. ſi concupiſco pomum, æque mihi ſatisfacit pomum *A.* ac pomum *B.* omnino ſimile ſubſtituendum loco illius. At amor benevolentiæ eſt affixus individuo, non enim qui amat Petrum eſſet contentus ſi Petrus deſtrueretur, & ſubſtitueretur alius homo ſimilis ipſi.

101 Cum ergo homo amat ſe ipſum, amat animam amore benevolentiæ, & corpus amore concupiſcentiæ, & dummodo anima æque bene ſit, parum de corpore curat: & quamvis corpus paulatim tranſmutetur in aliud, non propterea mutatur hic homo in alium, ſed manet idem non ſolum identitate metaphorica & abuſiva, quo ſenſu idem eſt fluvius hodie, qui fuit heri, ſed phyſica, & propria: quia ſcilicet hic homo nil aliud eſt, quam hæc anima in corpore, ſeu hæc anima cum hoc vel illo corpore: vnde quamvis corpus non ſit phyſice idem, eſt tamen idem phyſice homo.

102 Vnde quamvis homo ipſe ſit qui meretur; quia tamen principaliter meretur anima, & anima ipſa dum eſt in corpore eſt homo; ideo anima ipſa merito ſuſcipiet pro tota æternitate præmium, vel pœnam: corpus vero, quia tantum eſt animæ inſtrumentum & organum; & eſt organum mortale, quod neceſſe eſt tandem interire, non poteſt ex natura rei recipere præmium æternum virtutis.

103 Sed inquires, an in hac ſaltem vita debeat recipere? Reſpondeo, iuxta hanc providentiam, in qua reſurrecturum eſt, non eſſe neceſſarium, ſed poſſe differri vſque ad generalem reſurrectionem, vt cum fœnore recipiat pro temporali labore æternum gaudium. In pura autem natura reciperet corpus in hac vita præmium ſibi proportionatum: vt inquit P. Suarez tom. 2. in 3. p. diſput. 44. ſect. 7. *Quod non oportet vt conſiſtat in diuitijs tẽporalibus, & voluptatibus, quæ non ſolent ad virtutis exercitationem valde eſſe vtiles, ſed in alijs bonis, vel auxilijs, quibus corpus ipſum facilius & commodius poſſet ad virtutis ſtudium accendi.* Verum hoc non poteſt vniverſaliter verum eſſe, nam in pura natura poſſet homo mortem ſubire, ne Deum negaret; tunc autẽ corpus non poſſet recipere præmium illius afflictionis. Dicendum ergo eſt, ad æquitatem iuſtitiæ divinæ ſatis eſſe quod Deus concederet in alia vita integrum præmium virtutis ſoli animæ.

104 Nec vrget vltima confirmatio principalis argumenti ex eo deſumpta, quod ſi anima poſſet in æternum extra corpus exiſtere, non eſſet ratio, cur in prima ſui productione indigeat corpore. Non, inquam, vrget: quia anima rationalis cum ex ſe ſit etiam ſenſitiva, & vegetativa, poſtulat corpus vt in illo vitam vegetativam, ſenſitivam & rationalem exerceat. Et vita vegetativa eſt propter ſenſitivam, & hęc propter rationalẽ: exigit corpus vt hominem conſtituat, propter quem totum hoc vniverſum Deus cõdidit: exigit, vt in illo poſſit opera virtutis exercere, & æternã fœlicitatẽ mereri, corporis moleſtias tolerando, & paſſiones ſubiugando: exigit denique corpus, vt dependenter à ſenſibus, & vſu phantaſicę acquirat ſpecies intelligibiles, quibus per totam æternitatem vtatur, & quibus non parum iuvatur ad vitam intellectivam. Et quãvis in ſtatu ſeparationis Deus illi ſpecies infundat, vel illę ſunt in ſubſidium earũ, quas poſſet acquirere, & per accidens non acquiſivit ob defectũ organi proportionati, vel diſpoſitiones ad diù commorandum in corpore, vel quamvis ſint eſſentialiter diverſæ ab his, quę in hac vita poſſunt acquiri, illis connaturale eſt adiuvari ſpeciebus acquiſitis per ſenſus ad melius repręſentandas res modo proportionato ipſi animę. Vnde non ſequitur quod poſſet connaturaliter anima ab initio proluci extra corpus, ſi poteſt connaturaliter

ex-

extra ipsum in æternum manere: sed vterque status est illi connaturalis, primus vt status imperfectus, secundus vt status perfectus, sicut homini est naturalis status, pueritiæ, & adolescentiæ. Et quamvis anima separata si posset connaturaliter ad corpus immortale & incorruptibile regredi, illius consortium appeteret, tamen quia sine miraculo non posset in statu puræ naturæ ad corpus redire; nec innate, nec elicite desideraret absolute reunionē.

SECTIO SEPTIMA.

Soluitur alia difficultas, & exponitur quomodo in statu puræ naturæ Deus peccata remitteret.

PERGIT adversarius & sic statum puræ naturæ impugnat: quia implicatorius videtur primarius status, & constitutio hominis, & naturalis reipublicæ, vel potius monarchiæ, in quo statu, & constitutione essent irremissibiles omnes culpæ graves. At huiusmodi esset status puræ naturæ, nam vt docet Div. Thom. quæst. 28. de verit. art. 2. ad 5. & probat P. Vazquez 1. 2. disput. 207. & cum eo communior sententia Theologorum, repugnat Deum remittere peccatum præsertim morale, per condonationem extrinsecam, vel per formam intrinsecam omnino naturalem: ergo, &c. Minorem non probat, maiorem vero late ostendit: & sane ex terminis videtur notum, non posse Deum à se & ex se in eo statu hominem ponere, in quo possit peccare, & peccati veniam nequeat obtinere: est enim durissimum & suavi Dei providentiæ contrarium, quod homo semel lapsus nullum haberet remedium, sed necessario futurus esset in æternum miser; præsertim cum maximorum principum sit offensas remittere. In primis hoc argumentum non probat, non posse Deum producere creaturam rationalem innocentem, quin ei infundat gratiam, sed solum probat non posse naturæ conditæ in puris naturalibus remittere peccatum mortale, quin illam elevet ad finem supernaturalem, & extrahat à puris naturalibus.

106 Respondeo ergo, intra statum puræ naturæ, id est, naturæ non elevatæ ad finem supernaturalem, posse Deum gratuito, & liberaliter remittere peccatū mortale, quin extraheret hominem illum ab eo statu infundendo gratiam sanctificantem tribuentem ius ad visionem beatificam: primo, quia forsam posset tunc extrinsece condonare peccatum, vt late probat P. Suarez, lib. 7. de grat. cap. 27. Idque potest defendi, quamvis in statu elevationis nequeat Deus peccatum remittere absque infusione gratiæ. Ratio discriminis: quia hoc ipso quod Deus conferat homini gratiam, habet voluntatem efficacem conferendi ipsi gloriam sub conditione quod per peccatum gratiam ipsam non amittat, & consequenter habet voluntatem conservandi perpetuo in illo gratiam, nisi ipse per peccatum eam destruat, vt docent P. Mæratius, disput. 10. de gratia sect. 1. P. Antonius Perez, disput. 3. de iustificat. cap. 4. & Cardinalis Sfortia in libello de Incarnat. numer. 98. redditque rationem Cardinalis, quia de conceptu affectus veræ amicitiæ, qualis est affectus Dei infundentis gratiam habitualem, secundum Aristotelem, atque adeo secundum Philosophos, & Theologos, vniverse est velle quantum est ex se amicitiæ perpetuitatem: nec enim esset verus amicus Petri, qui vellet amare Petrum per annum, & postea sine vlla causa eum deserere, & ab eius amicitia recedere. Cum ergo fide certum sit Deum elevantem hominem ad finem supernaturalem eum amare amore amicitiæ; consequens sit habere voluntatem non deserendi eum, nisi prius deseratur ab ipso & nunquam privandi eum sua gratia, nisi in pœnam peccati, & offensæ gravis contra veram amicitiam. Quod confirmatur ex Div. Thom. 3. part. quæst. 30. articul. 2. dicente, illud, quod per gratiam Dei conceditur, nunquam absque culpa revocari, quia iuxta Apostolum Roman. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei*: & hinc inferente, impossibile omnino fuisse, quod Deus dissolveret vnionem humanitatis cum Verbo, quia non potuit dissolvere nisi peccante humanitate, & impossibile fuit, humanitatem assumptam peccare.

107 Hinc sequitur non posse hominem elevatū peccare mortaliter, quin propter peccatum privetur gratia, qua non privaretur, nisi peccasset mortaliter. Ex hoc autem rursus infertur, non posse Deum remittere peccatum, quin infundat gratiam: quia id non potest, nisi deponat odium inimicitiæ, conceptum adversus peccatorem propter peccatum: nam hoc odium nil aliud est quam voluntas efficax privandi gratia hominem ob culpam commissam, quæ voluntas terminatur ad peccatorem, quandiu propter culpam commissam Deus perseverat in privando hominem illum gratia; ac proinde non deponitur odiū, quousque Deus desinat privare hominem illum gratia ob culpam commissam: non desinet autem sic privare quousque infundat gratiam, quia quousque eam infundat, verificatur illum hominem privari gratia quia peccavit: nam ipsa voluntas infundendi gratiam fuit voluntas illam non destruendi nisi homine peccante.

108 Hæc autem ratio non militaret, in pura natura: nam tunc homo per peccatum non privaret ſe gratia habituali, ac proinde non indigeret illius gratiæ infuſione ad obtinendam remiſsionem peccati: imo non indigeret infuſione doni naturalis habitualis & permanentis: nam tunc homo per peccatum non privaret ſe aliquo dono habituali tribuẽdi ipſi ius ad beatitudinem naturalem: nam in pura natura homo ſecundum ſe haberet ius ad beatitudinem naturalem, ſub conditione quod non peccaret, vnde peccatum non relinqueret maculam habitualem diſtinctam ab ipſo peccato, & conſiſtentem in privatione ſanctitatis habitualis debitæ: ſicut relinquit in ſtatu elevationis, etiam ſecundum peccatum ſupponens gratiam iam deſtructam, quia ſecundum peccatum facit vt privatio illa conſervetur etiam intuitu eius, ita vt quamvis nullũ aliud præceſsiſſet, nihilominus ob illud vnicum privaretur eadem: quare tunc peccatum eatenus redderet hominem dignum odio inimicitiæ, quatenus redderet dignum, vt Deus concideret decretum privandi illum beatitudine naturali ob peccatum commiſſum, niſi forſam pœnitentiam agat, & eatenus moraliter permaneret peccatum quatenus Deus nolleret cedere iuri ad infligendam pœnam æternam dãni propter illam culpam: huic autem iuri poſſet Deus cedere, quin infunderet donum aliquod vicuius homo redderetur poſitive dignus nõ privari beatitudine naturali, dum aliud non probatur, ſicut non probatur ex his, quæ defacto contingunt in ſtatu elevationis.

109 Id ipſum rurſus ſuadetur, nempe non bene argui ab ſtatu elevationis ad ſtatum puræ naturæ quoad remiſsionem peccati ſine forma intrinſeca. Nam homo elevatus per ipſam elevationem contrahit obligationem conſervandi in perpetuum pulchritudinẽ gratiæ habitualis: ergo ſi ſua culpa amittat gratiam, caret pulchritudine ſupernaturali ſibi debita, quæ ipſum reddebat aptum & bene diſpoſitũ ad ſuum finem, & illa carentia eſt vera privatio, & vera fœditas animæ, illã reddens odibilem coram Deo: illa autem privatio & fœditas, neceſſe eſt, vt maneat quandiu gratia non infunditur, tum quia quandiu gratia non infunditur, ſemper eſt verum affirmare: hic homo hic & nunc caret gratia, quia antea peccavit, nam ſi nunquam peccaſſet, Deus illũ non ſpoliaſſet ſua gratia: quandiu autem verificatur, hominem carere gratia, quia antea peccavit, verificatur illam carentiam eſſe verã privationem; ac proinde veram maculam animæ, tum quia implicat hominem peccando à ſe expellere gratiam, & gratiæ carentiam perſeverare, quin perſeveret, vt inducta ex vi peccati; nam cauſalitas peccati quantum ad gratiæ deſtructionem extenditur per totam æternitatem, niſi Deus velit gratiam infundere; nam vi peccati impeditur decretum conſervãdi gratiam quantum eſt ex parte peccati; vnde niſi Deus contra id quod peccatum meretur velit gratiam conſervare, vel denuo infundere, æterna erit carentia gratiæ, & pro tota æternitate durabit in vi peccati, quia cum Deus voluntate antecedenti velit quantum eſt ex ſe gratiam in æternum conſervari; certe quod illa in æternum non conſervetur, provenit vnice ex peccato.

110 Denique, quia implicat, Deum ſpoliare gratia hominem qui peccat, in inſtãti, in quo peccat, in pœnam peccati, & intuitu illius; & pergere poſtea in continuanda illa ſpoliatione gratiæ, & non pergere propter peccatum, quia cum quantum eſt ex ſe voluntate antecedenti vellet gratiam in perpetũ conſervari, ſi propter peccatum deſtruit primo, & perſeverat in deſtruendo, debet perſeverare propter peccatum. Quod deinde ſuadetur: nam cum diſplicentia Dei erga peccatum vehementer inclinet Deum ad privandum hominem gratia, quandiu non agat pœnitentiam, implicat Deum, homine non agente pœnitẽtiam, illum privare gratia, & non privare ex impulſu illius diſplicentiæ; & conſequenter propter peccatum. Iſta autem ratio quamvis valde efficax ſit ad probandum Deum non poſſe in ſtatu elevationes rẽmittere peccatum abſque infuſione gratiæ, nullatenus militat pro ſtatu puræ naturæ

111 Conſequenter ad hæc dici valet, quod quamvis Deus poſſet infundere gratiam homini pro determinato tempore cum decrero illam ſubſtrahendi poſt illud tempus ſive homo antea peccet, ſive non peccet, vi cuius decreti auferretur gratia non procedente peccato; non tamen fieri poſſe, vt præcedat peccatum, & tamen quod Deus ſuſpendat cõcurſum conſervativum gratiæ omnino independenter à peccato. Vnde quàvis Deus ſic ſtatuere poſſet: poſt hunc annũ auferam gratiam à Petro, ſive intra illum peccet ſive non peccet: non poſſet tamẽ ſic: poſt annum auferam gratiam, ſive peccet, ſive non peccet, & quamvis peccet, non auferam propter peccatum. Id enim eſſe impoſsibile, probatum manet: quare in ſtatu elevationis carentia gratiæ ſubſecuta ad peccatum mortale, eſſet macula quædam, & peccatum habituale, vel potius habitualitas & permanentia moralis peccati, quia quoties verificatur, hominem carere modo gratia, quia antea peccavit moraliter, verificatur modo eſſe in ſtatu peccati.

112 Nec vllum eſt fundamentum

eſ-

efficaciter persuadens ad remissionem peccati in quocumque statu ex terminis necessariam esse infusionem gratiæ supernaturalis tribuentis ius ad claram Dei visionem, ad hoc vt Deus remittat peccatum mortale, non quidem fundamentum desumptum ex D. Thoma q. 28. de verit. art. 2. in corpore, quod nimirum peccatum mortale est gravis Dei iniuria, & contemptus, & proinde offensa infinita, vel quasi infinita: vnde ad hanc offensam delendam, inquit D. Thomas, non sufficiunt vires humanæ, sed requiritur munus diuinæ gratiæ. Hoc enim fundamentum probat recte, requiri ad remissionem peccati donum omnino gratuitum & in debitum homini, qui peccavit, non tamen probat hoc donum debere esse gratiam sanctificantem; nam quamvis Deus decerneret non elevare hominem ad claram sui visionem, posset adhuc offensas sibi irrogatas remittere, vel extrinsece condonando gratiose & liberaliter, vel externe loquendo, & serio affirmando se homini remittere offensam, ad modum quo vnus homo alteri remittit iniuriam. Vel conferendo aliquod donum gratuitum, vi cuius aboleretur culpa, per modum formæ incompossibilis: infinitas vero, vel quasi infinitas peccati probat quidem non posse hominem viribus humanis, imo nec viribus gratiæ tollere peccatum exhibendo condignam satisfactionem, in qua Deus tantum placeat, quantum displicet in peccato mortali: hic enim modus condigne satisfaciendi pro peccato postulat infinitam dignitatem in persona satisfaciente: non procedit autem de ablatione peccati per formam incompossibilem: potest enim esse essentialiter incompossibilis cum peccato forma aliqua, quæ non habeat tantum bonitatis, quantum habet malitiæ peccatum mortale vt patet in gratia ipsa sanctificante, quæ non adæquat malitiam peccati, & tamen peccatum destruit.

113 Nec etiam vrget fundamentū P. Vazq. d. 207. num. 3. quod peccatum mortale ab homine in pura natura cōmissum averteret ipsum à Deo fine supernaturali, hoc est, redderet hominem obiectum odij Dei, inimicum & contrarium Deo, quatenus Deus est finis charitatis supernaturalis, eo quod ex se dignum est quod dissolvat amicitiam, quam cum Deo vt fine supernaturali habere possumus. Ergo non posset remitti quin converteretur homo ad Deum vt finem supernaturalem, quod nequit fieri sine gratia supernaturali. Nō inquam, vrget hoc fundamentum: nam falsum est quod peccatum commissum in pura natura averteret hominem à Deo vt fine supernaturali: vt enim inquit D. Thom. q. 28. de verit. a. 2. corp. *Auersio intelligitur à bono incommutabili, quod quis potest habere respectu cuius se impotentem facit: alias auersio non esset culpabilis.* Atqui in pura natura homo non erat potens obtinere Deum vt finem supernaturalem, nec habebat facultatem illum possidendi per visionem claram: ergo per peccatum in pura natura non averteretur à Deo vt fine supernaturali: licet per peccatum tunc commissum redderetur indignus gratia & beatitudine supernaturali. Hoc autem non sufficit, vt gratia illa sit necessaria ad tollendum illud peccatum; alioqui, quia homo per peccatum reddit se indignum vnione hypostatica, hæc esset necessaria ad illius remissionem. Quare posset tunc tolli peccatum per donum inferius, vi cuius maneret homo tam expeditus ad gratiam supernaturalem ac erat ante peccatum.

114 Secundo responderi valet cum P. Aldrete in M. S. de iustific. & Card. Sfortia de pœnit. cap. 19. & Amico d. 33. de grat. sect. 1. atque Herize disp. 17. num. 26. & ingenioso Recentiore, posse Deum in pura natura remittere peccatum per infusionem cuiusdam qualitatis naturalis petitæ ab ipsa natura, & quæ naturaliter flueret ab ipsa, dum illa se conservaret innocentem à peccato lethali & quæ peccante homine necessario destrueretur; quæ quidem qualitas esset quædam habitualis perfecta coniunctio cum Deo vt fine naturali, rectitudoque morum, & quasi vita naturæ, reddens hominem iustum & Deo gratum, & absolute dignum beatitudine naturali. Aiunt ergo, peccatum commissum in pura natura remittendum fuisse per hoc quod Deus restitueret hanc qualitatem; quia tunc consisteret peccatum habituale in privatione illius qualitatis inducta per peccatum, sicut in statu elevationes consistit iuxta Thomistas in privatione gratiæ vt relicta ex peccato præterito. Sed cōtra, nam cum ipsa natura rationalis per se ipsam ordinetur ad beatitudinem naturalem, sicut per gratiam habitualem ordinatur ad beatitudinem supernaturalem, implicat qualitas, cuius munus sit illam ordinare ad id ipsum, ad quod per se ipsā ordinatur. Nec munus illius qualitatis potest esse reddere hominē dignum beatitudine naturali, nam id haberet homo per suam naturam, dum illam non deturparet peccato aliquo: homini enim innocenti nequit Deus denegare beatitudinem ad quam ex se ordinatus est. Vnde pueri decedentes in pura natura ante vsum rationis obtinerēt beatitudinem naturalem vt sibi debitam per modum hæreditatis: sicut parvuli decedentes cū baptismo obtinent beatitudinem supernaturalem per modum hæreditatis, quamvis nihil omnino haberent præter nudam naturam.

115 Quod confirmo, nam si iuxta com-

communem ſententiam pueris decedentibus cum ſolo originali debetur altiſsima Dei contemplatio, & amor inde reſultans; cum in eis nihil aliud ſit, cur id debeatur præter ipſam naturam: ergo à fortiori id ipſum deberetur pueris decedentibus in pura natura: cum ergo aliunde carerent peccato originali, obtinerent beatitudinem naturalem. Nam pueri lymbi eàtenus non dicuntur aſſecuti beatitudinẽ naturalem, quia habent miſeriam peccati, quam illa excludit. Quapropter in illa qualitate nõ reſplendet ſpecialis participatio divinæ naturæ, quæ non reſplendeat in ipſa natura rationali: eſt ergo eſſentialiter ſuperflua, ac proinde repugnans.

116 Reſpondet laudatus Recentior, eam qualitatem fore ſpecialem participationẽ naturæ, ſeu ſanctitatis divinæ præ ipſa natura rationali quia hæc non eſt per ſe tantum determinata ad actus honeſtos, ſed potens ad oppoſitos inhoneſtos: at vero prædicta qualitas eſſet de ſe determinata ſolum ad actus honeſtos: eſſet enim ad inſtar habitus virtutis moralis per ſe tantum determinans & inclinans potentiam ad actus amicitiæ Dei, vt finis naturalis. Deinde homo ex propria dignitate naturæ ſolum haberet ius remotum & conditionatum erga fœlicitatem naturalem, nimirum ex ſuppoſitione ſervatæ innocentiæ, & rectitudinis morum: at prædicta qualitas daret ius proximum, & abſolutum ad illam, & conſequenter eſſet incompoſsibilis cum peccato, ſiquidem per iſtud homo ſpoliaretur iure ad beatitudinem naturalem.

117 Sed contra, quia illa qualitas infuſa homini ante peccatum ad nihil deſerviret: non quidem vt inclinaret naturam ad actus honeſtos, nam ex ſe haberet inclinationem innatam ad eos, cum ex ſe ſit creata propter illos, ad eoſque habeat ſufficientiam, v. g. ad amorem Dei: neque vt determinaret ad eliciendos actus; ſic enim tolleret libertatem: nã, voluntas vt inſtructa illa qualitate non poſſet omittere actum.

118 Quod ſi dicas illam qualitatem non determinare ad actum honeſtum, affigiendo, ſed inclinando abſque connexione ſequitur voluntatem vt inclinatam per eam qualitatem ad eliciendum actum præceptum, poſſe eam coniungere cum peccato; ac proinde ſequitur illam qualitatem non eſſe incompoſsibilẽ cum peccato mortali actuali, prout oportebat vt eius infuſsio iuxta principium huius Authoris eſſet remiſsio peccati habitualis.

119 Quod ſi rurſus dicas, eam qualitatem eodem modo inclinare ad actus honeſtos naturales, quo gratia habitualis inclinat ad ſupernaturales; & non minus eſſe incompoſsibilem cum peccato mortali, ac gratiam, ac proinde non inclinare ad actus præceptos conſtituendo actum primum ad illos; ſed in ſigno indifferentiæ ad actum præceptum præſcindi ab illa qualitate, ſicut præſcinditur à gratia, & peccante homine, deſtrui illam qualitatem, & non peccante conſervari. Si hoc inquam, dixeris.

120 Contra: nam in illo ſigno, in quo ab ea qualitate præſcinditur, habet natura rationalis inclinationem & vires ad eliciẽdum actum præceptum; & condignitatem vt ſi eliciat, propter illum detur ipſi in præmiũ beatitudo naturalis: nec ille vires ipſi tribuuntur ad exigentiam illius qualitatis, vt præexiſtentis in inſtanti antecedenti, ſicut tribuitur homini iuſto auxilium tranſiens ad eliciendũ actum præceptum intuitu gratiæ habitualis præexiſtentis: ſed natura ipſa rationalis ex ſe habet ad id ſufficientes vires cum ſolo concurſu generali ſibi debito, ad nihil ergo deſervit illa qualitas, ac proinde eſt eſſentialiter ſuperflua. Sic gratia habitualis eſſet ſuperflua, ſi homo in eo ſigno, in quo ab eius exiſtentia præſcinditur, vendicaret ſibi potentiam ad eliciendum actum meritorium vitæ æternæ, eſſetque dignus ex ſe vt daretur ſibi viſio Dei in præmium ſub conditione, quod eum actum eliciat. Nam hoc ipſo homo ex ſe haberet ius ad gloriam.

121 Quare hoc ipſo quod natura rationalis habeat ex ſe ius conditionatum ad beatitudinem naturalem ſub conditione quod ſe ipſam non deturpet per culpam mortalem; ſuperflua eſt illa qualitas pro tribuendo iure abſoluto & proximo: ſicut ſi natura rationalis ex ſe haberet ius ad beatitudinem ſupernaturalem ſub conditione quod ſe ipſam nõ macularet peccato mortali; ſuperflueret gratia habitualis pro tribuendo iure abſoluto: quia hoc ipſo qualitas illa ſupponeret ius abſolutũ & proximum in natura, quia nequit intelligi poſitive exiſtens, & conſervata illa qualitas, quin natura intelligatur poſsitive innocens. Ideo enim pro ſigno in quo natura concipitur proxime indifferens ad peccandum, & non peccandum, præſcinditur ab exiſtentia illius qualitatis; nec prius poteſt intelligi exiſtens quin intelligatur illa proxima indifferentia determinata ad omiſsionem peccati: ergo cum ſupponitur exiſtens, præ intelligitur natura rationalis poſitive innocens, & conſequenter cum iure abſoluto ac proximo ad beatitudinem naturalem, non minus quam intelligitur cum iure illo, ſuppoſita ea qualitate: ſicut enim ius quod haberet natura in inſtanti *A.* ex vi qualitatis tunc ſibi infuſæ, eſſet ius ad beatitudinem poſt hanc vitam recipiendam, ſub eõ-

di-

ditione quod postea non peccaret, & peccádo amitteret eam qualitatem: sic natura innocens in instanti *A.* habet ius, vt posit hanc vitam sit beata sub conditione quod innocentiam illam non amittat.

122 Parum autem refert, quod natura rationalis sit compossibilis cum peccato mortali, illa autem qualitas non foret, vt ea dicatur specialis participatio naturæ divinæ; nam & id gratis fingitur, & præterea ipsa natura rationalis, vt libere se determinans ad actũ virtutis, quo excluditur peccatum mortale, nõ minus est incompossibilis cum illo, nec minus habet ius ad beatitudinem, quã ratione illius qualitatis: ergo illa est essentialiter superflua.

123 Quod autem natura rationalis possit influere in actus malos, in eos vero nequeat influere illa qualitas, solum probat naturam rationalem præter prædicatum continentis actum honestum, & inclinantis ad illum, in quo convenit cum ea qualitate, habere prædicatum potentis elicere actum peccaminosum, id autem non probat, quod non sit natura rationalis quatenus prima radix actuum honestorum participatio naturæ divinæ, non minus quam illa qualitas. Imo non est vnde hęc possit habere incompossibilitatem cum actu peccati, quia quod ex se sit radix actuum honestorum naturalium, ad eosque inclinans, id non probat; cum totum hoc habeat ipsa natura rationalis, quæ componi potest cũ peccato. Si autem ex hoc prædicato non habet incompossibilitatem, nõ apparet vnde eam possit habere: sicut gratia habitualis si quatenus est prima radix videndi, & amandi Deum, & prima radix totius honestatis moralis supernaturalis, non haberet incompossibilitatem cum peccato mortali, profecto ex alio prædicato eam non haberet.

124 Denique impugnatur; quia frustra recurrunt ad privationem illius qualitatis, vt explicent peccatum habituale quod in pura natura maneret transeunte actu peccati. Quamvis enim Deus crearet naturam rationalem cum solijs potentijs intellectus & voluntatis, absque vllo dono habituali super addito; natura illa posset peccare mortaliter; & tamen suppositio actu peccati maneret in statu peccati, donec Deus remitteret iniuriam sibi illatam per peccatum præteritum. Et tamen tunc peccatum non induxisset privationem alicuius qualitatis rectificantis naturam; nec relinquisset privationem alicuius habitualis doni, in qua consisteret peccatum habituale. Præterquam quod peccatum habituale etiam pro statu elevationis non importat in recto privationem gratiæ; vt tractu de iustificatione latè ostendo contra Thomistas.

125 Per quod ergo remittendum esset tunc peccatum mortale? Multi Doctores dicunt tunc necessario recurrendum esse ad extrinsecam conditionem. Sed ego tractatu de iustificatione late probo, ex terminis repugnare, quod Deus mere extrinsece condonet peccatum; vnde ad formam intrinsecam recurrendum est. Respondeo ergo primo, peccatum mortale in pura natura remittendum fuisse à Deo per infusionem cuiusdam qualitatis intrinsece naturalis, non qualem adstruebant Authores nuper impugnati, quæ scilicet deberetur naturæ innocenti, illique tribueret ius proximum ad beatitudinem naturalem; siquidem natura innocens per se ipsam haberet ius proximum ad beatitudinem naturalem, sed quæ esset omnino gratuita intra ordinem naturæ; & cuius munus foret delere maculam peccati præteriti, constituendo hominem, qui peccavit, dignum beatitudine ne naturali, & habentem ius ad illam, & reddendo illum aptum, & bene dispositum ad suum finem, vi cuius deberetur homini, qui peccavit, specialis providentia in ordine ad beatitudinem naturalem, similis illi, quæ debetur iusto defacto in ordine ad beatitudinem supernaturalem. Homo enim per peccatum mortale constitueretur tunc simpliciter malus, & ineptus ad finem suum naturalem, & indignus providentia speciali Dei dirigente illum ad suam beatitudinem; posseque propter peccatum mortale statim in infernum detrudi: per illam vero qualitatem constituitur in statu contrario, nimirum bonus simpliciter, aptus ad finem, & dignus providentia speciali, Deus enim remittens peccatum, amaret hominem illum, eique placaretur, & in suam gratiam admitteret, ac proinde communicaret ipsi bonum aliquod intra lineam naturæ eximium, vi cuius cõdigne muttaretur, & ex fædo pulcher, ex obliquo rectus, ex peccatore iustus, ex indigno beatitudine, & speciali providentia dignus beatitudine, & providentia speciali, propria filiorum, redderetur.

126 Nullaque potest assignari repugnantia in qualitate, quæ necessaria non sit ad beatitudinem naturalem consequendam, antequam homo peccet mortaliter, sit tamen necessaria postquam peccavit; quia nimirum natura rationalis ex se nõ habet ius ad beatitudinem naturalem, nisi solum conditionale, scilicet sub conditione quod graviter Deum non offendat. Posito autem peccato mortali, redditur positive indigna illa beatitudine, & digna pœnis æternis. Vnde indiget illa qualitate, vt rectificetur, & constituatur digna beatitudine. Cur enim Deus vt author naturæ non posset hominem ex indigno beatitudine naturali

reddere dignum, ex peccatore iuſtum, ex obliquo rectũ, &c. Hi autem effectus provenire nõ poſſunt à cõdonatione mere extrinſeca: ergo proveniret a Deo mediante forma intrinſeca.

127 Vltimo reſpondeo in pura natura poſſe remitti peccatum mortale per actũ perfectæ contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia elicitum vi auxilij gratuiti quod ſuã entitatem naturalis: nec enim tunc homo eſſet incapax remedij. Probatur autem aſſumptum primo, quia etiam in ſtatu naturæ elevatæ deletur formaliter peccatum mortale habituale per actum perfectæ contritionis vt late probavi in tract. de incarnat. 2. nam quamvis in ſtatu elevationis id non contingeret; aliter ſe res haberet in ſtatu puræ naturæ. Et ratio diſparitatis eſt, quia in ſtatu elevationis peccatum habituale, vel conſiſtit in privatione gratiæ, vel illam privationem importat: nam homo per peccatum actuale privatur gratia habituali, & tandiu manet in ſtatu peccati, quandiu manet ſub tali privatione. At in ſtatu puræ naturæ peccatum habituale non importaret privationem gratiæ habitualis, cum tunc nullum eſſet debitum eam habendi: nec etiam importaret privationem alicuius doni naturalis habitualis, ordinantis hominem ad beatitudinem naturalem, cum non privaret naturam rationalem ſua entitate per quam ordinatur ad ſuum finem, & recte ſe habet ad illum, dum non committit peccatum: ergo in pura natura neque remitteretur peccatum per infuſionem gratiæ habitualis, neque per infuſionem doni naturalis habitualis. Solum ergo remitteretur vel per condonationem extrinſecam, vel per infuſionem dilectionis Dei ſuper omnia: ſicut enim homo tunc per peccatum ſolum ſe privaret dilectione Dei voluntarie apponendo impedimentum talis dilectionis, & aliorum actuum honeſtorum, qui in dilectione Dei continentur tanquam in radice; ita tunc ſufficienter obineret remiſsionem peccati, accipiendo à Deo dilectionem illam ipſius Dei ſuper omnia. At repugnat cõdonatio extrinſeca, vt ſuppono: ergo, &c.

128 Et confirmatur: nam peccatum commiſſum in pura natura eſſet averſio ab incommutabili bono vt fine naturali: averſio autem ab incommutabili bono eſt privatio rectitudinis charitatis debitæ in actu fecundo vt inquit Caietanus 1.2.q.113. art. 2. §. *Ad euidentiam*. Tunc autem ſola charitatis naturalis rectitudo eſſet debita: ergo per actum perfectæ dilectionis naturalis maneret homo conuerſus ad bonum incommutabile, vt finem naturalem. Ergo ille actus moraliter permanens coniunctus cum inclinatione ipſius naturæ, conſtitueret hominem habitualiter conuerſum ad Deum vt finem naturalem: ergo conſtitueret ſtatum contrarium ſtatui peccati reddentis hominem habitualiter averſum à Deo vt fine naturali: ac proinde deſtrueret ſtatum peccati: ergo dilectio Dei ſuper omnia non minus eſſet tunc remiſsio peccati, quam nunc infuſio gratiæ: quæ cum habitualiter convertat hominem ad Deum vt finem ſupernaturalem conſtituit ſtatum contrarium ſtatui peccati reddentis hominem habitualiter averſum à Deo vt fine ſupernaturali.

129 Quare Deum velle tunc efficaciter donare homini peccatori auxilium cõgruum ad eliciendum actum perfectæ contritionis & dilectionis, eſſet cedere iuri ad odio habendum hominem illum propter peccatum præteritum, & impedire perſeverantiam moralem illius peccati: nihilque aliud deſiderare tur, vt homo ille eſſet iuſtus, & amicus Dei amicitia quadam naturali tribuente ius ad beatitudinem naturalem: cum enim natura ipſa rationalis ex ſe habeat ius conditionatum ad beatitudinem naturalem, ſub conditione quod careat culpa mortali; hoc ipſo quod ille actus contritionis deleat maculã peccati mortalis, manet homo iuſtus iuſtitia naturali, ſeu in ordine ad finem naturalem.

SECTIO VLTIMA.

Soluitur difficile argumentum ab authoritate Auguſtini.

130 INnumera ſunt Auguſtini teſtimonia, quibus poſsibilitatem ſtatus puræ naturæ Ianſenius impugnat, quindecim ex illis conficiens argumenta, tribus integris libris de ſtatu puræ naturæ, vt teſtatur P. Annatus, lib. 5. cap. 10. Verum vt ibi probat hic Author nullus eſt verſus in tota illa teſtimoniorum farragine, in quo Auguſtinus, vel formalibus, vel æquivalentibus verbis affirmet impoſsibilem eſſe ſtatum puræ naturæ: vel non potuiſſe Deum abſoluta ſua potentia condere hominem aut Angelum in ſtatu quodam medio inter peccatum & dona ſupernaturalia. Reliquis vero omiſsis, vnũ proponam, quia difficultatem habet.

131 Sic igitur arguit Ianſenius. Dogma Pelagianorum fuit, parvulos in ſtatu puræ naturæ creari ſine virtute & vitio: debere tamen baptizari, non quidem ad remiſsionẽ peccati, ſed ad adeptionem in filios Dei, & adeptionem regni cœlorum; contra quos Auguſtinus continuo vrget: ſi parvuli peccatum non habent, non poſſe Deum illis negare adeptionem & regnum, etiam ſi ſine baptimo decedant: quia ſola peccata inter Deum & hominem ſeparant, & vbi peccatum non adeſt, ne-

ceſſe eſt vt adſit ſanctitas & iuſtitia hominem conſtituens filium Dei adoptivum & regni æterni heredem: ergo ex mente Auguſtini nõ potuit homo condi à Deo in pura natura, id eſt ſine gratia & ſanctitate tribuente ipſi ius ad vitam æternam. Aſſumptum probatur ex lib. 3. contra Iulianum cap. 12. *Quæ iuſtitia quæſo, à Regno Dei, & à vita Dei alienatur imago Dei in nullo tranſgreſſa legẽ Dei?* Sentit ergo Auguſtinus Deum fore iniuſtum, ſi pueris carentibus peccato negaret Regnum ſuum: & quia de fide eſt, neminem poſſe intrare in Regnum Dei, niſi renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto; hinc deducit propterea pueros indigere baptiſmo, quia habent peccatum originale, à quo per ipſum mundentur. Et lib. 5. contra Iulian. cap. 11. poſtquam dixit, pueros decedentes ſine baptiſmo in æternum alienandos à Regno Dei, & ſeparandos à pijs parentibus, etiam ex confeſſione Pelagianorum, ſic ſubiungit: *Hæc iniuſte patiuntur, ſi nullum habent omnino peccatum: aut ſi iuſte, ergo habent originale peccatum.* Idem docet ſerm. 14. de Verbis Apoſtoli cap. 6. *Quæ eſt iſta iuſtitia, quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam neque ſuam, neque de parente tractam? Quid offendit, dic mihi, vt non intret in Regnum Cœlorum, vt ſeparetur à ſorte Sanctorum, vt ſit exul à Societate Angelorum? Quare vel parua pœna infligitur innocenti, in quo nullum inuenitur omnino peccatum?* Sentit ergo naturæ innocenti debitum eſſe Regnum Cœlorum: ergo, quia repugnat naturæ rationali creari quin ordinetur ad Regnum Cœlorum, ſeu ad claram Dei viſionem.

132 Reſpondeo Auguſtinum diſputantem cum Pelagianis ſupponere tanquam quid inter ipſos indubitatum, finem ad quem Deus condidit hominem, eſſe vitam æternam, per claram Dei viſionem: nam cum Pelagiani dicerent hominem viribus proprijs poſſe conſequi vitam æternam, clare ſupponebant ad illam tanquam ad finem fuiſſe a Deo conditũ: idque ipſum ſupponebat Auguſtinus contendens hominem ſine gratia Dei non poſſe pervenire ad illius finis cõſequutionem. Hoc autem ſuppoſito, recte concluditur, baptiſmum non eſſe neceſſarium ſi ſemel pueri non habent peccatum originale: nam cum ſupponatur creati propter vitam æternam, nequeunt ſuo fine à Deo privari, niſi propter culpam, vnde ſi hac carerent, etiamſi non baptizarentur, Deus teneretur illis conferre Regnum Cœlorum. Sapiens namque, & omnipotens Gubernator nequit homini innocenti negare, aut media neceſſaria ad finem conſequendum, ad quem illum ſuo decreto deſtinavit, aut ipſius finis immediatam conſequutionem, ſi media negavit. Deum vero deſtinaſſe homines ad vitam æternam, tanquam ad finem, ſupponit ibi Auguſtinus vt rem etiam apud Adverſarios notam: quod deinde ſuadetur, quia ibi ſupponit eſſe pœnã in parvulis privari Regno Cœlorum, vt conſtat ex illis verbis: *Quare vel parua pœna, &c.* Non foret autem pœna, niſi eſſent deſtinati ad regnum illud, ſicut non eſt pœna in ruſtico privari cetro & corona ad quam nunquam fuit deſtinatus: ergo ſupponit eos fuiſſe deſtinatos ad Regnum Cœlorũ.

133 Quare Pelagiani etſi dicerent, parvulos naſci ſine peccato, & ſine gratia, tamen ſupponebant, eos deſtinatos eſſe à Deo ad beatitudinem ſupernaturalem ex intentione & promiſsione divina, & cum mediis ſufficientibus ad illam conſequendam, quin ſtaret per Deum, ſed per creaturas, quominus illam obtinerent: ideoque aiebant Deum providiſſe parvulis baptiſmum, vt per illud aſſequerentur gratiam adoptionis, qua mediante pervenirent ad regnum, nullaque erat alia differentia quoad hoc inter Pelagianos & Catholicos, niſi quod iuxta iſtos *parvuli naſcuntur in ſtatu naturæ lapſæ, iuxta illos vero in ſtatu naturæ puræ.*

134 Vnde Auguſtinus non arguit, parvulis deberi gratiam adoptionis, & Regnum Cœlorum, præciſe ex terminis naturæ innocentis relictæ in ſua conditione naturali, ſed ex terminis naturæ innocentis, ſuppoſita providentia ſupernaturali deſtinante homines ad finem viſionis Dei, niſi peccatum actuale, vel originale impediat eius aſſecutionem.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA:

AN HOMINI CONDITO IN PVRA NATVRA DEBITA ESSET VIRTVS OMNINO SVBIICIENS appetitum rationi?

1 ITA scilicèt vt appetitus sensitivus non posset ferri in obiectum suum, nisi ex imperio voluntatis, nec erumpere in motus indeliberatos circa suum obiectũ. Negat communis sententia Theologorum apud P. Suarez Prolog. 4. pe grat. cap. 2. num. 9. & apud Bellarm. lib. 1. de statu primi hom cap. 5. & apud P. Vazq. 1. 2. disp. 138. cap. 1. vbi affirmat se nullum legisse Theologum, qui asserat in pura natura nullum omnino futurum fuisse fomitem, sed omnem, quem habemus, ex peccato processisse. Affirmat tamen Iansenius apud Martinon in Anti Iansenio, disp. 1. sect. 2. Baium secutus. Et post Iansenium Kosende d. 5. de Iustitia orig. à num. 31.

SECTIO PRIMA.

Ostenditur ex Bulla Pontificum contra Baium & ex Augustino, non esse debitũ homini innocenti omnimodam subiectionem appetitus ad rationem.

2 PRobatur primo, nam hæc propositio: *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, damnata est contra Baium in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. quam etiam confirmavit Vrbanus VIII. & erat propositio 55. ergo vera est opposita propositio, nempe Deum potuisse condere hominem obnoxium concupiscentiæ, ignorantiæ, & morti, sicut nunc nascitur. Quisnam fuerit Pontificum sensus explicuit optime Academia Lovanienſis, quæ redarguens Baium, & sensum Bullæ aperiens, inquit: Talis fieri potuit, qualis nunc nascitur, non quod peccator aut vitiosus, pravusque, qualis nunc nascitur, institui à Deo potuerit, sed quia corpore quidem fragili, & mortali, animo vero tardo, hebeti, atque ad percipiendum veritatem difficili, facili autem ad errorem & in voluptatem, seu sensuum oblectamenta labili, & pronо. Ita refert Franciscus Bonæspei tom. 2. d. 2. dub. 8. num. 159. apud quem etiam Academia Duacensis Baium carpens inquit: *Quasi vero peccasset Deus, si primum hominem creasset claudum, monoculum, cæcum, &c.*

3 Probatur rursus ex alijs duabus propositionibus Baij in eadem Bulla damnatis: *Integritas primæ creationis non fuit in debita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis eius conditio* quæ est propositio 27. *Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine iustitia naturali.* Quæ est propositio 79. Ex qua Pontificum decisione satis constare videtur, iustitiam originalem, quæ appetitum primi parentis ita subijciebat rationi, vt non posset prodire in motum aliquem erga obiectum prohibitum sine voluntatis imperio, fuisse supernaturalem. Vnde Card. Bellarminus lib. de grat. primi hom. cap. 5. in fine postquam authoritate Scholasticorum probaverat; integritatem illam primi hominis, vi cuius ante peccatum appetitus omni fomite, & rebellione carebat, eratque omnino subiectus rationi, esse donum supernaturale & indebitum naturæ, sic concludit: Denique nescio quomodo possit vllus hoc tempore Catholicus dubitare, fuerit ne primi hominis integritas naturalis, an supernaturalis; cum duo Summi Pontifices Pius V. & Gregorio XIII. articulum illum damnaverint: integritas primæ conditionis, &c. Quare in illa propositione Pontifices non solum declararunt, esse indebitam naturæ humanæ integritatem gratiæ habitualis, & charitatis supernaturalis infusam primo homini, per quam eius voluntas subijciebatur Deo, sed integritatem iustitiæ originalis, vi cuius inferiores partes animæ superioribus voluntatis imperio ad nutum serviebant, quin absque illo pro illo statu posset magis moveri appetitus, quam pes vel manus.

4 Probatur secundo ex Augustino lib. 4. contra Iulianum. cap. vlt. vbi expendens illa verba Genes. 3. Quis indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, nec comederes, comedisti, *sic ait*: quid est gustato cibo pro-

hi-

,, hibito, nuditas indicata, nisi peccato nuda-
,, tum quòd gratia tegebat: gratia quippe Dei
,, magna ibi erat, vbi terrenum, & animale
,, corpus bestialem libidinem non habebat.
,, Qui ergo vestitus gratia non habebat in nu-
,, do corpore quod puderet, spoliatus gratia
,, sensit quod operire deberet. Nimirum exper-
tus est motus inordinatos, quos ante peccatum non experiebatur, quia donum gratiæ originalis tanquam frænum appetitum reprimebat ne in eos motus erumperet; amisso autem per peccatum eo freno, natura sibi relicta in eos motus prosilivit.

5 Idem docet lib. 15. de civ. cap. 13. *Postquam præcepti transgressio facta est, gratia deserente diuina, de suorum corporum nuditate confusi sunt.* Nimirum ob motus indeliberatos, quos tunc experiri cæperunt. Ergo omnimoda subiectio appetitus ad rationem non est debita naturæ. Idem constat ex lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 11. vbi subiectionẽ appetitus ad rationem, qua fruebantur primi parentes ante peccatum, tribuit gratiæ illis verbis: *Mox vt præceptum trãsgressi sunt, intrinsecus gratia deserente, omnino nudati in suã membra oculos coniecerunt.* Confirmatur: nam vt inquit idem Augustinus lib. 4 cõtra Iulianum cap. 13. *Mala est inobedientia libidinis, quæ aduersus hominis inobedientiam, quam in ligno admisit, Deo deserente, surrexit.* Ergo ante peccatum erat effectus gratiæ omnimoda obedientia appetitus ad rationem: ac proinde peccatum indixit rebellionẽ, non quidem directe, sed indirecte, & per modum removentis prohibens, vt communiter docent Scholastici cum D. Thom. 1, 2. q. 82. art. 1. ad tertium, quatenus peccatum removit iustitiam originalem, quæ rebellionẽ, & motus etiam indeliberatos impediebat.

6 Probatur quarto: quia Adamus ante lapsum, ita habuit appetitum subditum rationi, vt voluntas in illum haberet dominiũ despoticum, quia pro eo statu non moueretur appetitus nisi ad nutum & imperium voluntatis, vt docet August. serm. 12. de verbis Apost. cap 3. & lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 17. & lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia, cap. 1. & 24. & lib. 2. capit. 7. Item lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum, cap. 42. & 45. & lib. 14. de civ. cap. 26. vbi supponens in statu innocentiæ, si duraret, propagandos fuisse homines per generationem, subdit: *Absit, vt suspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis motu mouerentur ea membra, quo cætera, & sine ardore & illecebroso stimulo cum tranquillitate animæ & corporis.* Et demum lib. 1. operis imperfecti cap. 67. vbi post multa sic concludit: *Remanet igitur vt si libido ibi esset, ita esset subdita voluntati, vt rectam, quietamque mentem, neque ad delictum traheret, neque ad prælium prouocaret, & spiritum obedientem Deo, ac fruentem Deo, neque peccare, neque pugnare compelleret, quæ nunc talis non est, sed ipsa licita, inhianter, non temperanter appetit.*

7 At naturaliter non habet voluntas dominium despoticum supra appetitum, sed politicum, quod permittit appetitum habere aliquem motũ sine imperio rationis, vt ex Aristotele docet D. Thom. 1. 2. q. 17. artic. 7. corpore, vbi inquit: *Contingit quandoque quod motus appetitus sensitiui subito concitatur ad apprehensionem imaginationis, vel sensus, & tunc ille motus est præter imperium rationis:* vnde Philosophus dicit 1. Polit. cap. 3. *Quod ratio præest irascibili, & concupiscibili, non principatu despotico, quod est Domini ad seruum sed principatu politico & regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio.* Ergo non est naturale ita appetitum subdi rationi, vt nihil omnino possit appetere nisi ex imperio eius. Quod etiam ex alijs Patribus confirmatur: ex Chrisost. Hom. 29. ad populum: *Concupiscentiæ radix habet à natura principium.* Ex Ambros. lib. 1. officiorum ca. 21. *Irasci est naturæ.* Ex Basil. lib. de Virginit. *Naturalis ad gulositatem, aut scortationem appetitus titillat.*

8 Vnde sicut homini debitum non esset in pura natura, ne erraret in his, quorum scientiam non haberet, vt docet D. Thomas 1. p. q. 94 a. 4. ad quintum; ita neque debitum esset ei, ne per actum appetitus ante imperium voluntatis ferretur in obiectũ delectabile prohibitum. Cum enim appetitus delectabilitatẽ obiecti cognoscat, & malitiam non percipiat, necesse est, vt afficeretur erga obiectum delectabile sibi occurrens, antequam ratio evigilans dictaret esse prohibitum.

9 Vnde P. Suarez, lib. 3. de opere sex dierum cap. 12. num. 4. omnino certum existimat, hanc perfectionem fuisse datam homini in principio creationis, vt quandiu non peccaret mortaliter, sentire non posset, præuenientes motus inferioris appetitus rectæ rationi aduersos, multoque minus subsequentes rationi iam imperanti repugnantes. Et propterea Augustinus lib. 14. de civit. cap. 15. aiebat; *quod peccatum damnatio secuta est,* talis-
,,que damnatio, vt homo, qui custodiendo mã-
,,datum futurus fuerat in carne spiritualis, fie-
,,ret etiam in mente carnalis.

10 Quare omnimoda carentia fomitis, nequit esse connaturalis naturæ quantumvis innocenti; & ideo in B. Virgine [illegible]

singularis prærogativa distincta à præservatione peccati originalis; cum enim in carne hac mortali Deum homo non videat neque actu semper possit esse in actuali cõsideratione æternorum, quæ animum avellant à cogitatione sensibilium, nec possit per se omnes occasiones prævenire, ne appetitus excitetur prius quã ratio vigilet: impossibile videtur vt absque speciali auxilio, & supernaturali providentia possit præservari ab omni motu appetitus contra rationem.

11 Imo P. Suarez, lib. 3. de opere sex dierum cap. 12. à num. 18 iustitiam originalem, per quam Adami appetitus omnino subiectus fuit rationi, partim per intrinsecos habitus & actus, partim per specialem providentiam, & protectionem Dei necessario explicandam esse censet: nec posse consistere in simplici aliquo habitu residente in solo appetitu sensitivo, vel in sola voluntate: nam per illum habitum nequit appetitus sensitivus determinari ad nõ appetendum contra rationem: siquidem non obstante illo habitu manet in appetitu inclinatio naturalis ad obiectum, seu bonum contrarium obiecto talis habitus, manet etiam virtus ad eliciendum actum circa tale obiectum: & habitus ille nequit impedire ne tale obiectum occurrat phantasiæ, vel ne oblatum moveat appetitum: ergo se solo nequit appetitum refrænare, ne eliciat actũ concupiscendi bonum delectabile: & multo minus id poterit, si resideat in sola voluntate, & non immutet immediate ipsum appetitum.

12 Quare, vt ibi docet Eximius Doctor, ad statum innocentiæ, & iustitiæ originalis constituendum, requirebatur perfectio in multis potentijs, in ratione ad considerandum, & iudicandum seu imperandum conveniente; in voluntate ad sequẽdam rectam rationem delectabiliter, & ad movendum appetitum fortiter, & in ipso appetitu ad obediendum prompte; & cum vnus simplex habitus non posset omnes has potentias intrinsece perficere; fit inde, statum iustitiæ originalis multiplicem habitum comprehendisse & insuper specialem Dei providentiam. Si ergo adhuc supposito multiplici habitu supernaturali, necesse est recurrere ad specialem Dei providentiam, vt appetitus insurgere non posset contra rationem, vel sine eius imperio moveri; id à fortiori erit necessarium, si natura ipsa hominis existat in puris naturalibus.

)(()(

SECTIO SECVNDA.

Refellitur ex dictis vt absurda Recentis Scriptoris opinio.

13 Hinc mirari satis non possum Pat. Rosende animositatem, qui d. 5. num. 45. rotunde, & sine vlla explicatione, affirmat hanc propositionem: *Deum non potuisse primo condere & creare hominem qualis nunc est, & nascitur, esse catholicam, & securam, nec vllo pacto ab Ecclesia damnatã.* In primis enim quoad factum ipsum hoc pronuntiatũ est aperte falsum; certum enim est, illam esse vnam ex propositionibus Baij damnatis à tribus Pontificibus: ergo negari nequit esse aliquo pacto damnatam, sive ob censuram, sive ob scandalum, sive ob doctrinam. Deinde hoc huius Authoris asserendum non est: nam si illa propositio catholica & secura est; ergo Pontifices eam damnantes damnaverũt propositionem catholicam, & securam, ac proinde erraverunt.

14 Maiori autem admiratione dignum est, quod Author iste disputationem integram insumit in examine illius propositionis, nempe disputationem 7. cuius titulus est: *An Deus hominem creare potuerit, qualis nunc est, aut nascitur,* & nullum detegit sensum, in quo possit esse falsa; sed potius cum quatuor enumeret illius significationes, in omnibus contendit esse veram per totidem conclusiones. In primis enim certum est, Deum non potuisse producere hominem sub peccato qualis nunc nascitur; in quo sensu manifestum est non fuisse locutos Pontifices, quia in eo propositio Baij, sine errore negari non poterat. Hoc statuit in 1. concl. Deinde in secunda ipse certum putat, Deum non potuisse producere hominem cum appetitu rebelli erga rationem, qualis nunc nascitur. Deinde in tertia conclusione probat Deum non potuisse creare hominem cum moribus concupiscentiæ, quos filij Adam experiuntur. Denique in quarta statuit, nihil quod nunc in homine pœnale est, & à peccati rẽdice descẽdens, potuisse illi ab initio & ex vi suæ conditionis convenire. Ergo iuxta hunc Authorem illa propositio damnata à tribus Pontificibus in omni sensu est vera. Errarunt ergo illi damnantes propositionem, quæ in omni sensu est vera.

15 Frigidaque est evasio huius authoris, qui cum illa disp. 7. num. 26 sibi opposuisset Bullam Pontificum damnantem illam propositionem, respondet: *Non omnes, propositiones Baij, & Baionorum damnari à tribus illis Summis Pontificibus secundũ substantiam, quia maior earum pars, inquit, sunt aper-*

apertissima asserta Diu. Augustini, quæ ab Ecclesia damnata esse, nemo audebit effutire, cum contineant præcipuam eius doctrinam de gratia Christi sanativa, & medicinali: damnari autem plurimas ob acres, & aculeatas censuras, quibus à Baio inuruntur propositiones oppositæ, quæ tamen à Theologis non inferioris calculi propugnantur, inter quas vnam esse constitutam propositionē 55. à validissimo agmine nouiorum Theologorum in amplexus vocatam. Hæc ille.

16 Frigida, inquam, est hæc solutio, quia etsi aliquæ propositiones Baij non sint damnatæ ob doctrinam, sed præcise ob censuram, vt affirmat P. Vazq. 1. 2. d 195. c. 4. de propositione 34. certum tamen est plurimas esse damnatas ob doctrinam, vt demonstrat Ripalda d. 1. sect. 2. At propositio illa 55. nullam censuram continet contra Authores oppositæ sententiæ, quia in illa solum simpliciter Baius affirmat, Deum non potuisse talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur: ergo nullatenus damnata est propter censuram: ergo vnicè propter doctrinam. Ergo Rosende contendit esse in omni legitimo sensu veram propositionem, quam tres Summi Pontifices damnaverunt vt falsam.

17 Rursus impingit hic Author in illa quarta conclusione in propositionem 78. Baij damnatam ab eisdem Pontificibus: nam hominem esse mortalem nunc pœnale est, vt constat ex Apostolo dicente: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Et definitum est Tridentino Sess. 6. At vt hic Author affirmat, ea disput. 7. numer. 25. *Nihil quod nunc in homine pœnale est, & à peccati radice descendens, siue pertineat ad ordinem naturalem, siue ad supernaturalem, potuit illi ab initio, & ex vi suæ conditionis conuenire.* Ergo iuxta hunc Authorem Deus non potuit hominem mortalem condere, seu necessitati moriendi obnoxium. Hoc autem damnatum est in Bulla contra Baium, cuius propositio 78. ita habet: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

18 Videtur autem hic Author doctrinam illam à Iansenio hausisse, qui tom. 2. lib. 3. de statu puræ naturæ, capit. 1. & 6. expresse affirmat, neque mortem, neque vllum qualecumque malum inferri posse creaturæ rationali sine culpa. Quæ doctrina falsissima est, nam vt optime probat Bellarminus lib. 6. de Amiss. grat. capit. 5. afflictiones huius vitæ non inferuntur proprie ac directe parvulis in pœnam originalis peccati, sed consequuntur naturam humanam originali iustitia spoliatam: nam alioquin similia passi fuissent homines, si in puris naturalibus conditi essent: quemadmodum similia patiuntur animalia rationis expertia, non aliqua culpa sua, sed ex conditione naturæ.

19 Deinde falsitas illius doctrinæ constat, quia certissimum est, B. Virginem mortuam fuisse, deinde de fide est eam nunquam actualiter peccasse adhuc venialiter, vt definitum est in Tridentino Sess. 6. Can. 23. Præterea infra certitudinem fidei certum est eam non contraxisse culpam originalem, vt constat ex festiuitate Immaculatæ Conceptionis ab Ecclesia celebrata, cuius festivitatis obiectum esse sanctificationem Virginis in primo animationis instanti, declaravit Alexander VII. cum enim certum sit, Ecclesiam non posse publico cultu celebrare vt sanctum, quod immundum fuit, necessaria consequentia deducitur B. Virginem Sanctam fuisse in primo Conceptionis instanti: ergo certum est B. Virginem non esse mortuam in pœnam vllius peccati; ergo mortua est ob conditionem naturæ humanæ, quæ ex se morti obnoxia est. Ergo *falsissimum* est, mortem aliasque pœnalitates non posse à Deo infligi naturæ rationali sine culpa.

20 Deinde est aperte falsum, & vt videtur à Iansenij turbido fonte hausum, maiorem partem harum propositionum, quas Pontifices damnarunt, esse apertissima D. Augustini asserta; inde enim sequeretur plurima asserta D. Augustini, eaque continentia præcipuam eius doctrinam de gratia Christi sanativa, & medicinali, esse ab Ecclesia damnata, quod absque iniuria Sedis Apostolicæ dici non potest.

21 Modo componamus hanc responsionem cum responsione Iansenij ad eandem obiectionem, & videbimus non sine fundamento à nobis dici, Par. Rosende eam doctrinam hausisse à Iansenio, vel in discurrendo miram habuisse cum illo sympatiam hac in parte. Igitur Iansenius lib. 3. de statu puræ naturæ cap. vltimo, vt refert Anti-Iansenius disp. 13. sect. 15. sic ait: „Supereſt obiectio, quæ ex Bulla duorum Summorum Pontificum sumitur: nam „ibi damnatur iste articulus, Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis „nunc nascitur, nunc autem nascitur cum ignorantia, concupiscientia, mortis, & omnium „earum, quas experimur, miseriarum necessitate: ergo ab initio nullo peccato præcedente, talem Deus creare potuisset. Non igitur „hoc repugnat iustitiæ Dei. Et post aliqua interiecta addit: Quid ergo ad propositionem, „quam prescripsit Apostolica sedes? Hæreo, „fateor. Sed quid ad doctrinam Augustini clarissimam constantissimamque, quē toties probavit, & sequitur sequēdāque monuit Ap. Sed à

Atque ibi Ianſenius, vt refert Bonaſpei loco ſtatim citando, ſicut ſibi verendum eſt, ne doctrinam propoſitionum damnatarum à Pontificibus aſſerendo, in duorum Pontificum decretum impegiſſe videatur: *Ita multo magis Aduerſarijs formidandum eſſe, ne eam negando Sedem Apoſtolicam præſentius & periculoſius in ſeptem Pontificibus lædant. Nam poſtquam Apoſtolica ſedes per nouem, partim Sanctiſſimos Pontifices ſuos* (quos ibi recenſet) *D. Auguſtini tanquam Magiſtri optimi cœleſtem doctrinam aduerſus Pelagianam hæreſim imploranit, probauit, laudauit, & ita ſuam fecit, vt de fide fluctuantes ad eius ſcripta mitteret, ex quibus diſcerent, quid Catholica ſequatur, & aſſeruerit Eccleſia: profecto nefas eſt, totius doctrinæ contra Pelagianos exaratæ, baſes in controuerſiam reuocare.*

22 Itaque Ianſenius plane docet illam propoſitionem 55. in Bulla reprobatam eſſe vnam ex baſibus ab Auguſtino ſtabilitis contra hæreſim Pelagianam, & contendit eam fuiſſe à nouem Pontificibus approbatam: vt inde deducat, vel erraſſe Pontifices damnantes propoſitiones Baij, vel eas non damnaſſe propter doctrinam, ſed ob alias cauſas. Ne igitur palam & impudenter diceret, eos erraſſe, affirmat Pontifices illam propoſitionem damnaſſe nõ vt falſam, ſed vt pacis perturbativam: *Multæ quippe doctrinæ* (inquit) *ſubinde magis ſua nouitate, quam falſitate perturbant. Cum ergo cernerent, hanc propoſitionem, Deus ab initio talem potuit creare hominem, qualis nũc naſcitur, communi Scholaſticorum conſenſu certo ſenſu receptam eſſe in Scholis, ne contraria liteſ offenſiones, & ſcandala gigneret, ſicut iam ipſa Bulla teſte generare cœperat, eam tantiſper vetandam cenſuerunt non tanquam falſam, ſed tãquam pacis inimicam, ſubiungitque nũc tam aperte à ſe demonſtratum fuiſſe illam eſſe B. Auguſtini ſententiam vt offenſionis periculum nullum amplius ſit.* Hæc ille.

23 Contra quem ſic infero: ergo iuxta Ianſenium illa propoſitio tanquam baſis principalis doctrinæ Auguſtini contra Pelagianos approbata fuit à nouem pontificibus, ac proinde erat de fide: ergo Pius V. & Gregorius XIII. & poſtea Vrbanus VIII. qui poſt longum examen, & maturam diſcuſſionem damnarunt, vt ſcandaloſam, & in Eccleſia Dei non tolerandam propoſitionem illam 55. damnarunt propoſitionem de fide, & doctrinam fundamentalem Auguſtini contra hæreſim Pelagianam, nec tantiſper tantum, vt Ianſenius dicit, ſed conſtitutione in perpetuum valitura, vt ex ipſa Bulla oſtendimus diſput. ſect. 1. Ergo in denſiſſimis tenebris iacuit tota Eccleſia per quingentos annos ab Scholis reijciens doctrinam ab Auguſtino aſſertam, & a tot Pontificibus approbatam, donec nova illa lux Ianſenij mundo oborta eſt, qui tenebras depulit, quas Eccleſiæ lumina Divus Thomas, & Div. Bonaventura, & omnes Scholaſtici patiebantur, exiſtimantes contra doctrinam Auguſtini, & totius Eccleſiæ, hominem potuiſſe a Deo condi obnoxium concupiſcentiæ, ignorantiæ, & mori, aliiſque ærumnis. Quis nõ videat hæc ſine aperto errore devorari non poſſe?

24 Falſum itaque eſt, illam propoſitionem eſſe Auguſtini, vt probant Pat. Annatus lib. 5. capit. 3. Anti-Ianſenius diſp. 13. ſect. 15. Ripalda diſput. 1. ſect. 2. num. 11. & diſput. 12. ſect. 1. atque Franciſcus Bonæſpei, tom. 2. diſputat. 2. dub. 8. Deinde eſt omnino certum, illam propoſitionem, etſi gratis permitteretur eſſe Auguſtini, non fuiſſe ab Eccleſia approbatam. Vt enim demonſtrat Anti-Ianſenius diſputat. 12. ſect. 6 non omnia, quæ ſcripſit Auguſtinus de Grat. & liber. arbitr. contra Pelagianos ſpecialiter approbata fuerunt à Sede Apoſtolica, ſed tantum certa quædam puncta, quæ continentur in Epiſt. Celeſtini Primi ad Epiſcopos Galliæ, quæ habetur ad finem ſeptimi tomi operum Auguſtini, vel in Canonibus Concilij Araſicani, de quibus nulla eſt nunc controuerſia inter Catholicos, ſed ab omnibus certo tenentur, inter quæ non numeratur dogma de impoſsibilitate ſtatus puræ naturæ, nec illud, quod continetur in ea propoſitione 55. damnata contra Baium.

25 Quare ſi illa propoſitio fuiſſet Auguſtini deferendus eſſet hac in parte Sanctus Doctor, vt ſequamur deciſionem Eccleſiæ, quæ illam propoſitionem damnavit. Si enim Auguſtino dicere licuit libro contra Epiſtolam fundamenti, cap. 5. *Ego Euangelio non crederem niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas:* multo potius cuilibet Catholico dicere licebit: *Auguſtino non crederem niſi me Eccleſiæ Catholicæ doceret authoritas.* Et quamvis non ſtaret contra illam propoſitionem authoritas Eccleſiæ illam damnantis, ſatis eſſet, eam eſſe contra communem aliorum Patrum, & Doctorum, ne illam amplecti deberemus; vt enim optime notat Pat. Suarez Prolog. 6. cap. 6. etſi tanta ſit Auguſtini authoritas, vt non tantum in rebus, quas certas exiſtimat, ſed etiam in omnibus his, quæ ſimpliciter, & tanquam probabiliora conſtanter, & vbique amplectitur, ſententia eius proferenda ſit; non tamen cum maiori Patrum, aut Eccleſiæ authoritas obſtare videtur.

26 Et vt inquit Pat. Stephanus de Chamslib. 3. disp. 5. cap. 6. num. 16, si Augustinus ex vna parte solus staret, contrariam vero alij omnes, vel longe plures Ecclesiæ Doctores amplecterentur, his ego me adiungerem, quia in conspiranti Patrum consensu diuinam ineile authoritatem Catholici arbitrantur. Nec vllus est omnino syncere Christianus, qui Vincentio Lyrenensi non subscribat, ita affirmanti lib. contra Hæreses cap. 39. *Patribus hac lege credendum est, vt quidquid vel omnes, vel plures, vno eodemque sensu, manifeste, frequenter, perseueranter, tenendo, tradendo affirmauerint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quidquid vero, quamuis ille sanctus & doctus, quamuis Episcopus, quamuis Confessor, & Martyr præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & occultas, & priuatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis sententiæ authoritate secretum sit.*

27 Iam vero quod communis Doctorum Scholasticorum consensus post D. Thomam teneat hominem potuisse à Deo condi qualis nunc nascitur, id est obnoxium concupiscentiæ, ignorantiæ, morti, &c. Fatetur ipse Iansenius. Quod vero communis consensus Patrum id ipsum doceat, ostendit Ripalda, d. 12. Vnde patet P. Rosende hæc non aduertisse, cum tantopere contendit in nullo sensu esse falsam propositionem illam 55. quam Ecclesia contra Baium damnavit, & deceptum fuisse speciosa illo titulo, quem Ianseniu Calvinum imitatus suis dogmatibus præfixit, nimirum illa esse Augustini summi Ecclesiæ Doctoris doctrinam, cum tamen longissime distet Ianseni tenebræ à tanti solis luce. Nō miror hunc Authorem defendere, donū iustitiæ originalis, quatenus præcise subijciebat appetitum rationi, & rebellionem remouebat, esse connaturale & debitum naturę innocenti, neque potuisse Deum sine hac iustitia & rectitudine naturali hominem condere: id enim improbabile non est: sed hoc vehemēter miror, nullū inuenisse sensum legitimū, in quo sit falsa propositio, quę licet nullā censurā contineat contra doctrinā oppositā, dānata est ab Ecclesia per tres Summos Pontifices.

28 Hoc enim est approbare propositionem in eo sensu intellectam in quo illam intellexit Baius: quod videtur clare opponi Bullæ Pontificum, qui postquam catalogum appenderunt illarum propositionum, immediate subiungunt: *Quas quidem sententias stricto corā nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto substineri possent, in rigore & proprio verborum sensu, hæreticas erroneas, suspectas, temerarias, scandalas, & in pias aures offensionem immittētes, respectiuep præsentium authoritate damnamus.* Ex quibus verbis constat, quod etsi aliquę propositiones ex illis possent vtcumque in aliquo sensu substineri, non tamen in proprio, & rigoroso & ab authore intento: at iuxta Rosende propositio illa 55. in rigore & proprietate verborum, & in in sensu intento à Baio est vera, siquidem nullum proprium sensum in ea agnoscit, in quo sit falsa: ergo sententia huius Authoris ex diametro videtur pugnare cum Bulla Pontificum.

SECTIO TERTIA.

Examinātur fundamenta, quibus Ianseniu contendit concupiscentiam non esse connaturalem homini innocenti.

29 HÆC proponunt Ripalda disp. 9. s. 3 & Anti Ianseniu disp. 13. sect. 9. vt autem ea Ianseniu conficiat lib. 2. de statu puræ naturę cap. 11. supponit controuersiam inter Augustinum & Pelagianos circa concupiscentiam in eo fuisse positam, quod isti vellent concupiscentiam esse naturaliter bonam, seu naturale bonum, & à Deo profectum, è contra vero Augustinus affereret, concupiscentiam esse malam, & non potuisse à Deo ortum trahere, sed vnice à peccato naram esse, quod probat multis Augustini testimonijs. Nobis pro nunc sufficiant Augustini verba, qui postquam lib. 3. contra Iul cap. 21. retulit hæc verba Iuliani: *Concupiscentiæ naturalis, qui modum tenet, bono bene vtitur: qui modum nō tenet, bono male vtitur: qui autem etiam ipsum modum Sanctæ Virginitatis amore contēpserit, bono melius non vtitur.* Sic statim subiungit: *Ego vero sic ad tua ista resp. concupiscentiæ carnalis, qui modum tenet* (videlicet ea vtendo in sancto Matrimonio) *malo bene vtitur: qui vero non tenet, malo male vtitur: qui vero etiam ipsum modū Sanctæ Virginitatis amore contempserit, malo melius nō vtitur.* Et lib. 4. c. 2. alloquens: *Ego* (inquit) *cōcupiscentiam, contra quam pugnas, malum dico; tu bonum; sed pugna malum fatetur, quod ,,linguamētitur.* Et cap. 13. concupiscentiam, ,,vel vt bonum cum defendat error tuus, nescio ,,quemadmodum aduersus illam velut aduersus ,,malum concupiscat spiritus tuus.

30 Probatque hisce locis Augustinus concupiscentiam esse malum, quia bonum est concupiscentiæ resistere, eamque expugnare, & quia malū est quod repugnat bono. Pugnat q; Iul. quia quantūvis concupiscentiā laudet, eā ram-

tacitè vituperat, dum ei reſiſtit, illumque & eius aſſeclas lib. 2. c. 3. vocat impudentiſsimos laudatores, horraturque, nolint malum falſæ laudis addere huic malo. Et hinc impudentiam iſtius laudis perſtringit lib. 2 de nuptijs, cap. 7. *Inter tot nomina bonorum libidinem, vel cõcupiſcientiam iſte non nominat: tacet quia pudet: & mira, ſi dici poteſt pudoris, impudentia quod nominare pudet, laudare non pudet.*

31 Hoc ſuppoſito ſic capit. 13. arguit Ianſenius: impoſsibile eſt, vt hoc ſit naturaliter bonum, & conſequenter à Deo profectum, quod pugnat contra ſpiritum, ſeu contra rectam rationem: concupiſcentia autem, & motus eius, ſive in hoc ſtatu, qui naturæ lapſæ eſt, ſive in ſtatu puræ naturæ, qualem Iulianus, & Pelagiani iſtum præſentem ſtatum eſſe iudicabant, graviſsime pugnat contra ſpiritum & rationem, vt conſtat ex Apoſt. ad Roman. 7. & ad Galat. 5. & ex propria cuiuſque experientia. Ergo impoſsibile eſt, ipſam, & motus eius eſſe naturaliter bonos. Maiorem, quæ ſola probatione eget, probat multiplici Auguſtini teſtimonio, ſuadeturque, nam vt inquit Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum cap. 2. *Malum eſt quod repugnat bono.* Et vt ibidem dicit Iulianum alloquens: *Extirpa* libidinem de membris tuis: non enim tibi neceſſaria eſt, aut bona ſunt eius deſideria, quibus ſi cõſenſeris, vel ceſſeris, *interibis.* Et infra: *Num* poteſt bonũ eſſe deſiderare peccatum? Quid autem agit in carne ſanctorum continentium iſta concupiſcientia, niſi peccandi deſideria, quibus non conſentiẽtes exercẽt glorioſa *certamina*? *Ibique* concludit contra Iulianum, non poſſe concupiſcentiam appellari bonum, niſi adverſus omnẽ veritatis tubam, ſic obſurdueris, vt clames bonum eſſe concupiſcere malum, quod nec inter ſurdos dicere *audebis.* Et ad finẽ illi? capitis ex eo quod non conſentire concupiſcẽtiæ bonum eſt, probat concupiſcentiam malum eſſe: illud, cui non conſentitur, propterea ſine dubitatione malum, quia nõ ei conſentire bonum eſt.

32 Quod ſuadetur etiam ex eodem libro cap. 13. vbi ex 1. Ioan. capit. 2. probat concupiſcentiam non eſſe ex Deo, atque ibi ſumi à Ioanne non præciſe pro luxuria, vt dicebat Iulianus, ſed pro ipſo motu indeliberato inclinante in ipſam: *Duo enim* (inquit) *bona*, quæ à Patre ſunt, inter ſe pugnare non poſſunt; pugnant autem inter ſe cõcupiſcentia & continentia. Cum ergo continentia ſit bonum, reſtat vt concupiſcentia ſit *malum.* Et cap. 14. ad finem, *Ioannes Apoſtolus illam concupiſcientiam non eſſe, dixit, à Patre, quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum, quam nemo poteſt bonam dicere, niſi cuius aduerſus eam non amat concupiſcere ſpiritus.* Et inferius: *Duo* ergo mala ſunt, quorum vnum habemus, alterum facimus, ſi ei non reſiſtimus, quod habemus. Ideo pecoribus malum non eſt concupiſcentia, quia non adverſus ſpiritum concupiſcit, ſed eorum potius oblectat *ſpiritum.*

SECTIO QVARTA.

Reſpondetur ad præcedens fundamentum, & exponitur quænam fuerit controverſia inter Auguſtinum, & Pelagianos de carnis concupiſcentia.

33 ANtequam argumento reſpondeam; noto diverſiſsimam fuiſſe controverſiam inter Auguſtinum, & Pelagianos de carnis concupiſcientia, ac illam, quæ eſt inter Ianſenium & Scholaſticos: nam quoad hanc partem inter ipſos tantum eſt contentio, an libido & concupiſcientia carnis, quam de facto omnes Catholici fatentur eſſe effectum peccati, ita ſit effectus illius, vt nullo modo poſsit convenire homini ſecluſo peccato: in qua quæſtione affirmat Ianſenius, propterea negans poſsibilem eſſe ſtatum puræ naturæ, in quo concupiſcientia eſſet naturalis homini: negant vero communiter Scholaſtici Doctores, aſſerentes quod etſi defacto creatus ſit primus homo immunis à concupiſcientia, id fuit, quia defacto habuit donum ſupernaturale iuſtitiæ originalis, ſine quo creari potuit & ſine quo creatus haberet etiam concupiſcientiam carnis, quæ adverſus ſpiritum pugnaret.

34 At vero principalis controverſiæ Auguſtini cum Iuliano, & reliquis Pelagianis fuit de peccato originali, quod illi contra Eccleſiæ Catholicæ ſenſum negabant in poſteros generatione transfundi. Vt enim teſtatur Auguſtinus in lib. de Geſtis contra Pelagium, cap. 3. & 22. Pelagius aſſerebat infantes nuper natos in eo eſſe ſtatu, in quo fuit Adam ante prævaricationem. Vt autem Auguſtinus hunc errorem debellaret, argumentatus eſt ex innumeris malis, quæ poſteros Adæ affligunt, quæ evenire non poterant naturæ conditæ in tanta fœlicitate, quantam in Paradyſo habuit, niſi in vindictam peccati, & inter hæc mala principaliter obiecit concupiſcientiam, & rebellionem appetitus contra rationem, quam primi Parentes in illo fœliciſsimo innocentiæ ſtatu experti non ſunt. Iulianus vero vt ſe ab hoc argumento liberaret, conſtanter negavit Adamum in Paradyſo expertem fuiſſe illius concupiſcentiæ, aſſerens hanc non eſſe ma-

esse malam homini, sed bonam atque laudabilem, quia eius motibus prevenientibus imperiũ & dictamen rationis, vti potest homo bene, & honeste, nimirum in matrimonio, sicut potest vti sensibus & cibis, quamvis vitio voluntatis eis interdum ab vtatur homo: contra hanc doctrinam valide pugnavit Augustinus in duobus libris de nuptijs & concupiscentia: & in libris contra Iulianum: probans illam concupiscentiam & rebellionem non fuisse ante peccatum in Paradyso, quando Adam & Eva nudi erant & non erubescebant, Gen. 2. sed post peccatum incepisse, quando præ verecundia consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata: vt constat ex lib 2. de nuptijs, cap. 9. & lib. 4. contra Iulianum cap. 5. ac proinde evincit, illam concupiscentiam ortum traxisse ex peccato, quia si Adam non peccasset, & contra Deũ revelasset, nunquam expertus fuisset rebellionem carnis suæ contra spiritum suum. Et hinc sumpta occasione probat Augustinus concupiscentiam non esse bonum, vt constat ex locis supra citatis.

35 Hoc supposito, resp. duplicem esse concupiscentiam, alteram in actu primo, alteram in actu secundo. Prima nihil aliud est quam facultas appetendi, & percipiendi delectationem sensibilem, præsertim illã, quæ annexa est propagationi speciei: quam ideo Author naturæ omni animali dedit, vel quia sine illa nequit generatio sequi, vel quia sine hac esca non inrenderent animalia propagationi speciei. Sic sumptioni cibi author naturæ delectationẽ immiscuit, quia vt inquit Aug. lib. 4. cont. Iulian. c. 14. *Si suauia non sunt, quæ ore sumuntur, nec summi possunt, & nauseando sæpe respuũtur, & pernitiosa sunt cauenda fastidia: non ergo solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.* Idemque proportione servata debet dici de opere Matrimonij. Hæc autem facultas, seu appetitus bonus in se est, & inditus à Deo, & illũ habuit Adamus in statu innocẽtiæ, & post peccatum mansit idem quoad substantiam, quia vel identificatur cum anima vt informante corpus, vel ad illam necessario consequitur: est tamen imperfectum quid, quatenus potest prodire in motus malos contra rationem, sicut ipsa voluntas est imperfecta, quatenus potest peccare. Cõcupiscentia in actu secundo est motus illius facultatis in delectationem: qui motus dum oritur ex imperio rationis ad finem honestum filios procreandi in matrimonio, honestus est, & sic fuit, & aliter esse non potuit, in statu iustitiæ originalis: in statu autem naturæ lapsæ potest sic esse; cui enim licet finis, licita sunt media necessaria & vtilia ad finis consecutionem. Vnde Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 8. de coniugum concupiscentia inquit: *Quæ concupiscentia malum non esset, si sola generandi causa ad licitum concubitum moueretur.* Et lib. 2. de nuptijs idem docet.

36 Dum autem motus concupiscentiæ excitatur cõtra dictamen rationis, etsi indeliberatus sit, est malus homini; licet ei imputabilis non sit ad culpam defectu libertatis; est, inquam malus, quia resistit bono rationis, & spiritus bonus contra illum concupiscit. Vt autem inquit Augustinus, Iulianum alloquens lib. „ 5. cap. 6 Quacumque te verses, quacumque te „ iactes, vndecũque te colligas, infles, spargas, „ contra quod concupiscit spiritus bonus, non „ est bonum. Tum quia inclinat in peccatum & est quædam incohatio illius, vt autem inquit „ Augustinus lib. 6. contra Iulian. c. 15. Quis „ ita sit imprudens atque impudens, ita procax, „ pertinax, pervicax, ita postremo insanus, & „ demens, qui cum peccata mala esse fateatur, „ neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiam si adversus eam concupiscentem „ spiritu, peccata concipere, & parere non sinatur.

37 Cum vero prævenit dictamen rationis, & antequam illa evigiler inclinat in delectationem sensibilem, etiam videtur esse malum, tum quia inclinat ad amandam delectationem sensibilem propter se ipsam; hoc autem est illicitum, etiam in matrimonio, in quo iuxta D. Augustinum lib. 4. contra Iul. cap. 3. & l. 5. cap. 12. est peccatum veniale quærere voluptatem vt finem, vt docent communiter Theologi contra Basilium Pontium lib. 1. de Matr. cap. vlt. Tum quia dum appetitus ante imperiũ rationis, inclinat in delectationem illam, in eam tendit, sive sit licita, sive non, id est eo affectu; vt eodem pacto ferretur, quamvis esset illicita. Vt autẽ inquit Aug. l. 4. cont. Iul. c. 2. *Quod ipsa concupiscentia facit, sive ad licitum, sive ad illicitũ indifferenter ardescere, vtique malũ est.*

38 Ex quibus dico, motum concupiscentiæ prævenientem dictamen rationis, vel ei repugnantem, non esse à Deo vt authore, sed tantum vt à causa prima, in eo sensu, in quo ab ipso est actus peccati. quia licet Deus sit author concupiscentiæ, seu appetitus in actu primo, hunc tamen non condidit vt eliceret motus repugnantes rationi, sed vt huic deserviret ad finem honestum: quia tamen nequit connaturaliter appetitus habere facultatem eliciendi motus iuxta dictamen rationis, quin ex occursu obiectorum habeat etiam facultatem eliciendi illos motus, quando sunt prohibiti; Deus permittit istos eo fine, vt homo ex imperio rationis illos cohibens palmã mereatur: & hoc pacto verificatur illud sapient. *Certamen forte*

dedit illi vt vinceret. Sicut homini tribuit poteſtatem peccandi, vt tribuat occaſionẽ merendi. Vt enim inquit Bernardus lib. de grat. & lib. arb. prope medium: *Soli inter animantia datum eſt homini poſſe peccare ob prærogatiuam liberi arbitrij. datum eſt autem non vt proinde peccaret, ſed vt glorioſior appareret, ſi non peccaret, cum peccare poſſet.* Et ita Trid. Seſſ. 5. definit manere in Baptizatis fomitem concupiſcentiæ ad exercitium virtutis, quia illi repugnare, valde meritorium eſt.

39 Magnum quippe emolumentum elicit Deus ex illa pugna appetitus contra rationem, vt acute & eleganter expendit Auguſtinus lib. 4. contra Iul. cap. 1. his verbis: *Quia in iſta humana miſeria peior hoſtis eſt cauenda ſuperbia, ideo nimirum non pœnitus extinguitur in carne continentium ſanctorum iſta concupiſcentia, vt dum pugnatur aduerſus eam, periculorum ſuorum animus admoneatur, ne ſecurus inflectur, donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perueniat ſanitatis, vbi nulla putredo laſciuiæ, nullus tumor ſuperbiæ formidetur. Sic virtus in infirmate perficitur, quia & pugnare infirmitatis eſt: quanto enim quiſque vincit facilius, tanto pugnat minus. In ſemetipſo autem quis pugnaret, ſi nihil in ſemetipſo ſibi repugnaret? & quid nobis repugnat ex nobis, niſi quod adhuc curatur, vt ſanetur in nobis? Ergo in nobiſmet ipſis ſola eſt infirmitas cauſa pugnandi: & rurſus infirmitas admonitio eſt non ſuperbiendi. Proinde virtus hic vbi ſuperbiri poteſt, vt non ſuperbiatur, in infirmitate perficitur.*

40 Dices, ipſum appetitum & concupiſcentiam in actu primo ſumptã de ſe propendere in motus illos indeliberatos, & in eos neceſſario erumpere: ergo nequit eſſe connaturalis homini, ſed neceſſario ſupponit peccatũ. Reſpondẽo per inſtantiam: nam appetitus ipſe rationalis, ſeu voluntas à Deo eſt vt authore, & tamen poſita vehementi repræſentatione ſenſibilium homini conuenientium, erga illa neceſſario afficitur per ſimplicem complacẽtiam, quæ niſi reprimatur trahit in conſenſum peccaminoſum. Et noſter intellectus ex varia apparientia obiectorum ſæpe vehementer impellitur ad aſſenſum erroneum, & quaſi neceſsitatur, & tamen non propterea Deus eſt author illius complacentiæ, vel iſtius erroris.

41 Dicendum ergo eſt, appetitum illum ſenſitivum nõ propendere innate in motus pravos, quamvis poſita repræſentatione obiecti illos neceſſario eliciat; ſicut nec voluntas, nec intellectus propendent innate in complacentiam pravam, & aſſenſum erroneum, quamvis poſitis quibuſdam circunſtantijs in illos actus neceſſario erumpant. Vnde ſicut Deus nõ eſt cauſa erroris neceſſario eliciti à noſtro intellectu ſub talibus circunſtantijs, & complacentiæ turpis neceſſario reſultantis in voluntate; ita nec eſt cauſa motus turpis, in quem appetitus neceſſario erumpit, poſita repræſentatione vivida ſui obiecti. Sic non eſt cauſa errorum, & peccatorum, in quę neceſſario damnati præcipitantur, ſed tantum concurrit vt author generalis ad eos actus. Sic etiam artifex confíciens gladium ferreum, non eſt cauſa rubiginis, quam decurſu temporis neceſſario contrahit. Quo exemplo vtuntur Sanct. Thomas, & Bellarminus ad explicãdum quo pacto poſsit Deus eſſe cauſa potentiæ appetitivæ, quin ſit cauſa motus turpis, in quem neceſſario erumpit propoſito obiecto delectabili.

SECTIO QVINTA.

Soluitur argumentum deſumptum ex eo quod concupiſcientia ſit materia pudoris.

42 EX hoc capite arguit Ianſ. lib. 2. de ſtatu puræ nat. cap 16. *Nã illa*, inquit, *neceſsitas pudendi propter turpes motus libidinis, ſeu concupiſcentiæ tumultuantis, & rationi, voluntatiſque dominio reſiſtentis, non minus eſſet in illo ſtatu puræ naturæ, ſi poſſibilis eſt, quam in præſenti ſtatu naturæ lapſæ: oritur enim ex illa concupiſcentiæ rebellione aduerſus animum, cui naturaliter pudendum eſt, non poſſe motus corporis, quod ei naturali ordine ſeruire debet, imperio ſuæ voluntatis, ſiue excitando, ſiue ſedendo moderari: quæ rebellio non eſſet minor in puris naturalibus, ſicut Scholaſtici vltro fatentur. Non igitur minor eſſet etiam illius inobedientiæ, & indecentiæ verecundia. Iam vero ſecundũ Auguſtinum impoſsibile eſt, vt homo à Deo cum illa erubeſcendi neceſsitate condatur: ſi enim de illis motibus erubuerit, quid illo ingratius, qui de creatoris ſui operibus erubeſcit? an forte creatura honeſtior eſt creatore ſuo, vt quod creatori non puduit inſtituere, hoc creaturæ pudeat? ſi autem non erubuerit, quid illo impudentius? quis bonus & innocẽs non erubeſcat quod nunc erubeſcunt laudabiliter boni & mali?* Hæc ille. Qui deinceps vtramque partem huius dilematis confirmat multis Auguſtini teſtimonijs, præſertim lib. 2. de nupt. cap. 9. & lib 3. contra Iul. cap. 10. & lib. 4. cap. 16. & lib. 5. cap. 2.

43 In primis Ianſenius hic falſum ſupponit, nempe in ſtatu puræ naturæ futuram fuiſſe tantam appetitus rebellionẽ, quanta modo datur. Etſi enim communior ſententia

Scho-

Scholasticorum hoc teneat, nos disp. sequent. probabimus illam esse falsam. Nam in hoc statu appetitus ita est deordinatus, vt homo magis pronus sit ad malum quam ad bonum. Hic autem ordo nequit esse naturalis, & homini conveniens ex intrinsecis secluſa omni culpa. Quare Augustinus ex tanta rebellione appetitus, quanta nunc datur, recte infert hominem non nasci innocentem, sed cum culpa originali: *Nam non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati*, vt ipse ait lib. 3 de lib. arb. c. 18.

44 Existimoque non sufficienter posse solvi authoritates Augustini ex lib. 1 de peccato originali cap. 35. & 36. & ex lib. 1. de nuptijs cap. 6. & 24. & lib. 2. cap. 7. & lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 17. præsertim vero lib. 5. contra Iulianum cap. 7. non posse, inquam, solvi ab Authoribus asserentibus tantam fore rebellionem in statu puræ naturæ, quanta est in statu naturæ lapsæ. Imo mihi valde probabile est ex mente Augustini, quamvis homo conditus in pura natura haberet motus appetitus ante imperium voluntatis, non tamen habiturum motus rebelles, ideſt efficaciter tendentes in obiectum turpe contra imperium voluntatis.

45 Deinde respondeo ex pudore recte argui malitiam & peccatum defacto; quia cum conditi sint primi parentes in statu iustitiæ originalis omnino compescentis omnem motum concupiscentiæ ante imperium rationis, in quo statu se ipsos nudos sine verecundia aspiciebant; & cum post peccatum statim erubuerint, eam erubescentiam in posteros derivarunt cum privatione iustitiæ originalis. At ex terminis erubescentia illa peccatū non supponit, sed solum supponit imperfectionē quandam naturæ humanæ, quæ cum cognitionem hauriat à sensibus, hoc ipso potest habere motus indeliberatos concupiscentiæ, qui sunt iusta materia erubescentiæ, & pudoris, non quia sint peccatum proprie, neque quia ex terminis peccatum supponant, sed quia continent rebellionem quandam partis inferioris contra superiorem; erubescit enim animus, quod contra rationem, quæ est superior, insurgat corpus, quod natura sua est inferius, vt explicat Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 25.

46 Itaque homo in pura natura cōstitutus erubesceret de motibus insurgentibus contra rationem; non quia illi peccaminosi, & mali moraliter forent, neque quia à peccato provenirent, sed quia contra, vel saltem præter imperium voluntatis insurgerent & essent disconvenientes naturę rationali vt rationalis est, quamvis essent physice convenientes homini secundum quid, ideſt, quatenus habenti appetitum animalem & sensitivum: neque propter rea erubesceret de opere Dei, quia neque erubesceret de membris à Deo creatis, sed de motibus, quos Author naturæ non intendit, neque propter illos produxit appetitum, & respectu quorum se habet præcise vt causa generalis cōcurrens ad exigentiam causarum secundarum; & non vt causa particularis specialiter determinans, vel inclinans ad existentiam eorum motuum.

47 Vnde in pura natura homines ex dictamine rationis corpus suum velarent, sicut modo id præstant etiam Gentiles, qui nihil noverunt de peccato originali; ne nuda corpora gestantes alijs scandalo forent, occasionem eis præbentes concipiendi illicita desideria. Addo, alia esse de quibus homo erubescit, & propter quæ agenda latebras, quærit, quæ à peccato nō fluxerūt, sed in pura natura necessario homini cōvenirent, v.g. purgare ventrē: sicut ergo de illis erubescere nō est erga Deū ingratū esse, aut eū quasi pudendū, quidquā fecerit reprehēdere, sed de miseria & imperfectione naturæ verecūdari; ita erubescere de motibus concupiscentiæ naturalibus, corpusque velare, non est erga Deū ingratum esse, vel eum quasi rei indecentis authorē accusare. Sic etiam ad imperfectionē intellectus humani necessario consequitur, vt sępe homo fallatur sine culpa, & tamen naturale est homini erubescere de errore suo, & deceptione, & tamen dum ista erubescit Deum non culpat.

48 Quamvis autem in pura natura homo erubesceret de concupiscentia; multo tamen minus quam in statu naturę lapsę: tū quia modo concupiscentia ortum duxit ex peccato, quo ex capite est magis erubescenda, tum quia in hoc statu est magis rebellis, & contumax quam foret in pura natura ante omne peccatum, quia tunc faciliter posset ratio motus concupiscētiæ compescere, & appetitū tranquillum reddere.

SECTIO VLTIMA.

Reliqua argumenta.

49 ARguit præterea Ianſ. lib. 2. de statu puræ nat. c. 14. Deum non posse esse authorē concupiscentiæ, quia alioquin creādo concupiscentiā, quæ causa est omnis mali, ipse esset qui creaturam suā adversus honestatē & veritatē impelleret, ipse quantum est ex se in peccandi desideria aperte præcipitaret. Resp. negando seq. quia licet Deus causet concupiscentiā in actu primo ad opera de se licita, & necessaria ad cōservationē individui & speciei, non causat illā ad motus indeliberatos contra rationē; & quāvis ob suā imperfectionē necesse sit vt appetitus quandoque erumpat

in illos motus, eos tamen non intendit Deus, neque ad illos concurrit niſi vt author vniverſalis ex determinatione cauſarum ſecundarum: Nec illos poſſet permittere naturæ innocenti, niſi præberet illi potentiam proximam ad facile reſiſtendum.

50 Dices. Deus foret author peccati, ſi infunderet homini habitum vitioſum inclinantem & facilitarem ad actum peccati, licet illum infunderet ea intentione, vt homo reſiſtens huic facilitati magis mereretur: ergo pariter eſſet author peccati, ſi crearet hominem cum appetitu non ſubiecto rationi. Probatur conſequentia: quia hoc ipſo crearetur homo cum inclinatione ad malum & peccatum, repugnat autem Deo hominem cum tali inclinatione creare. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam Deus infundens illum habitum poſitive tentaret hominē, & impelleret ad peccandum, & non tantum permitteret tentationem. Id autem illi repugnat, ſicut ei repugnat infundere errorem, & decipere hominem; etiā ſi hoc faceret eo fine, vt homo deprehendens errorem humiliaretur & maiori cum ſolicitudine veritatem quæreret. Aliter ſe res habet in appetitu, qui ex ſe non eſt ordinatus ad actum peccati, ſicut habitus vitioſus, ſed potius ex ſe ordinatus eſt ad exercitia honeſta, licet ob ſuam imperfectionē ſit neceſſitatus, vt quandoque eliciat præter intentionem Dei motus indeliberatos inclinātes ad peccandum. Argumentum ſolum probat, Deum nō poſſe vt authorem particularem infundere homini motum inclinantem ad actum peccati, vel motum illum excitare ſine occurſu cauſarum ſecundarum exigentium illam excitationem. Non probat autem non poſſe concurrere ad illum motum ex exigentia cauſarum ſecundarum.

51 Huius ſolutionis veritatem confirmo ex Auguſtino, cuius authoritate præcipue nititur Ianſenius ad ſtatuendam impoſſibilitatem ſtatus naturæ innocentis habentis aliquam rebellionem appetitus cōtra rationem. Nam Auguſtinus lib. 3. de lib arb. cap. 20. expreſſe affirmat, quod etiam ſi ignorantia & difficultas eſſent hominis primordia naturalia, non culpandus, ſed laudandus eſſet Deus. Nomine difficultatis intelligit concupiſcientiam, quæ reddit difficilia virtutis opera, quatenus inclinat ad opera peccaminoſa: ergo ex mente Auguſtini tamen ſi ignorantia & concupiſcentia non eſſent peccati ſupplicia, ſed naturæ primordia, ac propterea à Deo concreata, nō foret culpandus Deus, quaſi peccata hominum eſſent in ipſum referenda: redditque rationem S. Doctor eo cap. 20. quia Deus homini vires, & auxilia præberet, quibus facile poſſet concupiſcentiæ motibus reſiſtere; & ab ignorantia liberari.

52 Nec in ea fuit ſententia Auguſtinus dumtaxat quando contra Manichæos diſputavit in lib. de lib. arb. in quibus probat peccata eſſe tribuenda libero arbitrio, & non alicui Deo malo adigenti homines ad peccandum: ſed etiam quando diſputavit contra Pelagianos, vt conſtat ex lib. 1. retract. cap. 9. & lib. de dono perſev. cap. 11. vbi illam ſententiam recognoſcit & approbat. Voluit quippe Auguſtinus contra Manichæos, qui negabant Scripturas veteris teſtamenti, in quibus peccatum originale narratur, Deum tueri inculpabilem & laudabilem in hominis creatione cū ignorantia, & difficultate recte agendi, non ſolum ex ſuppoſitione catholica peccati originalis, ſed etiam ex ſuppoſitione hæretica illud negante, & affirmante concupiſcentiam, cum qua homo naſcitur, non eſſe pœnalem, ſed cōnaturalem; ac proinde aſſeruit, quod ſive ignorantia & difficultas ſit pœna peccati originalis, ſive ſit hominis conditio naturalis, non eſt culpandus Deus propter peccata, quæ arbitrium ab ipſo creatum cum ea ignorantia & difficultate committit; quia videlicet homo accepit à Deo virtutem ad refrænandam concupiſcentiam, & honeſte operandum. Et ſi conderetur in pura natura, de ſe haberet maiorem inclinationem ad bonum virtutis, quam ad peccatum; vt oſtendam diſputatione ſequenti.

53 Quod autem iſte fuerit Auguſtini ſenſus, patet ex cap. 12. de dono perſever. vbi manifeſtiſsime docet cauſam contra Manichæos ſuſceptam à ſe defendi lib. 3. de lib. arb. tam in ſententia negante, quam in ſententia affirmante peccatum originale; ſicuti in vtraque ſententia à ſe defenditur neceſſitas gratiæ, & eius independentia à libero arbitrio. *Sicut* autem nunc (inquit Auguſtinus) vt oſtenderem gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ſecundum vtrumque ſenſum hoc defendere malui, & ſecundum noſtrum ſcilicet, qui obſtrictos peccato originali parvulos dicimus, & ſecundum Pelagianorum ſenſum, qui originale negant eſſe peccatum: ita & in 3. libro de lib. arb. ſecundum vtrumque ſenſum reſtiti Manichæis, ſive ſupplicia, ſive primordia ſint ignorantia & difficultas ſine quibus nullus homo *naſcitur*. Quid clarius?

54 Ex dictis conſtat, eſſe evidenter falſum quod aſſerit Ianſenius, nempe Auguſtinum iam ſeniorem & exorta hæreſi Pelagiana ſcribentem, retractaſſe quod ſcripſerat adhuc presbiter lib. 3. de lib. arb cap. 20. contra Manichæos, videlicet Deum non fore culpandū, ſed laudandū, licet ignorantia, & concupiſcentia eſſent connaturales parvulis in ea hy-

hypothesi quod non nascerentur infecti peccato originali, constat, inquam, esse falsum, quia Augustinus nunquam retractavit illud dictum, sed potius approbavit in eis libris, quos morti propinquus scripsit.

55 Dices, Augustinum in his postremis locis præcise approbasse illud dictū, quatenus valebat & sufficiebat ad refellendos Manichæos asserentes Deum fore culpandū propter peccata hominum, si illa procederent à libero arbitrio, & non à malo principio, malaque anima ex illo derivata veluti illius particula: non approbasse autem illud dictū quatenus defervit ad asserendum, Deum non fore iniustum, quamvis parvulos innocentes crearet cum concupiscentia, & ignorantia. Sed contra, quia si, vt Iansenius contendit, Deus foret iniustus, si non precedente culpa crearet hominem obnoxium concupiscentiæ, ignorantiæ, & morti, & alijs malis, absolute esset falsum illud Augustini pronuntiatum, quod videlicet non esset culpandus Deus, quamvis ignorantia & difficultas essent hominis primordia: ergo illud assertum Iansenij procul est à mente Augustini; ac proinde iuxta ipsum non foret Deus iniustus, quamvis hominem innocentem crearet obnoxium ignorantiæ & concupiscentiæ: vt enim ille inquit eo cap. 20 *In ipsa ignorātia & difficultate liberam facultatem petendi, & quærendi, & conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus.* Nec motus nec error necessario resultans imputaretur homini, quia vt inquit idem Augustinus ibidem cap. 19. & lib. de natura & gratia capit. 67. *Non tibi imputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Et similiter non tibi imputatur motus, quem invitus pateris; sed quod negligis mentem ab obiecto turpi avertere.

56 Denique obijcies; quia impossibile est, vt carnem spiritui repugnare, sit ordo naturalis: nam cum caro naturaliter sit ancilla, & animus sit superior, ordo naturalis postulat, vt animo tanquam domino sine rebellione pareat. Quod confirmant, quia impossibile est, ordinem naturalem postulare, vt pars inferior superiori non solum repugnet, sed etiā dominetur; id autem contingeret in pura natura; cum sine gratia, quæ tunc abesset, voluntas sub concupiscentia captiva teneatur, careatque libertate evadēdi, & assurgēdi ad amorem boni. Quod à paritate vrgent: quia nulla est differentia inter concupiscentiā naturæ lapsæ, & naturæ puræ; concupiscentia autem naturæ lapsæ ita arbitrium captivum tenet, vt sine gratia per Christum impossibile sit ab ea tyrannide liberari: ergo etiam in pura natura captivam teneret concupiscentia voluntatē, & necessario in peccatum traheret.

57 Respondeo non esse ordinē naturalem, id est naturæ rationali, vt rationali consentaneum, quod caro concupiscat adversus spiritum: esse tamen ordinem naturalem, id est ex conditione & imperfectione naturæ ortum: sicut enim ordo naturalis est quod homo habeat appetitum rationalem, & sensitivum, ita ordo naturalis est, quod caro & appetitus sensitivus possit habere motum & inclinationem in bonum contrarium bono rationis. Etsi enim ratio dominetur appetitui, non tamen dominio despotico, sicut dominatur manibus, pedibus, & linguæ, alijsque membris, quæ solum ad arbitrium voluntatis moventur, & respectu quorum se habet sicut Dominus respectu mancipij; sed dumtaxat dominio politico, & regali, quod est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio, vt docet Aristoteles 1. Polit. & ex eo D. Thomas 1.2. q. 17. art. 7. corp. Et quamvis arbitrium ob superioritatem in appetitum possit ipsum cohibere, ne in opus lege prohibitum prodeat; non tamen habeat potestatem impediēdi omnes eius motus. E contra vero appetitus licet possit adversus rationem insurgere, illamque solicitare ad cōsensum, non potest tamen trahere in illum nisi libere volentem. Itaque posita motione activa appetitus & actu eius, potest voluntas resistere; nec esset ordo naturalis quod appetitus ita rebellis foret, vt voluntatem reperet ad consensum illicitum, quin in ea maneret potestas resistendi, hoc enim esset appetitum dominari rationi illamque naturaliter captivam tenere: immo nec esset ordo naturalis quod homo ex vi suæ constitutionis naturalis, magis inclinatus esset ad bonum delectabile sensus, quam ad bonum honestum rationis: vnde falsum est, quod id contingeret in pura natura; quamvis enim ibi nulla esset gratia intrinsece supernaturalis, tamen arbitrium haberet vires naturales ad resistendum motibus concupiscentiæ antecedentibus liberam eius electionem & nullā culpā supponentibus, & sine difficultate posset concupiscentiam compescere. Nec vrget paritas desumpta à concupiscentia naturæ lapsæ, negamus enim in pura natura fore eandem; nam in pura natura ante omnem culpam non esset homo ita infirmus ad bonum, sicut in natura lapsa vt disp. seq. probabimus.

OO

DIS-

DISPVTATIO TERTIA.

AN HOMO IN STATV NATVRAE LAPSAE SIT DEBILIOR AD BONVM, ET PRONIOR ad malum, quam in ſtatu puræ naturæ?

SECTIO PRIMA.

Proponitur negans, & communis ſententia.

1 COmmunis ſententia Scholaſticorum affirmat hominem per peccatum ſolum amiſiſſe dona gratuita & ſupernaturalia, ac proinde tenet eaſdem eſſe vires naturales ad bonum virtutis exercendum, & ad malum fugiendum in homine perveniente ad vſum rationis cum ſolo peccato originali, quæ eſſent in homine condito in pura natura, quando perveniret ad eundem rationis vſum, & conſequenter affirmat naturales vires hominis vel liberi arbitrij quoad gradum ſeu perfectionem, quam in ſtatu puræ naturæ haberent, non fuiſſe diminutas in natura lapſa ex vi ſolius peccati originalis, ſed ſolum quoad robur, & integritatem, quam à iuſtitia originali accipiebant. Ita P. Suarez Prolog. 4. de grat. cap. 8. citans pro hac ſententia D. Thom. Cõradum, Caiet. Sot. Medin. Marſil. Valent. Scotum, Gabriel. Durand. Bellarm. Vegam, Durandus, & Dried. Quibus adde Vazq. Molin. Tann. Gran. Amic. d. 26. ſect. 1. & Arriagam diſput. 36. num. 26. aſſerentem hanc ſententiam eſſe communem inter omnes fere Scholaſticos, & Ripald. diſputat. 114. ſect. 3. numer. 16. eam noviſsime defendit Gonet tom. 1. tract. 8. d. 4. art. 3. §. 2.

2 Vnde communiter recipitur illa comparatio deſumpta ex Caiet. 1. 2. q. 85. art. 1. ad 3. dub. iuxta quam homo in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutus comparatur cum homine exiſtente in pura natura, ſicut homo ſpoliatus cum homine nudo: nam quoad vires pugnandi, & reſiſtendi frigori, vel quodcumque aliud opus exercendi ſunt omnino pares: ſolumque differunt quatenus homo ſpoliatus connotat veſtes antea habitas, nudus vero hoc non dicit: vnde in homine lapſo carentia iuſtitiæ originalis habet rationem privationis, quatenus caret veſte iuſtitiæ originalis, quam in primo parente accepit, & quam in propria perſona debuit habere: in homine autem exiſtente in pura natura illa carentia eſſet mera negatio, quia careret veſte iuſtitiæ originalis, quam nunquam habuit, nec habere debuit. Hac comparatione vtuntur præter Caiet. & Medin. Pater Vazq. 1. 2. diſp. 138. cap. 2. Molin. in concordia diſp. 3. *§. illud vero*, Valent. tom. 2. diſput. 6. q. 16. p. 1. *§. Nec obſtat* 3. Bellarm. tom. 3. lib. de gratia primi hominis, cap. 5. *§. Nos vero* & cap. 6. Item Pater Suarez Prolog. 4. cap. 8.

3 Probatur autem hæc ſententia primo authoritate D. Dionyſij 4. de div. nom. vbi aſſerit *in Angelis prauis naturalia manſiſſe integra poſt peccatum*: ergo etiam manſerunt integra in homine poſt peccatũ. Secundo authoritate D. Thom. 1. p. q. 95. art. 1. vbi probat, ſubiectionem appetitus ad rationem, qua potitus fuit Adamus in ſtatu innocentiæ, non fuiſſe naturalem, quia alioquin manſiſſet poſt peccatum: *Manifeſtum eſt autem*, inquit, *quod illa ſubiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin poſt peccatum manſiſſet, cum etiam in demonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint.* Quod ſatis etiã perſpicue docet 4. contra gentes, cap. 52. & q. 25. de verit. art. 7. corp. vbi inquit: *Originali iuſtitia per peccatum ſublata homo reddit ad ſtatum conuenientem ſibi per principia ſua conaturalia.*

4 Probatur tertio ratione: quia ſi in ſtatu naturæ lapſæ eſt homo debilior ad operandum bonum, quam foret in ſtatu naturæ puræ: peccatum originale minueret facultatem naturalem hominis ad operandum bonum: at hoc eſt falſum; quia duobus dumtaxat modis hoc præſtare poteſt; nimirum, vel privando naturam aliqua perfectione naturali inclinante ad bonum honeſtum, vel inducendo aliquem habitum, ſeu qualitatem inclinantem ad bonum delectabile turpe, vi cuius reddatur difficilis electio boni honeſti: neutro autem ex his modis poteſt peccatum originale minuere facultatem naturalem hominis ad amplectendum bonum honeſtum. Non primo; quia per peccatum natura ſolum eſt expoliata donis gratuitis, ſolumque dicitur vulnerata in naturalibus, qua-

quatenus per peccatum ſpoliata eſt iuſtitia originali; quæ facilem reddebat obſervationem totius legis naturalis, quatenus comprimebat appetitum ne inſurgeret contra rationem; ac proinde iuvabat ad opera naturalia honeſta prompte exercenda, vt explicant P. Vaz q. 1. 2. d. 138. c. 2. & Molina in conc. d. 3. Nec poteſt ſecundo modo, nam peccatum Adæ phyſice iam præteritum, non poteſt generare in animis poſterorum habitum vel qualitatem illos inclinantem ad peccandum: quod enim non exiſtit, nihil phyſice cauſare poteſt.

5 Deinde nec poteſt illud peccatum moraliter cauſare eum habitum, nimirum movendo Deum vt in pœnam peccati primi parentis infundat poſteris habitum inclinantem illos ad peccandum: etſi enim Deus poſsit punire peccatum alijs pœnis, non poteſt tamen in pœnam vnius peccati inclinare homines ad alia denuo perpetranda; quia ſic eſſet author peccati: ſolumque in pœnam vnius peccati poteſt permittere alia, quatenus in pœnam peccati poteſt negare auxilia vberiora, quibus homo vitaret nova peccata, relinquendo illum cum auxilio communi, cum quo etſi poſsit peccatum vitare, reipſa tamen non vitabit.

6 Vnde Deus non obdurat peccatores, eos poſitive inducendo in peccatum, ſed gratiam negando fortiorem, qua peccata vitarent, vt docet Auguſtinus q. 2. ad Simpl. dicens: *Obdurare eſt, nolle miſereri, vt nõ ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior, ſed tantum quo ſit melior non erogetur.* Et columna ſequenti, *ob hoc dicitur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur, non quia impellit vt peccent.* Quod idem docet Proſper. fideliſsimus Auguſtini diſcipulus ad capita Gallorum ſent. 11. his verbis: *Qui dicit, quod per potentiam Deus homines ad peccata compellat, merito reprehẽditur: neque enim Deus, qui iuſtitiæ ac bonitatis author eſt, quemquã ad peccandum cogere & ab innocentia in facinora præcipitare credendum eſt.*

7 Addit P. Suarez prologom. 4. cap. 5, 9. num. 15. *Si conſideremus* paternam traditionem, quæ in hoc ſtatu naturæ lapſæ melior & ſapientior eſſe potuit, quam in ſtatu puræ naturæ, ex ea parte minorẽ eſſe debuiſſe cæcitatem & corruptionem in ſtatu naturæ lapſæ, quam in pura natura. Nam in præſenti, inquit, ſtatu Adam etiam poſt peccatum maiorem habuit Dei, & moralium virtutum cognitionem, quam ſi in puris naturalibus conditus fuiſſet, & ideo melius potuit filios inſtruere in Dei cognitione, & moribus, quam ſi fuiſſet in pura natura conditus, etiam ſi in illa nunquã peccaſſet: ergo ex hac parte aliquod maius auxilium habuit natura humana, vt non tam facile depravaretur, quã haberet buiſſet in illo ſtatu, in quo primus homo in puris naturalibus conderetur, & ab illo ſic creato cæteri procrearẽtur. Quo circa ſi non obſtante Adami inſtructione, atque etiã eius vita honeſta, & iuſta poſt lapſum, & pœnitentiam, poſteri facile declinaverunt vnuſquiſque in viam ſuam, & fere omnes excæcati ſunt, multo facilius, & generalius credendum eſt id fuiſſe in pura natura eventurum.

In hac quæſtione habet peculiarem ſententiam Doctor Complutenſis communi extremè oppoſita, qui aſſerit, rebellionem appetitus contra rationem, cui omnes filij Adæ naſcimur obnoxij, ita eſſe effectum peccati, vt illo ſecluſo nullo pacto poſsit homini convenire: quę ſententia, quia multa continet examine digna, & quæ paucis non poſſunt explicari, & impugnari, diſputatione ſequenti ſeorſim proponenda, & impugnanda eſt.

SECTIO SECVNDA.

Eligitur ſententia media affirmãs hominem in natura lapſa eſſe debiliorem, quam foret in pura.

9 ERGO hanc partem veriſsimam exiſtimo. Antequam vero illam probem, eius patronos in hac ſectione referam. Tenet eam ex Thomiſtis M. Alvarez diſp. 45. & 47. de auxilijs, dicens eam docere Div. Thomam 1. 2. q. 85. art. 1. & Thomiſtas quam plurimos. Et non obſcure D. Bonavent. in 2. diſt. 30. art. 1. q. 1. in reſponſione ad argumẽta, vbi hæc habet: *Quia ſecundum ordinem naturæ corpus debet eſſe ſubiectum animæ, & ſenſualitas ſubiecta debet eſſe rationi, ſic debuit Deus dare inclinationem tam corpori hominis, quam ſenſualitati carnis, quod in nullo præiudicaretur rectitudini rationis: & hinc eſt, quod etſi ſenſualitas bonum vt nunc, appeteret, nulla tamen erat in primo homine, quia tunc appetebat ſicut ratio dictabat: nunc autem eſt rebellio, quia præter iudicium rationis frequenter appetit, & propter hoc brutales effecti ſumus, & iumentis inſipientibus comparati cum tamen homo in primordio conditus fuerit in honore & dignitate rationis.*

10 Tenet eandem ſententiam Aureolus in 2. diſt. 30. art. 2. his verbis: *Habitualis rebellio appetitus ſenſitiui non eſt in nobis natura appetitus ſenſitiui tantum: hoc dico propter opinionem quorundã, qui dicunt, quod appetitus relictus puræ naturæ adhuc haberet in ſe illam habitualẽ rebellionem.* Dicitque ibi hic Author, appetitum ſenſitivum ex ſe eſſe in-

differentem ad obediendum vel non obediendũ rationi: & per iuſtitiam originalem determinari ad obediendum rationi: per peccatum vero originale determinari vt ſit rebellis rationi. Sicut enim iuxta ipſum iuſtitia originalis eſt qualitas quædam faciens obedientiam plenam appetitus ſenſitivi ad rationem dãdo pronitatẽ ad bonum, & difficultatẽ ad malum: ita peccatum originale eſt, *qualitas faciens rebellionem appetitus ſenſitiui ad rationem, pro quanto inclinat ad malum & retrahit à bono.* Loquitur autem de peccato originali materialiter ſumpto, in eo ſenſu, in quo D. Thomas 1.2.q 82.a. 3 dicit, in peccato originali eſſe aliquid quaſi materiale, ſcilicet concupiſcentiam, & aliquid quaſi formale, ſcilicet privationem iuſtitiæ originalis.

11 Eandem ſententiam tenet Henricus, quod. 6.q.11. circa medium, vbi plane admittit iuſtitiam, ſeu rectitudinem quandam naturalem, quæ conveniret homini condito in puris naturalibus; quam primus homo perdidit per peccatum, ſuper inducendo obliquationem iniuſtitiæ contrariæ, per quã corrumpitur illa naturalis rectitudo & iuſtitia. Præter iſtam autem admittit rectitudinem ſupernaturalẽ fortificantem & roborantem iuſtitiam illam naturalem, & præbentem alios effectus. Additque, rectitudinem illam naturalem eſſe aliquid diſtinctum ab ipſa voluntate, & eſſe quandam qualitatem in quantitate ſpirituali, quemadmodum rectitudo eſt qualitas quædam in quantitate corporali, & ſicut incurvatio eſt præternaturalis quantitati rectæ, v. g. virgæ, quæ naturaliter recta ſurſum aſcendit: ita incurvatio ad bona delectabilia prohibita, per quam amittitur illa rectitudo naturalis, eſt homini præternaturalis: Deus enim fecit hominem rectũ. Quare hic Author clare docet, rectitudinem, ſeu iuſtitiam ſubdentem vires inferiores ſuperioribus fuiſſe naturalem naturæ innocenti, & hac rectitudine ſe privaſſe per peccatum ſimul cum rectitudine ſupernaturali. Et in fine advertit, quod licet homo poſt peccatum retinuerit omnia ſua naturalia quoad ſubſtantiam, non tamen quoad diſpoſitionem à naturali creatione inditam ſubſtantiæ: ſicut virga dum incurvatur retinet ſuam ſubſtantiam, non tamen illam diſpoſitionem, cum qua creata eſt, nempe rectitudinem.

12 Eandem tuentur Carthuſianus in 2.diſt.22.q.2 Zumel I 2.q.109.art. 2. Stapletonius lib.2. de iuſtificat. à c 6.ad 10.& ex noſtris P.Azor tom.1.lib.3.cap.34.q.2. P.Benedictus Iuſtinianus in cap.1.epiſt.1.Ioannis, v. 9 n.8.P.Martinon in Anti-Ianſenio diſp. 15 ſect.1.P.Annatus contra Baianos, lib.5.cap.11. P.Sparza, q.9.de grat.Card. de Lugo, & P. Alexre in M.S. de grat.

SECTIO TERTIA.

Primum caput probandi noſtram ſententiam ab Auguſtini authoritate.

13 ADEO clare ſtat Auguſtinus pro hac ſententia, vt Bartholomæus de Medina, vnus ex præcipuis ſententiæ contrariæ aſſertoribus, id ingenue fateatur. Conſtat id primo ex lib.de natur.& grat. cap.3. vbi inquit: *Natura hominis primitus inculpata, & ſine vllo vitio creata eſt: natura vero iſta hominis, qua vnuſquiſque ex Adã naſcitur, tam medico indiget, quia ſana non eſt. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vita, ſenſibus, mente, à ſummo Deo habet creatore & artifice ſuo; vitiũ vero, quod iſta naturalia bona contenebrat & infirmat, vt illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum eſt, ſed ex originali peccato, quod commiſſum eſt libero arbitrio: ac per hoc natura pœnalis ad vindictam iuſtiſſimam pertinet.* Ergo ſentit bona naturalia infirmari per peccatum originale: ergo homo in ſtatu naturæ lapſæ non habet omnia bona naturalia, quæ haberet in ſtatu puræ naturæ; proindeque differt homo lapſus ab homine in ſtatu puritatis, ſicut homo ægrotus ab homine ſano. Quod confirmatur: nam c.1.huius libri approbat dictum illud Saluſtij in Prologo Iugurtino: *Falſo quæritur de natura ſua genus humanum:* quia videlicet natura ex ſe non eſt adeo labilis, & in malum prona ſicut nunc poſt peccatum experimur.

14 Et lib.4. contra Iulianum cap. 12 probat contra Tullium, non eſſe accuſandam naturam vt novercam, quod hominẽ condiderit tot miſerijs obnoxium, & tam pronum ad libidines; ſtatimque illum excuſat: *Latebat enim* (inquit) *eum, cur eſſet graue iugum ſuper filios Adam, à die exitus de vẽtre matris eorum vſque ad diem ſepulturæ in matrem omnium; quia Sacris Litteris non eruditus ignorabat originale peccatum.*

15 Et cap.15.Iulianum aſſerentem, concupiſcentiam, & alias miſerias hominum non eſſe ſupplicium peccati, ſed defectus homini connaturales à conditore noſtræ naturæ inſertos, carpit ex doctrina Philoſophorum, quĩ contemplantes innumera mala, quibus in hac vita obnoxij ſumus, & ignorantes peccatum originale, dicebant, animas ob aliqua ſcelera antea commiſſa, in humana corpora detrudi: *Quanto ergo te melius* (inquit Iulianum alloquens) *veritatique vicinius de hominum generatione ſenſerunt, quos Cicero in extremis partibus Hortenſij dialogi, velut ipſa rerum evidentia ductus compulſuſque, commemorat? nam cum multa, quæ videmus, & gemimus*

de

de hominum vanitate atque in fœlicitate dixiſſet, ex quibus humanæ, inquit, *vitæ erroribus & erumnis fit, vt interdum veteres illi, ſiue vates, ſiue in ſacris tradendis diuinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore, pœnarum luendarum cauſa natos eſſe, dixerunt, aliquid vi-diſſe videantur.* Et poſt modum concludit Auguſtinus; *Nonne qui ita ſenſerunt, multo quam tu melius, graue iugum ſuper filios Adam, & Dei potentiam, iuſtitiamque viderunt, etiamſi gratiam, quæ per mediatorem liberandis hominibus conceſſa eſt, non viderunt?*

16 Et ſane legenti Aug. lib. 4. & 5. & 6. contra Iulianum, & lib. 1. & 2. operis imperfecti contra eundem, & libris duobus de Nuptijs & concupiſc. conſtabit, ipſum paſsim probare peccatum originale ex ingenti concupiſcientia & ignorantia, cui obnoxium eſt genus humanũ: non probaret autem recte, ſi tanta concupiſcientia, & ignorantia eſſet connaturalis naturę innocenti: ergo ex mente Auguſtini concupiſcientia adeo rebellis, qualem filij Adæ in ſtatu naturæ lapſę experiuntur, neceſſario ſupponit peccatum.

17 Legatur lib. 5. contra Iulianum, cap. 8. vbi cum illo loquens, inquit: Reſpõde vnde ſit concupiſcientia, cui niſi repugnetur, nulla caſtitas cuſtoditur. Non eſt certe natura, atque ſubſtantia: ſi nec vitium naturæ eſt; quid eſt? Exurgit, opprimo: reniti-tur, refræno: repugnat, expugno. In toto corpore, & in tota anima conditorem habeo pacis Deum. Quis in me ſeminavit hoc bellum? ſolve Apoſtole quæſtionem, atque reſponde: per vnum hominem peccatũ introiit in mundum, &c. Et paulo poſt: *Adhuc* non evigilas, vt intelligas, noſtram naturam non eſſe, ſed vitiũ, contra quod virtute pugnatur? Nec enim bono bonum, ſed bono vtique malum vincimus. Conſidera cum quo vincat, cum quo vincatur: quando enim libido vincit, vincit & diabolus, quando libido vincitur, & diabolus vincitur: quem ergo vincit libido, & à quo vincitur eſt hoſtis eius: cum quo autem vincit, & vincitur eſt author eius. Rogo te oculos aperi, & cerne quæ aperta ſunt. Nulla pugna eſt ſine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum: aut malum & malum: aut ſi duo bona inter ſe pugnant, ipſa pugna eſt magnum malum.

18 Ergo iuxta Auguſtinum concupiſcientia authorem habet diabolum, & non eſt natura hominis, ideſt, homini connaturalis, & ei à creatore inſerta, ſed eſt vitium naturæ. Demum probatur ex lib. 3. de libero arbitrio c. 18. vbi cum retuliſſet loca Apoſtoli, in quibus deſcribit pugnam & rebellionem appetitus contra rationem, addit: *Sed hæc omnia hominum ſunt ex illa mortis damnatione venientium: nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt, ſi enim non recedit ur ab eo ordine, quo naturaliter factus eſt, ita vt melius eſſe non poſsit, ea quæ debet facit, cum hæc facit.* Ergo Aug. ex terminis arguit, tantam rebellionem appetitus cõtra rationem non eſſe naturam hominis, ſed pœnam, quia ſi eſſet natura, non peccaret homo ſequendo inclinationem appetitus ſibi impreſſam à Deo. Ergo ex mente Auguſtini homini in puris naturalibus condito non conveniret rebellio illa appetitus, quæ captivat arbitrium, & trahit in peccatum.

SECTIO QVARTA.

Secundum caput probandi noſtram ſententiam ex principijs D. Thomæ.

19 MAgiſt. Alvarez, vt vidimus ſect. 6. affirmat noſtram ſententiam eſſe D. Thomæ, quia S. Doctor 1. 2. q. 85. a. 1. affirmat, hominem à natura habere inclinationem ad virtutem; hanc autem inclinationem diminui per peccatum: redditque rationem: *Quia per actus humanos fit quædam inclinatio ad ſimiles actus: oportet autẽ quod ex hoc quod aliquid inclinatur ad vnum contrariorũ diminuatur eius inclinatio ad aliud. Vnde cum peccatum ſit contrarium virtuti, ex hoc ipſo quod homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod eſt inclinatio ad virtutem.* Et quamvis ratio D. Thomæ ſolum videatur habere locum in peccato actuali, quod relinquit habitum vitioſum inclinantem in actum peccati, & hac ratione minuentem inclinationem ad bonum virtutis; nihilominus etiam habet locum in originali, quatenus per illud viriata eſt natura, & privata ſpeciali providentia excitante cognitionem boni honeſti, vi cuius impediebatur cognitio vivida appetitus, quæ eum vehementius inclinaret ad malum, vel quatenus privata eſt aliqua iuſtitia naturali ſibi debita pro ſtatu innocentiæ, cuius munus eſſet reddere appetitum propenſum ad obediendũ voluntati, & refrænare ipſum ne contra rationem, & eius imperium rebellis foret: quæ iuſtitia vocatur rectitudo naturalis ab Henrico de Gandavo, quodlibet. 6. quæſt. 11. & aſſeritur diſtincta à dono ſupernaturalis iuſtitiæ, vt conſtat ex ſect. 3.

20 Favet etiam non parum huic opinioni 4. contra gent. cap. 52. idem S. Thomas vbi affert rationes congruentes ad perſuadẽdam exiſtentiã peccati originalis, dum ait: *Peccatum*

originalis in humano genere probabiliter quædam signa apparent; cum enim Deus humanorum actuum sic curam gerat, vt bonis operibus præmium, & malis pœnam retribuat, ex ipsa pœna possumus certificari de culpa. Inter spirituales autem pœnas est potissima debilitas rationis, ex qua contingit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem & de facili labitur in errorem, & appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis. Et cum sibi obiecisset, posse aliquem dicere, huiusmodi defectus non esse pœnales, sed naturales ex necessitate materiæ consequentes, post modum hoc reijciens, inquit: *Sed tamen si quis recte consideret, satis probabiliter potuit æstimare, diuina prouidentia suppositâ, qua singulis perfectionibus congrua perfectibilia coarctauit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc coniunxit, vt ei dominaretur. Sic igitur secundum doctrinam sancti ponimus hominem ab initio taliter esse institutum, quod quandiu ratio hominis Deo esset subiecta, inferiores vires ei sine impedimento deseruirent: ratione autem auersa a Deo, inferiores vires inferiori contradicerẽt.*

21 Favet item 1. 2. q. 82. art. 3. vbi probat, peccatum originale pro materiali consistere in concupiscentia, & ad primum argumentum, quo contendebatur oppositum, quia peccatum est contra naturam secundum Damascenum; concupiscentia autem est secundũ naturam, cum sit proprius actus virtutis concupiscibilis, quæ est potentia naturalis: ergo concupiscentia non est peccatum originale. Respondet, quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione; in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem; concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam, & talis est cõcupiscentia originalis peccati.

22 Favet etiam 1. 2. q. 85. ar. 3. vbi ait: Per iustitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subiecta: hac autẽ originalis iustitia subtracta est per peccatũ primi parentis; & ideo omnes vires animæ manent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ. Ergo per peccatum iuxta D. Thom. destituitur homo aliquo ordine sibi naturali ad virtutem: ergo privatur aliquo dono, sive intrinseco, sive extrinseco, quo ante peccatum reddebatur facile exercitium virtutis.

23 Denique favet huic sententiæ quodlib. 1. art. 8. & 1. 2. q. 109. art. 3 argumento *sed contra*, & ad primum, vbi docet hominem conditum in puris naturalibus posse Deũ diligere plusquam se & super omnia, & tamen in eo art. 3. in corpore docet, hominem in statu naturæ lapsę indigere gratia ad diligendum Deũ super omnia: *Quia propter corruptionem naturæ sequetur bonum priuatum, nisi sanetur per gratiam.* Ergo sentit naturam lapsam esse debiliorem ad amandum Deum super omnia quam foret natura pura. Nam natura pura secundum D. Thomam inclinaret ad amandum Deum plusquam se ipsum; natura vero corrupta inclinat ad amandum se plusquam Deum.

SECTIO QVINTA.

Tertium caput probandi nostram sententiam ex vulneratione naturæ per peccatum.

24 PRobatur deinde nostra sententia ex illo communi pronuntiato Theologorum accepto ex Ambrosio lib. 7. in Lucam, & ex Beda in cap. 10. Lucæ, asserentium naturã humanam per peccatum Adami spoliatam fuisse gratuitis, & vulneratam in naturalibus, quod dicunt significatum fuisse à Christo Lucæ 10. per Parabolam hominis illius, qui descendens à Hierusalem in Iericò incidit *in latrones, qui etiam dispoliauerunt eum*, & plagijs impositis abierunt semivivo relicto. Nam per hominem illum intelligendum esse Adamũ, affirmat Aug. de Quæst. Evang. l. 2. q. 59. & per Hierusalẽ, quæ interpretatur *visio pacis*, intelligendũ est Paradysum, vbi quidquid videbat pax erat & lætitia: per latrones vero intelligendum esse diabolum, & Angelos eius: *Qui* (vt inquit Augustinus lib. 3. Hipognosticon ante medium) *per inobedientiam primi hominis genus humanum despoliauerunt, morum scilicet ornamentis, & vulnerauerunt, dono scilicet possibilitatis liberi arbitrij perdito.* Quia nimirum per peccatum perdidit homo facultatem illam naturalem, qua sine difficultate poterat bonum honestum amplecti, quia non erat tunc concupiscentia prævalens adversus spiritum.

25 Ex quo communi axiomate argumentor: nam vulnera inflicta homini incidenti in latrones diversum quid sunt ab spoliatione vestium, maiusque malum: ergo quando natura dicitur vulnerata in naturalibus, aliquid significatur distinctum ab spoliatione gratuitorum. At in sententia adversariorum illa duo distincta non sunt: siquidem eatenus iuxta ipsos dicitur vulnerata in naturalibus, quatenus per peccatum amisit natura iustitiam supernaturalem, qua adiuvabatur ad observationem legis naturalis, in quantum iustitia illa refrenan-

de

do concupiſcentiam, & impediendo motus rebelles carnis adverſus ſpiritum in cauſa erat, vt obſervatio legis naturalis eſſet facilis: quare iuxta ipſos ſpoliari gratuitis, & vulnerari in naturalibus, idem realiter eſt. Hoc autem videtur eſſe contra veritatem illius proloquij, & contra Auguſtinum qui per vulnerationem naturæ intelligit amiſsionem poſsibilitatis ad obſervandam legem naturalem. Quam poſsibilitatem non ſolum habuit homo in ſtatu iuſtitiæ ſupernaturalis, quam in prima creatione accepit, ſed etiam habuiſſet, ſi conditus fuiſſet in pura natura; ſiquidem debuit condi cũ potentia plene libera ad obſervationem legis naturalis & conſequenter cum carentia fomitis deprimentis hominem & incurvantis ad bona delectabilia, & reddentis difficilem obſervationem legis naturalis.

26 Deus enim ab initio fecit hominem rectum, & quamvis illi donaverit rectitudinem ſupernaturalem, *per quam fieret in carne ſpiritualis*, vt loquitur Auguſtinus lib. 4. de Civ. cap. 15. tamen etiam donavit illi rectitudinem naturalem, quæ ei conveniret, etiamſi in puris naturalibus conderetur: huius autem rectitudinis naturalis munus erat impedire motus rebelles contra imperium rationis, & reddere appetitum pronum ad obediendum rationi, & vi eius in actu primo non erat homo magis pronus ad vitia, quam ad virtutem, ſed facile poterat legem naturalem obſervare. Qua rectitudine naturali per peccatum privatus eſt; quia poſt peccatum manet natura obliqua, & ad illicita magis prona & proclivis, quam ad virtutem: & in pœnam inobedientiæ ſuæ erga creatorem, experitur inobedientiam appetitus ſui contra ſe, vt docet Auguſtinus lib. 13. de Civitat. capit. 13. & lib. 1. de Nuptijs cap. 6. & alibi ſæpe.

27 Hic obviter noto, Caietanum exponere locum illum ſapientis: *Inueni quod Deus fecit hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus, de ſola rectitudine naturali*: vim faciẽdo in verbo *inueni*, quod de inventione per rationem & diſcurſum naturalem intelligit; quatenus per rationem naturalem poteſt deprehendi, Deum feciſſe hominem rectum. Verum hanc expoſitionem reprehendit P. Suarez, lib. 3. de opere ſex dierum, cap. 12. num. 5. quia communis expoſitio Patrum verba illa intellihit etiam de rectitudine ſupernaturali, & omnino indebita naturæ. Nos libenter hoc admittimus, dummodo nobis concedatur, ſimul cum rectitudine ſupernaturali accepiſſe hominem rectitudinem quandam naturalem, naturæ humanæ innocenti debitam, & quæ ipſi conveniret, etiam ſi in puris naturalibus condita fuiſſet; huius autem rectitudinis naturalis amiſsio fuit vera vulneratio, de qua loquitur Auguſtinus exponens verba illa Pſ. 40. *Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meã quia peccaui tibi. Quid* (inquit) *ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?*

28 Vnde infero falſum omnino eſſe, quod communiter docent oppoſitæ ſententiæ AA. poſt Caiet. nempe hominem lapſum differre ab homine exiſtenti in puris naturalibus, ſicut homo ſpoliatus differt à nudo: potius enim differunt ſicut homo ægrotus ab homine ſano, ſicut vulneratus ab integro, & ſicut curvus, & obliquus â recto, nam ſanitas ſpiritualis hominis connaturalis conſiſtebat in ea ſubordinatione appetitus ſenſitivi ad voluntatem, vt dum hæc erat ſubiecta Deo per obſervantiam mandatorum, non prævaleret contra ipſam appetitus, illam vehementius inclinando ad malum quam ratio inclinet ad virtutem: nec poſſet eſſe inobediens & rebellis contra imperium voluntatis; ægritudo autem conſiſtit in diſſolutione huius ſubiectionis: & quia cum primum voluntas revelavit contra Deum, amiſsit hanc obedientiã & ſubiectionem appetitus, amiſsit ſanitatem, & vulnerata fuit in naturalibus.

29 Vnde D. Thomas 1.2.q.82.art. 1. docet, quod ſicut iuſtitia originalis eſt ſanitas quędam animę, ita peccatum originale eſt quædam ægritudo. Eſt enim, inquit, peccatum „originale quædam inordinata diſpoſitio proveniens ex diſſolutione illius armoniæ, in „qua conſiſtebat ratio originalis iuſtitiæ, ſicut etiam ęgritudo corporalis eſt quædam „inordinata diſpoſitio corporis, ſecundum quã ſolvitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis: vnde peccatum originale languor naturæ dicitur. Et in reſponſione ad primum „ait, quod ſicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione in quantum tollitur æqualitas ſanitatis, & aliquid habet poſitive, ſcilicet ipſos humores inordinate diſpoſitos: ita „etiam peccatum originale habet privationem originalis iuſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ. Vt autem notat Caietanus in commentario illius art. ad 3. peccatum originale conſiſtit in diſpoſitione cõtraria non ſolum iuſtitiæ originali, ſed ſanitati naturali ipſius homini in quantum rationalis: in ſtatu namque harmoniæ illius, quæ erat ſub iuſtitia originali, duo erant, ſcilicet ipſa conſonantia virium animæ & ſupernaturale donum conſervans illam harmoniam: modo nõ ſolum ſumus privati illo ſupernaturali dono, ſed etiam illa harmonia, dum ſibi relictus homo in propria ſingulis partibus tendentibus, ad contrariam diſſonantiam totus pronus invenitur.

Quare

30 Quare dici debet iuſtitiam originalem quatenus præciſe impediebat, ne appetitus ſenſitivus captivaret voluntatem, eam vehementer inclinando ad malum, & ne contra dictamen rationis erumperet in motus efficaces circa ſuum proprium delectabile fuiſſe formam naturalem, ſive conſiſteret in aliqua qualitate, quam natura ſibi vendicat dum eſt innocens, ſive in ipſa exigentia naturæ, quę dum innocentiam à peccato ſervat, poſtulat providentiam Dei impedientem illos rebelles motus: hæc autem iuſtitia originalis naturalis amiſſa fuit ſimul cum iuſtitia originali ſupernaturali, & ideò poſt peccatum remanſerunt omnes vires animæ quodammodo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur in virtutem, & hæc deſtitutio vulneratio dicitur naturæ.

31 Et hinc ortum duxerunt illa quatuor vulnera inflicta per peccatum, nempe infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiſcientia: cuius numeri rationem reddit pulchre D. Thom. 1. 2. q. 85. art. 3. *Quatuor namque ſunt potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubiecta virtutum, ſcilicet ratio, in qua eſt prudentia: Voluntas, in qua eſt iuſtitia, irascibilis, in qua eſt fortitudo: concupiſcibilis, in qua eſt temperantia. In quantum ergo ratio deſtituitur ſuo verum, eſt vulnus ignorantiæ: in quantum vero irascibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis: in quantum vero concupiſcientia deſtituitur ſuo ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcientia.*

SECTIO SEXTA.

Quartum caput probandi noſtram ſententiam ex eo quod natura primo condita à Deo nihil habeat dignum maledictione, neque poſſit magis propenſa ad malum, quam ad bonum eſſe.

32 PRobatur quarto noſtra ſententia: nam in ſtatu naturæ lapſæ, ſecluſa inclinatione proveniente à gratia, homo magis propenſus, & pronus eſt ad malũ quam ad bonum, ſecundum illa verba Dei, Geneſ. 8. verſ. 21. *Senſus, & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* At repugnat à ſumma bonitate produci naturam rationalem cum maiori propenſione ad malum quam ad bonũ; cum enim omnia propter ſemetipſum ſumma Dei bonitas operetur, ab illa nihil procedere poteſt quod magis propinquum ſit ad malum, quam ad bonum: ergo non potuit à Deo produci natura humana in ea corruptione, in qua eſt pro hoc ſtatu.

33 Probatur præterea: nihil à divina bonitate procedens eſt dignum maledictione; mala autem ſunt in nobis paſsiones dignæ maledictione, propter quas tam Iob, quam Hieremias maledixit diei, in qua natus eſt, vt conſtat ex cap. 3 Iob verſ. 3. *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Et Hier. 20 ver. 14. *Maledicta dies, in qua natus ſum.* Ergo non poteſt homo à Deo produci cũ his paſsionibus, quibus obnoxius naſcitur in ſtatu naturæ lapſæ: ergo rebellio concupiſcientiæ adverſus rationem, non eſt connaturalis homini innocenti, ſed eſt pœnalis, & eſſentialiter ſupponit culpam. Atqui ex hac rebellione provenit ingens difficultas operandi bonum: ergo maiorem difficultatem habet natura ad operandum bonum in ſtatu lapſus, quam in ſtatu puritatis.

34 Confirmatur ex Card. Palavicino. Quia repugnat ſubſtantia cognoſcitiva, cui per naturam conveniat plus mali, quam boni: cum enim ſubſtantia cognoſcitiva debeat eſſe nobilior, & melior non cognoſcitiva, & cum tota hæc nobilitas ſit in ordine ad poſſeſſionem boni; non poteſt dari ſubſtantia cognoſcitiva, cui per naturam conveniat plus mali, quam boni. At ſi homini condito in pura natura conveniret maior propenſio ad bonum ſenſibile contrarium rationi, quam ad bonum honeſtum, ſane homini per naturam conveniret plus mali, quam boni: nam illa propenſio ad malum eſt malum quoddam, vtpote fundans periculum æternæ dãnationis: ſicut propenſio ad bonum rationis eſt bonum quoddam, vtpote fundans probabilitatem ſalvationis. Vnde ſi propenſio ad malũ eſſet melior, quam propenſio ad bonum, malus malum conveniret homini per naturam, quam bonum. Et ex vi ſuæ conſtitutionis naturalis eſſet homini probabilius ſe eſſe damnandum, quã ſalvandum; ac proinde optabilius eſſet homini non exiſtere, quam ſic exiſtere, & in tanto periculo verſari. Id autem repugnat, quia cũ omnia Deus ſapienter condiderit, & ſuam bonitatem in eis manifeſter; implicatoria videtur ſubſtantia intellectiva, cui ex intrinſecis ſuæ naturæ eligibilius ſit non eſſe quam eſſe. Nam ſubſtantia intellectiva eſt condita gratia ſui, & per conſequens in ordine ad proprium bonum: ergo implicat, vt ex vi ſuæ conſtitutionis eligibilius ſit ipſi non exiſtere, quam exiſtere.

)ɔ(

SEC-

SECTIO SEPTIMA.

Quintum caput probandi noſtram ſententiam ex maiori impugnatione dæmonum in ſtatu lapſus, quam in ſtatu puritatis.

35 AD probationem ſuppono vt certum cum P. Suarez prolog. 4. capit. 9. numer. 16. hominem per lapſum præter amiſsionem gratiæ, & iuſtitiæ originalis contraxiſſe peculiarem diaboli ſeruitutem, & ſub eius captiuitate, & poteſtate ſpeciali titulo redactum eſſe. Idque probat, quia ita de Adamo definiuit Tridentinum, Seſſ. 5. in decreto de peccato originali dicens: *Cum morte incurriſſe captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis habebat imperium, hoc eſt diaboli.* Et de omnibus Adæ poſterit ait Seſſ. 6. cap. 1. *Serui erant peccati ſub poteſtate diaboli, ac mortis* Meritoque docet textum Concilij intelligendum eſſe non ſolum de diabolo, vt tortore eorum, qui ex hac vita decedunt ſine pœnitentia, ſed de diabolo vt tentatore. Quia enim diabolus tentando vincit hominem, & in propriam ſeruitutem redigit; ius quoddam, vel potius licentiam obtinuit liberius tentandi illum; & homo in pœnam iuſtam quoad hoc, etiam poteſtati dæmonis traditus, ſeu permiſſus eſt.

36 Id ipſum probat Bellarminus lib. 6. de Amiſſ. gratiæ, & ſtatu peccati, capit. 15. ex illo Petri, Epiſtol. 2. capit. 2. *A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt,* Deinde id probat, *quia vt recte notat Auguſtinus Epiſtol. 28. ad Hieronymum, non daret Deus homines diabolo, tanquam naturam inferiorem naturæ excellentiori, quomodo tradidit homini beſtias terræ. Nam etſi mortalis eſt homo, tamen eſt etiam rationalis, & Dei capax, & ideo non Angelorum ſeruus, ſed conſeruus eſt, & Deo non per Angelos, ſed per ſe famulatum præſtat. Quare quod diabolus* (inquit Bellarminus) *princeps huius mundi nominetur in Scripturis, & homines captiuos teneat ad ſuam ipſius voluntatem, & nos Chriſti ope indigeamus, vt de poteſtate Satanæ liberemur, non poteſt aliunde, quam ex peccato factum eſſe.*

37 Probatur etiam ex Apoſtolo Roman. 6. dicente: *Serui eſtis, cui obediſtis, ſiue peccati ad mortem, &c.* Et ex illo Chriſti Ioan. 8. verſ. 34. *Omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.*

38 Hoc ſuppoſito argumentor. Nam dæmones acrius & vehementius tentant homines ſub ipſorum ſeruitute conſtitutos, quam illos tentarent in pura natura conditos, in quo ſtatu minime eſſent ſub ipſorum poteſtate & tyrannide, vt nuper dicebat Bellarminus ex Auguſtino, & tanquam quid manifeſtum ſupponit etiam libro de gratia primi hominis, capit. 7. ad ſeptimum: ergo debilior eſt homo in ſtatu lapſus, quam foret in ſtatu puritatis. Confirmatur: Nam dæmones magis ſæviunt in natura lapſa ex inuidia contra hominem, quem vident ordinatum, & tendentem ad Regnum Cœlorum à quo ipſi exciderunt; & ideo continuo connatur illum impellere in peccata actualia, vt canit Eccleſia in officio Angeli Cuſtodis:

Nam quod corruerit proditor Angelus,
Conceſsis merito pulſus honoribus;
Ardens inuidia, pellere nititur
Quos cœlo Deus aduocat.

Ergo ſaltem ex hoc capite debiliores ſunt homines in ſtatu lapſus, quam in ſtatu puritatis. Nam pro hoc ſtatu propter ſeruitutem diaboli incurrunt neceſsitatem moralem incidendi in peccata mortalia, niſi miſericordiret Chriſtus per ſuam gratiam eos ab hac ſeruitute redimat.

39 Quod egregie docuit Toletus exponens verba illa Chriſti Ioann. 8. *Omnis qui facit peccatum, &c. Attende* (inquit) *per peccatum arbitrium hominis ſeruum manere peccati & dæmonis, quia non habet poteſtatem ac vires, vt reſiſtat peccato, ac diabolo, niſi enim diuinum gratiæ adſit auxilium in eo eſt ſtatu vt nequeat à peccato commiſſo ſua ſe purgare virtute, nec valeat omne in poſterum cauere peccatum, neque omnem dæmonis vincere tentationem, ſed ſuccumbere neceſſe eſt nouis peccatis. Hoc Paulus Roman. 6. appellat dominari peccatum in homine, & regnare in corpore: non* (inquit) *regnet peccatum in veſtro mortali corpore: & iterum: peccatum vobis non dominabitur.*

40 Idem docet Caietanus in eundem locum dicens, ideo eum qui facit peccatum, ſeruum eſſe peccati, quia peccatum remanens dominatur in animo trahendo in aliud peccatum tanta ac tali efficacia, vt oporteat hominem ſubiectum peccato, niſi pœniteat, denuo peccare, quia iam animus auerſus eſt ab incommutabili bono retinente hominem ne peccet Et ideo Gregorius Homil. 11. in Ezeq. aiebat: *Peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere in aliud trahit.*

41 Quare in pœnam peccati data eſt diabolo licentia accedendi cor hominis, commouendi in toto corpore humores, excitandi ſpecies ſenſibiles in capite, tam vividas beati delectabilis cogitationes in phantaſia, & tam ardentes affectus in appetitu, vt miſeri Adæ filij graviſsimos patiantur tentationum

aculeos, & in magnum conijciantur peccandi periculum, niſi gratia per Chriſtum liberentur. Haberet quidem diabolus in ſtatu puræ naturę poteſtatem tentandi homines, ſicut primos parentes tentavit in Paradyſo: cæterum vel tunc tentaret ſolum externe loquendo per ſenſibiles voces, aut apparitiones, ſicut tentavit Evam; vel ſi etiam tunc haberet licentiam tentandi commovendo humores corporis, & excitando imaginationes boni turpis in phantaſia; illa licentia eſſet longe minor, quia ſingularis Dei providentia debita naturæ innocenti poteſtatem acriter tentandi diabolo adimeret.

42 Petit enim natura rationalis dum eſt innocens, ne ab alia creatura intellectuali deturbetur à poteſtate morali obſervandi legem, & ne aſtutia alterius naturę ſpolietur poteſtate æquabili ad vtrumque: ſicut poſtulat ne ſecreta cordis ſui patefiant alijs ſubſtantijs intellectualibus ipſa invita: quia per hanc apertionem ſecretorum læditur Societas creaturarum rationalium, & iurgia excitantur: vnde quælibet habet ius ſecreti, ſicut homines habent ius ne eorum Epiſtolę inuis invitis aperiantur. Eligibiliuſque foret naturæ rationali, quod ſecreta cordis ſui alijs innoteſceret ſine eius licentia, quam quod dum [illegible] vehementer impelleretur invita ad malum aſtutia diaboli, vt difficillimum ei eſſet reſiſtere. Vnde non minus exigit non ita tentari dum eſt innocens, quam vt ſecreta ipſius alijs non manifeſtentur contra eius libitum.

43 Poſt peccatum vero iuſtiſſime puniri poteſt hac pœna, vt enim inquit Auguſtinus lib. 3. de libero arbitr. cap. 18. *Illa eſt peccati pœna iuſtiſſima, vt qui recte facere cum potuit, noluit, amittat poſſe cum velit.* Vnde difficultas ad amplectendum bonum honeſtum eſt pœnalis, & neceſſario ſupponens culpam: & ideo addit ibi Auguſtinus: *Nam ſunt re vera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia, & difficultas.* Siquidem qui peccat dum cognoſcit malitiam obiecti, & eam facile poteſt cavere, rectiſſime punitur per cœcitatem mentis, & per difficultatem eligendi bonum.

44 Et quamvis in pura natura concederetur diabolo poteſtas interne tentandi, facillime poſſent Angeli boni tunc tentationes dœmonum arcere ab hominibus ſuæ cuſtodiæ commiſſis. Vt enim obſervat Pat. Pereira in cap. 12. Danielis, minimus Angelus bonus eſt potentior ſupremo Angelo malo: quia prævalet in Angelis ordo gratiæ ordini naturæ. Poſſent etiam excitando ſanctas cogitationes in phantaſia homines accendere ad pietatem, & ſedando, vel alterando humores, tentationes minuere, vel extinguere: & ſpecialis cura Angeli eſſet debita naturæ innocenti.

45 Quod ſi Deus in ſtatu puræ naturæ permitteret homines à dœmone interne tentari, & nollet miniſterio Angelorum eos refrænare; teneretur id præſtare per ſe ipſum, & nunquam permittere, vt natura innocens vehementius impelleretur ad malum quam ad bonum ſine libero ipſius conſenſu. Quare ſi adeſſent obiecta turpia ex ſe potentia valide pertrahere ad conſenſum peccaminoſum, & ab eſſent obiecta naturalia fortius, vel æque fortiter impellentia ad bonum, teneretur Deus vt author naturæ immittere ſpecies boni honeſti, & excitare cognitionem, quæ vel magis, vel ſaltem non minus impelleret ad bonum, quam obiecta turpia traherent ad malum. Sic Theologi recurrunt ad Deum vt cauſam primam dum aſſerunt primam cognitionem, aqua conſultatio de opere honeſto incipit, ſive cum incipit vſus rationis, ſive in cuiuſcumque rei initio, vel quoties homo de ſpeciali aliqua deliberatione cogitare incipit, vel à ſomno ſurgit, à Deo ſolo excitari. De quo conſulendus eſt Pat. Vazquez 1. 2. diſput. 38. capit. 3. & diſput. 189. capit. & diſput. 109. capit. 15. Quod ſaltem in Angelis neceſſarium putant. Nam in hominibus quandoque poteſt excitari ex vſu ſenſus externi, quandoque ex induſtria Angeli.

SECTIO OCTAVA.

Sextum caput probandi noſtram ſententiam, quia ſi tanta eſſet debilitas in ſtatu puritati, ac in ſtatu lapſus, omnes homines tunc damnarentur.

46 ANTEQVAM rationem confitciam ſuppono naturam lapſam ita eſſe debilem ad vincendas tentationes, & obſervandam legem naturalem contentam in decem præceptis Decalogi, vt moraliter ſit neceſſitata ad peccandum mortaliter intra tempus conſiderabile, niſi gratia per Chriſtum roboretur ad vincendas tentationes: eſt enim communis, & vera ſententia Theologorum cum Div. Thom. 1. 2. quæſt. 109. artic. 4. & 8. naturam lapſam non poſſe longo tempore ſervare totam legem naturalem per ſolas vires naturales abſque auxilio gratiæ per Chriſtum, cuius ſententiæ veritatem oſtendit P. Sua. lib. 1. de grat. cap. 26.

47 Probatur autem breviter perſpicuis Auguſtini teſtimonijs lib. 2. de ad Bonifa. cap. 15. *Peccato Adæ liberum arbitrium periſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in omnibus ſubditis diabolo; ad bene autem viuendū nō*

valere, nisi ipsa hominis voluntas Dei gratia, fuerit liberata & ad omne bonum sermonis & cogitationis adiuta: lib. Prop. in Epist. ad Rom. prop. 11. *Liberum arbitrium perfecte fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium, vt non peccemus, sed tamen vt peccare nolimus: gratia verò facit vt non tantum velimus recte facere, sed etiam possimus.* Et demum disput. 2. contra Fortunatum: *Adamus sic factus est vt nihil omnino voluntati eius resisteret, si vellet Dei præcepta servare: postquam autem libera ipse voluntate peccauit, nos in necessitatem præcipitati sumus.* Et Epistol. 93. *Homo diuina gratia priuatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat.*

48 Hoc suppositio sic argumentor; nam in statu naturæ lapsæ homo est moraliter impotens obseruare totam legem naturalem, & moraliter necessitatus ad peccandum mortaliter nisi Deus ob Christi merita illi tribuat gratiam ad vincendas tentationes. Ergo si in statu puræ naturæ haberet eandem debilitatem virium; omnes homines essent tunc moraliter necessitati ad peccandum mortaliter; ergo certum moraliter esset, omnes damnandos; ergo homo esset ex natura sua ordinatus ad finem beatitudinis naturalis, quem nunquam posset consequi. Quod & per se est incredibile & pugnat cum Dei prouidentia, qui nequit secluſa culpa naturam rationalem in eo statu collocare, in quo moraliter sit ipsi impossibile suam fœlicitatem obtinere, & finem sibi à Deo præstitum assequi. Quomodo enim posset natura rationalis eligi ad prudenter sperandam salutem, quam sciret esse sibi moraliter impossibilem, & à nullo vnquam obtinendam? Vnde de sua salute difidens habenam laxaret vitijs. Et sane quis credat hominem natura sua principem creaturarum visibilium miserrimum esse omnium, vtpote destinatum ad æterna tormenta? Nec posse vnquam absolute & simpliciter peruenire ad centrum, ad quod à Deo creatus est? Vt ergo hæc vitentur absurda, dicendum est hominem in statu puræ naturæ conditum habiturum potentiam moralem ad vitandũ omne peccatum mortale, & consequendam beatitudinem naturalem: & consequenter habiturum maiores vires ad obseruandam legem naturalem, quam habeat modo homo lapsus.

49 Confirmatur, quia implicat Deum naturam rationalem in eo statu producere, in quo omnia eius individua in æternum perirent. Atqui si homini esset connaturalis tanta rebellio appetitus contra rationem quanta datur post Adami lapsum in eius posteris, & Deus produceret homines in pura natura, omnes in æternum perirent: ergo quandoquidem non repugnat Deum homines in pura natura producere, omnino implicat esse connaturalem homini tantam appetitus rebellionem, quantam experiuntur modo filij Adæ. Minor constat ex nuper dictis; nam rebellio appetitus tanta est in statu naturæ lapsæ, vt homines vi illius sint moraliter necessitati ad peccandum nisi adsit gratia per Christum vincens illam rebellionem: ergo in statu puræ naturæ omnes essent moraliter necessitati ad peccandum mortaliter, semel autem lapsi nõ possent viribus proprijs Deo satisfacere pro culpa, nec ab eius reatu liberari: peccatumque commissum nisi per pœnitentiam cito deleretur suo pondere in noua peccata pertraheret, vt aiebat Gregorius sectione præcedenti.

50 Maior vero suadetur ex illa communi ratione, qua Sancti Patres probant animæ nostræ immortalitatem, quæ pariter euincit veritatem nostræ maioris. Illa ratio desumitur ex naturali prouidentia Dei, ad quam spectat hanc humanam rempublicam ita moderari, vt partim timore pœnarum, partim spe præmiorum, alliciantur homines ad virtutem & retrahantur à vitijs. Vnde inferunt animam esse immortalem, nam alioquin frustra sperarent homines præmium propter exercitium virtutis, nisi post hanc vitam reſtatet locus, & tempus præmij, atque supplicij. Hoc autem argumentum quod magni ponderis est, æque videmus probare, hominem in pura natura constitutum posse moraliter assequi suam beatitudinem naturalem.

51 Quia si ex naturali infirmitate omnes homines infallibiliter essent damnandi post mortem, non possent prudenter sperare quod sibi & omnibus est moraliter impossibile; atque adeo non esset satis prouisum reipublicæ humanæ; non enim illi esset sufficienter propositum præmium, quo possent homines alici ad opera honesta, imo cum omnes scirent, se infallibiliter damnandos, facile præcipitarentur in vitia, sic enim apud se discurrerem: certum est nos in æternum perituros, fruamur ergo delicijs huius vitæ, dicerentque cum impijs Sapient. 2. vers. 6. & Isai. 22. vers. 13. *Comedamus, & bibamus nullumque sit pratum quod non per transeat luxuria nostra, cras enim moriemur.* Parumque curarent, ne damnarentur ob plura, & graviora scelera, si certi essent, se damnandos ob aliqua. Quis autem non videat hanc non esse prouidentiam dignam natura rationali, quæ debet à Deo vt authore naturæ cohiberi tanquam fræno timore supplicij, & tanquam calcari stimulari spe præmij, vt ita rectum virtutis tramitem ingrediatur, & in eo ambulet vsque ad finem vitæ.

52 Dices primo sufficere possibilitatẽ physicam obtinendi beatitudinem naturalem, vt illã

tanquam ſibi poſsibilem apprehendentes, excitarentur ad opera virtutis. Sed contra, quia vbi poſsibilitas phyſica coniuncta eſt cum impoſsibilitate morali proveniente ex intrinſecis naturæ non ſufficit ad excitandam ſpem: quia illa poſsibilitas coniuncta eſſet cum cognitione, qua homines ſcirent ſe abſque dubio damnãdos in æternum, cum qua cognitione nequit ſpes componi.

53 Dices ſecundo in eo eventu, in quo Deus conderet homines in pura natura, non propterea damnandos omnes: quia ſaltem ſalvarentur pueri decedentes ante vſum rationis cum innocentia naturali. Sed contra: quia ad naturã humanã, & ad providentiam ipſi debitam per accidens ſe habet immatura infantium mors, quæ eſt veluti præter intentionem naturæ intendentis adultam hominis ætatem, in qua creatorem cognoſcere, & laudare poſsit, & æternam fœlicitatem promereri: & providentia præcipue ſpectanda eſt in adultis, qui timore ſupplicij, & ſpe præmij impellendi ſunt ad opera virtutis: in eis autem deficeret providentia eſſentque proinde miſerrimi omnium creaturarum, vtpote, qui ab ipſa natura, & ab intrinſeco vendicarent ſi impedimentum ſalutis obtinendæ, & centrum ſuum poſsidendi. Vnde non fruſtra, ſed [illegible] optimo de natura ſua quæreretur genus humanum ibi eſſe moraliter impoſsibile conſequi ſuum finem & centrum.

54 Hinc noſtræ ſententiæ prodit nova confirmatio: quia implicat Deum condere naturam ad aliquem finem, & ipſi imprimere impedimentum illius finis obtinendi: ſic enim verificaretur Deum velle vt obtineret finem illum, & ſimul velle vt non obtineret: velle vt obtineret, quia ad hoc illam crearet; velle vt non obtineret, quia à ſe & ex ſe illi imprimeret impedimentum reddens impoſsibilem finis conſequutionem: ergo natura humana ex ſe nequit eſſe moraliter neceſsitata ad peccandum. Id quod tanquam quid manifeſtum videtur ſupponere Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio, capit. 16. & 17. & lib. 1. Retractationum, cap. 9. *Si enim* (inquit) *ſic homo factus eſt, vt neceſſario peccet, hoc debet vt peccet (quia hoc debet quiſque quod accepit;) cum ergo peccat, quod debet facit. Quod ſi ſcelus eſt dicere, neminem natura ſua cogit vt peccet.* Cogeret autem natura ſua hominem vt peccaret, ſi natura hominis poſceret appetitum ſenſitivum, ita pronum ad malum, vt induceret neceſsitatem moralem peccandi.

55 Quare tanta rebellio appetitus contra rationem non eſt naturalis, ſed pœnalis, eſt enim quaſi monſtruoſa, & quæ Deum nequit habere authorem. Audiamus Auguſtinum lib. 8. Confeſsion. capit. 9. graphice deſcribentem hanc pugnam. *Vnde hoc monſtrum, & quare iſtud: imperat animus corpori, & paretur ſtatim, imperat animus ſibi, & reſiſtitur: imperat animus, vt moueatur manus, & tanta eſt facilitas, vt vix à ſeruitio diſcernatur imperium, & animus eſt, manus autem corpus eſt. Imperat animus, vt velit animus, nec alter eſt, nec facit tamen. Vnde hoc monſtrum, & quare iſtud?* Et paucis interpoſitis concludit, hanc eſſe ægritudinem animi, quia non totus aſſurgit veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus.

SECTIO NONA.

Reijcitur verosimilior ſolutio rationis factæ ſectione præcedenti.

56 DICES tertio ex Pat. Suarez lib. 1. de grat. capit. 28. numer. 9. ſi Deus conderet hominem in pura natura illi ſua liberali providentia collaturum auxilia intrinſece naturalia, quibus poſſet, ſi vellet, totam legem naturalem diu ſervare, omniaque peccata illi contraria vitare. Eſſet enim tunc valde conſentanea divinæ ſapientiæ hęc providentia. Qnia ad Authorem naturæ pertinet ita ſuis creaturis providere vt finem ſuum aſſequi poſsint; & licet illud adiutorium in rigore eſſet vltra concurſum naturæ debitum, non eſſet vltra providentiam conſentaneam tum magnificentiæ, & miſericordiæ Dei, tum excellentiæ naturæ pure ac præciſe ſpectatæ. Sic enim homo in puris naturalibus maiorem dependentiam in ſuis actionibus à Deo recognoſcere poſſet, item ab illo petere, & ſuo modo orare excitationem bonorum cogitationum, & affectuum, in neceſſarijs occaſionibus, & temporibus opportunis, ſicut poſſet petere pluvias, & alia bona temporalia. Item, quia conſentaneum eſt, vt Deus vnicuique naturæ prouideat iuxta modum ſuum, & vt rationalium creaturarum maiorem curam habeat, etiam intra ordinem providentiæ naturalis, quam brutorum. Item hoc modo homines haberent vnde magis timerent, & amarent Deum, ſi crederent, non ſolum aliis providere per cauſas ſecundas, conſervando ordinem earum, quem ſemel conſtituit, ſed etiam aliquando, vel eas aliter applicando per ſe, vel per Angelos, vel immediate internas ſpecies frequentius & efficacius excitando.

57 Sed contra, quia vel illa providentia eſſet

eſſet connaturalis, & debita homini condito in puris naturalibus: vel eſſet indebita & gratioſa? Si primum, habeo intentum: quia Deus nequit hominem producere, & illi imponere præceptum talia, vel talia opera exercendi, à tali vel tali opere abſtinendi, quin ei conferat moralẽ poteſtatem ad obſervandum præceptum. Si ſecundum: ergo Deus potuit abſolute negare homini condito in puris naturalibus, & habenti obligationem ſervandi decem præcepta Decalogi, illa auxilia: alioquin ea non eſſent gratia, quia vt oſtendimus diſput. 1. & 2. eſt contra conceptum gratiæ, quod ſit debita naturæ; & quod ſuppoſito dono creationis negari nequeat à Deo.

58 Quare rationes à P. Suarez adductæ non ſolum probant illam providentiam eſſe cõſentaneam naturæ, ſed debitam: & meo iudicio ità debitam, vt nec de potentia abſoluta potuerit Deus hominem condere cum obligatione naturali ſervandi decem præcepta, quin ad id tribueret illi moralem poteſtatem, vel tribuendo vires, quibus facile poſſet legem obſervare, vel tribuendo ſaltem facultatem ad illas obtinendũ media oratione: *Deus enim impoſsibilia nõ iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adiuuat vt poſsis.* Vt inquit Tridentinum Seſſ. 6. capit. 11.

59 Vnde licet homo lapſus magnam patiatur difficultatem circa obſervationem legis naturalis, & nequaquam poſsit illam obſervare niſi adiuvetur ſpeciali auxilio per Chriſtum; poſſet tamen homo innocens in pura natura facile illam obſervare, & conſequenter non indigeret auxilio ſpeciali: eſſet enim homo ille tunc ſanus, nunc vero infirmus: vnde ſicut ex eo quod homo dũ eſt infirmus indigeat adiutorio ſpeciali ad aliqua opera, non ſequitur quod indigeret illo, ſi eſſet ſanus: ita ſimiliter in noſtro caſu, &c.

60 Quapropter merito obſervavit Annatus in ſuo Auguſtino à Baianis vendicato, lib. 5. cap. 11. Ianſenium in hac diſputatione in qua contendit, impoſsibilem eſſe ſtatum puræ naturæ, incautis illudere: dum impoſsibilitatem purę naturę probat ex ijs, quæ dicta ſunt ab Auguſtino de natura peccatrice, ſuppoſita ea, qua nunc regitur, providentia, perinde quaſi tam infirma foret ad omne bonum natura innocens, tamque indigeret in debito Dei auxilio, ac indiget rea iræ Dei, flagelliſque ac caſtigationibus tum poſitivis, tum privativis obnoxia. Rectèque probat dum Auguſtinus agit de impoſſibilitate bene agendi, qua laborat humana natura, loqui ſemper de natura lapſa, neque vllum eſſe verbum in omnibus eius operibus, quo ſignificet ſi eſſet in medio quodam ſtatu ſine peccato, & ſine gratia, nullas fore illius vires, nullosque motus ad bonum morale.

61 Et quidem argumenta Ianſenij petita ab authoritate Auguſtini aſſerentis naturam humanam per peccatum adeo manſiſſe infirmam, vt non poſsit tentationes vincere, neque quidquam boni operari, niſi ſpeciali gratia per Chriſtum adiuvetur, non parum vrgent eos Theologos, qui dicunt naturam lapſam non eſſe debiliorem, quam foret natura pura. Hinc enim vnum è duobus neceſſario ſequitur, vel non potuiſſe Deum condere hominem, quin illum adiuvaret per auxilia ſpecialia gratiæ ad obſervationem legis naturalis: vel potuiſſe eum condere ad beatitudinem naturalem cum impoſsibilitate morali eam conſequendi; potuiſſeque homines innocentes in eo ſtatu conſtituere, in quo infallibile foret, omnes damnandos. Vtrumque autem eſt abſurdum: primum quia eſt contra conceptum gratiæ; ſiquidem Deus nequit eſſe metaphyſice neceſſitatus ad conferendum homini innocenti gratiam, niſi ex vi promiſſionis liberæ: ſicut nequit eſſe metaphyſice neceſſitatus ad communicandum illi formam ſanctificantem tribuentem ius ad claram Dei viſionem, vt probavimus diſp. 1. Quamvis enim gratia conferatur ad obſervationem legis naturalis, ſi ſemel eſt gratia ſpecialis, & ſupernaturalis totius naturæ, non magis Deus poteſt adſtrui neceſſitatis ad illam largiendam, quam ad infundendam gratiam habitualem ſanctificantem. Secundum vero eſt contra Dei providentiam, & bonitatem, cui omnino repugnat ordinare naturam ad aliquem finem, & illi non tribuere media, quibus eum moraliter poſsit conſequi.

62 Dicent forſam, Deum quidem potuiſſe producere hominem in pura natura, quin illum elevaret ad finem ſupernaturalem viſionis beatificæ: non potuiſſe tamen ita producere in pura natura ad finem beatitudinis naturalis conſequendum, vt decerneret non conferre illi aliquam gratiam ſpecialem, quia ſine illa impoſsibile moraliter ipſi foret illum finem conſequi. Quod comprobari poteſt ex Auguſtino lib. 5. de libero arbitrio capit. 20 vbi ait: *Quamquam in ignorantia, & difficultate nata ſit anima, non tamen ad permanendum in eo quod nata eſt, aliqua neceſſitate comprimitur.* Nimirum, quia vt paulò antea dixerat: *Facultatem habet vt adiuvante creatore ſe ipſam excolat, & pio ſtudio poſsit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur.* Et paucis interiectis, ſubiungit: *Quod ſi agere noluerit peccati rea iure tenebitur, tanquam quæ non bene vſa ſit ea facultate, quam accepit.*

Quibus verbis videtur docere Aug. Deum non potuiſſe condere animas inficiendas peccato originali, & naſcituras cum tanta ignorantia, & difficultate, niſi paratus eſſet eis conferre auxilia gratiæ, quibus poſſent eam ignorantiam, & difficultatem vincere. Pariter ergo dici poſſet, non potuiſſe naturam humanam condere ad finē beatitudinis naturalis obtinendum, quin paratus eſſet eam adiuvare auxilijs gratuitis.

Reſpondeo Auguſtinum eo loci ſolum innuere bonum eſſe homini quod creatur, quāvis peccato originali infectus naſcatur, & difficultati, & ignorantiæ obnoxius; tum ob alias rationes, tum quia Deus homini dat lumen naturale, quo ſi bene vtatur cum auxilio, quod Deus paratus eſt conferre, nimirum orando, & à Deo petendo auxilium, ignorantiam illam, & difficultatem vincet. Minime tamen ibi docet, Deum ex ſuppoſitione, quod permiſerit peccatū originale, neceſſitatum fuiſſe præbere illa auxilia, alioquin dici ſimiliter poſſet neceſſitatum fuiſſe, vt mitteret Chriſtum tanquam medium ad ſanandam naturam infirmam, ſicut de facto in hunc finem miſit.

63 Deinde mihi veriſimile valde eſt, Deum non potuiſſe permittere, vt tota natura humana corrumperetur per primi Parentis peccatum, ac ipſe obnoxia tantæ ignorantiæ, & difficultati, quin decerneret præbere ei eſſe cū auxilijs gratiæ ad vincendam eam ignorantiam, & difficultatem, & evitanda peccata mortalia: quia non potuit permittere tantum malum, niſi vt inde eliceret magnū aliquod bonum: vt enim inquit Auguſtinus in Enchirid. cap. 27. *Deus melius iudicauit de malis benefacere, quā nulla mala eſſe permittere.* Et cap. 101. *Nec ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene.*

64 Et ſic cenſeo, Deum non potuiſſe permittere vt omnes Angeli, & omnes homines damnarentur: quia tunc permitteret malum peccatij, & ex hoc malo nullum bonum eliceret: ſicut nūc ex damnatione aliquorum elicit magna bona in prædeſtinatis, qui per totam æternitatem cantant Domino miſericordiam, & iudicium, ipſumque laudant, quia eos ſelegerit in vaſa miſericordiæ, quamvis alios permiſerit eſſe vaſa iræ. Vnde Aug. Epiſt. 106. ad medium, inquirens: *Cur Deus condiderit eos, qui peccaturi erant*, ita reſpondet: *vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſſa miſericordiæ, ne ſe in bonis operibus tanquam de propriis extollerent viribus, ſed humiliter intelligerent*, &c. Et infrà: *Vt omne os obſtruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.*

65 Ex eo autem quod Deus non potuerit permittere, vt tota maſſa naturæ humanæ per peccatum Adæ corrumperetur, & contraheret neceſſitatem moralem damnationis, quin ſimul decerneret homines miſericorditer iuvare ad vincendam difficultatem, & ignorantiam dimanantem ex peccato, ita vt non ſtaret per Deum, ſed per arbitrium hominis nolentis vti gratia ſibi oblata: ex hoc, inquam, minime ſequitur quod non potuerit Deus producere homines in pura natura, quin decerneret eis dare auxilia ſuæ gratiæ: nam ſecluſa omni gratia ſpeciali, ex vi doni creationis, & providentiæ ſibi debitæ haberet vnuſquiſque hominum poteſtatem moralem obſervandi totam legem, & obtinendi beatitudinem naturalem, ad quam eſt creatus.

66 Sed rogabis an abſolutè potuerit Deus cōdere homines in pura natura cum facultate morali obſervandi totam legem, & ſimul decernere, nulli eorum remittere peccatum mortale, ſi in illud incidat. Nam ex noſtra ſententia videtur ſequi hoc fuiſſe poſſibile, quia homo per peccatum conſtituitur dignus damnatione. Deus autem ſicut poſita culpa poteſt infligere pœnam, nullum dando locum pœnitentiæ, vt in Angelis accidit; ita poteſt antecedenter vniverſali lege hoc ſtatuere. Aliunde autem hoc videtur impoſſibile, quia videtur repugnare divinæ bonitati, quod collocet hominem in eo rerum ſtatu, in quo delinquere valeat, & nequeat delicti veniam impetrare. Vnde videtur impoſſibilis ſtatus puræ naturæ in quo Deus nullam omnino gratiam conferret.

67 Reſpondeo, repugnare quidem, vt Deus creet hominem in eo ſtatu, in quo neceſſarium moraliter ſit ipſum peccare, & tamen nequeat à Deo veniā obtinere, quia tūc omnes homines infallibiliter dānarentur: non repugnare tamen, vt producat homines in eo ſtatu, in quo ſinguli habeant poteſtatem moralem, & magnam facilitatem obſervandi totam legem; & quod ſimul ſtatuat, ſi aliqui incidant in peccatum mortale, infallibiliter illos punire æterna pœna: vt fecit cum omnibus Angelis peccātibus. Itaque poſſet Deus legem condere, illāque omnibus intimare, quod quicumque poſt tantam facilitatem obſervandi legem peccaret mortaliter, ſtatim detruderetur ad inferos: quæ lex eſſet magnus ſtimulus ad vitandum peccatum. Quamvis autem Dei propriū ſit miſereri, & remittere peccata; hoc quidem probat, eum habere poteſtatem remittendi; non tamen quod nequeat ſuo decreto libero ſibi neceſſitatem imponere non remittendi peccatum commiſſum ab homine, qui facile potuit ipſum vitare. Vnde poteſt defendi non ſolum eſſe poſſibilem ſtatum puræ naturæ per excluſionem gratiæ elevantis ad finem ſupernaturalem viſionis beatificę, ſed per excluſionem omnis auxilij gratuiti adiuvantis ad obſervandam legem naturalem.

SEC-

SECTIO DECIMA.

Infertur ex dictis quomodo post peccatum naturalia manserint integra?

68 EX dictis non obstat ratio adducta sect. 1. ex Dionys. asserente etiam in dæmonibus post peccatum naturalia mãsisse integra. Nam certum est saltem per peccata actualia minui inclinationem naturalem ad virtutem, vt docet Div. Thom. 1. 2. quæst. 85. art. 1. cum enim per peccatum generetur qualitas habitualis inclinans ad peccandum, quæ repetitione actuum intenditur, & dicitur habitus dans facilitatem: & cum tantumdem minuatur inclinatio ad vnum extremum, quantum crescit inclinatio ad oppositum; fit inde; vt tantumdem minuatur inclinatio ad virtutem, quantum crescit inclinatio ad vitium oppositum.

69 Vt respondeam noto ex D. Thom. ibidem: *Bonum naturæ primo dici ipsa principia naturæ, ex quibus ipsa constituitur, & proprietates ex ijs causatas, sicut potentias animæ, & alia huiusmodi.* Secundo, quia homo à natura habet inclinationem ad virtutem, ipsam inclinationẽ ad virtutẽ esse quoddã bonũ naturæ. Hoc supposito respondeo cum ipso D. Thom. ibidem ad primum, Dionysium loqui de bono primo naturæ, quia nimirum dæmones per peccatum non amiserunt aliquid pertinens ad constitutionem naturæ, neque aliquam proprietatem naturalem, vel potentiam, verbi gratia, intellectum & voluntatem: licet amiserint aliquid sibi naturaliter conveniens, nempe inclinationem ad virtutem. Nam per statum damnationis ita obscuratur, & absorvetur inclinatio ad bonum virtutis, vt solum ibi resplendeat inclinatio ad malum orta ex peccatis, & ex iusta pœna, necessitantibus moraliter ad nova peccata. Et similiter in Beatis, in quibus naturalia manent integra, non manent potentia peccandi, quia licet illa sit connaturalis creaturæ rationali, nõn tamen pro omni statu, sed solum pro statu viæ.

70 Sic ergo manserunt post peccatum omnia naturalia in homine, quæ vel ad intrinsecam constitutionem naturæ pertinent, vel tanquã proprietates à natura fluunt, illãque cõmitari debent pro omni statu, & omni tempore: nõ manserunt tamen omnia naturalia, quæ debita erant homini pro statu innocentiæ, quia nimirũ non remansit maior inclinatio ad bonum honestum, quæ ante peccatum erat debita homini, & nõ est debita pro statu peccati. Aliqua enim sunt debita homini pro statu innocentiæ, quæ non sub debita ipsi pro statu peccati; sicut in sententia D. Th. aliquid est debitũ Angelis pro primo instanti, quod non est debitum pro sequentibus, nempe, carentia potentiæ proximæ ad peccandũ.

71 Eodem modo exponit authoritatem illã D. Th. ex 1. p. q. 95. art. 1. M. Alvarez lib. 6. de Auxilijs d. 45. ad primum: ibi enim inquit *Non ait quod naturalia post peccatum manserunt integra in hominibus, & dæmonibus quantũ ad omnia, sed solum inquit quod manserint integra, si sermo sit de bono primo naturæ, quod est esse, viuere, & intelligere.*

SECTIO VLTIMA.

Solnuntur aliquæ obiectiones: & explicatur quo pacto Deus potuerit condere hominem qualis nunc nascitur.

72 SED arguunt Ianseniſtæ apud Annatũ lib. 5. cap. 11 ea quæ impossibile faciunt (id est maxime difficile) naturæ lapsæ ac peccatrici virtutis exercitium, sunt ignorentia, & concupiscientia, quarum altera impedit, ne cognoscatur bonũ, altera ne efficaciter diligatur; sed in statu puræ naturæ vtraq; perinde reperiretur: ergo reperiretur eadẽ virtutis exercendæ in possibilitas. Huic argumento resp. Annatus, negando mai. nec enim ex ignorantia tantum & concupiscientia oritur eadẽ virtutis impossibilitas, seu maxima difficultas in natura lapsa; sed etiam ex modo providentiæ naturæ peccatrici consentaneo, quę postulat, vt nõ eadem illi præsidia conferantur ad vincenda mala, quæ sua culpa commerita est, quæ conferrentur, si esset innocens. Sed hæc solutio non satisfacit: nam si providentia debita naturæ innocenti permittit, vt illa habeat eamdem ignorantiam, & concupiscientiam, quam habet natura lapsa, permittit vt exercitium virtutis æque sit difficile in natura innocenti, ac in natura lapsa: natura enim rationalis nõ aliter potest facilitari ad bonũ honestum, nisi vel minuendo pondus concupiscẽtiæ inclinans ad peccandum, vel augendo cognitionem inclinantem ad bonum honestum, & immittendo maiorem inclinationem ad illud. Quare concessa maiori, nego minorem: nam homini innocenti debetur cognitio boni honesti vividior, & magis alliciens ad illud amplectendũ, quam alliciat cognitio proponens bonum turpe; quoniã ad providẽtiam Dei debitam naturæ innocenti spectat ita res temperare, vt in actu primo maiorem habeat propensionem natura innocens ad bonum honestum, vel saltem nõ minorem. Quod fit immittendo cognitionem boni vividiorem, & proponentem validissima motiva ad coercendum appetitum, quæ vi sua redundat vim motivam, quam ille haberet ad pertrahendum in malum.

73 Obijcies secũdo nostrã sententiã pugnare

cum Bulla Pontificum contra Baium: nam iuxta Bullam homo potuit à Deo primo condi qualis nunc naſcitur: ſiquidem oppoſita propoſitio damnata eſt. Sed nunc naſcitur homo obnoxius rebellioni appetitus contra rationem: ergo talis potuit à Deo condi: ergo rebellio appetitus contra rationem eſt connaturalis homini conditio in puris naturalibus. Verum hoc argumentum multum probat; nimirum potuiſſe hominem condi à Deo cum rebellione appetitus moraliter neceſsitante ad peccandum: ſiquidem in hoc ſtatu naturę lapſæ homo expondere concupiſcentiæ neceſsitatus eſt moraliter ad peccandum, ſecluſa gratia per Chriſtum; certum eſt autem Pontifices damnantes propoſitionem Baij, minime aſſeruiſſe, quod Deus potuerit primo condere hominem cum concupiſcientia moraliter neceſsitante ad peccandum.

75 Pontifices ergo ſolum intenderunt damnare, quod Baius aſſerebat, Deum non potuiſſe primo condere hominem mortalem, & obnoxium malis & affectionibus corporis, quibus nunc ſubijcitur: nec potuiſſe condi à Deo obnoxium ignorantię, & deceptioni, & miſeriæ, non propagandi ſpeciem ſine æſtu libidinis obſcurantis rationem, vel etiam abſorvẽtis: & impedientis contemplationem: item intendiſſe dãnare Baium quatenus aſſeruit, Deum non potuiſſe primo condere hominem cum appetitu ſenſitivo potente erumpere in motus indeliberatos erga obiectum prohibitum. Nullo autem pacto intendit illum damnare, quatenus aſſerebat Deum non potuiſſe condere hominem cum appetitu rebelli contra rationem, & illam quodammodo cogente, vel ſuccumbere motibus appetitus tentantibus ad malum, vel illis reſiſtere ſine potentia ad eos comprimendos & ſuffocandos.

76 Omitto alias obiectiones, quę hic fieri poſſent ex Ripalda diſp. 9. contra Baium, ex P. Granados in Præfat. ad controverſiam de grat. num. 13. & ex alijs Authoribus; quia ex dictis in tota hac diſputatione facile poteſt eis adhiberi ſolutio.

DISPVTATIO QVARTA.

EXAMINATVR PECVLIARIS SENTENTIA DOCTORIS COMPLVTENSIS, AFFIRMANTIS concupiſcientiam ex terminis ſuis ſupponere peccatum; & ita eius pondus deprimere naturam lapſam, vt habeat metaphyſicam connexionem cum peccato, niſi adſit gratia efficax cõſiſtens in delectatione victrice: & multa ſingularia ſtatuentis circa naturam peccati originalis contraria communi ſententiæ Scholaſticorum.

NVNC fidem exolvo, quam obſtrinxi diſput. præcedenti numer. 8. dum in præſentem diſputationem diſtuli examen huius ſententię.

SECTIO PRIMA.

Proponitur ſententia illius Doctoris.

1 IS eſt Illuſtriſsimus D. D. Michael Perez Epiſcopus Archadię præſtantis ingenij vir, qui multis iam annis magnum de gratia meditatur opus in tres tomos diſtributũ, quorum primum habet iam prælo paratum. Igitur ille Author, à me per Epiſtolam conſultus, pro ſua in me benignitate ſuam mentem aperiẽs, docet in primis, rebellionem appetitus cõtra rationem, cui omnes filij Adæ obnoxij naſcimur, ita eſſe effectum peccati, vt eo ſecluſo nullo pacto poſsit homini conuenire, ac proinde aſſerit, hominem in pura natura conditum caſturum ea rebellione, ac per conſequens concupiſcientiam rebellem non pertinere ad pure naturalia hominis.

2 Vt autem explicet quo pacto Deus non cauſet poſitive in poſteris Adę concupiſcientiam & rebellionem appetitus contra rationem, ſi ſemel hæc concupiſcientia non reſultat neceſſario ex intrinſecis naturæ non præventæ dono aliquo gratuito impediente illam reſultare,

rantiam: aic, quamvis concupiscentia sit pœna iusta peccati, & sit à Deo, vt vindicante peccatum, cæterum non esse pœnam ab ipso inflictam vel causatam, sed ab homine contractam per peccatum: eatenusque dici Deum per concupiscentiam punire peccatum, quatenus licet illam concupiscentiam denuo non causet, nec in homine ponat; tamen illam à peccato causatam, & in natura per peccatum relictam, non vult tollere, sed in vindictam peccati sinit ibi manere, *vt qualem se homo fecit peccando, talis propagetur*, sicut dicit Anselmus.

3 Si autem ab ipso queras, quomodo peccatum causare potuerit concupiscentiam; respondet, peccatum quidem physice causasse illam concupiscentiam in Adamo, & transfusionem, seu derivationem in posteros causasse mortaliter, & meritorie, quatenus Adamus suo actu peccaminoso naturam humanam infecit, primo physicè inducendo in eam illum morbum concupiscentiæ, deinde promerendo, vt morbus ille perseveraret in natura, & cum ea transiret ad posteros. Ait enim concupiscentiã in Adamo non distingui à peccato habituali ipsius remanẽte ex peccato actuali; asseritque, illud peccatum habituale fuisse habitum quemdam vitiosum causatum ab actu peccaminoso Adami, non secundum rationem specificam gulæ, vel superbiæ, v. g. sed secundum rationem genericam aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam; subditque, propterea, nos experiri, effectum formalem concupiscentiæ in nobis esse fastidium quoddam omnis boni ad Deum attinentis, & aviditatem, & inhiantẽ cupiditatem rerum temporalium: fastidium nãque illud rerum divinarum correspondere aversioni à Deo, repertæ in peccato; cupiditatem vero rerum temporalium respondere conversioni ad creaturam, quæ cum illa aversione conjungitur: illumque habitum vitiosum causatum in anima Adami ex eius actu inobedientiæ, à solo Deo potuisse tolli, & removeri, tum quoad reatum culpæ, tum quoad entitatem.

4 Cæterum cum Deus statuisset hominem punire, & simul redimere; per iustificationem abstulisse ab damo illud peccatum, seu illum habitum vitiosum quoad reatum culpæ, reliquisse vero illum quoad entitatem & actualitatem, vi cuius inclinat ad bona temporalia quærenda, & dicitur concupiscentia; vt esset perpetuum signum inobedientiæ Adami vt talẽ ille experiretur appetitum suum contra spiritum suum, qualem ipse se exhibuit adversus Deum, rebellando adversus creatorem: vi huius habitus vitiosi mansisse naturam in Adamo depravatam, & inordinatam, & carnem rebellem adversus spiritum in supplicium peccati, & insignum inobedientiæ, & quasi vestigium culpæ; naturam vero sic depravatam non transire ad posteros mediante seminali propagatione sine illa cõcupiscentia, quia semen ipsum, quo proles formatur, transit viatum, & quasi sygillatum illa concupiscentia, seu inclinatione ad bona delectabilia temporalia; & ita in carne filiorum Adæ apparet illa maligna qualitas, quæ ipsam pronam reddit ad bona temporalia, & dum illa caro animæ vnitur, causat in illa eam de ordinationem, quam filij Adam experimur. Admodum quo id, quod parentes vivaciter imaginantur generationis tempore, solet in prolem transire per affectionem quandam intentionalem; vt constat exemplo virgarum, quas diversis coloribus variegatas posuit Iacob Genes. 30. coram ovibus, quando concipiebant, & sic fœtus evadebant varij coloris, & constat alijs exemplis adductis ab Augustino lib. 5. contra Iulianum, cap 9. & lib. 6. cap. 7. ex quo hic Author dicit se hanc doctrinam sumpsisse.

5 Pergit deinde, & affirmat, concupiscentiam hanc in statu naturæ laptæ ita liberum arbitrium captivum tenere, vt necessitatem inducat peccandi, non solum moralem, sed physicam, nisi adsit gratia per Christum, quæ pedus concupiscentiæ vincat. Proinde affirmat, vires arbitrii ita esse debilitatas in statu naturæ lapsæ, vt hæc del[illegible] non [illegible] cessitatem moralem peccandi, sed physicam in omnibus, & singulis actibus, seclusa gratia per Christum. Putatque hanc esse mentem Augustini, & propterea eius doctrinam visam fuisse duram Masilensibus, & hanc necessitatem nomine ipsius propugnatam fuisse à Prospero contra eosdem. Hancque impotentiam physicam ad bonum convenientem homini in statu naturæ lapsæ vi concupiscentiæ subiugantis arbitrium, & captivantis illud in lege peccati, existimat contineri in illa definitione Concilij Aruusicani, sic statuentis contra Pelagianos: *Nemo potest de suo nisi mendacium & peccatum.*

6 Quia vero in terminis ipsis videtur implicare necessitas physica ad peccandum, vt hanc difficultatem præocuper, & propositionem de se duram, deliniat, affirmat, hanc necessitatem peccandi, quam inducit concupiscentia, non tollere indifferentiã voluntatis in actu primo, quia cum hæc necessitas non sit naturalis, sed pœnalis, & accidentalis, non se tenet, inquit, ex parte actus primi, sed ex parte actus secundi; quia est pondus ipsius concupiscentiæ inevitabiliter trahens voluntatem ad actum malum, secundum proprium modum operandi ipsius voluntatis liberè sine læsione indifferentiæ ex parte actus primi. Consequenter asserit, gratiam medicinalem stabilitam à Div. Augustino contra Pelagianos, vt necessariam ad sanandum morbum concupiscentiæ, non esse necessariam

ad poſſe, neque ſe tenere ex parte actus primi, ſed tantum eſſe neceſſariam ad agere, & ſe tenere præciſe ex parte actus ſecundi; & pondus eius correſpondere contra pondus concupiſcentiæ, & inevitabiliter trahere ad actum bonum ſine læſione indifferentiæ ex parte actus primi; appellarique ab Auguſtino delectationem victricem, & auxilium, ſeu adiutorium, *quo* opus fit; & de ipſius mente lib. de correct. & grat. cap. 11. eſſe neceſſarium pro hoc ſtatu vltra auxilium gratiæ excitantis, quod ab ipſo appellatur auxilium *ſine quo non*, & eſt neceſſarium pro omni ſtatu, & pro ſtatu naturæ integræ & ſanæ foret, ſatis, vt voluntas operaretur opus honeſtum.

SECTIO SECVNDA.

Impugnatur præcedens ſententia circa naturam peccati originalis, & quatenus aſſerit concupiſcentiam reſultantem in Adamo ex peccato eius actuali, fuiſſe diſtinctam à peccato habituali ipſius.

7 VErum hæc maximam mihi ingerunt difficultatem, & per partes impugnanda ſunt. In primis vero quod ait, concupiſcentiam ſeu rebellionem appetitus, quę in Adamo ipſo reſultavit ex eius peccato, in diſtinctam eſſe à peccato habituali manente ex inobedientia actuali phyſice præterita, falſiſſimum eſt: nam peccatum habituale, vel conſiſtit in actu præterito moraliter perſeverante ratione non condonationis divinæ, quatenus homo peccavit, & Deus noluit infundere gratiam remiſſivam peccati, vel alio pacto delere offenſam, cedendo iuri ad odio habendum peccatorem, vel conſiſtit in privatione gratiæ vt inducta ex vi peccati actualis præteriti: non conſiſtit autem in aliqua qualitate relicta ex actu peccaminoſo; nam actus peccati ſolum poteſt in anima relinquere habitum inclinantem ad ſimiles actus; habitus autem ille non eſt peccatum habituale; nã hoc vere tollitur, & abradirur per iuſtificationem, & tamen per hanc non tollitur habitus vitioſus relictus ex actu.

8 Vnde P. Suarez 1. 2. tract. 5. diſp. 8. ſect. vnica, num. 5. prorſus improbabilem appellat ſententiam, quę conſtituit peccatum habituale in qualitate prava manente ex peccato actuali.

9 Impugnatur ſecundo: quia peccatum habituale Adami reſultavit ex eius peccato ſecundum ſpecificam rationem gulæ, vel ſuperbiæ: ſicut in nobis reſultat peccatum habituale ex actuali in eadem ſpecie. Qui enim peccavit tantum in materia avaritiæ, ſolum manet habitualiter peccator in illa materia, & tanquam avarus diſplicet Deo: ergo concupiſcientia, quam Adamus habuit poſt peccatum diſtincta fuit à peccato habituali ipſius: nam concupiſcentia illa eſt pondus quoddam habituale, quo anima inclinatur ad fruendum creaturis, id eſt ad res creatas propter ſe amandas, vt non male definit Ianſenius apud Anti-Ianſenium diſp. 17. ſect. 1. num. 2. peccatum autem habituale quid diverſum eſt ab hoc pondere.

10 Impugnatur tertio, quatenus dicit habitum relictum ex peccato Adami ipſum neceſſitaſſe ad peccandum. Nam habitus relictus ex actu peccati etiamſi inclinet ad ſimiles actus, ad eoſque faciliter, non tamen neceſſitat.

11 Impugnatur quarto: quia hæc doctrina reipſa nõ videtur differe à ſententia illa, à Theologis exploſſa, quæ peccatum originale conſtituit in qualitate morbida: eam namque ſententiam exponit P. Suarez 1. 2. d. 9. de peccat. ſect. 2. num. 11. his verbis: *Quarta ſententia eſt quorundam, peccatum originale eſſe qualitatem quamdam naturæ corruptæ inhærentem, quam explicant dicentes, ex Adami peccato factum eſſe vt voluntas eius fuerit infecta quadam qualitate inclinãte ad creaturam, ex qua, inquiunt, redundauit ad corpus eius aliqua qualitas morbida, quæ in ipſa generatione cõiungitur ſemini, quod format corpus naturali qualitate infectum, quo fit, vt cum primum anima infunditur tali corpori, qualitas, quæ eſt in carne, efficiat in anima etiam illam pranam qualitatem, hancque dicunt eſſe peccatum originale eſſentialiter, quia ipſa eſt, quæ animam inclinat ad creaturas, & auertio à Deo; prædictam vero qualitatem corporis dicunt eſſe peccatum originale cauſaliter, & quia etiam ex peccato parentis naſcitur.* Hęc ibi Suarez, vbi hanc ſententiam efficaciter impugnat: quod etiam præſtat P. Vazquez 1. 2. diſp. 132. c. 4.

11 Impugnatur quinto: quia ſi ex natura rei ex peccato Adami, non ſecundum rationem ſpecificam gulæ, vel ſuperbiæ, ſed ſecundum rationem communem peccati mortalis averſantis à bono incommutabili, & convertentis ad bonum commutabile, reſultavit in Adamo habitus vitioſus concupiſcentiæ, & mediante ſemine derivatus eſt in poſteros; etiam in quolibet homine reſultaret ex peccato mortali ſimilis habitus, & mediante ſemine derivaretur in eius filios. Sexto: quia ſi ex actu inobedientiæ reſultat eiuſmodi habitus, vim habens inficiendi corpus ipſum; ex actu obedientiæ reſultabit habitus virtuoſus vim habens ſanctificandi & rectificandi ipſum corpus, illudque phyſice immutandi in ordine ad bonum, & medio ſemine tranſibit hæc ſancta affectio & bona qualitas in filios.

12 Septimo: quia quamvis ex peccato

cato Adami resultaverit in eius anima habitus ille causans fastidium divinorum,& pronitatem seu cupiditatem temporalium: exponi non potest, quomodo causaverit concupiscientiam in posteris: in ipso enim Adamo causavit concupiscientiam, quatenus in genere causa formalis reddebat eius animam propensam ad temporalia & aversam ab æternis: at in posteris hunc effectum non potuit habere in genere causæ formalis, quia habitus ille non existit in animis posterorum: nec in genere causæ efficientis physicæ, quia habitus ille, cum physice non existat quando posteri generantur, non potest in illis causare similem habitum; nec in genere causæ efficientis moralis,quatenus Deus in pœnam illius habitus vitiosi primi parentis infundit animis posterorum similem habitum: sic enim Deus esset Author nostræ concupiscientiæ,& in pœnam peccati primi parentis nos positivè induceret ad peccandum, imprimendo nobis illam inclinationem.

13 Dicent forsan, peccatum Adami causare concupiscientiam in posteris, quatenus ex illo habitu vitioso recepto in anima Adami, resultavit in carne eius qualitas quædam morbida ipsam inficiens, & inficiens semen,ex quo proles formatur; quæ qualitas reddit hominem pronum ad vitia, & est pondus concupiscentiæ. Sed contra primo,quia sic concupiscientia & fomes peccati non esset in anima posterorum Adæ, sed præcise in corpore: hoc autem est falsum. Contra secundo, quia si ex habitu vitioso Adami resultavit ex natura rei in eius carne illa qualitas morbida; idem contingere deberet in omni habito vitioso. Et similiter ex omni habitu virtutis deberet resultare in ipsa carne qualitas salutifera reddens corpus ipsum pronum ad opera virtutis. Falsum ergo est concupiscientiã consistere in aliqua qualitate resultante ex peccato Adami.

SECTIO TERTIA.

Impugnatur secundo principaliter illa sententia,quatenus adstruit necessitatem physicam peccandi.

14 IMpugnatur secundo principaliter illa sententia, quatenus affirmat concupiscientiam in statu naturæ lapsæ, ita debilitare vires arbitrij, vt physice necessitet ad omnes & singulos actus peccaminosos. Nam si id verum foret, vera esset tertia propositio Iansenij, quam Innocentius X. cum alijs quatuor, vt hæreticam damnavit, quod scilicet: *Admerendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Quamvis enim hic author illationem istam neget, & Catholice doceat, ad merendum & demerendum requiri, etiam in statu naturæ lapsæ, libertatem indifferentiæ;& non sufficere libertatem à coactione, vt Iansenius somniavit; tamẽ illatio illa mihi videtur legitima. Nam implicat arbitrium nostrum vi concupiscientiæ necessitari ad aliquam actionem, & tamen manere liberum libertate à necessitate ad illam omittendam:est enim in terminis implicatoria necessitas antecedens, id est, non descendens ex ipso libero arbitrio,ad operandum libere per talem actionem determinate: hęc enim perinde foret ac necessitas antecedens ad operandũ sine necessitate antecedenti; siquidem operari libere, est operari sine necessitate antecedenti, qualis absdubio est necessitas proveniens à concupiscientia in filijs Adæ: siquidem illa concupiscientia non descendit ex libero fonte arbitrij eorum, quod erat necessarium, vt esset necessitas consequens iuxta doctrinam Anselmi;sed voice descendit ex libertate Adami. Quod confirmatur, quia vt inquit Augustinus lib. 5. de Civ.cap. 10. *Si necessitas nostra illa ducenda est, quæ non est in nostra potestate; manifestum est, voluntates nostras, quibus recte, vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse.* Atqui necessitas proveniens concupiscentia non [illegible] go manifestum est iuxta Augustinum voluntates nostras peccaminosas non esse sub concupiscientia necessitante: ergo est implicatorium, quod quis pondere concupiscientiæ necessitetur physice ad peccandum.

15 Quare Iansenius ex falso antecedenti rectam deduxit consequentiam. Si enim homo carens gratia efficaci per Christum, vi concupiscientiæ necessitatur ad eliciendam actionem peccati; ergo non operatur libere libertate indifferentię, seu libertate à necessitate eiusmodi actionem:quia implicat aliquem operari libere libertate indifferentiæ illam actionẽ, quam elicit ex vi necessitatis antecedentis. Vnde Iansenius fuit bonus Logicus, sed pessimus Theologus: è contra vero Recentior, quem impugnamus, licet hac in re, procedat vt bonus Theologus, non tamen vt bonus Logicus. Procedit vt optimus Theologus, quia verissime docet, neminem peccare in eo quod facit sine potestate proxima antecedenti ad omittendum; vt malus Logicus, quatenus censet, cum proxima indifferentia antecedenti ad omittendam actionem peccaminosam componi necessitatem physicam ad illam eliciendam, provenieneem expondere concupiscientiæ infallibiliter connexo cum illa.

16 Impugnaturque doctrina huius Authoris manifestis Augustini testimonijs: primo, quia Augustinus lib. 1. operis imperfecti con-

contra Iulianum cap. 29. clare docet hominem poſt peccatum habere libertatem ad peccandum, non tamen ſine gratia ad bene agendum: *Non itaque* (inquit) *omnes in peccatum velut inuiti carnis ſuæ neceſsitate coguntur, ſed ſi iam in ea ætate ſunt, vt propriæ mentis vtantur arbitrio; & in peccato ſua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum ſua voluntate precipitantur: ſed hæc voluntas, quæ libera eſt in malis, quia delectatur malis, ideo in bonis libera non eſt, quia liberata non eſt, neque poteſt homo boni aliquid velle, niſi adiuvetur ab eo, qui malum non poteſt velle.* Secundo, nam idem Auguſtinus lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 2. perſpicuè docet, licet poſt peccatum non manſerit in homine libertas illa, quam habuit Adam in ſtatu innocentiæ, nempe ad habendam ſine vlla difficultate iuſtitiam, & privilegium immortalitatis, manſiſſe tamen libertatem ad opera naturalia virtutis & ad vitanda peccata: *Quis* (inquit) *dicat quod primi hominis peccato perierit liberũ arbitrium in humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, &c.*

17 Tertio, nam ſi pondus concupiſcentiæ neceſsitat phyſice ad actionem peccami[illegible] eſt, vt ei reſiſtere voluntas non poſsit; non enim voluntas neceſsitari poteſt ad actionem ex vi cauſæ, cui ipſa reſiſtere valet: vt autem inquit Auguſtinus lib. 3. de libero arbitr. cap. 18. initio: *Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis. ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur: quis enim peccat in eo quod nullo modo cauere poteſt?* Vnde ſic argumentor: concupiſcentia trahens hominem ad voluntatem furandi, v. g. eſt cauſa talis voluntatis, & per te eſt cauſa, cui homo reſiſtere non poteſt, dum deſtituitur viribus gratiæ: ergo ſine peccato ei cedit, ac proinde ſine libertate.

18 Et ſane ſi homo peccaret, ſequens concupiſcentiam neceſsitatem ad actionem turpem, peccaret in eo quod cavere nõ poſſet: quia neque poſſet facere, ne exiſteret concupiſcentia illa, neque poſſet facere, ne ad illam ſemel exiſtentem, & trahentem cum infallibilitate ad actionem turpem, actio turpis ſequatur, nõ poteſt autem cavere effectum alicuius cauſæ, qui non poteſt facere, ne talis cauſa exiſtat, neque poteſt facere ne ad illam ſemel exiſtẽtem ſequatur actio. Hoc autem eſt plane falſum & abſurdum; vt enim nuper aiebat Auguſtinus: *Quis peccat in eo quod nullo modo cauere poteſt?* Et vt inquit lib. de duabus animabus cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia nõ fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, ac infamiæ.* In ſententia autem huius Authoris teneretur reus peccati quis, quia non reſtitit concupiſcentiæ incitanti ad peccandum, & eſſentialiter connexæ cum exiſtentia eius, quod tamẽ facere non potuit. Nõ enim poteſt reſiſtere cauſę alicuius effectus, qui neque poteſt facere, ne talis cauſa exiſtat, nec poteſt facere, ne ſemel exiſtens inducat illum effectum.

19 Quod confirmo: nam iuxta Auguſtinum ad peccatum requiritur quod liberum ſit ab illo abſtinere: at homini ſubiacenti concupiſcentiæ neceſsitanti ad actionem turpem liberum non eſt à tali actione abſtinere: quia liberum ipſi non eſt relinquere ſine effectu cauſam eſſentialiter connexam cum effectu: ergo ſententia huius Authoris eſt contra Auguſtinum. Aſſumptum maioris probatur primo, ex diſput. 1. contra Fortunatum: *Qui enim cogitur neceſsitate aliquid facere, non peccat*, inquit ibi Auguſtinus. 2. ex illo libro de duabus anim. cap. 11. vbi ſic peccatum definit: *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere.* Additque, manifeſtum eſſe, neminem vituperatione, ſuppliciove dignum exiſtere ex eo quod non faciat id quod facere non poteſt: *Nonne iſta* (inquit) *cãtant & in moribus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanarum?*

20 En argumentum: manifeſtum eſt neminem eſſe ſupplicio vel vituperatione dignũ ex eo quod non faciat id quod facere non poteſt; at nemo poteſt reſiſtere concupiſcentiæ neceſsitanti ad actionem turpem: ergo nemo eſt vituperatione, vel ſupplicio dignus ex eo quod non reſiſtat concupiſcentię neceſsitanti ad actionem turpem, & conſequenter nec ex eo quod tali concupiſcentiæ conſentiat: nam non reſiſtere concupiſcentiæ, eſt formaliſsime ire poſt concupiſcentiam, & illi acquieſcere, atque conſentire: ergo nemo eſt vituperatione dignus ex eo quod tranſgrediatur præceptum illud: *Poſt concupiſcentias tuas ne eas.* Quod eſt aperte falſum. Quod autem nemo poſsit reſiſtere concupiſcentiæ neceſsitanti ad actionem turpem, patet, quia illa concupiſcentia per te eſt eſſentialiter connexa cum actione turpi; nemo autem poteſt reſiſtere cõcupiſcentiæ invitãti ad actionẽ turpẽ, quia hoc eſt illam fruſtrare & facere vt vt non obtineat actionem ad quam inclinat: implicat vero vt voluntas poſsit facere quod concupiſcentia neceſsitans ad actionem, & cum illa eſſentialiter connexa, non obtineat actionem; ergo, &c.

21 Eſt ergo doctrina huius Authoris oppoſita doctrinæ Auguſtini, idque clariſsime patet ex vltimo opere quod ille morti iam vicinus contra Pelagianos ſcripſit, & quod quia in

ab

absolutum remansit, dicitur *opus imperfectum* contra Iulianum: in hoc enim opere lib. 1. cap. 45. sic air: *Multa quippe sunt, quæ agunt homines mala, à quibus liberum est abstinere: sed nulli tàm liberum est, quàm illi, qui Deo suo, à quo fuerat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat.* Ergo liberum est homini committenti furtum, vel adulterium, abstinere ab illis: ergo concupiscentia incitans ad furandum, vel adulterandum, non necessitat ad hoc, solumque differt peccatum hominis lapsi à peccato primi Parentis, quod iste non habuit concupiscentiam inclinantem ad peccandum: sed plenissimam indifferentiam ad bonum, & ad malum: homo autem lapsus habet concupiscentiam, quæ ipsum vehementer impellit ad peccandum.

22 Impugnatur etiam illa doctrina; quia, si concupiscentia necessitaret ad actionem turpem, Deus præcipiens homini lapso, nè post concupiscentias suas eat; v.g. nè furetur, & nè occidat, præciperet impossibilia; quia impossibile est homini non facere id ad quod concupiscentia, quam à se repellere nequit, ipsum necessitat. Deus autem impossibilia non præcipit, vt definitũ est in Trident. contra Calvin. & Luth. & in Bulla Inocentij X. contra Ianſenium: ergo &c. Et confirmatur primò: quia Deus relinquens hominem cum concupiscentia necessitante, & denegans illi gratiam sanativam, & medicinalem, quæ iuxta hunc Authorẽ essentialiter prærequisita est, vt homo actu resistat concupiscentiæ trahenti in peccatum, & minimè est constituta in eius potestate; vel præcipit homini vt resistat concupiscentiæ cum gratia prævenienti, quam non habet, nec pro libito suo potest habere: vel præcipit vt resistat sine tali gratia; cum inter duo illa non detur medium. Quodcumque autem ex his præcipiat; præcipit impossibile. Præcipere enim homini, vt operetur cum gratia, quam illi denegavit, nec ille vnquàm acquirere potuit (loquamur de gratia denegata homini ad primum peccatum) est illi præcipere, vt faciat aliquid sibi impossibile, perinde ac si præciperet, vt volaret cum alis, quas ipsi denegavit. Præcipere vero, vt operetur sine illa gratia, est præcipere, vt faciat id, quod ex terminis est impossibile, nimirum vt operetur actualiter sine aliquo essentialiter ad actu operandum prærequisito, siquidem per te, vt homo actu resistat concupiscentiæ trahenti ad peccandum, prærequisita est gratia sanativa, & medicinalis prævia, & præveniens consensum voluntatis.

23 Confirmatur secundò: durus foret exactor, tyrannus potius, quàm Dominus, qui vnam tantum drachmam tradẽs servo, illi præciperet, vt emeret vestes, quas certo sciret impossibile esse, vt à mercatore vendantur, nisi exhibito aureo: ergo Deus tradens homini nudam drachmam suæ libertatis, & illi præcipiens, vt actu resistat concupiscentiæ trahenti ad peccandum, quando ei denegavit aureum suæ gratiæ sanativæ, & medicinalis, quẽ sciebat esse essentialiter prærequisitum ad resistendum concupiscentiæ; non Dominum, sed tyrannum agit.

24 Confirmatur tertiò: Deus hominem damnat, quia consensit concupiscentiæ in ijs circunstantijs, in quibus de facto fuit, quando consensum præstitit: Sed quando consensum præstitit, caruit gratia præveniente sanativa, & medicinali, quæ per te essentialitèr prærequisita est ad resistendum concupiscentiæ: ergo dãnat hominem, quia non resistit concupiscentiæ, quando caruit gratia præveniente essentialiter prærequisita ad resistendum, & caruit omnino independenter ab vsu suæ libertatis, atque meré ex libito Dei; sed hominem resistere concupiscentiæ in ijs circunstantijs, in quibus independenter ab vsu suæ libertatis caruit aliqua gratia præveniente à solius Dei nutu pendente essentialiter prærequisita ad operandum, *fuit penitus* impossibile: ergo damnat hominem, quia non operatus est in ijs circunstantijs, in quibus operari fuit penitus impossibile, imò: ergo damnat hominem, quia non fecit aliquid impossibile. Quis hoc de summa Dei bonitate credat? ergo ille Author admittere, quod Deus impossibilia præcipiat. Quare Ianſenius rectè ex sua sententia de concupiscentia necessitante *intulit* Deum *impossibilia iubere*: vnde *eius error non fundatur in mala consequentia, sed in falso* antecedenti: ergo omnino certum est, concupiscentiam non necessitare hominem physicè ad peccandum.

25 Demum impugnatur illud placitum; quia multò difficilius est, quàm sententia Prædeterminatorum: hi enim dicunt, prædeterminationem non tollere, sed potius fovere libertatem, quia est *instrumentum* Divinæ voluntatis efficaciter decernentis, vt voluntas creata ex se proximè indifferens ad vtrumque, eliciat potius vnum actum, quàm alium; & cum causa prima contineat non solum substantiam actus voluntatis creatæ, sed etiam modum libertatis, dicunt propterea prædeterminationem non lædere, sed conservare libertatem. Quæ ratio (quę reveta est manifesta principij petitio) non militat in cõcupiscentia, quæ cum non sit à Deo, sed à Dabolo, qui minimè continet libertatem arbitrij creati, nequit necessitare voluntatem, vt liberè consentiat; nec Diabolus, mediante pondere concupiscentiæ, potest irresistibiliter trahere arbitrium creatum ad consensum peccaminosum, sicut Deus trahit ad consensum salutarem, mediante gratia prædeterminante in sententia illorum Doctorum.

Est

26 Eſtque falſiſsimum, concupiſcẽtiam non ſe tenere ex parte actus primi. Nam evidens eſt, eo minorem indifferentiam habere voluntatem creatam ad extremum honeſtum, quo maior eſt tentatio inclinans ad extremum oppoſitum: & tunc eſſe in æquilibrio, quando cognitio boni honeſti tantumdem inclinat ad exercitium virtutis, quantum cognitio boni delectabilis, & affectio appetitus inclinat ad oppoſitum: ergo evidens eſt tentationem vehementi⁹ inclinantem ad malum, quàm cognitio honeſti inclinet ad bonum, minuere libertatẽ indifferẽtiæ: ergo vbi tentatio talis eſt, vt eſſentialiter connectatur cũ exiſtentia actus pravi, tollit omnino libertatem, & potentiam proximam ad oppoſitum. Cum enim non detur in voluntate noſtra poteſtas ad faciendum, vt exiſtat à parte rei chymæra, & chymæra ſit exiſtere tentationem eſſentialiter connexam cum exiſtentia actus pravi, & iſtum ad illam non ſequi, non habet voluntas creata vllam poteſtatem ad ſeparandam tentationẽ illam ab actu pravo: ergo habet omnimodam neceſsitatem cõiungendi actum pravum cum illa tentatione, ſeu omnimodam neceſsitatem illi ſuccumbendi, abſque vlla poteſtate illi reſiſtendi: ergo non liberè, ſed neceſſariò conſentit tentationi, ac proinde minimè peccat. Nemo peccare poſsit in eo, quod neceſſario facit.

27 Quæ hucuſque dicta ſunt contra hunc Doctorem valide confirmantur ex Concilio Cariſiacenſi anno 860. celebrato à Germaniæ Epiſcopis, contra Goſtealcum, vbi ſic definitur: *Et habemus liberum arbitrium ad bonũ prævenum, & auditum gratia, & habemus liberum arbitrium ad malum deſertum gratia*: ergo iuxta hoc Concilium licet liberum arbitriũ deſtitutum gratia per Chriſtum, non ſit liberum ad bonum operandum, & non operandum; eſt tamen liberum ad malum operandum, & non operandum: ergo habet potentiam phyſicam ad vitandum peccatum. Nam ſine illa non datur liberum arbitrium ad peccandum: ergo concupiſcentia perſuadens homini peccatum non neceſſitat ipſum phyſice ad peccandum. Fateor mei ingenij tarditatem, neſcio quo pacto ſapientiſſimus hic Author poſsit libertatem indifferentiæ componere cum concupiſcentia phyſicè neceſſitante ad conſenſum pravum, niſi forte nomine neceſſitatis phyſicæ aliud intelligat, videlicet neceſsitatẽ ab intrinſeco nõ cõnexam metaphyſice cum peccato. Forsàm ego huius Doctoris ſentẽtiam non intellexi. Propterea à tanto viro docẽri cupiens hæc ſcribo, vt ille pro ſuo magno acumine rem introſpiciens, nodos iſtos mihi diſſolvat, & ignorantiam meam benigne corrigat.

(o)

SECTIO QVINTA.

Impugnatur ſententia illius Doctoris elegantis teſtimonio D. Bernardi.

28 OPINIONEM Illam, quatenus adſtruit neceſsitatem phyſicam antecedentem ex vi ponderis concupiſcentiæ ad actum liberum peccati, impugnare liber ſubtili, & elegantiſsima D. Bernardi doctrina ſerm. 81. in cantica, vbi plane docet liberũ hominis lapſi arbitrium nulla neceſsitate antecedenti, trahi ad actum peccati, ſed ſola libera electione ſervum fieri peccati. *Arbitrij libertas* „ (inquit) *hæc eſt*, plane Divinum quiddam „ præfulgens in anima, tanquàm gemma in centro. Ex hac nempe ineſt illi inter bonum quidem, & malum, necnon inter vitam, & mortem, ſed nihilhominus inter lucem, & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi: „ & ſi qua ſunt alia, quæ ſimiliter circa animi „ habitum ſe ſe eſt regione reſpicere videantur; „ nihilominus inter ipſa cenſorius quidam arbiter is animæ oculus diiudicat, & diſcernit; „ ſicut arbiter in diſcernendo, ita in eligendo „ liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, „ quod liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendũ potens. Omne enim, quod feceris bonum, malumvè, „ quod quidem non facere liberum ſit, meritò „ ad meritum reputatur. Et vt meritò laudatur „ non is tantum, qui potuit facere mala, & non „ fecit, ſed & qui potuit non facere bona, & „ fecit, ita malo non caret merito tàm is, qui „ potuit non facere mala, & fecit, quàm qui „ potuit facere bona, & non fecit. Vbi autem „ non eſt libertas, nec meritum. Propterea quæ „ ſunt carentia ratione animalia nihil merentur; „ quia ſicut deliberatione, ita & libertate carẽt, „ ſenſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Nec enim iudicium habent, quo ſe diiudicent ſive regant, ſed nè inſtrumentum quidem iudicij, ideſt, rationem: vnde eſt, quod „ non iudicantur, quia non iudicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, „ quam non acceperunt? Hanc vim à natura ſolus homo non patitur, & ideo ſolus inter „ animantia liber. Et tamen interveniente peccato patitur quamdam vim & ipſe, ſed à voluntate, non à natura, vt ne ſic quidem ingenitâ libertate privetur. Quod enim voluntarium, & liberum. Et quidem peccato factum „ eſt, vt corpus, quod corrumpitur, aggravet „ animam, ſed amore, non mole. Nam quod „ ſurgere anima per ſe iam non poteſt, quæ per „ ſe cadere potuit: voluntas in cauſa eſt, quæ „ corrupti corporis vitiato, ac vitioſo amore „ langueſcens, & iacens, amorem pariter iuſtitiæ

„ tiæ, non admittit. Ita nescio quo pravo, &
„ miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem
„ indeterius mutata, necessitatem facit, vt nec
„ necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat
„ voluntatem, nec voluntas cum sit illecta ex-
„ cludere necessitatem. Est namque necessitas
„ hæc quodam modo voluntaria. Est favorabi-
„ lis vis quædam premendo blandiens, & blan-
„ diendo premens: vnde se se rea voluntas, vbi
„ semel peccator consenserit, nec excutere iam
„ per se, nec excusare tamen vllatenus de ratio-
„ ne queat. Inde querula illa vox veluti gemen-
„ tis sub onere necessitatis huius: *Domine*, in-
„ quit, *Vim patior, responde pro me.* Sed rursùs
„ sciens quod non iuste causaretur adversùs Do-
„ minum, cum voluntas sua ipsius potiùs in cau-
„ sa foret, attende quid secutus intulerit: *Quid*
„ *dicam, aut quis respondebit mihi cum ipse fe-*
„ *cerim?* Premebatur ergo, non alio tamen, quã
„ voluntariæ cuiusdam seruitutis: & erat pro
„ seruitute quidem miserabilis, sed pro voluntа-
„ te inexcusabilis. Voluntas enim est, quæ se,
„ cum esset libera, seruam fecit peccati, peccato,
„ obediendo: voluntas nihilominus est, quæ se
„ sub peccato tenet voluntariè seruiendo. Vide
„ quid dicas, aut quis mihi. Tu ne voluntа-
„ rium dicis quod iam necessarium constat esse?
„ Verum quidem est, quod voluntas se ipsam ad-
„ dixerit, sed non ipsa se retinet, magis retine-
„ tur & nolens. Bene, hoc saltem das, quia reti-
„ netur: sed vigilanter retine, voluntatem esse,
„ quam retineri fateris. Itaque voluntatem no-
„ lentem dicis? Non vtique voluntas retinetur
„ non volens. Voluntas enim volentis est, non
„ nollentis. Quod si volens retinetur, ipsa se re-
„ tinet. Quid ergo dicet, aut quid respondebit
„ ei, cum ipsa fecerit? Quid fecit? Seruam se fe-
„ cit: vnde dicitur: *Qui fecit peccatum, seruus*
„ *est peccati.* Propterea cum peccavit (peccavit
„ autem, cum peccato obedire decrevit) seruam
„ se fecit. Sed sit libera, si non adhuc facit. Fa-
„ cit autem in eadem seruitute se retinens. Nec
„ enim non volens seruam se fecit: non modo
„ fecit, sed facit. Meritò proinde (quod sæpe
„ memorandum est) quis respondebit illi, cum
„ ipsa fecerit, & ipsa faciat? Sed nõ me, inquis,
„ decredere facias necessitatẽ, quam patior, quã
„ in me metipso experior, contra quã & assidè
„ luctor. Vbinam, quæso, hanc necessitatem sen-
„ tis? Nonne in voluntate? Non ergo parum fir-
„ miter vis, quod & necessariò vis. Multum vis
„ quod nolle queas, nec multum obluctans.
„ Porrò vbi voluntas, & libertas. Quod ta-
„ men dico de naturali, non de spirituali, *qua*
„ *libertate* (vt dicit Apostolus ad Gal. 4.)
„ *Christus nos liberavit.* Nam de illa idem ipse
„ dicit 1. Corinth. 3. *Vbi spiritus Domini, ibi*
„ *libertas.* Ita anima miro quodam & malo
„ modo sub hac voluntaria quadam, ac male li-
„ bera necessitate, & ancilla tenetur, & libera:
„ ancilla propter necessitatem, libera propter
„ voluntatem; & quod magis mirum, magisque
„ miserum est, eo rea, quo libera, eoque ancilla,
„ quo rea, ac per hoc eo ancilla, quo libera. Mi-
„ ser ego homo, quis me liberabit à calumnia
„ huius pudendæ seruitutis? Miser, sed liber. Li-
„ ber, quia homo, miser, quia seruus. Liber, quia
„ similis Deo: miser, quia contrarius Deo. O
„ custos hominum, quare posuisti me contrariũ
„ tibi? Posuisti enim, cum non prohibuisti.
„ Alioquin ipse me posui, & factus sum mihi-
„ metipsi gravis. Iustissimè quidem, vt hostis
„ tuus, hostis sit & meus, & qui tibi repugnat,
„ repugnet & mihi. Ego vero, qui tibi, ego,
„ qui mihimet contrarius factus sum, atque in
„ membris meis invenio, quod contradicat, &
„ menti meæ, & legi tuæ. Quis me liberabit
„ de manibus meis? Non enim quod volo, hoc
„ ago, sed me non alio prohibente. Et quod
„ odi, illud facio, sed me, non alio compellen-
„ te. Atque vtinam prohibitio hæc, & compul-
„ sio hæc, ita esset violenta, vt non esset volun-
„ taria. Forsitam enim sic possem excusari, aut
„ certe ita esset voluntaria, vt nõ violenta. Pro-
„ fecto enim sic possem corrigi. Nunc vero nus-
„ quàm exitus misero patet, quem & volun-
„ vt dixi, inevitabilem, & incorrigibilem
„ necessitas facit. Quis me rapiet de manu pec-
„ catoris, & de manu contra legem agentis, &
„ inquiri? Quærit quis de quo quærat? De me.
„ Ego ille peccator, ille exlex, ille iniquus. Pec-
„ cator, quia peccavi: exlex, quia voluntate per-
„ sisto agere contra legem. Nam mea voluntas
„ ipsa est lex in membris meis legi Diuinæ re-
„ calcitrans, & quoniam lex Domini, lex men-
„ tis meæ, sicut scriptum est Psalm. 36. *Lex*
„ *Dei eius in corde* ipsius, per hoc & mihi ipsi
„ mea ipsius voluntas contraria invenitur, quæ
„ est iniquitas maxima. Cui enim non exiquus,
„ qui mihi sum? *Qui sibi nequam*, (ait Eccles.
„ 14.) *cui bonus*? Hactenus Bernardus non mi-
nore subtilitate, quàm pietate.

SECTIO SEXTA.

Exponitur Canon 22. Concilij Arauxicani statuentis neminem habere de suo nisi mendatium, & peccatum.

29 QVIA Doctor hucusque impugna-
tus hunc Canonem adducit in
fauorem suæ sententiæ, illum
explicare oportet. Igitur Concilium secundum
Arauxicanum sic habet in Canone 22. *Nemo*
habet de suo nisi mendacium, & peccatum; si
quid autem habet homo veritatis, & iustitiæ

ab

ab illo fonte eſt: quem debemus ſitire in hac eremo vt ex eo, quaſi gutis quibuſdam irrorati non deficiamus in via. Contendit prælaudatus Author, ex his verbis efficaciter probari hominem deſtitutum viribꝰ gratiæ neceſsitatum eſſe phyſicè ad peccandum in omnibus, & ſingulis actibus ex vi concupiſcentiæ trahentis ad peccandum cum infalibilitate non ſolum morali, ſed etiam phyſica.

30 Verum procul hoc eſſe à Concilij mente inde probatur, quia hinc fieret, Eccleſiam damnaſſe in Michaele Baio doctrinam ſtabilitam à Concilio Arauficiano; ex quo cõcluderetur, vel erraſſe Eccleſiã in dãnatione illarum propoſitionũ; vel erraſſe Cõciliũ in illo Canone: quod vtrumque eſt aperte falſum, & manifeſte abſurdum. Sequela probatur: nam hæc propoſitio (quæ eſt 18. Baij) damnata eſt ab Eccleſia: *Liberum arbitrium ſine gratia, & Dei adiutorio non niſi ad peccandum valet*: ergo ex doctrina Eccleſiæ certum eſt hominem deſtitutum viribus gratiæ non eſſe neceſsitatum phyſice ad peccandum. Patet conſequentia, quia ſi liberum arbitrium viribus gratiæ deſtitutũ phyſice eſſet neceſsitatum ad peccandum, hoc ipſo ſine gratia, & Dei adiutorio non niſi ad peccandum valeret: ac proinde eſſet vera illa propoſitio quam Eccleſia damnavit vt falſam.

31 Hanc mentem Suarez lib. 1. de grat. cap. 21. num. 1. pronuntiavit ſententiam hanc: *Nempe liberum arbitrium* poſt lapſum ſuis viribus relictum non niſi ad peccandum valere, in rigore, & proprietate intellectã falſam ſimpliciter eſſe, & nõ poſſe ab vllo Theologo defendi: nam eamdem affirmavit Michael Baius, & tamen Pontifices eã reprobant, & ſub cenſura generali comprehendunt, quia iuxta intentionem Authoris in proprietate verborũ aſſerebatur. Nec dici poteſt, (inquit) reprobatam eſſe, eo quòd cum aliqua exaggeratione, aut cenſuſa, quæ alijs ſcandalum afferre poſſet, ab Authore proferretur: nam ex tenore verborum cõſtat, ſimpliciter, & ſine vlla cenſura contrariæ ſententiæ proponi, & nihilominus tanquàm falſam, & cenſura dignã cum alijs refutari; & reuera multum fauet Hæreticis huius temporis, qui nimiam quamdam & monſtruoſam corruptionem in humana natura lapſa confingunt: nam inter alia dicunt, hominem lapſum, & gratia deſtitutum ſemper peccare, nihilque agere poſſe, quod malũ moraliter non ſit, non ſolum quia malo fine ponitur, aut ſaltim priuatiue, id eſt, non propter debitum finem operetur, vt quidam Catholici docuerunt, quos ipſi male curioſos vocant, ſed etiam propter deprauationem naturæ. Quæ tamen nimia deprauatio falſo conficta eſt, & neque in Scriptura, & Patribus fundamentum habet, & contra omnem rationẽ eſt, ac *plane intelligibilis*. Hæc Mag. Saur.

32 Videamus iam quomodo Canon Concilij exponatur à Doctoribus. P. Vazquez 1. 2. diſp. 189 num. 52. affirmat, ſenſum Concilij eſſe nihil ex ſe habere hominem occurrente tentatione, & occaſione peccati, niſi ſuccumbere tentationi, ſi à Deo non detineatur: exiſtimat enim non poſſe vinci vllam, nec minimam tentationem ſine auxilio gratiæ per Chriſtum: non quia homo deſtitutus gratia non habeat poteſtatem phyſicam ad non peccandum; ſed quia fieri non poteſt, vt vincat tentationem, quin acceperit gratiam per Chriſtum ad illam vincendã; exiſtimat enim cogitationem congruam ad quãcumque tentationem vincendam, & opus honeſtum eliciendum eſſe gratiam per Chriſtum.

33 Et illa diſp. 189. num. 127. vt id explicet, notat aliquando bonum, quod retrahere nos deberet à conſenſu, in delectationẽ prohibitam ita acriter proponi, vt re ipſa remoueat à conſenſu, & tunc ſine dubio id peculiari Dei gratiæ deputari debere, nimirum, quia potuit Deus ſatisfacere muneri cauſæ primæ, & prouiſoris vniuerſalis, quin excitaret illam acrem propoſitionem boni, ſed aliam remiſiorẽ, quæ re ipſa non remoueret à conſenſu: aliquando vero ita ſe offerre, vt re ipſa non remoueat voluntatem à conſenſu; & tunc ſi illa propoſitio boni ſit omnium minima, quæ requiritur, vt ſeruetur libertas, non eſſe gratiam: nam talis minima cogitatio neceſſar o debet eſſe cum tentatione, vt ſeruetur liberras; & maior gratia eſſet tali minima cogitatione non præueniri; ſic enim conſentiens tentationi, non pecaret: aliàs vero vehementiores propoſitiones boni contra tentationes etiamſi re ipſa non abducant à tentatione nihilominus dici poſſe auxilia gratiæ ſufficientia, licet non efficacia, quia libere Deus talibus cogitationibus vehementius animum pulſat, quàm deberet, vt ſeruaretur integra libertas.

34 Conſequenter ad hanc reſponſionem, notandum eſt Concilium non dixiſſe, neminem habere poſſe, ſed neminem habere de ſuo, niſi mendacium, & peccatum; quia licet homo viribus gratiæ deſtitutus habeat poteſtatem phyſicam antecedentem virandi peccatum, fieri numquam poteſt, vt actu illud viter, quin interueniat adiutorium gratiæ: & huius definitionis veritas optimè componitur cum falſitate propoſitionis 28 Baij damnatæ à Pontificibus, ſumpta propoſitione illa in ſenſu intenſo à ſuo Authore: dum enim dixit Baius, liberum arbitrium ſine adiutorio gratiæ non niſi ad peccandum valere, ſignificare voluit, liberum arbitrium deſtitutum viribus gratiæ non habere poteſtatem antecedentem ad virandum peccatum: Authores autem Catholici aſſerentes neceſſarium eſſe auxilium

xilium gratiæ ad singulas tentationes vincendas, licet dicant; liberum arbitrium destitutum viribus gratiæ, non habere potentiam consequentem ad vitandum peccatum, idest potentiam cõiungendam cum exercitio vitandi: fatentur tamen habere potentiam physicam antecedentem.

35 Neque credibile est Pontifices damnare intendisse sententiam quam probe noverant esse multorum Doctorum Catholicorum. Nam & Card. Toletus, qui Lovanium missus est à Summo Pontifice ad componendas lites de hac re inter Theologos, & vt curaret prædictam Bullam Pontificum humiliter recipi, in ea fuit sententia post damnatas propositiones Baij vt nec minima tentatio sine gratia per Christum vinci possit; prout refert P. Vazquez disp. 190 num. 174 qui cum Cardinali de hac re Romæ convenit. Et quamvis Cardinal. Bellarminus Lovanij fuerit tunc temporis quando propositiones Baij damnatæ sunt, & optime calleret illarum propositionum sensum; nunquam tamen vsus est authoritate illius Bullæ ad confirmandam suam sententiam, quod nimirum possit homo destitutus gratiæ auxilio aliquod bonum opus morale efficere. Quod argumento est doctissimum Cardinalem probe cognovisse non posse sumi ab illa Bulla argumentum efficax ad impugnandam sententiam contrariam requirentem gratiã per Christum ad quodlibet bonum opus morale, & ad victoriam cuiuslibet tentationis.

36 P. Ripalda tom. 1. de ente sup. disp. 20. sect. 6 & tomo contra Baium disp. 13. num. 23. asserit Doctrinam Arausicani veram esse, etiam si arbitrium solis viribus naturæ possit absque auxilio gratiæ elicere aliquod opus bonum, nimirum quia ex lege Dei nunquam elicit opus honestum, quod non sit supernaturale, decrevit quippe Deus, vt quoties adest facultas ad opus bonum honestum, præsto sit auxilium gratiæ, vt si eliciendum sit opus honestum, eliciatur potius supernaturale, quam mere naturale; ac proinde de facto non habet de suo arbitrium nisi mendacium & peccatum, quia quoties elicit actum honestum, ille est supernaturalis, & elicitus viribus gratiæ: licet attenta facultate naturæ posset Deus parare cocursum ad actum mere naturalem.

37 Par. Martinon in Anti-Iansenio, disp. 19. num. 28. ait, Canonem illum intelligendum esse de his, quæ pertinent ad salutem æternam consequendam, vel eius assequutionem impediunt: nam in huiusmodi genere actuum homo nihil habet de suo nisi mendacium, & peccatum: quidquid vero bene & viliter ad viam æternam novit, ac facit, habet à Dei gratia.

38 P. Suarez lib. 1. de gratia cap. 21. multas adducit expositiones satis probabiles illius Canonis, qui ex doctrina Augustini sumptus est; germanior autem, & vniversalior, cui præcipuæ Eximius Doctor insistit, est, cum Augustinus, & Concilium dicunt hominem de se seu de suo, nil habere nisi mendacium & peccatum, nõ ideo id dicere, quia homo nihil per naturales vires liberi arbitrij agere possit, nisi mendacium, & peccatum, sed quia defectũ peccandi à se habet & non à Deo, qui respectu mendacij, & peccati pure permissive se habet: quod vero aliquid boni agat à Deo habet vt authore principali, illudque agit mediante auxilio, & positiva Dei providentia, iuxta illam celebrem Augustini sentẽtiam à Prospero cum alijs collectã: *Multa sunt in homine bona, quæ non facit homo; nullum tamen bonum fit ab homine, quod non faciat Deus, vt faciat homo.*

39 Et hinc notandam esse, ait, differentiam in modo loquendi inter Concilium Arausicanum in eo Canone, & Michaelem Baium in sua propositione 28. Cum enim Concilium dixit, neminem habere de suo nisi mendacium & peccatum, per additionem illius particulæ *de suo*, satis insinuasse, se loqui de libero arbitrio per se spectato, & quasi contradistinguendo illud à Deo, & sic dixisse, à se tantum habere peccatum, quia peccatum [illegible] est, non est à Deo, sed à solo homine: imo etiã quod liberum arbitrium sit defectibile habeatque potentiam peccandi, non habere ex eo quod à Deo recipit, sed ex eo quod habet à se, nempe quod sit ex nihilo. nec enim liberum arbitrium habere potentiam peccandi, quia est ex Deo, & quatenus est ex Deo, sed quia est ex nihilo, vt docet Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 1. & 6. vbi ex professo probat peccatum non habere aliã causam nisi voluntatem creatam, non quatenus à Deo bona est, sed quatenus ex nihilo facta est; vt docet etiam Greg. lib. 25. Moral. cap. 14. At Michaelem Baium alio sensu dixisse liberum arbitrium sine gratiæ adiutorio non nisi ad peccandum valere, quia videlicet voluntas humana etiam per illam bonitatem, & libertatem naturalem, quam à Deo habet non potest aliquid boni operari cum concursu Dei: ideo abstulisse illam particulam *de suo*, & de libero arbitrio simpliciter locutum fuisse; & propterea eius propositionem à Pontificibus reiectam esse, licet propositio Concilio verissima sit.

40 Vt ego vltimam solutionem adhibeam, noto primo graves Theologos sentire D. Augustinum negasse concursum immediatũ Dei ad actum peccati. Ita sentit P. Vazquez 1. 2. d. 129. capit. 2. & Ludovicus à Dola in disp. quadripartita de modo coniunctionis concursus Dei & creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis præsertim ad actus pravos p. 4. cap. 2. n. 4. ipsaque

Augustini verba hanc sententiam satis clare præferunt. Nam Serm. 13. de Verbis Apostol. sic ait: *Cum dico tibi sine adiutorio Dei nihil agis, boni dico: nam ad male agendum habet sine adiutorio Dei homo liberam voluntatem.* Et lib. 2. de libero arbitrio cap. 20. *omne bonum* ex Deo; nulla ergo natura, quæ non sit ex Deo; motus ergo ille aversionis, quem fatemur esse peccatum, quoniam defectivus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide, quo pertineat, & ad Deum non pertinere, ne dubites, qui tamen defectus, quoniam est voluntarius in nostra positus est *potestate.* Et lib. 5. de Civitat. capit. 9. *Sicut omnium naturarum creator est, omnium potestatum dator, non voluntatū, malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Et lib. de spir. & litter. cap. 31. *nunquam legimus, non est voluntas nisi à Deo, & recte non scriptum est, quoniam verum non est, alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo* Et demum in opere imperfecto contra Iulian. lib. 1. cap. 96 sic ait: *Ex quo homo incipit uti libertatis arbitrio, & peccare & non peccare potest; sed alterum horum non facit nisi adiutus ab eo qui dixit: sine me nihil potestis facere, alterum vero propria voluntate, sive à se ipso, sive ab alio deceptore seductus, vel peccato sicut servus addictus.*

41 Eandem sententiam videtur tradidisse etiam Hieronymus Dialogo 1. contra Pelag. vbi sub nomine Attici interloquutoris sic ait: *Constat ergo inter nos in bonis operibus post propriam voluntatem Dei nos inniti auxilio, in malis Diaboli.* Et sane cum ibidem ad minima opera requirat Dei auxilium, vt ad temperandum calamum, inter ea nunquam refert opera peccati: & ideo pro hac sententia citatur etiam à P. Vazquez.

42 Secundo notandum est, controversiam esse inter Doctores, an Pelagius negaverit concursum generalem Dei ad nostras actiones liberas: in qua controversia negat Granadus, & alij: affirmat vero Cardin. Bellarm. l. b. 4. de grat. & liber. arbitr. cap. 4 & P. Suarez Prolog 5. de grat. cap. 4. alios referens, licet ipse hoc asserat, vt probabile dumtaxat, non vt certum. At noster Antonius Perez 1. p. disput. de prædest. Augustiniana, cap. 1. num. 2. asserit non solum esse probabile, sed certum, Pelagium negasse concursum Dei immediatum in actiones liberas, & hoc fuisse præcipuum sui erroris fundamentum, & quod maxime Augustinus, & discipuli eius subvertere conati sunt; quod late & nervose probat.

43 His prænotatis, responderi potest, Concilium Arausicanum ex Augustino definisse, neminem sine adiutorio saltem generali Dei & sine eius concursu aliquid boni operari posse, & sententiam Pelagij, quoad actum peccati, vel approbando vt probabilem, vel saltem permittendo, eandem reprobasse quoad actiones bonas & honestas: vt perinde sit neminem habere de suo nisi mendacium & peccatum, ac neminem viribus proprijs & sine adiutorio, & concursu Dei posse aliquid operari nisi mendacium, & peccatum ac proinde definivit adiutorium Dei, saltem generale, esse necessarium ad omnem actionem honestam, licet non dicatur necessarium ad actiones pravas.

Dices, hinc sequi Concilium Arausicanum definisse Deum non concurrere immediate cum libero arbitrio ad actiones peccaminosas: hoc autem est absurdum, quia inde sequitur, communem consensum Theologorum defendentium hunc concursum immediatum contra Durandum opponi definitioni Arausicani. Respondeo Concilium eam partem non definisse, sed vt probabilem & conformem Augustini menti Pelagio largitum esse, nempe quod arbitrium de suo, & sine Dei auxilio, atque concursu valeat ad mendacium, & peccatum, sed solum definisse liberum hominis arbitrium sine Dei adiutorio saltem generali, nihil boni operari posse: quidquid sit, an actionem pravam possit sine adiutorio & concursu immediato Dei exercere.

44 Quid? quod forsam ex mente Augustini concursus generalis Dei cum nostra voluntate non est aliqua actio concomitanter se habens cum actione nostra, & cum illa realiter identificata, sed aliquid prævium in voluntate nostra receptum tribuens ipsi vires ad operandum, eamque applicans ad actionem liberam, talis tamen naturæ, vt in sensu composito eius possit voluntas nostra non operari, componendo omissionem actionis liberæ cum illo auxilio generali, & concursu exhibito à Deo, qui hoc ipso quod vt motor vniversalis moveat voluntatem ad bonum, hoc debet præstare per motionem, cui ipsa in sensu composito illius possit resistere, vt docet Div. Thom. quodlib. 1. artic. 7. Et sane rem ita se habere probabile facit Dola supracitatus.

45 Hoc posito facile est explicare quo pacto homo non habeat ex se nisi mendacium & peccatum, nimirum quia ad peccandum non requiritur quod Deus per suam motionem & concursum prævium directe moveat voluntatem ad eliciendum actum peccati, sed sufficit quod directe moveat ad actum oppositū per motionē, quā voluntas frustrare valeat. Vnde quando voluntas peccat discedit ab ordine & motione primi agentis, vt sæpe docet D. Thom. quando autem

rectè operatur, sequitur motionem primi agentis voluntas hominis operatur mendacium & peccatum, quin per auxilium generale Dei ad hoc directè moveatur; bonum vero operari non potest, quin sic ad illud directè moveatur; ideò verissimum est, hominem de suo habere mendacium & peccatum, non habere autem de suo aliquid boni, quia fieri non potest vt homo faciat aliquod bonum, quin Deus per suam motionem generalem, & auxilium primi motoris faciat illud bonum.

46 Denique dici valet, auxilium generale Dei in ordine ad bonum includere motionem quãdam præviam proportionatam effectui, nimirum connexam cum ipso & infrustrabilem, quando effectus est necessarius, inconnexam vero & frustrabilem, quando est liber, vi cuius causa applicatur ad agendum, & insuper concursum simultaneum identificatum cum actione creaturæ. At vero in ordine ad malum, auxilium generale non includere motionem directè inclinantem ad actionem pravam, sed directè inclinantem ad actionem oppositam, quatenus creatura nequit peccare, quin recedat à motione primi moventis; & insuper concursum simultaneum exhibitum ex vi decreti indifferentis vnicè propendentis in actionem honestam, ideoque dici hominem habere de suo mendacium & peccatum, quia peccat, quin Deus illi immittat aliquid inclinans ad eliciendum actum peccati: non habere autem de suo aliquid boni, quin Deus pro priori immittat motionem illam inclinantem ad bonum, frustrabilem tamen, & „cui voluntas possit resistere; vt enim inquit D. „Thomas, quodlib. 1. artic. 7. Propter hoc quod „virtus rationalis se habet ad opposita, ideo Deus „sic movet voluntatẽ ad bonum quod tamen po„test huic motioni resistere.

SECTIO SEPTIMA.

Impugnatur tertio principaliter illa sententia, quatenus adstruit gratiam efficacem ex se, & ab intrinseco connexam cum consensu.

47 HIC author, vt vidimus ad finem sectionis primæ, asserit gratiam efficacem consistere in delectatione victrice suo pondere trahente ad consensum salutarem, & prævalente contra pondus concupiscentiæ; quæ delectatio ita inevitabiliter trahat ad consensum salutarem, vt sit ex se essentialiter connexa cum consensu ac proinde modo quodam vitali physicè prædeterminat voluntatem ad consensum. Contra hanc vero partem militant argumenta, quibus schola Societatis probat, gratiam efficacem non esse ab intrinseco efficacem, & ex se connexam cum actu ad quem datur: quæ nũc breviter insinuabimus: supponimus autem ad præsentem controversiam definitionem gratiæ efficacis traditam ab Eximio Doctore lib. 5. de gratia cap. 15. numer. 4. est ergo gratia efficax gratia illa: *Quæ de facto semper, & infallibiliter habet effectum.* Et vt ait in lib. de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 1. pag. *Gratia efficax elicitur dilla, quæ ita promouet voluntatem, vt faciat illam infallibiliter operari id, quod Deus intendit.* In qua definitione omnes conveniunt. Discrimen autem totum versatur in explicando, in quo fundetur illa infallibilitas. Moderni Thomistæ post Magistrum Bañez dicunt fundari vnicè in entitate ipsius gratiæ efficacis, quæ ex se ita impellat ad consensum vt ei repugnet conjungi cum dissensu; sitque proinde essentialiter infrustrabilis, & irresistibilis: è contra vniversa Societatis schola cum Molina, Suario, Bellarmino, Læsio, Vazquis, & Valentia; & illustris Scotistarum schola cum Subtili Doctore; vt testatur Mastrius tom. 1. in libros sentent. dis[illegible] quæ[illegible] numer. 75. & [illegible] 6. num. 145. & in numerali alij Doctores constantissime docent, entitatem gratiæ prævenientis efficacis, per quam scilicet Deus facit vt faciamus; & in præceptis eius ambulemus, & per quam nos suaviter, & fortiter trahit ad operandum honestè, non esse ex se ab intrinseco connexam cum consensu, sed talis naturæ & indolis, vt si præcisè inspiciamus eius entitatem, & eam secundum se consideremus, possit voluntas ea pulsata & mota, illi resistere, coniungendo dissensum cum ea; atque adeò liberum sit ipsi, vel obtemperare impulsui illius gratiæ adiungendo consensum; vel illi refragari, & resistere, coniungendo dissensum cum entitate illius, quatenus prevenit arbitrium, & illud ad opus salutare solicitat, & impellit. Quam sententiam novissimè late & nervosè defendit R. P. Fr. Emmanuel Maynam Sacri Ordinis Minorum tom. 2. Sacræ Philosophiæ capit. 40. qui author ad calcem illius illustris operis (quod ad manum non habui vsque ad initium anni 1681.) nimirum capit. 42. totam doctrinam de indifferentia intrinseca auxiliorum, quam in toto opere contra Ianseniistas, & contra Thomistas propugnavit, confirmat luculentissima, gravissima, & receptissima Sanct. Francisci Salesij authoritate. Dicamus itaque proinde, infallibilitatẽ illã metaphysicã effectus secuturi, quã importat gratia efficax

in conceptu ſuo, deſumendam eſſe ab aliquo extrinſeco entitati gratiæ, nempe vel à ſcientia media, ex cuius directione Deus confert gratiã efficacem, vel à præfinitione effici Dei, qua ex ſuppoſitione ſcientiæ, per quam cognouit voluntatem reipſa conuertendam, ſi pulſetur tali auxilio indifferenti, efficaciter decernit vt conuertatur, & in eum finem obtinendi conuerſionẽ liberam ei confert illud auxilium, quod per ſcientiam mediam cognouit fore congruum ad exprimendam conuerſionem liberam à voluntate. Vt igitur impugnemus placitũ illius Doctoris, breuiter inſinuabimus capita, vnde efficaciter probatur, gratiam efficacem non eſſe ab intrinſeco efficacem, ſeu non eſſe ex ſe infruſtrabilem, & irreſiſtibilem.

§. I.

Primum caput probandi gratiam efficacem, non eſſe ab intrinſeco efficacem, ex Concilio Senonenſi.

48 VT locum tergi verſandi aduerſarijs omnino præcludamus opere pretiũ duxi in medium proferre integrum [illegible] in quo veritatẽ catholicam de libero arbitrio ſtabilio.., quod ſane eſt graniſsimum; & ita ad verbum habet. Etſi nulla „pene ſit tam aperta catholica veritas, nullus tã „manifeſtus Sacræ Scripturæ locus, quem non „hæretici ſuis cauillis, & tergiverſationibus elu„dant: nulla tamen in re tã impudenter, tantaque „rei Chriſtianæ iactura debacchati ſunt, quã in „exterminando, profligandoque libero arbitrio. „Nam quid Chriſti fidelibus perniciosius excogitare potuit hoſtis ille veritatis, quam ſi vel à „Pelagio ſæducti omnia ſine præſidio gratiæ ſi„bi tumidius arrogent, vel fatiſcenti puſilloque „animo, cum Vviclefo neceſsitati fatiſque com„mittant omnia? nihil profecto reliquũ erit tum „diuinis legibus, tum humanis: nullus conſilijs „aut electiori, nullus precibus, aut obiurgationi, „cæteriſque id genus, locus, nulla denique iuſti„tia futura eſt, qua quibuſdam pœnæ, quibuſdã „conſtituta ſunt præmia: ſi pro Vviclefi, & Lu„teranorũ sẽtẽtia omnia de neceſsitate eueniãt. „Prodiderat hic error primum apud gẽtiles, ſed „sũmo omniũ conſenſu mox exploſus eſt: adeo „liberũ eſſe arbitriũ, velut euidenti quodã experimento cognitũ, omniũ mẽtibus ſe ſe inculcat. „Cum igitur reliquerit Deus hominem in manu „cõſilij ſui, appoſuerit quecorã eo ignẽ & aquã, „bonũ, & malũ: vt ad quodcũque voluerit porri„gat manũ ſuã (Eccl. 15.) Nec ab re beatus ille „dicatur, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala & non fecit. (Eccl. 32.) „Quod ſub eo ſit appetitus eius, & dominetur „illius. (Gen. 4.) Ac denique percurrenti Sacram „Scripturam paſsim obuium ſit, quod liberum „vtrumuis in partẽ hominis arbitriũ aſſeueret; „ſatis eſſe viſum eſt ſacro prouinciali Concilio, „libertatis huiuſmodi vires, & metas exponere. „Neque enim liberũ arbitriũ aſſerentes, diuinã „excludimus propterea gratiã: quod ille falsò to„ties imponere non verentur, atque hoc fumo „credulorũ oculos perſtringere. Sed iuxta Sacrã „Scripturã eo extendimus, vt voluntas humana „miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffulta, & „interiori quodã, & occulto ſecretioris inſpira„tionis afflatu contacta, ſe ſe convertat in Deũ, „Deo appropinquet & ad verã illam gratiam ſe „præparet, qua tãdem accepta ſit ad vitam æternã. Neque tamen tanta gratiæ neceſsitas libero „præiudicat arbitrio, cũ illa ſemper ſit in prõptu. (Amos 5.) Nec momentum quidẽ præcereat, „in quo Deus non ſteterit ad oſtiũ, & pulſet cui ſi „quis à peruerit ianuã, intrabit ad illũ, & cænabit cum illo. (Apoc 3) Nec denique tale ſit „huiuſmodi trahentis Dei auxiliũ, cui reſiſti nõ „poſsit: quoties enim Dominus voluit congregare „filios Hieruſalem, ſicut gallina congregat „pullos ſuos ſub alas, & noluerunt? (Matt. 23.) „Fruſtra certe Stephanus Iudæos duræ cervicis „& incircunciſsi cordis argueret, qui ſempẽ „Spiritui Sãcto reſiſterent (Act 7.) Fruſtra Pau„lus Theſal. admoneret, ſpiritum ne extingue„rent (1 Theſ. 5) Si divinis inſpirationibus homines in evitabiliter raperentur. Trahit quidẽ „Deus, ſed in eius odorem currimus: (Cant. 1.) „Non vi, nõ vnco rapiamur. Prædeſtinat, eligit, „vocat, ſed eos demum adultos glorificat, qui in „fide, & charitate radicati per bona opera certã „ſuam vocationem, electionemque fecerint (2 „Petr. 2.) Et licet attingat à fine vſque ad finem „fortiter, diſponit tamen omnia ſuaviter. (Sap. „2 (Hanc igitur hæreſim arbitrij prorſus liber„tatem auferentem non tam damnamus, quippe „quæ iam olim ab Eccleſia, & Sacroſanctis Cõ„cilijs damnata ſit, quam communi hominum „conceptioni, & apertis Scripturæ teſtimonijs „declaramus eſſe contrariam. Hactenus Concilium.

49 Ex cuius authoritate efficaciſsimum conficio argumentum. Nam Concilium vt contra Lutherum arbitrij libertatem componat cum neceſsitate gratiæ prævenientis ad omnes & ſingulos actus ſalutares neceſſariæ, definit propterea gratiam illam non tollere libertatem, quia talis non eſt, cui reſiſtit non poſsit. Ergo definit propterea Dei trahentis auxilium cohærere cum arbitrij libertate; quia ei reſiſtere poſſumus. Ergo definit hominis arbitrium pulſatum auxilio gratiæ efficacis, poſſe reſiſtere illi

au-

auxilio. Conſtat enim Concilium loqui de auxilio efficaci; tum quia de hoc aſſerebat Lutherus tollere libertatem, exiſtimans per auxilium gratię efficacis homines inevitabiliter rapi, ac proinde ſine libertate operari: tum quia Dei trahentis auxilium, eſt auxilium efficax; quia eſt auxilium quo Deus facit vt faciamus, de quo loquitur Chriſtus Ioann. 6. 44. dum ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit eum.* Chriſtum enim hic loqui de gratia efficaci, qua fit vt veniamus ad Chriſtum, in eum credendo, teſtis eſt D. Auguſtinus tract. 26. in Ioannem citatus in catena Div. Thomæ; ſic enim exponit verba illa: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: Magna* (inquit) *gratiæ commendatio, nemo venit niſi tractus: quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare.* Loquitur ergo de gratia illa: qua homo tractus venit; quæ abſdubio eſt gratia efficax. Et ſane cum certum ſit Deum omnibus conferre auxiliũ ſufficiens ad ſalutem; & D. Auguſtinus in occulta Dei iudicia revocet, quod Deus vnum trahat, & non trahat alium; planum eſt, eum exponere hũc locũ detractione per gratiam efficacem; eſt enim inſcrutabile Dei iudicium, quod Deus huic tribuat gratiam, cum qua operaturus eſt; illi vero tribuat gratiam, cũ qua licet poſsit operari, reipſa tamen non ſit operaturus. Et lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 19. explicans hunc eundem locum advertit: *Non dixiſſe Chriſtum, nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus duxerit eum*: ſed dixiſſe, *traxerit*: quia ſi dixiſſet, *duxerit*, poſſemus intelligere, aliquod initium ſalutis præceſſiſſe ex parte noſtra, nempe bonam voluntatem; at vero dum dicit, *traxerit*, hanc occaſionem errãdi aufert: vt enim inquit ibi Auguſtinus: *Quis trahitur, ſi iam volebat? & tamen nemo venit, niſi velit ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.* Ergo iuxta interpretationem Auguſtini, idem eſt, *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum*: ac ſi dixiſſet, fieri non poteſt, vt velit credere, quin Pater meus faciat vt velit.

61 Eodem modo exponit S. Proſper fideliſsimus D. Aug. diſcipulus lib. contra Collatorẽ c. 14. ſic enim ait exponens verba Chriſti: *Nemo poteſt venire, &c. ſi ergo nemo venit niſi attractus, omnes quocumque modo veniant, attrahuntur.* Certiſsimum ergo eſt, Dei trahentis auxilium, eſſe auxiliũ efficax, quo ſcilicet Deus facit vt faciamus, immittendo nobis vocationẽ, ſeu inſpirationem efficacem, qua ita ſuadet, vt perſuadeat: de quo auxilio loquitur Dominus per Ezechielem c. 36. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.* Quæ verba exponens Auguſtinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. inquit: Certum eſt „ nos ſervare mandata, ſi volumus; ſed quia præ„paratur voluntas à Domino: ab illo petendum „ eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit vt „ volendo faciamus: *certum eſt*, nos velle, cum „ volumus, ſed ille facit vt velimus bonum, de „ quo dictum eſt, quod paulò antea poſui, quod „ præparatur voluntas à Domino, &c. Quare auxilium Dei trahentis eſt vocatio & inſpiratio Dei efficax, qua facit vt velimus credere, & bene operari. Conſtatque ex ipſo Evangelio, Chriſtũ „ Dominum in illis verbis: nemo poteſt venire „ ad me, niſi Pater meus traxerit eum, loqui de„ tractione per gratiam efficacem; ac proinde „ ſenſum illorum eſſe, fieri non poteſt vt veniat „ aliquis ad me, niſi Pater meus traxerit eum; „ nimirum per gratiam efficacem: conſtat in„ quam ex ipſo Evangelio, nã ſtatim addit: om„nes qui audivit à Patre, & didicit venit ad me.

62 Et quod Concilium Senonenſe nomine auxilij Dei trahentis intelligat auxiliũ efficax, conſtat ex ipſius verbis; de illo tamque auxilio dixit, tale non eſſe, *cui reſiſti non poſsit*, „ de quo paulò ante præmiſerat: Neque liberum „ arbitrium aſſerentes divinã excludimus prop„ terea gratiam. [illegible] „ extendimus, vt voluntas humana miſericordię „ præveniẽtis auxilio ſuffulta, & interiori quo„ dã & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu „ contacta, ſe ſe convertat ad Deum, Deo appro„ pinquet, & ad illam veram gratiam ſe præparet „ qua tandem accepta ſit ad vitam æternã. Evidens autem eſt, in his verbis agere de gratia efficaci, hæc enim eſt ſecreta illa inſpiratio, qua homo tactus & afflatus, ſe ſe convertit ad Deum; ergo cum immediate poſt ſubiungit, propterea huius gratiæ neceſsitatem nõ tollere libertatem „ quia tale non eſt Dei trahentis auxilium cui „ reſiſti non poſsit, apertiſsime loquitur de gratia illa efficaci.

63 Idque ex eo conſtat, quod hæretici Lutherani, & Calviniani, vt notat Maldonatus in c. 6. Ioan. n. 59. avide arripuerunt illa verba Chriſti, *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, vt probarent gratiam efficacem Dei liberum evertere arbitrium, aiebant enim, nullum relinqui arbitrium, quando vi homines trahantur. E contra vero Cõcilium vt probet Dei trahentis auxilium non tollere arbitrij libertatẽ definit illud Dei trahentis auxiliũ tale eſſe vt homo ei poſsit reſiſtere; hæretici dicebant, divinæ inſpiratione homines *ineuitabiliter rapi, & quaſi vnco raptari*, quia arbitrabãtur illã inſpirationẽ eſſe irreſiſtibilẽ, id eſt tali vi, & energia impellere homines ad agendum, vt ei reſiſtere & gefragari nõ poſsint. E contra vero Conc. definit

homines ita illa inſpiratione moveri & inclinari vt poſsint illi reſiſtere: quia Deus trahit per inſpirationē, de qua Apoſtolus loquitur, dum fideles exhortatur, vt cum illa operentur: *Fruſtra* (inquit) *Paulus Theſſalonicenſes admoneret, ſpiritum ne extinguerent, ſi diuinis inſpirationibus homines inuitabiliter raperentur.* Ergo definit diuinam inſpirationem, qua Deus facit vt faciamus, non rapere inevitabiliter ad agendum: ergo definit impellere evitabiliter, id eſt relinquendo poteſtatem ipſam fruſtrandi, & ea ſuppoſita evitandi operationem ad quam inclinat. Probatque Concilium apertis Scripturę teſtimonijs Deum non trahere homines, vim eis inferendo, aut neceſsitatem veniendi imponendo, ſed invitando & ſuadendo, & vocando per inſpirationem, cui liberè ipſi conſentiant; ſiquidem in hunc ſcopum allegat illud Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo*, &c. Et illud Mat. 24 27. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Et illud Cant. 1. *Trahe me poſt te, in odorē unguentorū tuorū curremus.* Et illud Pauli: *Spiritum nolite extinguere.* Ex quibus omnibus conſtat Concilium loqui de ea gratia efficaci, cum qua ita homo coniungit conſenſum, vt poſſet coniungere diſſenſum: cui ita cedit, vt [illegible] qua poſita expectat Deus, vt homo aperiat per conſenſum: quæ nullatenus convenire poſſunt gratiæ ab intrinſeco efficaci, & phyſice prædeterminanti. Huic enim nequit homo reſiſtere, quia reſiſtere alicui impulſui, & motioni, eſt illum relinquere ſine effectu, & omnino fruſtrari, & irritum facere, & coniungere diſſenſum cum illo. At manifeſtum eſt voluntatem creatam non poſſe relinquere ſine effectu phyſicam prædeterminationem, illamve fruſtrari, & vacuam & irritā reddere; nec poſſe in aliquo vero ſenſu ei reſiſtere; alioqui poſſet reſiſtere efficaci Dei voluntati, quā talis prædeterminatio eſſentialiter ſupponit. At certum eſt, nos non poſſe reſiſtere efficaci Dei voluntati, vt manifeſte conſtat ex Scriptura vt inferius num. patebit. Ergo omnino certum eſt non poſſe voluntatem creatam in vllo vero ſenſu reſiſtere auxilio prædeterminanti. At iuxta Concilium Senonenſe voluntas poteſt reſiſtere auxilio efficaci, quo trahitur ad conſenſum liberum: ergo iuxta Concilium Senonenſe auxilium efficax non eſt prædeterminans; ſed intrinſe indifferens, prout oportet, vt illi ſecundum ſe & ſpecificative ſumpto poſsit reſiſtere, eius efficaciam impediendo, & illud ſine effectu relinquendo.

(?)

§. II.

Præcluditur euaſio Recentis Thomiſtæ affirmantis Concilium Senonenſe fauere auxilio prædeterminanti.

55 AVTHOR Curſus Salmanticenſium Carmelitarum tom. 6. tract. 14. id eſt, diſp. 7 de gratia efficaci, num. 217. vt ſaltem ſpecie tenus perſuadeat Concilium Senonenſe non eſſe contrarium gratiæ prædeterminanti, aſſerit, Concilium illud ſatis aperte ſignificare, dari auxilium efficax à gratia excitante diſtinctum, quo voluntas interius agitur, & mouetur ad conſentiendum: ait enim: *Vt voluntas hominis miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta ſe ſe conuertat. Nam afflatus* (inquit) *tangens voluntatem in ſe ipſa non eſt motio pure obiectiua, qualem aduerſarij admittunt; ſed eſt aliquid motionem obiectiuam ſupponens, & voluntatem ſubiectiue & intriſece ad bonum, quod motio moralis proponit, efficaciter inclinans.* Et ſimiliter Concilium loquens de bonis operibus ait: *In quibus & liberum arbitrium operatur, primo tamen & principalius gratia. Quod intelligi nequit de concurſu ſimultaneo, cum iſte nō prius, ſed ſimultaneè in noſtra opera influat; ſed neceſſario debet intelligi de motione præuia, non quidem indifferenti, alioqui non principalius operaretur, ſed magis vt ſubdita determinationi arbitrij; ſed de motione determinata & efficaci. Et ſi Concilium hanc motionem non ſupponeret, & admitteret, non ſatisfaceret intentioni hæreticorum, qui per hanc motionem aſſerebant, abſolutum neceſsitatem induci.* Hæc ille.

56 Hoc tamen effugium facile præcluditur; nullum enim eſt verbum in illo decreto Cōcilij, ex quo deduci valeat ipſum admiſiſſe gratiā ab intrinſeco efficacem, & prædeterminantē: multa vero ſunt, ex quibus efficaciſsime oſtenditur, entitatem gratiæ efficacis, prout præveniens eſt, & à ſolo Deo procedit, talem eſſe, vt ei reſiſti poſsit coniungendo diſſenſum cum ea: quod enim Concilium docet, voluntatē noſtrā *miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffultam, & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contactā ſe ſe conuertere*: ſolum probat, in cōverſione hominis ad Deum non ſolum intervenire doctrinā & vocationē externā per doctrinā legis, & verba prædicatorū exhortantium hominem ad converſionem, quaſi ijs admonita voluntas ſuis propriis viribus poſsit elicere converſionem ſalutarem; vt dicebant Pelagiani; & conſtat ex Auguſtino lib. 1. de gratia Chriſti capit. 3. & ex Proſpero

in

in Epistola ad Ruffinum, vbi illum errorem referunt, & refellunt; prout à nobis late ostensum fuit tom. 1. disput. 17. sect. 15. vbi verba Augustini & Prosperi adduximus: ac proinde solum probat, præter doctrinam legis, & vocationem externam, intervenire ibi gratiam internam, quam Deus per se ipsum infundit, illuminando intellectum per illustrationem gratiosam & supernaturalem, & accẽdendo voluntatem per internam, & secretam inspirationem, per quas *ita suadet vt persuadeat*, vt loquitur Augustinus cap. 33. de spiritu & littera, & per quas operatur in nobis ipsam volitionem liberam salutarẽ, qua in Deum convertimur; vt constat ex Augustino lib. de spiritu & litt. capit. 34. dicente: „ Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & „ vt credamus, sive extrinsecus per Evangelicas „ exhortationes, vbi & mandata legis aliquid „ agunt, si ad hoc admoneant homines infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiant: sive intrinsecus, vbi nemo habet, quid ei vemat in mentem. Similia verba habet lib. 83. quæst quæst. 60 quoniam (inquit) nec velle quisquam potest, nisi ad monitus, & vocatus, sive intrinsecus, vbi nullus hominem videt; sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, efficitur vt ipsum velle Deus operetur in nobis.

58 Constatque manifestissime ex scripris Augustini, gratiam efficacem, qua Deus facit vt faciamus, non collocari ab Augustino in qualitate mortua physice prædeterminante voluntatem, vt vult aduersarius, sed in vocatione congrua *Qua id prorsus agitur & peragitur, vt credamus.* Vt ipse ait cap. 19. de Prædest. Sanct. & vt ipse inquit in eodem libro cap. 16. explicans illud Rom. 9. Non ex operibus, sed ex „ vocãte dictum est, quia maior seruiet minori „ dictum est vocante, non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens. Et vt loquitur ipse Augustinus Epist. 107. ad Viralem explicans naturã vocationis, in qua ponit gratiam efficacem, per quam Deus facit, vt faciamus: *Vocatio illa alta atque secreta sic mouet sensum, vt accomodet assensum.* Sæpeque in hoc tomo tract. de Prædest. disp. 3. ostendi, iuxta August. Deum facere vt faciamus, quatenus nobis immittit gratiose vocationem congruam, vt constat ex illa d. 17. n. 220 & vt ipse explicat in lib. 83. quæst. quæst 68 id circo non potest quis gloriari de fide alijsque actibus salutaribus, quibus operans discernitur à non operante: *Quia etsi quisquam sibi tribuat quod veniat vocatus, non tamen quod vocatus sit*

59 Dum autem Aug docet Deũ media vocatione congruã operari in nobis volitionem liberam salutarem, nõ significat, Deum solum impellere voluntatem mediante vocatione & inspiratione, quasi gratia solum concurrat in genere causæ formalis dirigendo, & mouendo; sed insuper docet Deum immediate concurrere in genere causæ efficientis tanquam authorem supernaturalem ad volitionem liberam; vel mediante vocatione ipsa, & inspiratione, quę quatenus per se ipsam in genere causæ formalis impellit voluntatem ad operandum, dicitur gratia præueniens; & quatenus simul cum voluntate concurrit effectiue ad actum salutarem dicitur gratia adiuvãs, & cooperans, vt docet P. Molina in concordia olysiponensi disp. 39. versu *dixi toties*, & disp. 38. versu *Possumus*, & disp. 40. initio. Et cum eo docent Lessius de auxilijs cap. 12. num. 7. P. Vazquez 1. part. disput. 88. capit. 9. & Pat. Ripalda, & P. Esparza: vel concurrere mediante habitu supernaturali quãdo actus elicitur ab homine cum habitu, vel concurrere immediate per se ipsum, ad exigentiam vocationis & inspirationis, quando non adest habitus, ita vt Spiritus Sanctus tunc immediate adiuvet voluntatem, vt principale principium proxime, & physice efficiens supernaturalẽ actum, vt vult Eximius Doctor lib. 3. de grat. cap. 18 & 19. & lib. de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 4.

60 Quare quamvis quod dicit Concilium nempe *in bonis [illegible] operari; primo tamen & principalius gratiam*, nõ possit intelligi de solo concursu simultaneo; tamen non debet intelligi de gratia prædeterminãte. Sed debet intelligi de gratia præveniente cõsistente in illustratione intellectus, & inspiratione voluntatis, media qua vt instrumẽto Deus operatur vt causa principalis primò & principaliter actum salutarem. Non potest quidem intelligi de solo concursu simultaneo, tum quia istũ concursum exhibet Deus ad actum malum, & tamen non est author illius: tum quia Deus vt author supernaturalis prius influit in ipsam volũtatem, ipsam impellendo, & præmouendo, quã cooperetur simultaneè cum illa ad actum salutarem: ille autem influxus in voluntatem quamuis non sit solum motio purè obiectiua, vt falsò nobis imponit aduersarius, sed sit aliquid subiectiue & intrinsecè afficiens voluntatem, efficaciter illam inclinans in consensum liberum: tamen ille influxus non consistit in physica prædeterminatione, sed in sancta inspiratione, quæ est actus voluntatis indeliberatus, vi cuius cum suauitate & delectatione trahitur voluntas ad consensum liberum. Per illam autem inspirationem non minus Deus vere & proprie subiectiue & intrinsece præmouet voluntatem, quam in sententia Thomistarum præmoueat per qualitatem illam mortuam: quamvis autem præmoueat Deus media vocatione, & inspiratione voluntatem, non tamen prædeterminat: aliud

enim eſt præmovere, aliud prædeterminare: præmotionem Dei ad omnes actus ſalutares neceſſariam admittimus, & præmotionem efficacem, per quam Deus facit vt faciamus; negamus tamen prædeterminationem; quia ad libertatem requiritur, quod voluntas poſsit reſiſtere præmotioni, qua trahitur ad conſenſum ſalutarem, ſeu qua Deus facit vt conſentiat.

61 Conſulatur Eximius Doctor libro de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 4. vbi oſtendit: *Quamuis ſola gratia non prædeterminet voluntatem humanam, nihilominus phyſice efficere conſenſum eius.* Vbi inter alia inquit: *Nos ſecundum veram & Catholicam doctrinam ſentimus, Deum vt ſupernaturalem cauſam, & primam & ſuo modo proximam principalem, vere, phyſice, & realiter efficere noſtros actus ſupernaturales, ac determinationes ad illos: noſtrumque liberum arbitrium nihil ſupernaturaliter poſſe efficere ſine Deo phyſice efficiente, duplici ratione. Prima eſt, quia arbitrium creatum eſt cauſa ſecunda, ac proinde dependens in agendo ab influxu phyſico cauſæ primæ in ſuam actionem. Hæc autem dependentia eſt proportionata effectui & actioni, ideoque ſi actus liberi arbitrij ſupernaturalis eſſe debet, neceſſe eſt, vt ſupernaturaliter etiam pendeat a Deo vt cauſa prima ordinis ſupernaturalis, quæ cauſalitas ſuperat omnes illas, quæ debentur naturali virtuti liberi arbitrij, & ideo gratuita eſt, ſeu ad ordinem gratiæ ſpectans. Secunda ratio eſt propter defectum virtutis activæ, quam liberum arbitrium ex natura ſua habet reſpectu ſupernaturalium actuum. Nam cum ſit inferioris ordinis, non poteſt habere innatam virtutem ad huiuſmodi actus: neceſſe eſt ergo, vt Deus illam ſuppleat, & conſequenter vt phyſice concurrat, non ſolum exercendo munus cauſæ primæ, ſed etiam ſupplendo defectum cauſæ proximæ, ſub qua ratione dicimus habere Deum locum cauſæ proximæ principalis.* Hucuſque Eximius Doctor.

62 Supplet autem Deus defectum virtutis activæ, quem liberum arbitrium habet reſpectu actuum ſalutarium, vel infundendo habitum ſupernaturalem, vel immittendo illuſtrationem, & inſpirationem talis genij & naturæ, vt non ſolum moraliter inclinet voluntatem, ſed phyſice ſimul cum illa influat; vel denique ſupplendo per ſe ipſum concurſum illum, quem exhiberet habitus, ſi adeſſet; quod præſtat applicando omnipotentiam modo ſpeciali, vt ſimultaneè concurrat ſpeciali, & beriori influxu, quam influit ad actus naturales.

63 Poſtremo falſiſsimum & ſine fundamento eſt, quod ille author dicebat, nempe: *Quod niſi Concilium Senonenſe motionem phyſice prædeterminantem ſupponeret, & admitteret, non ſatisfaceret intentioni hæreticorum, qui per hanc motionem aſſerebant abſolutam neceſſitatem induci.* Falliſsimum, inquam, eſt, quia ſcopus Concilij non fuit definire, gratiam ab intrinſeco efficacem, qualem Lutherus ex ſuo cerebro confixit, nempe gratiam ineuitabiliter rapientem, & quaſi vncum raptantem, non tollere libertatem; vt late probavi tom. 1. diſput. 17 ſect 9. à num. 74. vbi detexi manifeſtam fallaciam cuiuſdam argumenti, quo Recentes Thomiſtæ contendunt, Concilium contra Calvinum definiſſe, gratiam prædeterminantem non tollere libertatem; quia alioqui non ſe oppoſuiſſet Calvino, qui de ſola gratia prædeterminante aſſerebat tollere libertatem. Sed eius ſcopus fuit definire, gratiam efficacem, quam ex Scripturis & Sanctis Patribus, & Conciliis conſtat eſſe neceſſariam ad opera ſalutaria, minime opponi cum noſtra libertate: ad idque probandum duplicem rationem adduxit, primo, quia illa gratia ſemper eſt in promptu, eamque Deus omnibus offert, quatenus omnibus confert auxilium ſufficiens, vi cuius ita habent in ſua poteſtate bene operari, vt nihil illis deſit ex parte Dei prærequiſitum ad actu operandum, ſolumque deficiat operatio, & gratia efficax, quia eam ſibi oblatam à Deo ipſi recipere noluerunt, libere aſſentiendo gratiæ prævenienti, quæ ſufficiens erat ad recte operandum, & quia cooperari noluerunt Deo, qui quantum eſt ex ſe paratus erat eos adiuvare per concurſum ſimultaneum, ſi per ipſos non ſtaret; vnde ratio, cur homo habens auxilium ſufficiens ad operandum, careat gratia efficaci, non eſt, quia Deus noluit dare, qui lumen ſuum omnibus offert, ſed quia homo noluit accipere, vt probavi tom. 1. diſp. 17. ſect. 11. à num. 122. ex Div. Thoma. Diu. Auguſtino, Damaſceno, & Dionyſio, & Anſelmo, & Deus enim ſtat ad oſtium, & pulſat; vnde non ſtat per Deum, ſed vnice per hominem, quod ianua cordis Deo volenti ingredi non aperiatur. Et hanc rationem expreſsit Concilium illis verbis: *Neque tamen tanta gratiæ neceſsitas libero præiudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem præcedat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet, cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum.* Et hinc formatur efficax argumentum. Nam propterea neceſsitas gratiæ efficatis ad actus ſalutaris non præiudicat libero arbitrio; quia ſemper eſt in promptu, & Deus illam offert omni homini, cui concedit auxilium ſufficiens. At phyſica prædeterminatio non eſt in promptu, neque illam Deus omnibus offert; ſiquidem independenter ab vſu ſuæ libertatis multi illa priuantur;

ergo

ergo gratia efficax iuxta Concilium Senonenſe nõ conſiſtit in prædeterminatione: ac proinde gratia efficax eſt illa, cum qua homo libere coniungit conſenſum potens in ſenſu diuiſo coniungere diſſenſum.

63 Secundo reddit Concilium rationem, cur neceſsitas gratiæ efficacis libertatem non tollat; *quia nimirum tale non eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non non poſsit.* Ex quibus verbis per neceſſariam conſequentiam infertur, gratiam efficacem nõ eſſe ab intrinſeco efficacem, & phyſicè prædeterminantem; nam huic reſiſtere non poteſt liberum arbitrium, ſi cut nõ poteſt reſiſtere efficaci Dei voluntati, quã talis gratia ex ſe ſupponit; vt late oſtendi tom. 1. diſp. 17. ſect. 4. & 5.

§. III.

Præcluditur alia euaſio Recentioris Thomiſtæ aſſerentis, dum Concilium Senonenſe definit, hominem poſſe reſiſtere Dei trahentis auxilio; nõ loqui de auxilio efficaci, ſed ſolum de ſufficienti.

64 IGITVR Citatus ille Recentior Thomiſta, nempe Author ſexti tomi curſus Theologici PP. Carmelitarum Diſcalceatorum, ea diſp. 7. num. 217. agnoſcens, ſi concedatur Concilium nomine *auxilij Dei trahentis* intellexiſſe auxilium efficax, manifeſte concludi, auxilium efficax non eſſe prædeterminans, reſpondet, cum Concilium aſſerit: *Neque denique tale ſit huiuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſsit*, no loqui de auxilio efficaciter trahente, ſed ſolum de auxilio trahente quoad ſufficientiam. *Quod ſatis* „ (inquit) *liquet* ex probatione immediate ad„iuncta; probat enim hominem poſſe reſiſtere „auxilio Dei trahentis, quia aliquando, & de „facto ei reſiſtit. Id vero in nulla ſententia ve„rificari valet de auxilio efficaci; nàm efficax „non eſt, cui de facto reſiſtitur: & Deo volenti „ſalvum facere nullum humanum reſiſtit arbi„trium, vt dixit Auguſtinus lib. de correp. & „grat. cap. 14. In quo tamen non ita proprie „loquutum fuit illud Cõcilium; nam auxilium „Dei trahentis communiter, & abſolute lo„quendo, ſignificat auxilium efficax, & non „præciſè ſufficiens. Illud vero ſatisfuit ad in„tentionem Concilij, & vt errorem Hæretico„rum oppugnaret. Quoniam ſi ſemel homo re„ſiſtere poteſt, & quãdoque reſiſtit auxilio ſuf„ficienti; ergo habet in ſe ipſo huiuſmodi po„teſtatem etiam in illo inſtanti, in quo ad agẽ„dum efficaciter applicatur. Auxilium quippe „applicans, nec dat, nec aufert poteſtatem, cum „non pertineat ad actum primum, ſed ad ſecũ„dum. Conſtat autem, quòd hoc ipſo, quòd „homo efficaciter applicatus, & actu agens ha„beat poteſtatem ad oppoſitum, non agit cum „abſoluta neceſsitate, ſed libere, & cum domi„nio: ergo motio efficaciter applicans, ſive oc„cultus afflatus voluntatem tangens, non indu„cit neceſsitatem abſolutam, vt Hæretici cau„ſabantur, & huc reſpexit probatio Concilij, „quãuis terminis non adeo proprijs, ac rigo„roſis in probatione vſum *fuerit.* Hucuſque ille Author.

65 Verũ hãc eſſe diſtortam, & violentã Cõcilij interpretationẽ, & alieniſsimã ab eius mẽte facile probatur. Iam enim §. 1. probaui, Concilium nomine auxilij Dei trahentis intellexiſſe gratiam efficacem, qua Pater trahit homines ad Filium, & qua Chriſtus trahit homines ad opera pietatis: idque denuo ſuaderetur: quia Concilium loquitur de eo gratiæ auxilio, de quo Hæretici dicebant vim inferre, & neceſsitatem imponere, & homines ineuitabiliter rapere ad operandũ, & illo quaſi vnco raptore homines ad operandum trahi, vt conſtat ex illis Concilij verbis: *Fruſtra Paulus Theſſalonicenſes admoneret, ſpiritum ne extinguerent, ſi Diuinis inſpirationibus homines ineuitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, ſed in eius ordinem currimus: non vi, non vnco raptamur:* & conſtat etiam, quia vt teſtatur Maldonatus exponens illa verba Chriſti Ioan. *6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum,* Hæretici Lutherani, & Caluiniani aſſumebant illa Chriſti verba ad comprobandum ſuum errorem, aientes: *Nullum relinqui arbitrium, quãdo vi homines trahuntur.* At Hæretici de ſolo auxilio efficaci, quo Deus abſolute trahit homines ad exercenda opera pietatis, aſſerebant tollere libertatem. Ergo Concilium loquitur de auxilio efficaci; & propterea dicit homines illo auxilio *non ineuitabiliter rapi, neque tanquàm vnco raptari*; vt dicebãt Hæretici, *quia tale non eſt illud Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſsit.* Ergo Concilium definit ideo auxiliũ Dei trahentis, ſeu auxilium efficax non tollere libertatem, quia talis naturæ eſt, vt ei reſiſtere poſsimus. Atque adeo Concilium non ſolum definiuit concluſionem catholicam, quod nimirũ gratia efficax Dei non opponitur cum noſtra libertate; ſed definiuit rationem, cur non tollat libertatem, quia videlicet, non rapit ineuitabiliter ad conſenſum, ſed ita inclinat, vt poſsimus eius entitati reſiſtere.

66 Quod Hæretici de ſolo auxilio efficaci dicerent, tollere libertatem; patet primò quia de hoc ſolo auxilio poterat eſſe dubium; auxilium enim aliud, cum quo homo non operatur, nequit libertatem operationis tollere: patet ſecundò, quia propterea Hæretici dicebant Dei

trahentis auxilium tollere libertatem, quia capere non poterant, quomodo hæc duo cohæreant, & Deum infallibiliter facere, vt homines operentur, eos tamen homines libere operari? Deum trahere homines, & nihilominus homines libere venire: quæ ſane eſt difficultas, quæ non facile penetratur. Et propterea Auguſtinus lib. 2. contra litteras Pitiliani, cap. 18. aiebat: *Si tibi propinam quæſtionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio? Fortaſis eam difficile ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, vt quis quod voluerit agat? Et tamen vtrumque verum eſt; ſed hoc intellectu penetrare pauci valent.* At manifeſtum eſt eſſe gratiam efficacem illam, qua Deus infallibiliter facit, vt homines operentur, & qua Pater trahit ad Filium; quia Pater non trahit eos, qui nolunt venire: ergo manifeſtum eſt Hæreticos de ſola gratia efficaci aſſeruiſſe, quod tollat libertatem.

67 Tertiò probatur, quia, vt teſtatur Cardinalis Bellarminus lib. 1. de grat. & libero arbitrio cap. 11. *Partitionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem, Hæretici noſtri temporis omnino repudiare coguntur: cũ apud eos, qui à Deo moventur, neceſſariò bene agãt: qui non moventur, non poſſint bene agere; ac per hoc omnis Dei motio ſit efficax, nulla ſufficiens.* Et vt teſtatur P. Stephanus Dechams in illuſtri opere de Hæreſi Ianſeniana lib. 1. diſp. 8. cap. 2. num. 1. *Hæc communis Theologorũ vox eſt, qui aduerſùs Caluinum ſcripſerunt.* Citatque ex Doctoribus Catholicis Andream Duvalium, Malderum Epiſcopum Antuerpienſem, Ioannem Nigers, Bartholomæum Camerarium, Gabrielem Pennotum, Philippum Gamachæum, Ioannemque Puteanum, qui id ipſum affirmant, quod modo affirmavit Bellarminus.

68 Et certè conſtat Ianſenium conſtanter, vel potius pertinaciter aſſeruiſſe, in ſtatu naturæ lapſæ nullam eſſe gratiam interiorem, quæ efficax non ſit: nam ſecunda eius propoſitio ex quinque damnatis, tanquàm Hæreticis ab Innocentio Decimo, eſt hæc: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Ex qua propoſitione manifeſte conſtat, illum non agnouiſſe pro hoc ſtatu gratiam interiorem, quæ ſit vere ſufficiens, quin ſit efficax. Vt autem oſtendit P. Dechams eo libro 1. de Hæreſi Ianſeniana, cuius titulus eſt: *Ianſenius Hæreticorum Plagiarius*, cap. 3. argumenta omnia, quibus Ianſenius probare nititur, nullam in hoc ſtatu gratiam effectu carere, ex Hæreticis deſcripta ſunt. Ergo Hæretici contra quos agebat Concilium Senonenſe non admittebant gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam. Ergo de ſola gratia efficaci aſſerebant neceſſitare arbitrium, illudque inevitabiliter rapere. Ergo Concilium definiens auxilium Dei trahentis non imponere neceſſitatem, quia tale non eſt, cui reſiſti non poſſit, definit auxilium efficax non tollere libertatem, quia tale non eſt, quale exiſtimabant Hæretici, nempe inevitabiliter trahens; ſed eſt tale, cui voluntas reſiſtere poſſit, ac proinde quod euitabiliter, & reſiſtibiliter trahat.

69 Sed age demus gratis aduerſario, Lutherum admiſiſſe auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci; certe ſi illud admiſit, vtique admiſit auxilium ſufficiens ſimile illi, quod admittunt Prædeterminatores, quatenus dicunt, impoſſibile eſſe, quòd auxilium ſufficiens coniungatur cum operatione, niſi ſuperueniat auxilium prædeterminans. Cum enim Lutherus affirmaret, omnem actum elicitum à voluntate, eſſe ipſi ineuitabilem, & neceſſarium neceſſitate proueniente à prædeterminatione Dei; ſane ſi admiſit auxilium ſufficiens de ſe indifferens ad opus, & ad carentiam operis, admiſit vtique auxilium ſufficiens, de ſe ita debile, vt ſit incapax coniungi immediate cum conſenſu, & quod eſſentialiter indigeat auxilio prædeterminantur, vt perueniat ad opus, & in illud actu influat: licet in hoc detur differentia, quod Thomiſtæ dicunt, cum hoc componi, quod voluntas carens prædeterminatione habeat potentiam proximè expeditam ad operationem; Lutherus vero aſſerebat voluntatem carentem auxilio prædeterminante, ſimpliciter eſſe impotentẽ operari. Quãuis autem id ipſi expreſsè, & ſignatè affirmentur nec aliter nunc defendant neceſſitatem auxilij prædeterminantis, niſi quia arbitrantur, ſine illo actu exiſtenti ſaluari veram ſufficientiam, & proximam potentiam ad operandum: tamen ex eo, quòd auxilium phyſicè prædeterminans ſit neceſſarium ad actu operandum, Schola Societatis efficaciſsimè probat contra illos, per neceſſariam conſequentiam ſequi ex illorum ſententia, hominem carentem auxilio prædeterminante non habere veram ſufficientiam, & veram potentiam proximam ad operandum: ac proinde deducit non aliter poſſe ſaluari veram ſufficientiam, veramque potentiam proximam ad operandum, quàm aſſerendo auxilium ſufficiens nõ indigere prædeterminatione ad hoc, vt exeat in operationem, ſed talis eſſe naturæ, vt habenti illud nihil deſit ad actu operandum, niſi quod velit operari. Quam ſententiam fusè, & acutè probat Maynan tom. 2. ſuæ phyloſophiæ Sacræ, qui capite 42. propoſitione 28. num. 2. in compendium redigens, quæ fusè antea diſputauerat, vbi veriſimè pronũciauit: *Gratia ſufficiens eſt illa, quæ dat poſſe, daretque de facto agere, ſi homo non renueret illud accipere; vt reverà in illius poteſtate eſt non renuere, & non renuendo, ſimulque cooperando accipere. Gratia verò efficax eſt illa, quæ dat vtrumque*

vide-

videlicet posse, & agere: sed ita dat agere, vt illud non esset daturа, si homo renueret accipere, vt potest ipse licet stante, renuere.

70 Hoc supposito, probo Concilium contra Lutherum definisse, liberum hominis arbitrium posse resistere auxilio efficaci: quia aliquin definitio esset omnino irrita, & inanis; probaret enim nullum auxilium gratia prævenientis necessitare voluntatem, ex eo quod licet arbitrium nequeat resistere auxilio valido, vi cuius re ipsa Deus obtinet ab ipsa consensum, potest tamen resistere auxilio debili, vi cuius solius nunquàm Deus potest facere, vt voluntas ponat consensum: quæ probatio foret frivola, & indigna Concilio. Perinde enim foret, ac si quis diceret se posse capere arcem cinctam militibus fortibus, & debilibus; & intentum suum sic probaret: *Ego licet non possim vincere fortitudinem militum robustorum custodientium hanc arcem*, nec impetum sustinere; tamen arcem istâ possum expugnare, quia possum vincere milites alios debiles, qui cum fortibus sunt associati. Perinde rursùs foret, ac si homo ferrea catena, & simul debili filo ligatus, iactaret se esse expeditum ad correndum, quia licet non possim, inquit, rumpere catenam, possum rumpere filum. Sed hoc argumentū fusius postea proponam, dū expendam authoritatem Tridentini, definientis, *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit.*

71 Sanè Lutherus non asserebat quācumque gratiam in Scriptura contentam, tollere libertatem; sed solum gratiam illam per quā iuxta Scripturam, Deus facit, vt faciamus, & in præceptis eius ambulemus, per quam nos trahit, & per quam operatur in vobis velle, & operari: nam his vocibus explicat Scriptura gratiā efficacem. Ergo vt se opponeret Luthero, debuit definire gratiam efficacem nō tollere libertatem, ac proinde nullam gratiam tollere libertatem: atqui Concilium definivit gratiam non tollere libertatem, *quia tale non est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Ergo definivit gratiam efficacem, qua Deus nos trahit, ideò nō præiudicare libertati, quia ei resistere possumus: ergo virtualiter, & implicite definivit gratiam efficacem non esse prædeterminantem; nàm gratiæ prædeterminanti resistere non possumus: ergo falsissimum est, quòd Author Carmelitanī cursus affirmat, *Concilium Senonense non loqui de auxilio efficaciter trahente, sed solum de auxilio trahente quoad sufficientiam.*

72 Impugnatur præterea illa expositio, quia verba Concilij deforquet ad sensum impropriū; nàm vt fatetur ille Author, *Auxilium Dei trahentis communiter, & absolutè loquendo significat auxilium efficax, & non præcisè sufficiens*; in hac quippe acceptione sumitur ab Scripturis, & Patribus; vt constat ex illo cant. 1. *trahe me post te, curemus in odore vnguentorum tuorum.* Et ex illo Christi Ioan. *Nolite murmurare: nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, vt etenim exponit Caietanus *his verbis explicat Iesus clarè, quod superius occultè dixerat, omne, quod dedit mihi Pater, ad me veniet. declarando simul quod ideo isti murmurabant, quia non erant tracti a Patre.* Et vt ait Toletus ad literam exponens eadem verba, est sensus: *Nolite murmurare* „ quasi rem aliquam falsam, & incredibilem ego pronunciaverim, si enim non capitis „ verba hæc, non ideò vera non sunt, sed quod „ non habetis in vobis lumen illud Divinum, „ quod necessarium est ad veniendum ad me, & „ ad credendum verbis meis: nemo enim venit „ ad me, nisi à Patre tractus, & à Patre illustratus, vt autem inquit ibi Caietanus: *Nec propterea excusatur non veniens ad Iesum, si non trahitur à Patre Cœlesti: quoniam non excusatur ab obice impediente ipsum, ne trahatur à Patre.* Cum ergo auxiliū Dei trahentis sit apud Scripturam, & Patres auxilium efficax, violentiam infert Concilio Author ille, dum ait, Cōcilium *non loqui de auxilio efficaciter trahente, sed solum de auxilio trahente quoad sufficientiam.* Hoc enim est asserere, Concilium nō vsurpasse in sensu proprio, & Scripturis familiari nomen *auxilium Dei trahentis.* Ac proinde, est asserere Concilium detorsisse verba Scripturæ ad improprium, & invsitatum sensum; quod sine iniuria Concilij affirmari non potest. Nefas enim est verba Scripturæ, & Conciliorū ad improprios, & invsitatos sensus, detorquere: sic enim nihil firmum ex illis haberemus.

73 Inermeque, & inefficax est argumentum, quo ille Author probat Concilium solum loqui de auxilio trahente quoad sufficientiam. *Quod satis* (inquit) *liquet ex probatione immediate adiuncta: probat enim hominem posse resistere auxilio Dei trahentis, quia aliquando, & de facto ei resistit.* Id *quod in nulla sententia verificari valet de auxilio efficaci; nàm efficax non est, si de facto ei resistitur.* Hoc est argumentum huius Authoris. Hoc autē argumentum inerme, & debile est: Concilium enim non probat, hominem posse resistere auxilio Dei trahentis, quia aliquando, & de facto resistit auxilio Dei trahētis, sed probat necessitatem gratiæ efficacis non præiudicare libero arbitrio, quia illa semper est in promptu; quia Deus conferens homini auxilium sufficiens, hoc ipso offert illi auxilium efficax, seu auxiliū actu adiuvans, & coperans, si ille velit accipere: dū enim confert auxilium sufficiens; stat ad ostium cordis, & pulsat, & expectat, vt homo vocatus, & tactō auxilio sufficienti, aperiat ostiū cordis,

quæ

quæ apertio ſine gratia adiuvante, & actualiter cooperante non fit. Probat rursùs neceſsitatem gratię libero arbitrio non præiudicare, *quia tale non eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſsit.* Et dum immediate ſubiungit: *quoties enim Dominus voluit congregare filios Hieruſalem, ſicut gallina congregat filios ſuos ſub alas, & noluerunt?* Non ſignificat, hominem aliquando reſiſtere auxilio Dei taahentis: ſed ſignificat Deum trahere per auxilium ſimile in ſua entitate intrinſeca illi, cui de facto aliqui reſtiterunt, quod ob eorum culpam non fuit in eis efficax, & Dei trahentis auxilium: ac proinde ſignificat auxilium efficax non eſſe ab intrinſeco efficax, & diſtinctum à vocatione, & inſpiratione, vt volunt Thomiſtæ. Vt enim inquit Caietanus exponens verbum illud Chriſti Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum: non violentia, ſed revelatione, inſpiratione, inſtinctu, excitatione mentis* trahit Pater ad Filium. Scopus enim Concilij fuit excludere falſam, & hæreticam expoſitionem Lutheri, qui dicebat illa verba Chriſti, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, ſignificare, liberum arbitrium tolli per Dei gratiam; in hoc renovans errorē Manichæorum: vt enim [illegible] Chryſoſtomus hom. 45. & inſinuat S. Auguſtinus tract. 26. in Ioannem, hoc loco abutebantur Manichæi, vt liberum hominis negarent arbitrium, quaſi id trahi dicatur, quod vi, & violentia venire cogitur. Sed ſtricta erat hæc argumentatio, (inquit Toletus annotatione 21. in caput 6. Ioannis) tum quia & verbum *traho* non ſemper violentiam ſignificat: tum quia apud Authores profanos *trahi ſæpe idem ſignificat*, quod inclinatione vehementi in aliquam rem duci. Trahi enim multi appetitu gloriæ, alij appetitu ſcientiæ dicuntur: & vt Auguſtinus poetam allegat, *trahit ſua quemque voluptas; nō tamen vi trahuntur, aut neceſsitate aliqua.* Tum etiam Scriptura infinitis pene locis huic vi, & neceſsitati adverſatur, dum ſæpe invitat peccatores, vt veniant ad fidem, & ad Divinæ legis obſervantiam; ſi autem vi, aut neceſsitate traherentur, non eſſet, quod venire invitarentur, & admonerentur. Vtitur autem Scriptura hoc verbo, vt efficaciam Divinæ vocationis explicet, quæ homines ſuis vitijs maximè immerſos, & diuturno tempore in ijs inutritos, nihil niſi carnale ſapientes, & appetentes temporis momento *convertit*. Quam incitationem non fecit per qualitatem mortuam phyſicè prædeterminantem, & rapientem, ſed per illuſtrationem intellectus, & inſpirationem voluntatis, qua patens ſit, quod antea latebat, & ſuave, quod antea non delectabat, ſed horrorem incutiebat; vt docent cōmuniter Patres, & infra videbimus §.

74 Itaque Scopus Concilij fuit explicare, quo pacto trahat Dominus ad converſionem, quin vim inferat, neque inevitabiliter rapiat neceſsitatem imponendo, quia videlicet trahit vocando, & inſpirando; & vt inquit Maldonatus exponens illa verba Chriſti, *Nemo poteſt venire ad me &c. Trahit nimirum Pater* „ad Filium, ſicut Rex ille, qui nuptias filio ſuo „ſuo feciſſe dicitur apud Mat. 22. Rex enim „ille Deū proculdubio ſignificabat, qui Chriſto „Filio ſuo nuptias faciebat. At ille non cogen„do, ſed invitando homines traxit. Si enim „coegiſſet, omnes veniſſent; at multi venire no„luerunt: illi ergo ipſi, qui venerunt, non coa„cti, non neceſsitate vlla compulſi venerunt. At „dicit ſervo Luc. 14. verſ. 23. *compelle intra„re.* Illa ipſa compulſio nihil aliud, quàm dili„gentem vehementemque exhortationem ſig„nificat, populari genere loquendi; quo com„pelli nos dicimus, cum vehementer rogamur. „Non alio opus eſt argumento, quàm quod ij„dem iſti, qui tracti à Patre non ſunt, hoc ip„ſo loco, & alijs pene innumeris reprehendun„tur, quod ad Chriſtum venire noluerint: ve„nire igitur potuerunt, & cum nemo ad Chri„ſtum venire poſsit, niſi trahente Patre venire „poſsit, & trahi potuerunt, ſi voluiſſent; quī „ergo tracti ſunt, ideo tracti ſunt, quia trahi „voluerunt; non ergo aut coactē, aut neceſſa„riō, ſed libera voluntate *tracti ſunt.* Hæc Maldonatus: quæ opportuna valde ſunt ad mentē Concilij enodandis explicādā; probavit enim neceſsitatem auxilij efficacis, quo homo trahitur, non præiudicato libero arbitrio, quia nimirum *illud Dei trahentis auxilium tale nō eſt, cui reſiſti non poſsit*; eo quòd Deus non trahat compellendo, neceſsitando, vel vim inferendo, ſed invitando per vocationem, & inſpirationem congruam, quæ ideo congrua eſt, & appellatur abſolutè Dei trahentis auxilium, quia illi de facto homo conſentit, cum poſſet diſſentire; ſicut diſſenſerunt ſimilibus vocationibus alij; quæ vocationes ob illorum culpam non fuerunt abſolutè Dei trahentis auxilium; ideo enim Deus cōcedens homini auxilium ſufficiens, quo venire poſſet, ſi vellet, non traxit hominem illum, quia ille trahi noluit. Hinc autem clare deducitur homini habenti vocationem, & inſpirationem non eſſe neceſſariam ad actu veniendum, phyſicam prædeterminationem; quia ſi foret neceſſaria, non poſſet reprehendi, quia non venit, quando illa caruit, nec ſtitiſſet per ipſum, ſed per Deum, qui prærequiſita ad veniendum dare noluit. Ideo ergo imputatur homini, quod non venerit vocatus, quia in ipſius poteſtate erat venire cum ſola illa vocatione, quamuis nullum aliud auxilium præueniens adderetur. vt docet aperte Auguſtinus in lib. 83. quæſtionum, quæſt. 68. ubi

vbi de vocatis ad cænam dicit: *Neque omnes illi qui vocati sunt venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur: ideoque neque illi debent sibi tribuere, quòd venerunt, quia vocati venerunt: neque illi, qui venire noluerunt, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quia vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatẽ operatur. Propterea, etsi quisquam sibi tribuit, quòd veniat vocatus, nõ tamen quòd vocatus sit.*

75 Addo, voluntatem vocatam, & pulsatam vocatione, & inspiratione, & insuper motam motione prædeterminanti, non posse resistere illi inspirationi, & vocationi, hoc ipso, quòd non possit resistere prædeterminationi; quia dum voluntas subiacet prædeterminationi, non potest resistere vocationi, coniungendo resistentiam cum carentia prædeterminationis, seu faciendo sensum divisum à prædeterminatione, id est dividendo à se prædeterminationem; ergo si dum subest prædeterminationi habet potentiam proximam ad resistendum vocationi, habet potentiam proximam ad resistendum vocationi coniungendo illam resistentiam cum prædeterminatione. Omnis enim causa, quæ dum informatur aliqua forma, est proximè potens ponere aliquem terminum, vel est proxime potens ad dividendum à se eiusmodi formam per positionem talis termini, vel est proxime potens ad componendum talem terminum cum eiusmodi forma: quia vel habet potentiam ad terminum in sensu composito talis formæ vel in sensu diuiso: si primum, habet potentiam ad componendum terminum cum tali forma: si secundum, habet potentiam ad dividendam à se formam per positionem talis termini: quia sicut potentia ad terminum in sensu composito formæ est potentia ad componendum terminum cum tali forma, ita potentia ad terminũ in sensu diviso talis formæ, est potentia ad dividendum à se formam per positionem termini. Et hoc secundo modo voluntas amans habet potentiam ad odium in sensu diviso amoris; & homo iustus habet potentiam ad peccatum in sensu diviso gratiæ, quia habet potentiam ad dividendam à se gratiam per positionem peccati, & illa habet potentiam ad dividendum à se amorem per positionem odij; quòd si forma, cui subiacet voluntas, & qua informatur, sit omninò independens ab eius arbitrio; nequit voluntas, dum afficitur illa forma, habere potententiam absolutam ad aliquem terminum ponendum, quin habeat potentiam ad componendum illum terminum cum eiusmodi forma. Si enim neque per positionem termini potest à se expellere illam formam, illiusve primam existentiam impedire, neque potest componere terminum cum illa forma; non habebit nisi potentiam quamdam conditionatam ad illũ terminum, sub conditione, scilicet, quod liberetur ab illa forma essentialiter incompossibili cum eiusmodi termino; qualem homo ligatus ferrea catena habet ad currendum, sub conditione, quod expediatur à catena. Neque aliam potentiam re ipsa concedunt Prædeterminatores dum dicunt voluntatem prædeterminatam ad amorem habere potestatem ad odium in sensu diuiso præcisiuo, seu ad odium secundum se; vt ostendi t. 1. disp. 13. num. 29. & hoc tom. 2. tract. de prædestinat. disp. 3. n. 7. 8. & 9. quia cũ odium secundum se essentialiter præsupponat prædeterminationem sui iuxta aduersarios; & voluntas prædeterminata ad amorem nõ habeat, nec possit habere pro libito suo prædeterminationem ad odium; sane dum est sub predeterminatione ad amorem, solum potest habere potentiam conditionatam ad odium; sub conditione quod expediatur à prædeterminatione amoris, & præueniatur prædeterminatione odij.

76 Hinc ex eo quod quandoque resistat voluntas auxilio sufficienti, quando est separatum à prædeterminatione, perperam infert aduersarius, quod voluntas possit resistere auxilio sufficienti, quando protegitur confortio auxilij prædeterminan[illegible] est, ac si quis diceret se posse vincere hominem debilem, dum est associatus viro fortissimo, & invincibili, ab illoque protegitur, ac defenditur; quia potest vincere illum hominem debilem, dum illum seorsim aggreditur, seu quia illum vicit, quando destitutus erat sotietate, & præsidio viri robusti, & inuincibilis. Falsissimumque est, quod ille Author supponit, nempe auxilium prædeterminans, quod ipse applicans appellat, nec cõferre potestatem, neque auferre, neque pertinere ad actum primum. Omnia enim hæc falsa sunt; nam auxilium prædeterminans iuxta aduersarios est auxilium illud efficax, vi cuius Deus facit, vt faciamus; hoc autem auxilium dat vires, ac proinde spectat ad actum primum. Quod det vires, probatur primò ex Augustino libro 1. de gratia, & libero arbitrio, capite 16 dicente: *Certũ est nos facere, cũ facimus, Sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati*, qui dixit Ezech. 16. *faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Secundò, quia vt ostendit P. Suarez libro 3. de grat. cap. 33. & nos probauimus tom. 1. disp. 15. implicat aliquid esse prærequisitum ad effectum, & non complere actum primum ad illum. Quare, si gratia prædeterminans sit prærequisita ad actum, homo illa carens non habet veram potentiam, & sufficientiam ad actum; quia non habet veram potestatem ad consequendum finem, qui nec habet neque pro libito suo potest habere medium essentialiter prærequisitum ad consecutionem fi-

nis. Vnde phyſica prædeterminatio ad vnum extremum contradictionis, v.g. ad amorem, ſi ſit neceſſaria conſtituit proximam potentiam ad illud; & aufert potentiam proximà ad oppoſitũ.

§. IV.

Retunditur Conatus Recentiorum Thomiſtarum, qui authoritatem Concilij Senonenſis vel diminuunt, vel nullam eſſe temerè affirmant.

77 ANTEQVAM Verba Recentiorum Thomiſtarum referamus, eorumque doctrinam impugnemus; notandum eſt Cornelium Ianſenium Epiſcopum Iprenſem aſſeruiſſe gratiam efficacem, qua Deus in ſtatu naturæ lapſæ facit, vt faciamus, non ſolum eſſe ab intrinſeco connexam cũ noſtra operatione, ſed dare vires in actu primo, quia eſt gratia ſanatiua, & medicinalis, quæ vires per peccatum fractas reſtaurat, & infirmitatem naturæ ſanat, & ſubinde aſſeruiſſe hanc gratiam de medio tollere libertatem indifferentiæ, quam habebat homo in ſtatu naturæ integræ ante peccatum. Conſtat id manifeſte ex omnibus Doctoribus contra Ianſenium ſcribentibus, vt ex Antoniño Moraynes in Antiſanſen., ex P. Stephano Dechams lib. 1. de hæreſi Ianſeniana diſp. 2. cap. 1. num. 5. apud quem Ianſenius lib. 6. de grat. Chriſti capite 6. ſtatuit, *libertatem, quæ liberi arbitrij propria eſt, quam ad bene vel male agendum Sacræ litteræ poſtulant, pro qua tandem cum Hæreticis Eccleſia conflixit, nihil aliud eſſe, quam perfectum voluntarium: adeoque contendit ſtare illam cum ſimplici neceſſitate, quæ voluntatem ad vnum aliquid addicit; & ſola coactione violari: coactione autẽ illa, quæ ipſi voluntati, & eius actibus elicitis inferatur; quæ cum ſit impoſsibilis, pugnat fieri non poſſe, vt aliquis actus voluntatis non ſit liber, fateturque amorem, quo Beati Deum amant, vel quo Deus ſe ipſum diligit, eiuſmodi libertate præditum eſſe.*

78 Conſtat hoc ipſum ex R. P. Fr. Emanuele Maynam Toloſate Ordinis Minimorum celebi Scriptore, qui to. 2. ſuæ Philoſophiæ Sacræ cap. 38. in quo agit de gratia medicinali neceſsitante, tria probat, primum eſt, quòd huiuſmodi gratiam Caluinus docuerit Secundum, quòd eamdem, & in eodem ſenſu docuerit Ianſenius. Tertium, quod eam ipſam eius gratiæ doctrinam Eccleſia in Caluino primum; ac ſubinde etiam in Ianſenio damnauerit. Duo priora aſſerta probat productis in medium teſtimonijs Caluini, & Ianſenij. Tertium vero probat ex Concilio Tridentino, in quo damnata eſt doctrina Caluini de gratia neceſsitante, & ex Bulla Innocentij Decimi, in qua damnatæ ſunt tãquàm Hæreticæ quinque Ianſenij propoſitiones, quarum tertia eſt: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſsitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Notat tamen eo capite 38. num. 12. Maynam, inter Caluinum, & Ianſenium id ſpecialis eſſe diſcriminis, quod Caluinus aſſerat intrepidè, nullam in hoc ſtatu naturæ lapſæ libertatem eſſe homini, videlicet libertatem arbitrij, quia non aliam, quæ vere talis eſſet, agnouit, niſi eam, quæ eſt à neceſsitate, vocaturque libertas indifferentiæ: vnde cum eam ſaluare nequiuerit ſtãte efficacia gratiæ neceſsitantis, quam volebat, agnouit contra ſe eſſe Cõcilij Tridentini definitiones, & anathemata, quę nihilominus ridet. Ianſenius vero aliam viam iniuit, qua, vt gratiæ neceſsitantis efficaciam tueri poſſet, nequicquam obſtantibus Tridentini decretis, liberum arbitrium nõ negauit; & ſic videri voluit, aut ſibi viſus eſt, non contradicere Tridentino: ſed tamen quia liberum arbitriũ illud, quod admiſit, liberum eſt non à neceſsitate, ſed à ſola coactione, vt fatetur: inde eſt, vt neque anathema Concili effugerit, neque Scripturæ Sacræ, neque Patrum, Auguſtini præſertim ac Thomæ cum tota Schola cẽſuras, quibus liberum à neceſsitate ſtatuitur arbitrium. Legãtur, quæ ſcripſi tom. 1. diſp. 17. tota ſect. 18. vbi vt ſententiam R. P. Antonij Gonçalez de Roſende impugnarem, prius breuiter expoſui ſententiam Ianſenij, cuius veſtigia in multis ſecutus eſt Roſende.

79 Hæc Ianſenij doctrina, de gratia medicinali efficaci neceſsitante manifeſtè impugnatur ex Decreto Concilij Senonenſis, quod initio huius ſectionis excripſimus: euidẽs enim eſt, non eſſe neceſsitantem eam gratiam præuenientem, cui homo reſiſtere valet. At iuxta Cõcilium Sennonenſe Dei trahentis auxilium, id eſt, gratia efficax, tale eſt, vt ei reſiſtere valeat homo, vt conſtat ex eius verbis: *Neque enim tale eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſsit.* Ergo gratia efficax non eſt neceſsitans. Hinc mirandum non eſt, quòd Ianſenij Diſcipuli authoritatem Cõcilij Senonenſis labefactare curauerint, cum animaduerterent, ea manifeſtè conuelli ſui Magiſtri doctrinam. Inter Ianſenij autem Diſcipulos non poſtremum locum obtinet Vincentius Lenis, qui cauſam Ianſenij defendendam ſuſcepit cõtra Parrem Stephanum Dechams, qui ſub nomine Antonij Richardi anno 1645. opuſculum vulgauit contra dogmata Ianſenij ſub hoc titulo: *Defenſio Cenſuræ Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis latæ 27. Iunij anni 1640. ſeu diſputatio Theologica de libero arbitrio, qua plures novi dogmatis propoſitiones ab illa cenſurâ merito præſcribi.*

& Sancti Augustini, aliorum Patrum, ac veterum Theologorum doctrinæ aduersari demonstratur. In hoc opusculo aperte demonstrauit dogmata Iansenij de gratia medicinali necessitante ex Caluino, & alijs huius temporis Hæreticis desumpta fuisse, & Iansenium Hæreticorum Plagiarium esse. Vix autem in lucem prodierat hoc opusculum, cum nouæ opinionis vindices, indignari, fremere, & Antonio Richardo responsionem atrocissimam, quæ à suo Principe furti suspitionem omnem depelleret, minitari cæperunt. Emersit tandem formidolosum illud totiesque iactatum opus, Authore Vincentio Leni, qui opus suum *Theriacam* inscripsit; vt testatur idem P. Dechams in illustri opere de Hæresi Ianseniana (lib. 1. cap. 3.) quod anno 1654. typis excussum est, Lutetiæ Parisiorum, vno anno post damnatas ab Innocentio Decimo quinque propositiones fundamentales Hæresis Iansenianæ.

80 In illo igitur cum Vicentius Lenis videret in Synodo Senonensi præcipua Ianseniane doctrinæ capita tàm clara damnata esse, vt perinde in Iansenium, atque in Lutherum collecta videatur; eo tandem angustiarum redactus est, vt satis aperte significauerit, se nihil admodum moueri huius Concilij authoritate; vt testatur P. Dechams lib. 2. de Hæresi Ianseniana capite 2. num. 2. *Quod mirum videri non debet* (inquit ibi Dechams) *cum ex ea Schola prodierit, quæ pariter obtrectat Synodo Tridentinæ, cui tanta est cum hac Senonensi affinitas, &c.*

81 Mirandum ergo non est, quòd Ianseniſtæ authoritatem Concilij Senonensis proterant, quandoquidem authoritatem Tridentini paruipendunt: mirandum tamen est, quod Doctores aliqui Thomistæ, quin catholicè à gratia necessitante abhorrent, nihilhominus ausi sint labefactare, & obscurare authoritatem Cõcilij Senonensis. Inter hoc excesit sine dubio M. Vincentius Ferre è Sacra Prædicatorum Familia, qui tom. 2. in primam partem tract. 9. de voluntate Dei, quæst. 7. §. 16. cum contra suam sententiam obiecisset authoritatem Concilij Senonensis, *Ad hoc argumentum* (inquit) *primò respondeo, hoc Concilium nullam habere authoritatem, quia neque inditum, neque cõfirmatum fuit authoritate Sedis Apostolicæ: Vnde cum locus adductus ex eo fuisset contra nos propositus à Patribus Societatis corã Paulo V. & decem Cardinalibus, & Censoribus deputatis, à nostrisque responsum fuisset, prædictum Concilium nihil habere authoritatis, quia neque inditum, neque confirmatum erat authoritate Sedis Apostolicæ, nihil in contrarium replicatum est.*

82 Quis non miretur, Virum doctũ rotundè affirmare Concilium Prouinciale nullã authoritatem habere? An quia non facit authoritatem infallibilem, & de fide, sicut Concilium generale, dici propterea potest nullam authoritatem habere? Quis hoc admittat? Dices ne doctrinam D. Thomæ, vel Augustini, vel Hyeronimi, aut Ambrosij nullam authoritatem habere, quia perse non habet authoritatem infallibilem? An quia non habet summam authoritatem Concilium Prouinciale, id circo habebit nullam? Conferamus hoc huius Authoris pronuntiatum cum ijs, quæ dicit Cardinalis Bellar. tom. 1. lib. 2. Concil. capite 10. vbi inquit: *De Concilijs* „ *Prouincialibus duo ex communi sententia Ca-* „ *tholica asserimus, posse eiusmodi Concilia* „ *absolute errare; tamen magnæ esse authorita-* „ *tis; ita vt temerarium sit eis non acquiescere.* Et ad finem capitis hæc habet: *Quod autem Cõ-* „ *cilium particulare non expresse confirmatum* „ *faciat argumentum adeò probabile, vt teme-* „ *rarium sit ei non acquiescere, planum est. Primò* „ *quia in 7. Synodo act. 3. & in 8. Syn. act. vl-* „ *tima c. 1. cõmendantur Synodi locales, & sus-* „ *cipiuntur: & non fit mentio ibi confirmato-* „ *rum vel non. Secundò quia plurima horum* „ *Conciliorum, vt Toletana, Bracharensia, Are-* „ *latensia, Hispalensia, &c. videntur ipso vsu* „ *Ecclesiæ quodam modo probata.* Additque tertiam rationem quia si aliquot Sancti Patres casu in eamdem sententiam conuenientes, faciunt argumentum probabile, quãto magis multi Episcopi simul conuenientes, & inuocato Spiritu aliquid communi consensu statuentes.

83 Certe constat hoc Concilium Senonense, & omnia eius Decreta non solum reprobatum non fuisse vnquàm ab Ecclesia, sed tacito quodam consensu receptum; siquidem impressum stat cum alijs Concilijs tomo vltimo Conciliorum sub hoc titulo: *Decreta Prouincialis Concilij Senonensis, celebrati sub Reuerendissimo Domino Antonio à Prato, titulo S. Anastasiæ Presbytero Cardinali, Senonensi Archiepiscopo, Galliarum, & Germaniæ Primate, nec non Albigensi Episcopo, Franciæ Cancellario, anno Domini* 1528. Non ergo nullam, vt incaute dixit M. Ferre, sed magnam habet authoritatem, vt enim inquit M. Cano lib. 5. de locis Theologicis, cap. 4. concluſ. 6. *Prouincialia Concilia, nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ silentio vel etiam implicito consensu commendantur, si ad Ecclesiæ communem notitiam peruenerunt. Non enim fit aliquo pacto verisimile, vt Concilij Prouincialis toto orbe diffusi hæresim Ecclesiæ diu dissimulauerit: error enim cui non resistitur approbatur.* 83. dist. cap. error. Fuit autem istud Concilium non modo diuulgatum toto orbe, sed etiam notissimum, nam dudum in vltimo conciliorum tomo stat, & in fa-

moſa illa de auxilijs controuerſia, ad explicandas Tridentinæ Synnodi ſanctiones adhibitum eſt; nec vnquàm eius authoritas eſt in dubium reuocata; vt inquit P. Dechams. lib. 2. cap. 2. num. 3. Hoc ſcripſit P. Dechams, quia non legerat ſcripta Ioannis à Sancto Thoma, qui primus, quem ſciam, labefactare cæpit Concilij Senonenſis authoritatem, licet multo moderatius, & cautius loquutus ſit, quàm Magiſter Ferre. Siquidem to. 2. in primam partem typis mandato Lugduni anno 1643. q. 19. diſp. 5. art. 6. n. 8. hęc habet verba: *Reſpondeo, quod attinet ad Cõcilũ Senonenſe, eius authoritatem nutare apud nonnullos, eo, quod fuit Prouinciale Concilium celebratum anno 1578. non inditum, neque confirmatum authoritate Sedis Apoſtolicæ Vnde eius authoritas non multum roboris habet. Certe in diſputationibus habitis coram Summo Pontifice Paulo V. in congregatione 41. ipſo præſentialiter aſſiſtente cum decem Cardinalibus, & Conſoribus deputatis, cum huius Concilij authoritas pro ſententia Patrũ Societatis probata fuiſſet, (id eſt prolata) omnino eliſa eſt, & liquide negata, quia nõ fuit per Sedẽ Apoſtolicã confirmatũ nemine reclamãte, aut quidquã obijciẽte, neque ex parte ſuæ Sanctitatis, aut Cardinalium, neque ex parte Cẽſorum, neque ex ipſorum Patrum Societatis, qui obijciebant; niſi tantum dicendo, quod licet non eſſet approbatum, erat tamen grauiſſimum. & non continebat in hac parte aliud quàm Concilium Tridentinum: & nihil aliud reſponſum fuit ad illam authoritatem Concilij, ſed pertranſita quaſi non vrgens.* Hucuſque hic Author. Ex quo ſumpſit M. Ferre, quæ poſtea ſcripſit anno 1678. multum tamen exceſſit. Nam M. Ioannes à Sancto Thoma ſolum dicit *authoritatem Concilij Senonenſis nõ multum roboris habere.* At M. Ferre, abſolute pronunciat, *Concilium Senonenſe nullam authoritatem habere.* Rursùs M. Ioannes à Sancto Thoma, affirmat, Patres Societatis reclamaſſe, Concilium illud licet non eſſet approbatum à Sede Apoſtolica, ac proinde non haberet authoritatẽ infallibilem, eſſe tamen grauiſſimum, & continere eamdem doctrinam, ac Concilium Tridẽtinum ſeſſ. 6 cap. 5. & can. 4. At M. Ferre affirmat, *nihil in contrarium replicatum eſſe*, quæ eſt falſa narratio.

84 Et ſane ſi habenda eſſet fides huic narrationi adductæ à M. Sancto Thoma, hinc validiſſimum conficitur argumentum pro ſententia Societatis, nimirum ex confeſſione aduerſariorum coram Summo Pontifice, & decem Cardinalibus, doctrinam Societatis de indifferentia auxiliorum contineri in definitione Cõcilij Senonenſis: ſiquidem cum pro noſtra ſententia, & contra gratiam prædeterminantem adducta fuiſſet à Patribus Societatis coram Summo Pontifice authoritas Concilij Senonenſis, nihil habuerunt, quid ad illam reſponderent, niſi quod illud Concilium non fuerat approbatum à Sede Apoſtolica. Ergo faſsi ſunt ſententiam Societatis contineri in definitione Concilij Senonenſis: ergo faſsi ſunt ſententiam Societatis definitam fuiſſe in Concilio Prouinciali. At Concilium Prouinciale licet nõ ſit expreſsè cõfirmatum à Sede Apoſtolica *facit argumentum adeò probabile, vt temerarium ſit ei nõ acquieſcere*; vt nuper aiebat Bellarmin[9]: ergo ſi fides adhibenda eſt illi hiſtoriæ, & narrationi temerè ſe geſſerunt Patres Dominicani, ſi corã Paulo V. & Cardinalibus faſsi ſunt ſententiam Societatis contineri in definitione Concilij Senonenſis, & tamen illi definitioni acquieſcere noluerũt. Nec aliud nos hic intendimus, quàm doctrinam Societatis contineri in definitione Concilij Prouincialis, quòd quamuis non faciat authoritatẽ de fide, quia non eſt approbatum expreſsè à Sede Apoſtolica: magnam tamen habet authoritatem, tantamque, vt ei non acquieſcere temerariũ ſit. Viderint nunc aduerſarij, an pro ſua ſententia allegare poſsint definitionem Concilij Prouincialis, quæ ex confeſsione Ieſuitarum contineat gratiam prædeterminantem. Certum eſt, talem authoritatem hucuſque ab ipſis non eſſe in medium productum.

85 Dixi *ſi fides adhibenda ſit illi hiſtoricæ narrationi*: nam reuera nullam fidem adhibendam eſſe eiuſmodi narrationibus deſumptis ex Actis Congregationum habitarum coram Paulo V. & Clemente VIII. declarauit Innocẽtius Decimus anno 1654. die 23. Aprilis ad calcem Buliæ, ſeu Decreti, in quo iteratò damnauit Auguſtinum Cornelij Ianſenij, & omnes libros in eius defenſionem conſcriptos; nam ad calcem illius Decreti habentur hæc formalia verba: *Cæterum cum tam Romæ, quam alibi circunferantur quædam aſſerta, acta, manuſcripta, & forsàm typis excuſſa Congregationum habitarum coram fœlicis recordationis Clemente Octauo, ac Paulo Quinto ſuper quæſtione de auxilijs, tam ſub nomine Franciſci de Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quàm Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Theologorum, qui, vt aſſeritur, prædictis interfuerunt Congregationibus. Nec non quoddam autographum, ſeu exemplar, cuiuſdam aſſertæ conſtitutionis eiuſdem Pauli Quinti ſuper definitione prædictæ quæſtionis de auxilijs. ac damnationis ſententiæ, ſeu ſcientiarum Ludouici Molinæ Societatis Ieſu, eadem Sanctitas ſua præſenti hoc Decreto declarat, ac decernit, prædictis aſſertis, Actis, tam pro ſententia Fratrum Ordinis Sancti Dominici, quã Ludouici Molinæ, aliorumque Societatis Ieſu*

Re-

prædictæ assertæ constitutionis Paulo V. nullã omnino fidem esse adhibendam, neque ab alterutra parte, seu à quocumque alio allegari posse, vel debere: sed super quæstione prædicta, observanda esse decreta Pauli V. & Vrbani Octavi suorum Prædecessorum

86 Hæc Bulla nondũ prodierat, cũ scripsit M. Ioan. à S. Thoma, ac proinde mirum non est, quod illis actis fidẽ habuerit hic author: prodietat tamen, quando scripsit M. Ferre, neque in angulo latebat; siquidẽ verba hæc ex Bulla trãscripsit Germanus Philalethes in opusc. excusso Duaci an. 1669. quod omniũ manibus teritur, cui titulus. *Auctoritas contra prædeterminationẽ physicã pro scientia media*, c. 3 §. 2. pag. 162. & P. Gabr. de Henao in tom. de scient. media historice propugnata in præfatione, quẽ ignorare non debuit M. Ferre, qui passim illũ impugnat. Itẽ P. Anatus in Apol. pro scientia media in Appẽdice d. 4. c. 1. n. 23. in fine. Hinc mirandũ est, quod recentissimus scriptor, nẽpe author 6. tomi Cursus Carm. qui excussus est an. 1679. d 7. n. 219 v. ad 4. dicendũ illã historiã citatam à Ioanne à S. Th. & à Vincentio Ferre, quasi rem certissimã narret. Mirandũ vero magis, quod intrepide ibi dicat, in vrbe Romana corã Summo Pontifice Paulo V. & congregatione Cardinaliũ dubitatũ fuisse de authoritate illius Concilij. Nam quãvis admitteremus vt verã illã historiã, ex illa non deducitur, dubitatũ esse de authoritate illius Conc. propria Cõcilij Provincialis, ab Ecclesia non expresse approbati; quæ facit opinionem adeo probabilẽ, *Vt temerarium sit ei non acquiescere*. Solũ ibi oppositũ est, illud Conc. non esse approbatum à Sede Apost. ac proinde solum inde evincitur, illud Conc. non habere authoritatẽ summam, quæ rem faciat de fide certam. Vt enim probat Bellarm lib. 2. Conc. cap. 5. vt minimũ: *Temerariũ, erroneũ, & proximũ hæresi est, existimare, Concilia particularia à Pontifice confirmata posse errare*. At de authoritate propria Conc. Provincialis dubitatũ non est; neque sine temeritate dubitari potest; vt constabit ex dicendis §. sequenti. Hanc autem solam intendit P. Suar. quem immerito ille author ibi impugnat.

§. V.

Stabilitur authoritas Concilij Senonensis.

87 IMprimis authoritatẽ huius Conc. cõmẽdant graves Scriptores ordinis S. Dominici; nã M. Alv. d. 93. de aux. cum magna veneratione exponit verba huius Conc. quibus Societas suã sententiã confirmat; sic enim ait: *Dicendũ est ad Conc. Senonense, quod cum inquit: lib. arb. posse resistere Dei trahentis auxilio, loquitur de auxilio, secundum quod est entitas, & causa quædã particularis, non autem secundũ quod in illo est intentio voluntatis diuinæ, quæ est causa vniuersalis omnium entium: nam si sub hac ratione posset resistere auxilio efficaci, etiã posset voluntati Dei resistere, cuius contrariũ ostensum est supra.* Vbi obiter nota, hinc authorẽ reipsa argumẽto succubuisse: nam si voluntas creata potest resistere auxilio efficaci (nam de hoc loqui Conc. fatetur ibi Alv & d. 92. n. 8.) quatenus est quædã entitas & causa particularis: ergo secundũ suã entitatẽ non est physicè prædeterminans: nã auxilio prædeterminanti non magis potest resistere voluntas creata, quã efficaci Dei voluntati. Cõsulantur quæ scripsi to. 1. d. 17. §. 2. vbi expendi hanc ingenuam confessionem Magistri Alvarez.

88 Illust. D. D. F. Dominicus Gravina eiusdẽ familiæ, l. 4. Cathol. Præsc. q. 2. principali a. 5. p. 136. agens de authoritate S. Aug. vt probet quanti faciẽda sit, adducit authoritatẽ Cõc. Senon. quod in primo decreto præcipit, vt Sacra Script. præcipuè explicetur secundũ expositionẽ D. Aug. quomodo autem vteretur testimonio huius Conc. ad extollendã authoritatem Aug. nisi quia vt certũ supponebat, hoc Conc. esse magnæ authoritatis? Quod expresse declarat dum statim subiungit: *Magna autem est huius Conc. authoritas, cũ ante [illegible] fuerit celebratũ, & in Trident. post viginti annos ab eius celebratione talis doctrina in Sess. de iustific. probata videtur, dum arbitrium inspiratum à Deo, & motum definitur.* Ita c. 5. sess. 6. de iustif. Eiusdem Concilij authoritatem cõmendat Card. Oregius trac. 1. c. 15. q. 3. vt habes apud P. Dechams l. 2. de hæresi Ianseñ. d. 1. c. 2. n. 2. Sed omnium optime declarat, quanta sit authoritas Conc. Senonensis Exim. Doctor P. Franc. Suarez Prol. 6. de grat. cap. 5. à n. 6. cuius integra verba hic transcribere decrevi, vt legẽti constet, quã irrito conatu in tantũ verũ invehatur author tom. 6. Cursus Carmel. eo nomine, quod huius Conc. authoritatem defendit.

89 Quia vero (inquit Mag. Suarez) aliqui minus deferre solent huius Conc. authoritati, eo quod pronunciale sit, & ab Ecclesia Romana nõ fuerit confirmatum; addendũ hic est, licet non sit hæreticũ sentire, aut dicere, Conc. illud in aliquo dogmate errasse, aut falsum esse aliquid ab ipso definitũ, seu tanquã Catholicũ dogma declaratũ, nihilominus non posse talem assertionem illi Concilio iniuriosam à temeritatis nota excusari. Primo quidem quia si Concilium provinciale legitime in suo ordine, & gradu congregatũ sit ex Catholicis Episc. debitãque subiectionẽ ad Ecclesiã Rom. profiteatur, & recta intẽtione, ac debito modo procedat ad fidei declarationẽ, aut defensionẽ iuxta prrncipia ab Ecclesia Catholica recepta talis Cõc. authoritas

magnã per ſe affert probabilitatẽ, quæ cuiuslibet privati Doct. authoritati præferenda ſit. Nã eũ Chriſtus promiſerit. Vbicũque fuerint duo aut tres cõgregati in nomine eius adfuturũ ipſũ in medio eorũ, credendũ profecto eſt. Licet Spiritus S. non aſsiſtat Conc. Provt infallibiliter veritatẽ definiat, ſpecialius iuvare plures Prælatos, & DD. congregatos recta intentione, & in nomine eius, ipſoque Spiritu S. ſpecialiter invocato procedentes, quã quẽlibet privatũ Doct. vel etiã plures caſu in eandẽ ſententiam convenientes. Deinde augeri poteſt Prov. Cõc. authoritas ex numero, qualitate, & doctrina Patrũ in illo conventientiũ & ex maiori concurſu doctorũ hominũ omni diligentia veritatẽ inquirentiũ. Nam licet in Spiritus S. auxilio præcipuè fidendũ ſit, nihilominus ipſemet Spiritus S. etiã ex parte noſtra cooperationẽ, & diligẽtiã requirit. Propter quod Act. 15. etiã ab ipſis Apoſt. magnã conquiſitionẽ factã eſſe legimus. Denique multò magis Conc. Prov. authoritas augetur, quando eius doctrina nunquã in ſuſpitionẽ erroris in Eccleſia venit, ſed potius vſu ipſo, & tacito quodã vniverſali cõſenſu probata eſt. Tunc enim temerariũ profecto eſſet proprio, ac privato iudicio tali Conc. contradicere, vt piè, ac docte notavit Card. Bellarm. lib. 2. de Conc. c. 10. in fine, nec diſſentit Cano lib. 5 de locis c. [illegible] 10. Cetio eſt, quia iam authoritas Concilij vniverſalis Eccleſiæ authoritate multũ roborata eſt. Et hoc modo Concilia Provincialia in magna veneratione habita ſemper ſunt, vt conſtat ex literis Synodicis Theodoſij Patriarchæ Hieroſolimitani, quę referũtur in 7. Synodo act. 3. in fine, & à tota Synodo probãtur.

91 In his autẽ omnibus prædicta Senonẽſis Synodus valde cõmendatur. Nam in primis non ex vna tantũ provincia, ſeu Metropoli, ſed ex pluribus nationis Gallicæ, & Germanicæ cõgregata videtur. Nam in ea præſedit Card. Antonius à Prato Senonenſis Arch epiſcopus, qui Galliæ, & Germanicæ Primas dicitur. Vnde veriſimile eſt, pro cauſa tam gravi plures Epiſcopos ex illis nationibus congregaſſe, quãvis nec nomina, neque numerus eorum in Actis illius Concilij referantur. Deinde Concilium illud, vel totum, vel pro maiori parte Pariſijs celebratũ eſt, vt conſtat ex primo generali decreto eius in fine, & ex vltimo capite, & cõcluſione totius Concilij. Vnde clara cõiectura ſumitur, præter Epiſcopos adfuiſſe ibi omnes graves Theologos Pariſienſis Academiæ, ſeu Collegij Sorbonici, & ad ſingula decreta fidei conficienda cõſilio, & doctrina cooperatos fuiſſe, ſicut credẽdũ eſt ad morales conſtituriones edendas Iuriſperitos DD. adiviſſe. Hac enim ratione in prædicto decreto generali, ait dictus Ant. Card. duximus, habito ſuffraganeorũ noſtrũ conſenſu, ac multorũ divini, & humani iuris interpretũ cõſilio his tantis periculis ſalubriter, & celeriter providendũ. Ex hac ergo parte Conciliũ illud magna pollet humana authoritate, aliunde vero ex illius Actis, verbis, ac progreſſu conſtat, legitima authoritate; & ex graviſsima, & honeſtiſsima cauſa fuiſſe congregatũ, & magna prudentia, & pietate, & debita ſubiectione ad Roman. Eccleſiã, & antiqua Concilia, ac decreta proceſſiſſe; ergo credendũ omnino eſt, nõ defuiſſe illi ſingulare Spiritus S. auxilium, vt præſertim in doctrina fidei à veritate non aberret. Denique cum illud Conciliũ ferè ante nonaginta annos fuerit celebratũ, & per vniverſam Eccleſiã divulgatũ, in magna authoritate, & ſine vlla ſuſpicione erroris apud Catholicos ſemper fuit. Et quod caput eſt, Concil. Trid. quod poſt viginti annos celebratũ eſt, in Seſ. 6. (quã dicto tẽpore abſolvit) virtute approbat totã doctr. de gratia, quã Conc. Senonenſe tradiderat, quia eandẽ ferè magis explicatã, ac locupletatam docet, ac definit: Igitur temerariũ profecto eſſet, in hac parte aliquid in illo Concilio reprehendere, vel ab eius ſententijs diſcrepare.

92 Sed Author curſus Carm. nullũ non lapidẽ movet, vt deprimat authoritatẽ Conc. Sen. & quãvis in omne latus ſe vertat, ad hoc perſuadendũ; dumtaxat evincit id quod P. Suar. nõ negat, ſed expreſſe affirmat, nimirũ illud Conc. nõ habere authoritatẽ infallibilẽ, ſi per ſe inſpiciatur, at quod non habeat magnã authoritatem, & tantã, vt temerariũ ſit ei non acquieſcere negãdo eſſe verũ, quod ipſum tanquã certũ ſtatuit, id non probat nec vnquã probare poterit. Ergo cũ definiat, *auxiliũ Dei trahẽtis tale eſſe, cui reſiſti poſsit*, temerariũ erit affirmare oppoſitũ. Et nos hoc dumtaxat hic intendimus, & id ſolũ intendit Suarius. Sed videamus, quomodo deprimat illius Conc. authoritatẽ. Imprimis affirmat conſtare Archiepiſcopũ Senonenſem ſolũ tres Epiſcopos habere ſuffraganeos; vnde deducit, puſillũ admodũ fuiſſe numerũ Epiſcoporũ, qui illi Conc. interfuere, idque colligit ex Barboſa de off. & poteſt. Epiſc. p. 1. t. 1. c. 8. vbi tres tantũ numerat ſuffraganeos Archiep. Senon. nimirũ Epiſcopũ Niverſenſẽ, Antiſiodorenſem, & Trecenſem. Vnde deducit hunc ſolũ numerum Epiſcoporũ illi Conc. interfuiſſe. Verũ hæc illatio nulla eſt, & fundamentũ leve, quia Barb. numerat ſuffraganeos; quos modo habet ille Archiepiſc. non quos habebat eo tẽpore; tunc autẽ habebat ſeptẽ, vt teſtatur Spond. t. 2. Annal. ad an. 1528. n. 15. vbi authoritatẽ illius Conc. cõmendans, inquit: *Antonius autẽ à Prato tit. S. Athan. præſbiter Card. Archiepiſc. Senon. Galliarum à Germanicæ Primas, ac Franciæ Cancellarius, vt etiam Sanctionibus Eccleſiaſticis hæreticos reprimeret, celebravit hoc eodẽ anno menſe Februarij ibidẽ Pariſijs in Eccleſia Eremitarũ Auguſtinianorum Concilium*

Pro-

Prouinciale, vna cum sex Episcopis suffraganeis, & septimi Vicario, quot tunc Senonensis Prouincia habebat. Cuius extãt præclara acta in tomis Conciliorũ & separatim etiã excussa. Et statim narrat summatim quid in eo Cõcilio stabilitũ sit, & tandẽ sic concludit: *Egregiũ plane pietatis & doctrinæ monumentũ inter tot armorũ seditiones, & hæreticorũ depranationes.* Rationẽ autẽ, cur modo habeat pauciores suffraganeos, quã an. 1528 in quo celebratũ est idem Conc. reddit idẽ Spondanus t. 2. Ann. ad an. 1622. n. 4. vbi de Gregorio XV. loquens inquit: *Lutetiã vrbẽ regni primariã, à Metropoli Senonensi, instante Ludouico Rege, ob vrbis splendorẽ, distractam in nouã Metropolim erexit; attributis ei Ecclesijs Carnitensi, Aurelianensi, & Meldensi, quæ prius eidẽ Senonensi soberant.* Quare eo tempore, quo celebratum est Conc. Senonense Episcopus Parisiensis erat suffraganeus Archiepiscopi Senonensis cum tribus alijs, qui ei nunc subsunt.

94 Deinde affirmat, non constare, an Parisijs celebratũ fuerit illud Conc. eique adstiterint DD. studij Sorbonici, sed fallitur; quia id constat ex testimonio Henrici Spondani. Et ex testimonio Iodoci Clithouæi Doct. Parisiensis præstantissimi illius ætatis Theologi & acerrimi Lutheri debellatoris, qui illi Conc. interfuit, qui id testatur, in ipso fronte cuiusdã libri, quẽ dedicavit Francisco primo Galliarũ Regi: nam titulus illius operis, hic est: *Compendium veritatum ad fidẽ pertinentiũ, contra erroneas Lutheranorũ assertiones, ex actis in Concilio Prouinciali, Senonensi apud Parisios celebrato.* In Epist. autẽ nuncupatoria ad Franciscum primũ ita loquitur: *In quo Concil. inter cætera multa ad salubrẽ morũ castigationẽ spectantia etiã pertractatæ sunt frequenti agitatione, & diligenti trutina examinatæ materiæ cõplures, admodũ arduæ & magni ponderis, in quibus hac nostra tempestate à Catholicis dissidet Lutherani. Et quoniã hisce discussionibus, cũ agerentur, interfui, vna cum alijs Theologicæ Professionis viris insignibus ad idẽ Conc. vocatus, &c.* Vnde paulò post synodũ illã appellat: *Doctissimorũ virorũ cætũ.* Cõstat tertio ex ipso Conc. nam ad finẽ primi decreti generalis, hæc legũtur. *Datũ Parisijs in 1. Sess. Conc. nostri, facta apud Fratres Eremitas S. Aug. an. 1527. die 3. Februarij.* Et in fine Conc. dicitur: *Datum & actum Parisijs & sub an. 1528. die 9. mensis Octobris.* Constat ergo illud Cõc. Parisijs inchoatũ an. 1527. & Parisijs finitũ an. 1528. Valdeque verisimile est illi Conc. interfuisse alios Episcopos præter suffraganeos Senonensis Archiep. quia cũ celebratum fuerit in regia curia Parisiensi, credibile est, illuc confluxisse pro tam gravi causa Episcopos non multũ distantes; & quia neque Conc. Generale totius orbis Christiani poterat convocari, neque Cõcilium notionale ex omnibus Galliæ Provincijs facile poterat cõgregari ad cõprimendã hæresim Lutheranam, credibile est, Parisios ex præscripto Regis Christianissimi confluxisse plurimos Episcopos ex vrbibus finitimis. Et optima cõiectura est, quod, vt narrat Spondanus ad annum 1628. n. 3. *Cum pestis* Lutheranæ hæresis inficere Galliam cœpisset; & in Conventu Parisiẽsi in fine anni superiori rogasset Card. Borbonius nomine totius cleri Regẽ, providere huic malo, vti Regem Christianissimũ decebat; non solũ promisit ipse verbis, sed etiã re executus est, severis in eos promulgatis edictis, & supplicijs in eos irrogatis, qui detecti essẽt hac labe inquinati. Credibile ergo sit, Regẽ providisse, vt ad Conc. Parisijs celebrandũ cõvenirent Episcopi omnes, qui non nimiũ distarent. Et sine dubitatione verum est, ad illud Concil. fuisse vocatos DD. Parisienses doctrina & sapientia illustres. Ergo certũ est, quod P. Suar. affirmavit: *Concilium illud magnæ pollere humana authoritate.* Verissimũque est quod itẽ asserit, *non posse à temeritatis nota excussari eũ, qui assereret præfatũ Conc. in aliquo dogmate errasse vel aliquid falsum ab eo fuisse definitum.*

95 Mirorque præclaratũ authorẽ 6. tomi Carmel. cursus ea d. 7 n. 218. acriter invehi in Exim. Doct. eo quod dixerit: *Credendum omnino esse, non de fuisse illi Conc singulare Spiritus S. auxiliũ, vt præsertim in doctrina fidei à veritate non aberraret.* Ita enim interpretatur hoc dictũ, ac si Suarius dixerit, credendũ esse fide divina, illud Conc. in nullo errasse; sic enim cõtra Suariũ insurgit: *Quid amplius tribuitur Conc. generali, quod Pontifex approbat? Quid Catholici expectant Papæ determinationẽ, & approbationẽ, si ante illã credere omnino debẽt Concil. Prouinc. non errasse? Vel quale robur adijcit determinatio Põtificis, si ea non expectata Fide Sanctum est, quod Concilium Prouinciale, Pontifice in consulto definit.*

96 Verũ hæc impugnatio Suario imponit, quod Suarius nunquã dixit, nẽpe Fide sanctum esse, vel fide divina credendũ, quod Conc Prov. non erasse. Potius enim dixit te Suarius supponit oppositũ, vt Constat manifeste ex illis eius verbis: *Licet non sit hæreticũ sentire, aut dicere, Conc. illud in aliquo dogmate errasse, aut falsũ esse aliquid ab ipso definitũ &c.* si enim certũ esset de fide Conc. Prov. non erasse, hæresis foret manifesta, & non tantũ temeritas affirmare, quod in aliquo erraverit. Et ex verbis Suarij evidẽs est, Suariũ non asseruisse Conc. Sen. habere authoritatẽ divinã, id est authoritatẽ infallibilẽ, sed solũ habere magnam authoritatem humanam, ac proinde fallibilem; talem tamen vt temerarium sit ei non acquiescere. Totaque obiectio contra Suarium oritur ex ignorantia

huius vocis *credendum eſt*, quæ in frequentiſſimo loquendi vſu, idem ſonat ac, *exiſtimandum eſt, cenſendum eſt, prudenti iudicio aſſerendum.* Vox enim *credo* non ſolum fidem diuinam infallibilem ſignificat, ſed etiam humanam; vt eſt manifeſtum; milleque exemplis poſſet comprobari. Vnum ſufficiat ex ipſo Suario, qui lib. 6. de anima cap. 6. num. 6. in re mere probabili vtitur verbo *credendi.* Loquens enim de opinione aſſerẽte animam in ſtatu ſeparationis ſeipſam intelligere per ſpeciem ſui ſibi inditam à Deo, & non per ſeipſam vt docet Div. Thomas inquit: *Hæc pars eſt quidem probabilis, in re tamen obſcura opinio Sanct. Thom. probabiliter defendi ſolet: credi ergo poteſt animam ſeparatam ſe intelligere immediate abſque ſpecie inſtar Angelorum.* Quare obiectio illius authoris non aliam ſolutionem poſtulat, quam vt ipſum moneamus, vt Calepinum, vel Vocabularium conſulat, quia vox illa Suarij, *omnino credendum eſt*, idem eſt ac ſi diceret, omnino tenendum eſt, vel prudenti iudicio omnino aſſerendum, & fide humana credendum, ita vt huic aſſertioni diſſentire temerarium ſit.

§. VI.

Concluditur ex dictis, multum roboris ſententiæ Societatis ex Concilio Senonenſi accreſſe.

98 AVthor citatus ea d. 7. n. 217. in fine ad authoritem Concilij Senon. reſpõdet: *Parum Thomiſtas premere, & non multũ authoritatis nobis adijcere: nã Prouinciale* (inquit) *fuit, & hactenus à Sede Apoſtolica non eſt approbatum, vel confirmatum.* Sed cur, quæſo tantũ laborat, & in omne latus ſe vertit, vt authoritatem illius Concilij deprimat, ſi illa non multum authoritatis ſententiæ Societatis adijcit? Sanè hæc tanta ſolicitudo in labefactanda authoritate Cõcilij Senonenſis, ſatis oſtendit, eos apud ſe ægre admodũ ferre, quod vere dicere poſsimus noſtram ſentẽtiã contineri in illis verbis huius Concilij: *Nec tale eſt Dei trahentis auxiliũ, cui reſiſti non poſsit.* Fatemur, illad Concilium Prouinciale fuiſſe, & hactenus non eſſe expreſſe approbatũ, vel confirmatũ à Sede Apoſtolica: ac proinde fatemur, quãvis concedatur noſtram ſententiã fuiſſe definitam ab illo Concilio, non inde inferri, quod ſit certa certitudine infallibili fidei diuinę: infertur tamen illã eſſe adeò probabilẽ, vt temerariũ ſit illi non acquieſcere: ſicut temerariũ foret aſſerere, Concilium illud pro dogmate fidei propoſuiſſe rem falſam. Et cõtenti ſumus, quod nobis concedatur, ſententiam Societatis contineri illa definitione Senonenſis Concilij.

99 Quis dubitet, hinc magnũ authoritatis pondus noſtræ ſententiæ accreſcere? Sane illud Concilium maximæ eſt authoritatis, intra genus authoritatis humanę, & fallibilis, vt euincunt, quæ P. Suar. adduxit: & primũ fuit, quod in Eccleſia Catholica coactum eſt ad reprimendã hæreſim Lutheranam; & in eo ſtabilita eſt doctrina, de lib. arb. quam poſtea confirmavit Concilium Trid. Seſ. 6. c. 5. & Can. 4. vt ſupponit M. Alxarez d. 92. conſilij t. 8. eodem modo vtrũque Concilium exponens, affirmanſque, tã Concilium Senonenſe ſtatuens hominem, *poſſe reſiſtere Dei trahentis auxilio*, quàm Concilium Trid. definiens, *liberum hominis arbitrium à Deo motũ & excitatũ poſſe diſſentire ſi velit*, loqui de auxilio efficaci. Idque expreſſe fatetur Ioannes à S. Thom. t. 2. in 1. p. d. 5. a. 6. dũ ait: *Eadem eſt ſententia Concilij Senonenſis dum definit poteſtatẽ reſiſtendi, ac Tridentini dum definit poteſtatẽ diſſentiẽdi.* Quis autem neget maximè commendare doctrinã Concilij Prouincialis, ex eo quod poſtea Concilium generale illum firmaverit, quãvis enim doctrina illa non ſit infallibilis, quatenus continetur in Concilio Prouinciali, ſed quatenus continetur in Concilio generali; tamẽ à poſteriori infertur, illã vt contentam in Concilio Prouinciali magnam habere authoritatẽ, quia talis eſt, vt meruerit, quod eam poſtea definierit Synodus Generalis.

100 Certè de definitione Concilij Senonẽſis non poſſunt dicere aduerſarij, illã quidẽ eſſe probabilẽ, ſed reipſa falſam; ſicut dicunt de ſententia Societatis, quatenus à nobis tradita nam temerariũ eſt aſſerere Concilium Prouinciale tacito cõſenſu approbatũ ab Eccleſia propoſuiſſe vt dogma fidei aliquid reipſa falſum. Vnde parũ eſt, quod author ille ea d. 7. n. 218. §. *reſpondetur igitur* Concilio Senonenſi deferat, dũ ait: *Sicut non aſſerimus Molinæ ſententiam eſſe errorẽ in fide; ita non dicimus quod illud Cõciliũ in fide errauerit.* Parum, inquã eſt; quia de ſentẽtia Molinæ quatenus à Molina tradita impune & ſine temeritatis nota dicere poterit: ſententia Molinæ etſi probabilis ſit ac proinde non ſit error in fide, tamẽ reipſa eſt falſa. At de illa propoſitione definita à Cone. Senonẽſi, *Homo poteſt reſiſtere Dei trahẽtis auxilio*, impune & ſine temeritatis nota dicere nõ poterit: licet illa propoſitio Cõcilij probabilis ſit ac proinde errorẽ in fide non contineat, tamen falſa eſt.

101 Ex dictis in tota hac ſectione colligitur maximã eſſe cõmendationẽ ſcholæ Societatis, quod eius doctrina ſtabilita fuerit in illo graviſſimo conſeſſu Epiſcoporũ, & Illuſtriorũ Doctorũ, qui zelo Religionis Catholicæ in Pariſienſi curia conuenerunt ad ſtabilienda dogmata, quæ fideles tenere debebant. Neque enim opponi poteſt, PP. illius Cõcilij partiales fuiſſe & affectu aliquo humano inclinaſſe in ſententiã Societatis; ſiquidẽ nõdũ ſocietas nata erat. Vnde ad hãc causã merito applicare poſsũ oportuna

na D. Augustini verba lib. 2. contra Iul. Pelag. prope finē; postquā enim comprobavit August. suam & Catholicam sententiam de necessitate gratiæ ad opera salutis cōtra Pelagianos authoritate Cypriani, Gregorij, Nazianzeni, Basilij, Ambrosij, & aliorum Patrum, qui scripserunt ante exortam hæresim Pelagianam, statim subiungit verba, quæ ego applicare volo Thomistæ, quem hucusque impugnavi, illique objiciens authoritatem Patrum & Theologorum Concilij Senonensis, sic enim Augustini verbis alloquor: *Te ante istos iudices intus in corde tuo constituo, quos non amicos meos, & inimicos tuos, aliqua in meam partem gratia propendentes, aliquo abste merito tuæ offensionis auersos, & ob hoc tibi aduersos, in hoc nostra disceptatione constitui cognitores, nec eos, qui nunquam fuerunt, aut non sunt, aut quorum sententiæ de hoc, quod inter nos disputatur, incertæ sint, inani cogitatione confinxi; sed Sanctos, & in Sancta Ecclesia illustres antistetes Dei, &c. qui tunc de ista causa iudicauerunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel aduersari vel fauere potuisse. Verum etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cum hic viuerent, suo iudicio finierunt, ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententiam protulerunt, nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt; neque nobis, neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorū pro nobis latas contra vos sententias recitamus; nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vincimus.* Hucusque Augustinus,

§. VII.

Secundum caput probandi, gratiam non esse ab intrinseco efficacem ex Concilio Tridentino.

102 HANC probationem nostræ sententiæ late proposui tom. 1. per totam disput. XVII. Nam quia Calvinus vt probaret nos non habere libertatem indifferentiæ in eliciendis operum salutarium, asseruit, Deum nos movere per gratiam irresistibilem, quæ ex se raperet arbitrium, ipsumque necessitaret ad eliciendum actum; Cōcilium vt se illi opponeret, & tueretur contrariam definitionem Catholicam, definivit, gratiam illam, qua Deus facit vt faciamus, & nos ad salutarem consensum trahit, talem esse cui voluntas possit dissentire si velit: nam contra Calvinum Sess. 6. Can. 4. *Definiuit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire si velit*, nimirum Deo moventi & excitanti, seu motioni & excitationi, qua Deus facit vt faciamus; nam de illa dicebat Calvinus esse irresistibilem, id est talem, cui resistere non possit voluntas humana. Vt enim fatetur M. Alvarez disput. 92. de auxilijs num. 8. Concilium loquitur de auxilio efficaci: *Loquitur enim* (inquit) *de auxilio, quod homo habet in istanti iustificationis, quod constat esse auxilium efficax*: ac propterea Concilium vt se opponeret Calvino definivit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nempe motione & excitatione efficaci, posse dissentire si velit, illi motioni & excitationi; vt enim inquit Alvarez ea disputat. 92. num. 10. *Concilium loquitur de homine actu excitato & moto per gratiam efficacem, & de illo determinat, quod possit dissentire, si velit.* Idem autem est posse dissentire motioni prævenienti efficaci, qua Deus facit vt faciamus, ac posse illi resistere. Et ideo idem Alvarez disp. 93. de auxilijs n. 24. evidentia rei convictus inquit: *ne s fatentur, liberum arbitrium resistere posse auxilio efficaci, si secundum suam entitatem precise consideretur.* Ac proinde iuxta Alvarez, potentia ad dissentiendum, & resistendum, quam servat arbitrium sub gratia efficaci, est potentia ad dissentiendum entitati gratiæ efficaci.

103 Idque ipsum fateretur Ioannes à Sancto Thoma tom. 2. in primam partem disputat. 5. artic. 6. num. 16. vbi inquit: *Nos dicimus verum esse, quod Concilium loquitur de auxilio efficaci, & non solum de sufficienti.* Et num. 18. vbi ait: *Concilium non definiuit, quod possumus resistere auxilio sufficienti tantum, omisso efficaci, sed etiam efficaci possumus dissentire.* Idem autem est apud hunc authorem, nos posse dissentiri auxilio efficaci; ac nos posse resistere: vt enim ipse inquit eo art. 6. *Eadem est sententia Concilij Senonensis dum definit potestatem resistendi, ac Tridentini dum definit potestatem dissentiendi.*

104 Quare Concilium Tridentinum vt se opponeret Calvino asserenti nos non operari cum libertate indifferentiæ, quia Deus facit vt faciamus nos movendo per gratiam adeo fortem, vt sit irresistibilis, id est vt ei nullo modo resistere, vel dissentiri possimus: definivit nos posse dissentire, ac proinde resistere, si velimus illi gratiæ, per quam

Deus facit, vt faciamus. Et in hoc ſecutus eſt doctrinam Concilij Senonenſis congregati Lutetiæ Pariſiorum anno 1528. ab Archiepiſcopo Senonenſi, adverſus Lutheranos, & reliquos illius temporis hæreticos negantes arbitrij libertatem, contra quos definivit, propterea auxilium efficax gratiæ, quo Deus nos trahit ad recte operandum, humanam non lædere libertatem: *Quia tale non eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*, quæ ſunt formalia verba illius Concilij in decreto 15 fidei. Ergo Concilium Senonenſe definivit ad libertatē requiri quod poſsimus reſiſtere auxilio gratię trahentis, ſeu auxilio efficaci: vnde merito dixit Ioan. à S. Thoma eandē fuiſſe definitionē Concilij Senonenſis, & Trid. Vtrumque ergo ad libertatem requirit, quod poſsimus reſiſtere entitati gratiæ efficacis: ergo entitas gratiæ efficacis talis eſt, vt ea poſita liberum ſit homini, vel ei acquieſcere & aſſentiri, vel ei reſiſtere, & diſſentiri.

105 Et quod hæc fuerit ſemper Eccleſiæ Catholicæ mens, teſtatur ipſe Calvinus lib. 2. inſt. c. 2. §. 10 vbi ſententiā Catholicorū de motione gratiæ efficacis impugnans, inquit: *Voluntatem mouet gratia, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum. Vt noſtræ poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari, ſola ſua efficaciter efficiendo.* vt refert Alvarez diſp 92. de auxilijs ex Alberto Pigio, & Bell lib. 6. de grat. & lib. arb. c. 9. qui legit: *Sed illam efficaciter efficiendo.* Ergo teſte ipſo Calvino Eccleſia Catholica ſemper docuit, gratiam illā prævenientē, qua Deus facit, vt faciamus actum bonum & ſalutarem talis eſſe naturæ, vt ea poſita liberum ſit homini vel ei obtemperare, coniungendo conſenſum cū illa, vel ei refragari, coniungendo cum illa diſſenſum, & reſiſtendi.

106 Ex his teſtimonijs, vt oſtendi ea diſputatione, per neceſſariam conſequentiam infertur, gratiam efficacem entitative ſumptā nō eſſe ex ſe eſſentialiter connexam cum conſenſu, ſed indifferentem permiſsive, vt poſsit coniungi cum diſſenſu; ac proinde non eſſe prædeterminantem phyſice: quia gratiæ prædeterminānti in nullo ſenſu poſſumus diſſentire & reſiſtere: potentia enim diſſentiēdi gratiæ eſt formaliſsime potentia coniungendi diſſenſum cum gratia, ſicut potentia conſentiendi eſt potentia coniungendi conſenſu cum ipſa. Et potentia reſiſtendi alicui virtuti eſt formaliſsime potentia obnitendi illi, & faciendi, vt talis virtus nō obtineat effectum ad quem datur: eſtque omnino implicans in terminis potentia diſſentiendi, & reſiſtendi gratiæ in ſenſu diviſo; vt late vbi oſtendi.

107 Poſtquam ediderā primum tomum, ad manus meas pervenit ſextus tomus Curſus Theologici Patrum Carmelitarum Diſcalciatorū Collegij Salmanticenſis, in quo per totum tractatum XIIII. agit de gratia efficaci. In eo ergo tractatu, diſp 7 n. 212. primo ſoluit hoc validiſsimum fundamentum Scholæ Sociotatis petitum ab authoritate Concilij Tridentini & Senonenſis, vulgari illa diſtinctione ſenſus compoſiti & diviſi, dicendo, voluntatē affectam auxilio efficaci poſſe reſiſtere & diſſentire in ſenſu diviſo, & abſolute, & hoc ſufficere ad ſalvandam libertatem, quam Concilium adverſus hæreticos defendebat, licet nō poſsit reſiſtere & diſſentire in ſenſu compoſito quod requirebatur vt gratia non diceretur ex ſe & ab intrinſeco efficax. Verum illā diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi non poſſe ad hanc cauſam accomodari, abunde oſtendi illa diſp. 17 ſect. 4. Quia certum & exploratū eſt Concilium non loqui de potentia diſſentiendi, & reſiſtēdi obiecto ad quod amplectendū moveri gratia, quando obiectum eſt honeſtum, vel ad quod reſpuendum mover, quando eſt turpe; vt demonſtravi manifeſte ea diſp. 17 ſect. 6. & conſtat 1. ex ipſis verbis Concilij Senonenſis: *Tale non eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſsit.* Et ex verbis Tridentini, dicentis: *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire*, nimirum motioni, & excitationi. Quia eandem doctrinam continet Canon ille, quam continet caput quintum illius Seſsionis, in quo definitur hominem diſponi ad iuſtificationem: *libere aſſentiendo, & cooperando* gratiæ prævenienti, à qua ſumitur iuſtificationis exordium, quam gratiam iam appellat vocationem, iam *Spiritus Sancti illuminationem*, iam *& inſpirationē*; & definitur hominem aliquid agere recipiendo illam inſpirationem, ideſt illius ductum ſequendo, illique conſentiendo; idque probat, quia poteſt homo inſpirationem illam abijcere; ideſt inſpirationi diſſentiri, & reſiſtere: *Quippe qui & illam abijcere poteſt*, inquit Concilium. Ergo apud Concilium, idē eſt hominem à Deo motum & excitatū poſſe diſſentiri, ſi velit, ac poſſe abijcere motionem, & inſpirationem, illi reſiſtendo, & diſſentiendo, nam phyſice nequit illam impedire, quoad ſui infuſionem, ſive exiſtentiam, cum illius inſpirationis & gratiæ prævenientis exiſtentia ſit libera ſoli Deo, qui illam infundit, & in nobis cauſat ſine nobis. Vnde inſpirationem illam libere recipere, idem eſt ac illi libere adiungere conſenſum: & illam abijcere, idem ac illi diſſentire, & negare conſenſum, illi ve reſiſtere. Ergo manifeſtum eſt, Concilium definire, quod homo poſsit diſſēntiri & reſiſtere gratiæ, cui defacto conſentit, & cum qua de-

fa-

facto operatur. Hinc vero inferimus, non habere locum in præsenti illam distinctionē vulgarem de sensu diviso: est enim implicatio in terminis posse resistere & dissentire alicui virtuti in sensu diviso. Nam dissentiri, & resistere ex terminis suis facit sensum compositum inter resistentiam, & virtutem.

108 Quod inde probatur aposteriori: nam si posse dissentire alicui virtuti, esset propositio capax faciendi sensum divisum; & hęc propositio absolute prælata esset vera: *Homo subiacens gratiæ prædeterminanti, potest resistere gratiæ prædeterminanti*: Etiam hæc absolute prolata ferer vera: *Homo subiacens decreto efficaci, seu voluntati efficaci Dei ipsum prædeterminanti ad amorem, potest resistere efficaci voluntati Dei.* At certum est nos non posse resistere voluntati efficaci Dei, vt constat ex illo Esther 13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Et ex illo Psal. 758. *Quis resistet tibi?* Et ex illo Rom. 9. 19. *Voluntati enim eius quis resistit?* Et ex illo Psal. *Omnia quæcumque voluit fecit in Cœlo, & in terra.* Et docet sæpe Augustinus, præsertim in Enchirid. cap. 95. *Alioqui quomodo Deus esset omnipotens, si aliquid voluit facere & non fecit* (inquit ibi Augustinus) *& quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Atque ita periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem credere confitemur.* Vnde merito M. Bañez 22. q. 10. art. 1. colum. 575. appellat errorem affirmare, quod possit creatura efficaci Dei voluntati resistere. Et similiter Alvarez disp. 31. de auxilijs num. 27. Ergo etiam certum est, hanc propositionem esse falsam absolute prolatam, *Homo potest resistere gratiæ prædeterminanti.* Ergo illa propositio non facit sensum divisum. nam si facerer, esset absolute vera, sicut est vera ista, *iustus potest peccare*; vt late ostendi ea disp. 17 n. 41. cum M. Alvarez. Et hinc inferimus, gratiam efficacem non esse prædeterminantem, quia certum est ex Concilio Tridentino, & Senonēsi, nos posse resistere entitati gratiæ efficacis, qua Deus facit vt libere operemur, & certum est nos non posse resistere entitati gratiæ physicæ prædeterminantis; sicut certum est nos non posse resistere voluntati efficaci Dei, quam gratia prædeterminans essentialiter supponit.

109 Vt vim huius argumenti declinent Salmanticenses Carmelitæ, priori solutioni diffidentes, ad aliam recurrunt. Respondent ergo n. 215. *Dissentire gratiæ, & abijcere gratiam facere sensum compositum cum gratia excitante & vocante, non tamen cum gratia efficaciter applicante ad consensum.*

„ Itaque fatemur (inquiunt) dissensum necessa-
„ rio facere compositionem cum aliqua gratia:
„ sed dicimus hanc esse gratiam vocantem, &
„ inspirantem, non vero gratiam efficaciter ap-
„ plicantem ad concēsum & ratio est, quia dis-
„ sensus proprie acceptus oponitur suasioni,
„ ille quippe dissentire dicitur, qui assensū non
„ præstat suadenti: vnde vt quis dissentire dica-
„ tur, sufficit quod dissensum cū illa su suasione,
„ seu motione suadente cōiungat. Gratia autem
„ quia suadet, & invitat ad bonū, est gratia vo-
„ cans, excitās, & inspirans, vt ex ipsis terminis
„ constat. Vnde vt quis gratia efficaci affectus
„ dicatur posse dissentire, sufficit, quod stante
„ auxilio efficaci habeat potestatē proximā ad
„ ponendū dissensum, non solū quoad substan-
„ tiā actus, sed etia vt coniungendā, vel coniū-
„ gibilem cum gratia vocante, excitante, & insp
„ pirante. Quā potestatem retinet homo, tametsi
„ auxilio ex se & ab intrinseco efficaci ad con-
„ sensum applicetur, quia huiusmodi auxilium
„ nec dat potestatē, nec præexistentem potesta-
„ tē aufert. Quā obrem sicut gratia vocante ex-
„ citatus, & auxilio efficaci non prærnotus po-
„ test dissentire coniungēdo dissensum eū gra-
„ tia vocante; ita proportionaliter auxilio effi-
„ caci applicatus potest elicere eundē dissensum
„ vt coniungibilē cum gratia vocante, tametsi
„ coniungi nequeat cum auxilio efficaci. Cæte-
„ rū munus propriū auxilij ex se & ab intrinse-
„ co efficacis non est vocare, excitare, vel inspi-
„ rare; sed solū applicare, & reducere virtutem
„ operativā ad exercitiū: vnde extremū directe
„ oppositū prædicto auxilio, & possibile, nō est
„ dissentire ipsi, sed est non applicari, vel non
„ agere, vel est agere oppositū pure materialiter
„ & in sensu diviso à prædicto auxilio. Et ideō
„ licet dissentire gratię importet ex vi termino-
„ rū coniunctionē dissensus cū gratia vocante,
„ illā tamen coniunctionē non importat cum
„ gratia applicante, sed ab ea obiective præscin-
„ dit. Quo circa licet facta cōparatione dissen-
„ sus ad gratiā vocantē, nō habeat locū distin-
„ ctio sensus cōpositi & divisi, sed determinate
„ importetur sensus compositus; nihilominus
„ facta cōparatione ad auxilium efficaciter ap-
„ plicās, locū habet prædicta distinctio. Nā po-
„ test conderari dissensus vt coniunctus a uxilo
„ efficaciter applicanti ad consensum, & sic est
„ impossibilis: vel potest considerari secundum
„ se, & precisus à circunstantijs sibi accidenta-
„ libus, atque adeō ab ipso auxilio efficaci: atque
„ ita manet obiective possibilis, & correspon-
„ det potestati proximę quam voluntas illo au-
„ xilio affecta, & in eius præsentia adhuc reti-
„ net & conservat.

110 Concilium autem Trid. nec declarat
„ nec definit, hominem auxilio efficaci motum

„ poſſe cum illo auxilio coniungere diſſen-
„ ſum; ſed tantum aſſerit, hominem ſic mo-
„ tum poſſe diſſentire, ſive poſſe diſſenſum cũ
„ Dei vocatione coniungere. Quod ſatis liquet
„ ex ipſo textu; nam ibi comparatur diſſenſus
„ cum aſſenſu præſtito, Deo excitante, & vo-
„ cante, ſic enim habet: *Si quis dixerit liberũ*
„ hominis arbitrium à Deo motum & excita-
„ tum nihil cooperari Deo excitanti atque vo-
„ canti, quo ad obtinendã iuſtificationis gra-
„ tiam ſe diſponat ac præparet, neque poſsit
„ diſſentire (vtique Deo vocanti & excitanti,
„ cui aſſentit) ſi velit, &c. Anathema ſit. Vn-
„ de ſicut aſſenſus ſub formalitate & expreſsio-
„ ne aſſenſus refertur ad excitationem, & vo-
„ cationem, & cum eis componitur: ita etiam
„ de diſſenſu, quatenus diſſenſus eſt, philoſo-
„ phari oportet, quin verificari debeat, quod
„ debeat homo diſſentire coniungendo diſſen-
„ ſum cum auxilio efficaciter applicante, ſed
„ ſolum cum gratia excitante. Et quod de diſ-
„ ſenſu dicimus, idem de abiectione gratiæ in-
„ telligendum eſt; nam Concilium non loqui-
„ tur de abiectione auxilij efficacis, ſed de
„ abiectione gratiæ vocantis, & excitantis, vt
„ evidenter conſtat ex eius verbis cap. 5. *Ita*
vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sãcti illuminationem, neque homo ipſe nihil om-
no agat inſpirationem illam recipiens, quippe
qui & illam abijcere poteſt, &c. Nam *ly illã*
„ ad ſolam gratiam illuminantem refertur, &
„ non adeſt aliud, ſuper quod cadat. Vnde do-
„ ctrina tradita in hoc cap. 5. manifeſte ex-
„ plicuit mentem Concilij in illo Canon. 4.
Hucuſque illi, quæ ad longum referre placuit,
ne verbum intactum relinquamus.

111 Sed hanc evaſionem late examinamus ea diſp. 17. per totam ſectionem tertiã. & nunc ibi dictis alia addemus. Contra illam ſic inſurgo; quia mens Concilij fuit definire contra Calvinum, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum motione efficaci, qua Deus facit vt faciamus, poſſe illi motioni & excitationi diſſentire; & tractũ auxilio efficaci poſſe reſiſtere entitati illius motionis trahentis ad conſenſum, & ſtabilire veritatem illam, quã Calvinus fatebatur multis ſæculis in Eccleſia traditam & creditam fuiſſe, & quam impudenter impugnabat, quod nimirum ita Deus moveat per gratiam ad honeſte operandum, vt poſita motione gratiæ prævenientis, qua Deus facit vt faciamus: *Noſtræ poſtea ſit electionis, vel obtemperare vel refragari*, vt conſtat ex eius verbis relatis n. 4. Ergo Concilium definivit liberum arbitrium motum motione gratiæ efficacis poſſe illi motioni diſſentire, & Senonenſe definivit poſſe illi reſiſtere. Quod hoc argumento evinco, nam ſcopus Cõcilij erat probare, nullam gratiam prævenientem evertere libertatem arbitrij ergo actus ſalutares, ſiquidẽ eius ſcopus fuit definire conſenſum ſalutarem eſſe liberum libertate indifferentiæ, & non ſolum libertate à coactione; non poſſet autẽ eſſe liber, ſi aliqua gratia præveniens neceſsitaret ad ipſum: ergo ſcopus eius fuit ſtabilire nullam gratiam prævenientem evertere libertatem, ad hoc autem ſtabiliendum definivit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit: ergo virtualiter difinivit poſſe diſſentire omni motioni gratiæ prævenienti & impellẽti ad conſenſum. Probo cõſequentiam; nam ad ſtabiliendum nullam gratiam prævenientem tollere libertatem actus, opus erat ſtabilire quod arbitrium poſsit reſiſtere cuilibet gratiæ prævenienti: eſſet enim inanis ſophiſtica, & puerilis probatio Concilij, vt notat Eximius Doctor libro de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 32 pag. 196. (cuius verba ſtatim referemus) ſi probaret liberum arbitrium manere liberum ſub omni gratia prævenienti, quia licet non poſsit reſiſtere gratiæ forti & validæ, quæ ſecundum Auguſtinum *tribuit vires efficaciſsimas voluntati*, qua nimirum Deus facit vt faciamus: poteſt tamen reſiſtere alteri gratiæ ex ſe debili & talis naturæ, vt impoſsibile ipſi ſit coniungi cum conſenſu ad quẽ datur, niſi adiungatur alia gratia fortior, quæ faciat voluntatem priori cedere. Quare, vt merito dicit Maynam tom. 2. Philoſophiæ ſacræ cap. 36. num 33. *Illa ſolutio præbet Caluino, & Luthero modum egregium illudendi Concilio. Parum namque illi ſine dubio curabunt, quod à Concilio definiatur, diſſentiri poſſe diuinæ motioni, quæ eſt excitatio, & quid illa ſit; dummodo permittatur diſſentiri non poſſe alteri eius motioni, quæ ſit vere antecedens, qualis eſt prædeterminatio; hoc enim ſolum illi volunt; & hinc neceſsitatem conſentiendi arguunt: & hoc eſt quod vult damnare Concilium. Ergo concilium aut nihil agit cõtra hæreticos, aut vniverſaliter definit à Deo motum, ſeu motione, quæ ſit excitatio, ſeu motione quauis alia, quæcumque illa ſit, quæ ſit vere præueniens, & antecedens, poſſe diſſentiri, ſi velit.* Hæc Maynam, quem non videram quando hanc ſectionem elaboravi, & placuit eius verba hic dare: quæ confirmant id, quod paulo poſt referemus ex Suario.

112 Idque explico exemplis: ſane ſi homo eſſet ligatus levi filo, & ſimul ferrea catena, & iactabandus diceret, ſe liberum, & expeditum eſſe ad currendum, quia quamvis non poſsit rumpere catenam ferream, poteſt tamen rumpere filum: ſane iſte homo cum riſu exciperetur. Pariter ergo inanis eſſet defini-

tio & doctrina Concilij, ſi probaret liberum arbitrium pulſatum vocatione adeo ex ſe ſterili, vt chymæra ſit ipſam coniungi cum actu ad quem datur, niſi ſuperaddatur alia gratia à ſolo Deo dependens, & ſimul pulſatus gratia prędeterminante liberum & expeditum manere: quia licet non poſsit reſiſtere gratiæ efficaci, ſeu gratiæ prædeterminanti, poteſt tamen reſiſtere alteri gratiæ, quæ ex ſe eſt incapax vt immediate coniugatur cum actu, & ſolum poteſt coniungi mediate, nempe mediante prædeterminatione.

113 Aliud exemplum ſatis aptum rem ob oculos ponet. Sit homo in arce incluſus, à qua exire non poſsit, niſi aperiendo ianuam, quæ cuſtoditur à duobus militibus: altero adeò robuſto, vt ſit invincibilis, & nemo poſsit ianuam aperire in ſenſu compoſito præſentiæ ipſius, ſeu illo cuſtodiente ianuam, & reſiſtente ne aperiatur: altero adeò debili, vt ſi ſolus ſtaret ad ianuã, nunquam evenire poſſet, vt impediret exiſtum hominis ibi incluſi. Certe ſi is, qui arce circumvallatus exiſtit, iactaret ſe habere poteſtatem, liberam ad egrediendum, quia poteſt reſiſtere militi debili, quamvis faceretur ſe non poſſe reſiſtere militi robuſto, & forſit ridiculus haberetur, & merito de ſtultitia argueretur. Pariter ergo ſi Angelus, v. g. à Deo vocatus & prædeterminatus ad eliciendũ actum amoris, & cognoſcens ſe eſſe prædeterminatum, iactaret ſe liberum & expeditum eſſe ad omittendum amorem: *Quia licet non poſſit reſiſtere auxilio prædeterminanti*, poteſt tamen reſiſtere vocationi quæ antecedit prædeterminationem, & ex ſe eſt intrinſece ineapax coniungi immediate cum cõſenſu ad quem datur, ſolumque eſt capax coniungi mediante prędeterminatione: ſi ita, inquam, reſponderet inanis eſſet eius reſponſio, & digna riſu. Pariter ergo in noſtro caſu, &c.

114 Vnde vt inquit Eximius Doctor tom. de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 32. pag. 196. *Si Concilium in illo Canone omſit motionem gratiæ efficacis, cum tamen neceſſaria ſit, immerito damnat Caluinũ & ſophiſticè, ac pueriliter agit contra illum, nam ille nõ ignorabat diuinas illuminationes & inſpirationes diuinas non inferre neceſsitatem voluntati, cum frequenter illis reſiſtat, ſed addit præter illas motionem quandã neceſſariam vt voluntas conſentiat, dixitque voluntatem non poſſe illi reſiſtere, & inde concluſit tollere libertatem: ſi ergo Concilium ſubticendo, & permittendo præmotionem illam phyſicam, ſolum loquitur de alijs excitantibus gratijs, immerito inuehitur contra Caluinum, & male colligit vſum libertatis ex poteſtate reſiſtendi excitanti gratiæ, nam ad libertatem non ſatis eſt poſſe diſſentire, poſito vno vel alio requiſito ad agendum, ſed poſitis omnibus: ergo potius ex virtuali argumentatione Concilij colligere debemus, illum non agnoſcere motionem aliam præuiam neceſſariam ad actualem operationem præter illã præuiam motionem & excitationem, de qua loquitur, ac proinde in illa contineri gratiam efficacem, quatenus præueniens eſſe poteſt, ac ad operandum neceſſaria.* Hactenus Magnus Suarez.

115 Qui hoc ipſum late oſtendit t. 2. de grat. lib. 5. cap. 37. indeque evincitur; nam Calvinus non dixit, quodlibet gratiæ auxilium neceſsitare voluntatem, ſed quoddam peculiare, quod omnibus & ſolis conſentientibus datur; iſtudque dixit neceſsitare voluntatem, quia voluntas ei reſiſtere non valet: eiuſque error fuit, quod ſicut bruta neceſſario impulſu naturæ moventur: cui non poſſunt reſiſtere, ita homines neceſſario moventur impulſu Spiritu Sancti adeo efficaci, vt nec poſsint illi reſiſtere, nec aliud facere quam id ad quod impelluntur, quia nimirum ad agendum trahuntur motione irreſiſtibili.

116 Ergo vt Concilium contrariam veritatem ſtabiliret, definivit nullũ gratiæ auxilium neceſsitare voluntatem, qua nimirum voluntas mota & excitata quocumque auxilio gratiæ prævenientis, poteſt cuicumque reſiſtere. Atque adeò ſicut Calvinus aſſeruit, aliquod auxilium gratiæ tollere libertatem; quia aliquod ita eſt validum, vt ei non poſsit reſiſtere voluntas: Concilium vt ſe ex diametro oppoſueret Calvino, definivit nullũ gratiæ auxilium tollere libertatem, quia nullum ita movet voluntatem, quatenus prævenies eſt, vt ei reſiſtere, & diſſentire nequeat voluntas.

117 At reſpondẽt adverſarij vbi ſupra num. 216. Licet nullum auxilium actuale inferat voluntati abſolutam conſentiendi neceſsitatem; hinc tamen minime inferri quod poſsit homo cuicumque gratię interiori (prævenienti) reſiſtere ſive cum ea diſſenſum componere, ſed tantum ſequi quod ſtante quocumque auxilio interiori, poſsit homo diſſentire, vel aſſenſum ſuſpendere. *Nam vt homo conſentiat*, abſque abſoluta conſentiendi neceſsitate ſufficit, quod poſsit abſolute non conſentire, *ad hoc* autem (inquiunt) non requiritur, quod valeat coniungere carentiam conſenſus cum auxilio efficaciter applicante ad conſenſum, vel ipſum auxilium excludere; ſed ſufficit quod poſsit poteſtate proxima conſenſum ſuſpendere, & eius carentiam coniungere cum principijs operativis. Ad libertatem quippe nõ requiritur poteſtas ad cõiungendum, vel exercitia oppoſita, vel ea, quæ ſi tenent ex parte ipſ-

ſum

ſum exercitiorum, cum hæc poteſtas ſit chymærica; ſed ſufficit poteſtas ad exercitia, & ad ea, quæ ex parte exercitiorum ſe tenent, vt habenda divinum, & diviſim & ſecundum ſe coniungibilia cum principio operativo: auxilium autem efficaciter applicans ad aſſenſum pertinet ad exercitium conſentiendi, non ad poteſtatem. Vnde ſicut ad hoc vt quis libere conſentiat, non requiritur quod poſsit coniungere carentiam conſenſus cum cõſenſu, ſed quod poſsit illã carentiã cõiungere cũ principio cõſentiẽdi: ita non requiritur, quod voluntas efficaciter applicata ad conſenſum, queat coniungere carentiam conſenſus cum illo auxilio, ſed ſufficit quod valeat coniungere cum principio conſentiendi. & hæc poſterior poteſtas actu & revera datur in voluntate efficaciter applicata ad conſenſum. Erravit ergo Calvinus, cum ex antecedenti vero, nempe gratiam efficacem eſſe talem ex ſe, & ab intrinſeco, inſulit per illegitimam conſequentiam, voluntatem illa gratia affectam neceſsitari abſolute, & carere poteſtate, quæ ad libertatem ſufficit, & requiritur. Vnde vt Concilium eius hæreſim profligaret, non negavit antecedens, ſed conſequentiam; definiens liberum arbitrium à Deo motum (illa vtique motione efficaci, quam aſſerebat Calvinus) poſſe diſſentire, ſi velit: *Quamuis enim homo nõ poſsit reſiſtere auxilio efficaci, homo tamen habens auxilium efficax poteſt reſiſtere.* Nam prima propoſitio exprimit coniunctionem auxilij efficacis cum reſiſtentia, quæ coniunctio eſt impoſsibilis; poſterior vero deſignat coniunctionem auxilij efficacis cum poteſtate reſiſtendi, quæ coniunctio eſt poſsibilis & de facto datur. In prima intrat auxilium efficax obiective, & ex parte termini; in ſecunda vero ſubiective & ex parte principij. Poſtrema ſalvat efficaciam gratiæ, quam Concilium ſupponit. Vnde tantum abeſt, vt adverſarijs faveat, quod potius ipſorum opinionem, eiuſque principia evertat, nobis autem ſatis aperte adſtat. Hæc illi.

117 Verum in promptu erit hoc effugium præcludere. Nam Concilium non ſolum ſtabilivit veritatem Catholicam, quam Calvinus negabat, nempe voluntatem noſtram libere operari dum elicit actus ſalutares ex impulſu gratiæ, ac proinde non ſolum ſtabilivit, nullam gratiam everrere libertatem; ſed evertit, & infrinxit rationẽ, cui Calvinus inhærebatur: Calvinus enim propterea aſſerebat motionem gratiæ efficacis tollere libertatem, quia exiſtimabat illam motionem eſſe irreſiſtibilem ideſt, talem cui arbitrium reſiſtere non valeat, ſeu cui non poſsit diſſentire: aſſerebat enim hominis voluntatem motã gratia efficaci, quæ conſtat ex Scripturis, non poſſe illi gratiæ diſſentire, ac proinde neceſſario eius impulſum ſequi, è contra vero Concilium, vt tueretur voluntatem libere ſequi impulſum gratiæ, definivit, voluntatem motam gratia efficaci, poſſe illi diſſentire ſi velit; & poſſe illam abijcere, ſeu irritam reddere, & ſine effectu relinquere. Nam de ſola gratia efficaci aſſerebat Calvinus tollere libertatem, quia illi reſiſtere non valemus; è contra Concilium definivit nõ tollere libertatem, quia illi reſiſtere valemus. Nam ſi ſolum Concilium definiſſet, liberum hominis arbitrium motum gratia efficaci, poſſe reſiſtere alteri gratiæ divſæ ex ſe ſterili, & incapaci cõiungi immediate cum conſenſu; & fateretur nõ poſſe reſiſtere gratiæ efficaci; non ſe oppoſuiſſet Calvino, & eius definitio eſſet inanis, eamque Calvinus irrideret dicens quid ad me, & quid ad libertatem ſervandam facit, quod arbitrium poſsit reſiſtere illuſtrationi de te ſterili, ſi reſiſtere non valet illi gratiæ, qua Deus facit vt operetur, ſed illius impetum inevitabiliter ſequitur: ego enim non dico omnem gratiam, prævenientem tollere libertatem, ſed dum taxat gratiam efficacem, qua Deus facit vt faciamus, quia illa talis naturæ eſt, vt ſecum irreſiſtibiliter afferat conſenſum, quin voluntas eius impetum cohibere valeat, illive reſiſtere.

118 Quare veriſsimum eſt, Concilium in illo canone, ad tuendam liberrtatem cõſenſus definijſſe liberum hominis arbitriũ motum gratia efficaci, poſſe diſſentire, ſi velit, illamque abijcere, & irritam reddere; ac proinde illi libere conſentire. Vnde Calvinus non erravit in conſequentia, ſed in antecedenti: bene enim intulit hominem non operari libere ſi trahitur ad operandum auxilio, cui reſiſtere non valet: ſed falſo aſſeruit gratiam efficacem, quæ conſtat ex Scripturis & Concilijs, talem eſſe, cui reſiſtere homo non poſsit. Idque efficaciter colligimus ex Concilio, quod ad tuendum libertatem definivit liberum hominis arbitrium à Deo motum (motione ſcilicet efficaci, cum qua de facto operatur) poſſe diſſentire, ſi velit, nempe illi ipſi motioni, qua Deus ab illo obtinet conſenſum. Confirmatur, quia ſi Concilium non ſolum definivit concluſionẽ, nempe quod homo libere recipiat inſpirationem, cum illa libere cooperando, ſed definivit cauſam per illã particulam: *Quippe quam abijcere poteſt.* Ergo definivit hominem poſſe abijcere gratiam efficacem, cum qua de facto operatur. At certum eſt hominem nõ poſſe abijcere gratiam efficacem, quoad eius entitatem; quia independenter à ſua libertate prævenitur entitate gratiæ efficacis. Ergo definivit poſſe abijcere gratiam efficacem quoad efficaciam & effectum, illam ſcilicet ſine effectu relinquendo. Ergo formaliter definivit efficaciam gratiæ

eſſe

eſſe diſtinctam ab entitate ipſius gratiæ; nam ſi eſſet indiſtincta, ſicut voluntas mere paſsive ſe habet reſpectu entitatis gratiæ, & minime illam recipit libere, ita mere paſsive ſe haberet reſpectu efficaciæ, ac proinde ſicut abijcere & à ſe repellere nõ poteſt gratiam quoad eius entitatem: ita non poſſet abijcere gratiam quoad eius efficaciam. At Concilium definivit poſſe abijcere gratiam efficacem: ergo definivit, in poteſtate voluntatis eſſe facere quod gratia ſemel exiſtens ſit efficax, quamvis non poſsit facere vt exiſtat vel non exiſtat quoad ſuam entitatem. Ergo ex mente Concilij efficacia non eſt intrinſeca & eſſentialis gratiæ.

119 Fatemur ad libertatem non requiri, quod voluntas poſsit conciliare diſſenſum cum conſenſu; ſed ſatis eſſe quod poſsit coniungere diſſenſum cum principio conſentiendi, à quo procedit conſenſus quia coniungendo diſſenſum cum proximo principio conſentiendi, impedit conſenſum. Sit ad libertatem indiſpenſabiliter requiritur quod poſsit voluntas coniungere diſſenſum cum omnibus prærequiſitis antecedentibus ad conſenſum, & non conſtitutis in poteſtate conſentientis: non eſt enim voluntas proxime expedita ad cõſenſum vſque dum habeat omnia prærequiſita ad ipſum. Vnde ſi phyſica prædeterminatio ſit eſſentialiter prærequiſita ad actum voluntas propriori ad ipſam non eſt proxime expedita ad actum, nec habet liberam poteſtatem ad illũ: ſubiectum enim non habens, nec prolibito ſuo potens habere aliquid eſſentialiter prærequiſitum ad exiſtentiam effectus, non habet in ſua libera poteſtate effectum; vt late oſtendi tom. 1. diſp. 13 ſect. 2. & hoc tom. 2. diſp. . & hoc principium appellat per ſe notum Eximius Doctor lib. 5. de grat. cap. 24. & . & hoc primum principium hauſit Schola Societatis ex Auguſtino lib. de prædeſt. Sanct. cap 2. vbi ex illis verbis Apoſtoli: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*, deducit contra Pelagianos, nos minime ſufficere ad fidem: *Quia quis non videt* (inquit) *prius eſſe cogitare, quam credere, nullus enim credit, niſi prius cogitauerit eſſe credendum: quod ergo pertinet ad religionem, & pietatem de qua loquebatur Apoſtolus, ſi non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, profecto nõ ſumus idonei credere à nobis quaſi ex nobis, quod ſine cogitatione non poſſumus.* Auguſtini argumẽtum in hunc modum repono eiſdem verbis. Quis non videt prius eſſe prædeterminari, quam operari, nullus enim operatur iuxta adverſarios, niſi prius prædeterminetur. Quod ergo attinet ad recte operandum, ſi non habemus in noſtra poteſtate prædeterminari, ſed prædeterminatio noſtra ex Deo eſt, profecto non habemus in noſtra poteſtate recte operari, quod ſine prædeterminatione non poſſumus, ſubiungit Auguſtinus: *Nemo ſibi ſufficit ad fidem, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, quia fides ſine cogitatione nulla eſt, & non ſumus idonei cogitare.* Subiungam, & ego: nemo carens prædeterminatione ſibi ſufficit ad recte operandum, quia recta operatio ſine prædeterminatione nulla eſt, & non ſumus ſufficientes prædeterminationem pro libito noſtro obtinere. Item, nemo prædeterminatus ad actum ſibi ſufficit ad omiſsionem, quia omiſsio ſine carentia prædeterminationis nulla eſt, & non ſumus ſufficientes illam carentiam pro libito noſtro obtinere.

120 Hinc deducimus, ſi prædeterminatio ſit prærequiſita ad actum ſecundum, ſe tenere experte actus primi, & conſtituere proximam potentiam: omne enim prærequiſitum ad actum non conſtitutum in poteſtate operãtis, tale eſt, vt conſtituat proximam potentiam ad actum, quia vbi illud requiſitum deeſt, non datur vera poteſtas ad actũ. Vnde falſiſsimus eſt, quod hic author, quem impugnamus, aiebat ſupra num. 7. nempe ſicut gratia excitante vocatus, & gratia prædeterminante non præmotus, poteſt diſſentire, coniungendo diſſenſum cum gratia vocante; ita proportionaliter hominẽ pulſatum gratia prædeterminante poſſe elicere eiuſdem diſſenſum vt coniungibilem cum gratia vocante, licet non poſsit coniungi eum gratia prædeterminante: falſiſsimum inquam eſt, quia cum prædeterminatio conſenſus eſſentialiter ſupponens vocationem, ſit impedimentũ, ne vocatio illa coniugatur cum diſſenſu; & ſit impedimentum in auferibile ab ipſa voluntate; voluntas dum ſubiacet prædeterminationi cõſenſus, non eſt expedita ad coniungendum diſſenſum cum vocatione; ſecus autem, quando caret tali prædeterminatione.

121 Sed iam ex his, quæ hic author admittit, ipſum redarguamus, & probemus, auxilium prædeterminans longe eſſe à mente Tridentini, & inductum fuiſſe in Scholis à M. Bañez, & gratiam efficacem ex mente Concilij non diſtingui à vocatione, illuſtratione, vel inſpiratione. Vnde ſic argumentor diſſentire gratiæ, & abijcere gratiam per te importat ſenſum compoſitum: & liberum arbitrium hominis à Deo motum & excitatum, poſſe diſſentire ſi velit, eſt poſſe diſſentire Deo moventi & excitanti: ergo eſt poſſe componere diſſenſum cum motione & excitatione vi cuius Deus de facto cauſat conſenſum, ſeu vi cuius Deus facit vt voluntas conſentiat. nam Concilium loquitur de homine actu conſentiente, & actualiter ſe præparante ad iuſtificationem per con-

tri-

tritionẽ, & per actum fidei, & ſpei. At motio & excitatio vi cuius Deus defacto cauſat conſenſum, ſeu vi cuius facit vt voluntas defacto conſentiat, eſt motio & gratia efficax; ergo definit Concilium liberum hominis arbitrium à Deo motum motione præveniente efficaci, & excitatum excitatione efficaci, poſſe diſſentire motioni & excitationi efficaci quatenus præveniens eſt. Ergo virtualiter definit motionem illam non eſſe prædeterminantem, ſed eſſe identificatam cum vocatione, illuminatione, ſeu inſpiratione. nam motioni prædeterminanti homo nequit diſſentire; ſiquidem per te diſſentire motioni prævenienti ex terminis eſt componere conſenſum.

122 Confirmatur, certum eſt Concilium edidiſſe illum Canonem contra Calvinum, qui quamvis contra Lutherum fateretur liberum hominis arbitrium non mere paſsive ſe habere reſpectu actuum ſalutarium, ſed illos vere phyſicè producere. tamen aſſerebat illos non producere libere libertate indifferentiæ, ſed omnino neceſſario; vt demonſtravi tom. 1. diſp. 17. ſect. 9. ex M. Alvarez diſp. 3. de auxilijs num. 8. & 9. ex Pennoto lib. 9 Propugnaculi in proœmio ex Bellarmino lib. 4. de grat. & lib. arbit. cap. 14. ad finem; & ex Gonet in Apologia homiſtarum num. 12. Vnde quia Calvinus aſſeruit ita à Deo hominem moveri ad actũ ſalutarem per Spiritus Sancti impulſum, vt illi motioni diſſentire, aut reſiſtere non poſsit, nec poſita illa motione integrum ſit homini vel obtemperare vel refragari, ſed neceſſarium obtempere: ideo Concilium vt ſe opponeret huic errori definivit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum (vtique motione & excitatione efficaci, nam loquitur de homine actu conſentienti) poſſe diſſentire ſi velit: ergo definivit poſſe diſſentire motioni efficaci, & cum illa diſſenſum cõponere quatenus illa prevenit conſenſum. Confirmatur rurſus; nam cum Calvinus non docuerit liberum arbitrium neceſsitari per quancumque gratiam prævenientem, ſed per gratiã efficacem; Concilium definivit contra illum, hominis arbitrium non neceſsitari per gratiam efficacem, quia illi poteſt diſſentire, ſi velit; nemo autem neceſsitatur per gratiam, cui ipſe diſſentire & reſiſtere valet. Calvinus probabat gratiam efficacem neceſsitare quia liberum hominis arbitrium à Deo motũ illa gratia, nequit illi motioni refragari, ſed è contra Cõciliũ comprobavit non neceſsitare, quia liberum arbitrium motum & excitatum illa gratia efficaci, poteſt ei refragari, diſſentire, ſeu reſiſtere.

123 Vrgetur amplius: certum eſt, ſub illo *nomine motionis & excitationis* cõprehendi à Concilio gratiam efficacem, quia eius ſcopus fuit definire gratiam efficacem nõ tollere libertatem, vt Calvinus blaterabat: vel ergo comprehenditur ſub nomine motionis, vel ſub nomine excitationis, vel ſub nomine vtriuſque. Si ſub nomine excitationis, vel vtriuſque; ergo cũ poſſe diſſentire excitationi per te ſit poſſe coniungere diſſenſum cũ excitatione; Concilium definivit liberum hominis arbitrium poſſe coniungere diſſenſum cum entitate gratiæ efficacis, ac proinde definivit, gratiam efficacem non eſſe phyſicè prædeterminãtem. Si comprehenditur ſub nomine motionis, & non ſub nomine excitationis; ergo Concilium per motionem intellexit gratiam efficacẽ prædeterminantem, & per excitationem intellexit gratiam ſufficientem conſtituentem actũ primum. At hoc eſt falſum: nam cum prius ſit hominem excitari per vocationem & illuſtrationem, quam moveri per prædeterminationem; ſi Concilium diſtinxiſſet inter motionem & excitationem, & nomine motionis intelleXiſſet gratiam phyſicè prædeterminantem, non dixiſſet, liberum arbitrium *à Deo motum & excitatum*; ſed è contra, *liberum arbitrium à Deo excitatum & motum*: id eſt liberum arbitrium à Deo excitatum per vocationem & gratiam ſufficientem, & motum per gratiam efficacem ad conſentiendum excitationi & vocationi, poteſt diſſentire, nimirum excitationi.

124 Quare Concilium idem intellexit per motionem & excitationem, atque particula *&* ibi eſt explicativa præcedentis, vt ſit ſenſus, liberum arbitrium *à Deo* motum & excitatum, id eſt à Deo motum motione excitante poteſt diſſentire, ſi velit. Idque manifeſtè conſtat ex verbis Concilij, nam motionem illam, ſtatim appellat vocationem: Sic enim ait: *ſi quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit & anathema ſit.* Ergo quod prius appellaverat motionem, poſterius in eadem clauſula appellat vocationem: atque adeò idem eſt hominem aſſentire Deo excitanti atque vocanti atque aſſentire Deo moventi & excitanti. Ergo idem eſt poſſe diſſentire Deo excitanti & vocanti ac poſſe diſſentire, Deo moventi. Ergo motio illa, de qua loquitur Concilium, non eſt motio prædeterminans ad conſenſum; ſed motio congrua, quæ ſecundum ſuam entitatem phyſicam permiſsive eſt coniungibilis cum diſſenſu, à quo retrahit.

125 Argumentor vlterius: Concilium definivit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit: ergo definivit poſſe diſſentire Deo mo-

vent

venti & excitanti. Ergo definivit poſſe coniungere diſſenſum cum motione illa, & excitatione per quam Deus ipſum traxit ad conſenſum. Ergo ibi non includitur phyſica prædeterminatio: probo conſequentiam, nam ſi includeretur, vtique includeretur nomine motionis; at nomine motionis non includitur; tum quia motio illa ſtatim explicatur per vocationem; tum quia cum Concilium priùs ponat motionem, & poſterius excitationem, eius ſenſus debet eſſe, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe diſſentire Deo vt antecedenter excitanti. Nam diſſenſus refertur ad motionem & ad excitationem. Deo autem vt antecedenter moventi per prædeterminationem nequit arbitrium diſſentire, & reſiſtere. Ergo nomine motionis non intellexit prædeterminationem. At nomine motionis intellexit gratiam efficacem: ergo gratia efficax iuxta Concilium non eſt prædeterminans.

126 Et ſane ſi nomine motionis intelligeretur phyſica prædeterminatio, textus Concilij redderet hunc ſenſum: *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire*, ſi velit, excitationi, non autem motioni, ſeu Deo vt excitanti, non autem Deo vt moventi: quis autem non videat hanc eſſe voluntariam, & violentam expoſitionem? Cum enim Concilium præmiſiſſet motionem & excitationem, & ſimpliciter addat potentiã diſſentiendi non adhibendo aliquam particulam limitationem, & reſtringentem potentiam diſſentiendi ad excitationem, & non ad motionem; eius ſenſus clarus & manifeſtus eſt, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire Deo mouẽti, & excitanti, ac proinde poſſe cõiungere diſſenſum cum motione & excitatione. Atqui motio illa eſt gratia efficax: ergo mens plana Concilij eſt, liberum arbitrium à Deo motum per gratiam efficacem poſſe coniungere diſſenſum cum entitate gratiæ efficacis, quatenus præveniens eſt. Ergo mens Concilij eſt, gratiam efficacem non eſſe prædeterminantem. Quare Concilium nomine excitationis, illuſtrationis inſpirationis, vel vocationis, cui homo defacto conſentit, intellexit gratiam efficacem.

127 Quod vlterius comprobatur teſtimonio Cardinalis Eſparza in Hiſtoria Concilij Tridentini lib. 8 cap. 13. num. 9. vbi narrat, in eo Canone: *Siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatũ, &c.* in prima illius formatione non ſic legi, ſed ſic: *Siquis dixerit hominem à Deo motũ, & excitatum.* Aquenſem vero in ſua ſcripta ſententia, & P. Didacum Laynez in ſuis notis poſtulaſſe, vt in Canone diceretur, hominem à Deo motum & excitatum communi & ordinaria vocatione, poſſe diſſentire ſi velit; quia poteſt aliqua peculiari vocatione extraordinaria & miraculoſa pulſari, quæ voluntatem neceſsitet, & poteſtatem diſſentiendi auferat; quod pariter confirmavit Chriſtophorus Patavinus, Generalis Auguſtinianorum Procurator, dicens: ſic exiſtimaſſe Auguſtinum de ea, qua Paulus Apoſtolus vocatus eſt, quamvis de cæteris communibus oppoſitum cenſeat: *Patribus tamen* (inquit Eefortia) *vox non placuit, ſed per vocẽ hominem, appoſuerunt, liberum hominis arbitrium. Et prudenter quidem: nam in euentu propoſito extraordinariæ vocationis, neceſsitatemque afferentis, libertas arbitrij haùd remaneret ſecundum propriam, communemque illius ſignificationem; ac proinde Patres cautè locuti, euitata quæſtione, an id, quod proponebatur, euenire poſſet in homine; cum ſatis eſſet, id in libero hominis arbitrio fieri non poſſe.* Ergo iuxta Patres Concilij gratia efficax communis, qua Deus peccatores convertit, conſiſtit in vocatione, quæ ita obtinet conſenſum, vt homo ei poſsit diſſentire, ſi velit; non autem in phyſica prædeterminatione, cui diſſentire, & reſiſtere non valet. Rurſus, ergo iuxta Patres Concilij in libero hominis arbitrio, ſeu manente libertate hominis, non poteſt à Deo immitti vocatio, cui homo reſiſtere & diſſentire non valeat. poſſet autem talis vocatio immitti à Deo, ſi ſemel illæſa libertate poteſt Deus imprimere homini phyſicam prædeterminationem, cui homo diſſentire, & reſiſtere non valeat.

128 Deinde oſtendamus Concilium in capite 5. dum definivit hominem à Deo pulſatum motione gratiæ prævenientis, poſſe gratiam illam abijcere, loqui de gratia efficaci, quæ immediate coniungitur cum conſenſu noſtro, illumque obtinet: nam loquitur de ea gratia, quam à Deo poſtulamus, dum orantes dicimus: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: quam conſtat eſſe gratiam efficacẽ. Id autem magis conſtabit, ſi in medium producamus textum Concilij, qui eſt huiuſmodi: *Declarat præterea ſancta ſynodus ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam adcõuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationẽ, eidem gratiæ libere aſſentiendo & cooperando, diſponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam &*

ab

abijcere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiã coram illo libera ſua voluntas poſsit: Vnde in ſacris litteris cum dicitur, conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur, cum reſpondemus: *Conuerte nos Domine ad te & conuertemur*: Dei nos gratia præueniri *confitemur*. Hæc Concilium, circa quæ multæ põderationes faciendæ ſunt. Sed prius notandum eſt ex Cardinali Eſforcia in Hiſtoria Concilij Tridentini lib. 8. cap. 13. num. 8 cum ſcribiretur illud decretum, Generalem Sancti Franciſci inſtitiſſe, vt poſt illam particulam: *Neque homo nihilomino agat inſpirationem illam recipiens*, adderetur, *cum in ſua poteſtate ſit illam non recipere*: Concilium vero minime ipſius voto acquieviſſe, ſed præcipiſſe, vt loco illius clauſulæ, ponerentur illa verba, *quippe qui illam & abijcere poteſt*. Et merito id feciſſe; quia verbum recipere ſi non amplius explicaretur ambiguũ erat, poteratque referri ad receptionem phyſicã illius gratiæ prævenientis, quam Deus dat nobis, vt conſenſum ſalutarem eliciamus; quæ receptio nobis libera non eſt, cum Deus illam gratiam in nobis ſine nobis operetur. Vnde ad tollendam ambiguitatem Concilium voluit, vt immediate ſubiungeretur illa clauſula, *quippe qui illam & abijcere poteſt*, qua denotatur, in noſtra poteſtate eſſe eam inſpirationem diſſentiendo abijcere, vel conſentiendo acceptare.

129 Quare in Concilio *recipere inſpirationem* non eſt phyſice ſuſcipere entitatem gratiæ prævenientis, qua Deus nobis inſpirat conſenſum ſalutarem; ſed eſt acceptare illam inſpirationem, id eſt cum illa operari; ſicut ille dicitur conſilium amici recipere, qui opere complet id, ad quod amicus hortatur, abijcere vero inſpirationem eſt cum illa non operari, ſeu illius ductum non ſequi; ſicut abijcere dicitur filius monita patris, qui id nõ facit, quod pater monet, & præcipit.

130 Hoc ſuppoſito, ponderandum eſt primo Concilium in eo decreto nomine gratiæ prævenientis à qua ſumitur iuſtificationis exordium comprehendiſſe gratiam efficacẽ: nam certum eſt initium iuſtificationis ſumendum eſſe à gratia efficaci, qua Deus efficaciter movet peccatoris voluntatem ad contritionem de peccatis. Atqui Concilium gratiam prævenientem, à qua ſumitur iuſtificationis exordiũ ſtatim explicat per vocationem, tanquam per terminos ſynonimos, *a Dei per Chriſtũ Ieſum, præueniente gratia, hoc eſt ab eius vocatione*. Ergo nomine vocationis intellexit & comprehendit gratiam efficacem. At iuxta Concilium liberum arbitrium poteſt abijcere & irritam facere vocationem cum qua operatur; ergo poteſt abijcere gratiam efficacem & irritam facere: ergo gratia illa non eſt prædeterminans. Ponderandum eſt ſecundo, Concilium de ea gratia loqui, dum dicit, hominem poſſe gratiam abijcere; de qua poſtmodum immediate loquitur, dum ait, nos eam gratiam poſtulare, dum orantes dicimus: *Converte nos Domine ad te & convertemur*. Sed gratia hæc, quam ſic petimus, eſt gratia efficax, ergo gratia, quam homo recipit, & poteſt abijcere, eſt gratia efficax.

131 Ponderandum eſt tertio hominem eam gratiam poſſe abijcere, quam recipit, ſeu cum qua operatur: nam hominem recipere gratiam in phraſi Concilij eſt hominem operari cum gratia, inde enim probat aliquid agere eam recipiendo, quia poteſt illam abijcere. At gratia cum qua homo operatur eſt gratia efficax: ergo iuxta Concilium homo poteſt abijcere gratiam efficacem.

132 Ponderandum eſt quarto Cõcilium in toto illo decreto, in quo exacte explicuit gratiam prævenientem, quæ neceſſaria eſt vt peccator convertatur, & diſponatur ad iuſtificationem explicuiſſe per has voces *vocatio, illuminatio, & inſpiratio*, quaſi per terminos ſynonomos. Certum autem eſt gratiam efficacem neceſſariam eſſe vt peccator convertatur: ergo certum debet eſſe gratiam efficacem comprehendi ſub nomine vocationis, illuminationis, vel inſpirationis, cũ qua homo operatur. Atqui Carmelitæ fatentur, liberum hominis arbitrium affectum vocatione, illuminatione Spiritus Sancti, & inſpiratione, poſſe coniungere diſſenſum cum vocatione illuminatione, & inſpiratione, illaſque abijcere; ergo fateri debet poſſe cõiungere diſſenſum cum gratia efficaci, illamque abijcere, & ineffacem reddere, quod non haberet locum, ſi gratia eſſet prædeterminans. Habet autem locum, ſi gratia ſit efficax ab extrinſeco; nam hanc gratiam quatenus efficacem poteſt abijcere, impediendo ſcientiam mediam per quam redditur efficax in actu primo, & impediendo conſenſum per quam redditur efficax in actu ſecundo. Ponderãdum eſt quinto Concilium in toto illo capite nullam mentionem feciſſe gratiæ phyſice prædeterminantis: ergo illam non agnovit, ſed dumtaxat gratiam prævenientem conſiſtentem in actibus intellectus & voluntatis, qui ſignificantur nomine vocationis, illuminationis & inſpirationis Incredibileque eſt illam gratiam agnoviſſe & tamen nullam illius mentionem feciſſe, dum exacte explicuit gratiam neceſſariam ad iuſtificationem. Monẽdique ſunt & hortandi adverſarij noſtri vt accẽdant lucernam, & quærant gratiam phyſice prædeterminantem in toto illo capite; & nobis dicant

in

in quo angulo illius capitis lateat, & in qua clausula Concilij contineatur? & erunt nobis *Magnus Apollo*.

133 Dicent forsam gratiam prædeterminantem contineri in illis verbis Concilij, *per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam*; & significari nomine gratiæ adiuvantis. Sed contra, quia vt recte probat P. Molina in Concordia quæst. 14. art. 13 disp. 37 5. *deinde, falsum*, apud Concilium eadem gratia est excitans, & adiuvans, seu cooperans: *Illa enim* (inquit) *eadem gratia, quæ liberum arbitrium præuenit & excitat ad actus, quibus se ad iustificationem disponit, dicitur cooperans, si arbitrium cum ea consentiat, atque simul pro sua libertate influat*. Deinde contra adversarios probo Concilium nomine gratiæ adiuvantis non posse intelligere prædeterminationem physicam: nam loquitur de ea adiuvanti gratia, cui homo libere assentit, & libere cooperatur: sed homo non assentit libere, nec libere cooperatur gratiæ prædeterminanti: ergo Concilium non intellexit nomine gratiæ adiuvantis physicam prædeterminationem. Probo minorem. Libere assentire alicui gratiæ est libere coniugere consensum cum tali gratia; sed voluntas non coniungit libere consensum cum gratia prædeterminante; ergo non libere assentit gratiæ prædeterminanti. Probo minorem, voluntas ita coniungit consensum cum gratia prædeterminante, vt non possit seiungere, seu separare consensum à gratia prædeterminante: ergo non coniungit libere. Deinde suadetur Concilium nomine gratiæ adiuvantis non intellexisse prædeterminationem: nam gratia adiuvans dat vires naturæ imbecilli & infirmæ ad elicienda opera supernaturalia: prædeterminatio autem iuxta suos assertores non dat vires voluntati, sed est applicatio virium; ergo, &c. Quare Gratia adiuvans est ipsum gratiæ auxilium, quo voluntas constituitur potens elicere actum salutarem, collatum in ea occasione in qua actualiter influxurum est in actum illum, quod auxilium propterea secundum Augustinum lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 16. dicitur dare *vires efficacissimas voluntati*; quia confertur à Deo ex intentione efficaci futuri consensus, & cum infallibili scientia futuri consensus; & per illud Deus infallibiliter *facit vt faciamus, & in præceptis eius ambulemus*; vt constat ex dictis in hac disput. numer. 76.

§. VIII.

Tertium caput probandi gratiam non esse ab intrinseco efficacem, ex Scriptura.

134 NON esse necessariam ad recte operandum gratiam ab intrinseco efficacem, seu prædeterminantem, clarissimis sacræ paginæ testimonijs comprobatur. Primo ex illis verbis Dei Isa. 5. v. 4. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & nō feci ei*. Quæ verba sic exponit Franciscus Forerius ex Sacra Prædicatorum familia, qui ante exortam controversiam de auxilijs commentaria sua edidit in Isaiam, nempe an. 1563. (nam P. Molina concordiam suā edidit an. 1568.) *id est, quid supererat faciendum, quod non fecerim*? Et statim subiungit: *Hæc est Domini causa, hæc querimonia. Qui autem sic interrogat, certus est, quod nihil ei obijci possit*. At si gratia prædeterminans esset necessaria, vt vinea, id est voluntas Iudæorum, ferret fructum bonorum operum, possent Iudæi Deo increpanti obijcere. Frustra de nobis conquereris, quod vuas bonorum operum non tulimus, sed labruscas peccatorum; quia vltra culturam gratiæ sufficientis de se sterilis & infœcundæ, necessaria erat ad ferendum fructum bonorum operum cultura physicæ prædeterminationis, quam nobis pro libito tuo denegasti, & sine qua impossibile nobis fuit fructum ferre bonorum operum. Frustra expectat à vinea fructum, qui potens eam excolere, pro mero libito suo illam relinquit sine cultura ex parte cultoris necessaria, vt vinea fructum proferat. Sic autem te gessisti nobiscum, quibus denegasti gratiam prævenientem prærequisitam ad rectè operandum. Ergo frustra quereris, quia fructū non tulimus, & iniuste nos reprehendis: nemo enim iuste reprehendi potest, quod non fecerit aliquid impossibile: nobis autem carentibus cultura gratiæ prædeterminantis impossibile fuit ferre fructum bonorum operum.

134 Secundo probatur ex illis verbis Christi Apocalyp. 3. v. 19. *Æmulare & pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. In quibus verbis Deus præcipit Episcopo Laodiceæ, qui cum esset peccator, se iustum existimabat, vt pœnitentiam ageret, addit que ad id persuadendum efficacissimam rationem, quia videlicet Deus ipse stat ad ianuam cordis ipsius, & pulsat per gratiam prævenientem; solumque expectat ad intrandum per gratiam sanctificantem, quod ipse peccator aperiat ianuam consentiendo Deo

vocanti ad agendam pœnitentiam, ſeu quod ipſe peccator eliciat contritionem de peccatis ad quam eliciendam habebat gratiam ſufficientiſſimam, cui poſſet immediate adiungere conſenſum, quin ex parte Dei ſupperaderetur aliud auxilium præveniens. Si enim ad aperiendam ianuam cordis Deo vocanti, & pulſanti eſſet neceſſaria clavis phyſicæ prædeterminationis, quæ in ſolius Dei manu eſt, iniuſte Deus præciperet peccatori, cui denegat phyſicam prædeterminationem, vt ipſi aperiat per conſenſum. Sicut enim ſi ſervo intra domum clauſis ianuis exiſtente, dominus eius pulſet ad ianuam, & præcipiat ſervo vt aperiat, & habens apud ſe clavim ad aperiendum omnino neceſſariam, nolit ipſi clavim porrigere; iniuſte ſe gereret; ita &c. Et ſane ipſa ſeria pulſatio ianuæ, & exhortatio, vt is, qui intùs eſt aperiat, manifeſtum argumentum eſt, eum, qui pulſat, exiſtimare, ſervum intra domum exiſtentem habere omnia prærequiſita ad aperiendum. Ridiculuſque foret herus, qui habens in crumena clavim omnino neceſſariam ad aperiendum, & ſciens ſervum clavim illam non poſſe aſſequi; eum nihilominus rogaret, vt aperiat ianuam, & reprehenderet, ſi non aperiret. Ergo cum Deus ſtat ad oſtium cordis, & pulſat, manifeſte ſupponit, nihil deeſſe homini ad aperiendum, quod ſitum non ſit in eius poteſtate. Ergo clavis prædeterminationis non eſt neceſſaria ad aperiendum ianuam cordis Deo vocanti, & pulſanti. Nam Deus homini, cui denegat clavim prædeterminationis præcipit vt aperiat: nequit autem Dominus præcipere ſervo vt aperiat, quando ei denegat clavim neceſſariam ad aperiendum.

135 Quare homo, qui Deo vocanti non vult aperire, culpa ſua caret gratia efficaci; nam ſi vellet poſſet aperire cum ſolo illo auxilio præveniente quod à Deo accepit. Quod perſpicue docet Concilium Provinciale Colonienſe primum p. 7. c. p. 32. t. 3. Conciliorum pag. 81. his verbis: *Nemo hic excauſationem prætexat, quod non trahatur, cum Deus ſemper ſtet ad oſtium pulſans, nimirum per internum, & externum verbum commonens, vt conuertamur à via noſtra peſſima.* Ergo in poteſtate hominis eſt trahi cum eo auxilio cui defacto reſiſtit. Ergo vt trahatur cum eo auxilio non eſt neceſſarium novum auxilium præveniens à ſolius Dei nutu dependens, ſed ſufficit auxilium concomitans, quod Deus offert homini, dum ei confert auxilium ſufficiens, quia hoc ipſo paratus eſt concurrere cum homine ad actum ſalutarem, & iam non ſtat per Deum, ſed vnice per hominem, quod actus ſalutaris non fiat: ſtaret autem per Deum, ſi eſſet neceſſarium auxilium prædeterminans, quia iſtud Deus non offert, ſed citra vllum demeritum ſæpe negat, vt quando negavit Angelis auxilium prædeterminans ad evitandum primum peccatum, in quod prolapſi ſunt. Denique probatur ex illa increpatione comparativa Chriſti adverſus Iudæos Matt. 11. & Luc. 10. *Væ tibi Corozain, Væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, &c.*



DIS-

§. IX.

Quartum caput probandi gratiam non esse ab intrinseco efficacem, petitum ab authoritate Augustini, & aliorum antiquorum Patrum.

136 DVcat agmen P. Doctor, & Magister Augustini. Eum non posse gratiam efficacē in prædeterminatione, sed invocatione congruā ostendimus in hoc ipso tom. tr. 1. de prædest. disp. 3. sect. 7. n. 66. & 67. & sect. 8. per totam, sed ijs suppositis, alia adiungamus. Vide August. lib. de prædest. & grat. c. 14. & 15. Imprimis lib. 2. de peccatorum meritis cap. 19. gratiam efficacem ponit in illustratione intellectus, & delectatione, atque suavitate voluntatis, non autem in aliqua qualitate mortua physice prędeterminante voluntatem, atque adeò ex se essentialiter connexa cum nostra operatione. Assumpta probatur, sic enim inquit: *Nos autē quantū conceſſum est, ſapiamus, & intelligamus, ſi poſſumus, Dñm Deum bonum ideò etiā ſanctis ſuis alicuius operis iuſtitiam aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, vt cognoſcant, non à ſeipſis, ſed ab illo eſſe lucem, qua illuminantur tenebræ eorum, & ſuauitatem, qua det fructum ſuum terra eorum. Cùm autem ab illo illius auditorij deprecamur ad faciendā, perficiendūque iuſtitiam, quid aliud deprecamur, quam vt aperiat, quod latebat, & ſuaue faciat quod non delectabat?* Ergo iuxta Augustinum gratia efficax consistit in illustratione, qua aperit, quod latebat, suave facit, quod non delectabat, ita vt cum effectu voluntas amplectatur bonum. Hęc autem illustratio, & delectatio, quā *victricem* appellat Augustinus, quando sic *ſuadet, vt perſuadeat*, cū pertineat ad actum primum, nequit ex mente Augustini esse essentialiter connexa cum operatione libera; quia implicat operationem oriri libere ab actu primo essentialiter connexo cum ipsa, siquidem nulla datur potestas nec in Deo, nec in creaturis, nec consequens, nec antecedens, ad faciendum, vt non oriatur actio ab actu primo essentialiter connexo cum eius existentia.

137 Probatur secundo, quia Augustinus nullibi agnoscit medium inter vocationem Dei, & nostrum consensum; ac proinde docet, gratiam efficacem consistere in invocatione, cui libere adiungimus consensum, quia per illam Deus facit, vt faciamus. Assumptum patet primo ex quæst. 2. ad Simplicianum, vbi ait: *Vt velimus, ſuum eſſe voluit, & noſtrum ſequendo.* Et ex cap. 34. de spiritu, & littera: *Vocare hoc, vel illo modo, ſolius Dei eſt; venire autem ſemper eſt in voluntate, vel ſola, ſi non venit, vel adiuta, ſi venit.* Ex libro de gratia, & libero arbitrio, vbi loquens de conversione Pauli nullam aliam gratiam prævenientem agnoscit præter validissimam vocationem: *Quod converſus fuerit, neque gratia erat ſola, neque voluntas ſola: vt autem vocaretur, gratia fuit ſola.* Item libro propositionum super Epistolam ad Roman. cap. 61. vbi inquit: *Quia nec velle poſſumus, niſi vocemur, ideò veriſſimum eſt, miſerentis Dei eſſe, quod bene velimus, & operemur.* Et lib. 83. quæst. q. 68. vbi docet, id circo non posse quem gloriari de fide, & alijs bonis actibus, quibus operans discernitur à non operante: *Quia etſi quiſquam ſibi tribuat, quod vocatus venerit, non tamen quod vocatus ſit.* Et denique ex eodem lib. 83. quæst. q. 60. vbi loquens de his, qui vocati sunt ad cœnam, inquit: *Neque illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi, quia vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate.* Quod plane esset falsum, si illi, qui vocati noluerunt venire, indigerent alia gratia prævenienti ad veniendum constituta in solius Dei voluntate, nempe gratia prædeterminante: si enim illa foret necessaria non esset in eorum potestate venire; quia in eorum potestate non erat prędeterminari.

138 Tertio, quia constantissimum est, D. Augustinum gratiam efficacem ponere in vocatione congrua; vt constat ex illis verbis q. 2. ad Simpl. *Cuius Deus miſeretur, ſic eum vocat, ſicut ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Vnde Magister Albelda disput. 58. numer. 27. ait: *Quod gratia præveniens efficax ſecundum Auguſtinum eſt vocatio proveniens ex propoſito abſoluto & efficaci Dei, quo decernit, vt voluntas noſtra ei conſentiat.* Quamvis autem Albelda verum dicat, dum affirmat, gratiam efficacem secundum Augustinum consistere in vocatione congrua; falsum tamen dicendum asserit Deum velle efficaciter, vt voluntas consentiat illi vocationi: nam vel vocatio illa, vt collata hinc subiecto in hoc tempore, & loco, & sub ijs dispositionibus, habet essentialem connexionem cum consensu, vel non. Si primum, nequit Deus decreto distincto à decreto dandi vocationem velle efficaciter, vt Petrus consentiat illi vocationi: quia non est materia decreti liberi id quod est necessarium; & ideo Deus nequit habere decretum liberum, quo velit, vt posita prædeterminatione ponatur actus prædeterminatus, neque vt posita actio[illegible] natur terminus. Vel vocatio illa v[illegible] non habet connexionem cum co[illegible]

nequit efficaciter velle, vt voluntas conſentiat cum illa, niſi vt huius decreti inducat novam gratiam prævenientem per quam faciat, vt voluntas conſentiat vocationi: & hoc eſt contra Auguſtinum, qui non agnoſcit medium inter vocationem congruam & noſtrum conſenſum.

139 Gratia ergo efficax in ſententia Auguſtini eſt vocatio collata in circunſtantijs, in quibus Deus per ſcientiam mediam novit, voluntatem noſtram rectè operaturam cũ illo: & oritur illa vocatio iuxta Patr. Suarez, & communiorem ſentẽtiam noſtrorum ex intentione efficaci, quia, ſuppoſita ſcientia media, Deus intendit, vt homo honeſtè operetur & libere, & in hunc finem ei concedit vocationem congruam: & iuxta alios ex noſtris cũ P. Vazquez, & Leſsio oritur ex intentione ſeria, quia Deus ex complacentia in bono noſtro opere libero deſiderat, vt homo libere operetur honeſtè, & in hunc finem ei concedit vocationem, quam per ſcientiam mediam prænovit fore congruam. Conſulantur, quæ dixi tomo 1. diſp. XVII. ſect. XII vbi explicui quo pacto ſchola Societatis beneficio ſciẽtię mediæ concordet gratiam efficacem cum noſtra libertate, & vbi expoſui efficaciã gratiæ. Item quę dixi hoc tomo 2. tractat. 1. de prædeſtinat. diſp. 3. ſect. XIV. num. 265. & num. 220. & ſect. 16. vbi ſolvi argumenta, quibus Godoy contendit ſcientiam mediam non eſſe neceſſariam ad concordandam certitudinem prædeſtinationis, & gratiæ efficaciam cum noſtræ libertate.

140 Legatur Exim. Doct. Suarez, in evolvendis D. Auguſtini ſcriptis diligentiſsimus, qui in opere de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 37. pag. 263 columna 1. initio diſſerte affirmat, nunquam apud Auguſtinum reperiri hoc genus gratię actualis, quod phyſice prædeterminet voluntatem, & ſit medium inter vocationem, & cõſenſum. Nunc efficaciter prętер dicta ſuadetur ex lib. de Dogmatibus Eccleſiaſticis cap. XI. vbi inquit: *Initiũ ergo ſalutis Deo miſerante habemus; vt acquieſcamus autem ſalutari inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.* Denique mẽs Auguſt. conſtat ex dictis in hoc tom. tract. 1. de prædeſt. diſp. 3. ſect. 8. per totam, & ſect. 7. num. 67. Vbi late oſtendimus, D. Auguſt. nunquã explicuiſſe omnipotentiſsimam Dei poteſtatem ad flectenda hominum corda per poteſtatem prædeterminandi, ſed per poteſtatem congruè vocandi varijs, & miris modis. Doctrinam Societatis de indifferentia auxiliorum, habet etiam S. Aug. lib. 12. de Civ. cap. 6. 7. 8. & 9. vt expendit S. Franciſcus Saleſius lib. 2. de amore Dei c. 10. cuius verba infra dabimus, dum noſtram ſententiam eius authoritate comprobemus.

141 Auguſt. præivit Ambroſius in proœmio S. Lucæ, vbi exponens verbum illud, *Viſũ eſt mihi*, quo S. Lucas reddit rationem, cur Evangelium eſcribat, inquit: * Poteſt non ſoli viſum eſſe, quod ſoli viſum eſſe declarat: non enim voluntate tantum humana viſum eſt, ſed ſicut placuit ei, qui in me loquitur Chriſtus, quid, quod bonum eſt, nobis quoque videri poſſit bonum, operatur; quem enim miſeretur, & vocat. Et ideo qui Chriſtum ſequitur, poteſt interrogatus, cur voluerit eſſe Chriſtianus, reſpondere, viſum eſt mihi, quod cum dicit, non negat Deo viſum, à Deo enim præparatur voluntas hominis.* Vbi duo expẽdenda ſunt; primum eſt, gratiã efficacẽ, qua quis accepit à Deo, vt voluerit eſſe Chriſtianus, conſiſtere in eo, quod à Deo prępararetur voluntas; hæc autẽ prępараtio iuxta Ambroſiũ conſiſtit in vocatione, vt conſtat ex illis verbis: *Quẽ enim miſeretur & vocat.* Ergo iuxta Ambroſ. gratia efficax conſiſtit in vocatione, non autem in prædeterminatione. Secundum eſt, illam vocationem fieri efficacem ab homine, qui propterea fit Chriſtianus, *quia vult.*

142 Auguſt. ſecutus eſt Propſper fideliſsimus eius diſcipulus, qui lib. contra Collat. c. 14. Exponens illud Chriſti Ioan. 6. * Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, inquit: Si ergo nemo venit, niſi attractus, omnes quocumque modo veniant, attrahuntur. Trahit igitur ad Deũ contẽplatio clementorum, omniũ, quæ in eis ſunt, ordinatiſsima pulchritudo.* Inviſibilia enim eius à creatura mũdi per ea, quæ facta ſunt, intellecta cõſpiciuntur. Rom. 1. * Trahit rerũ geſtarũ cognitio, & divinorũ operũ relaturæ animum audientis inflammant, narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit; trahit timor principiũ enim ſapientiæ timor Dñi. Prov. 1. Trahit lætia: quoniam, lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domũ Dñi ibimus. Pſ. 77. Trahit deſiderium, quoniã concupiſcit, & deficit anima mea in atria Dñi Pſ. 121. Trahit delectatio lectionis: quam dulcia faucibus meis eloquia tua: ſuper mel, & favum ori meo. Pſ. 83. *Quis* proſpicere, aut enarrare poſsit, per quot affectus viſitatio Dei animum ducat humanũ, vt quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, eſuriat: ac ſubitò cõmutatione mirabili, quæ clauſa fuerant, ſint aperta; quæ onerоſa, ſint levia; quæ amara, ſint dulcia; quæ obſcura, ſint lucida? Hęc autẽ omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Hactenus Proſpe; qui cũ enumeret tot modos trahendi efficaciter ad Chriſtum, nullibi mentionem fecit auxilij ab intrinſeco efficacis, & prædeterminantis, ſed gratiã efficacẽ collocavit in actibus vitalibus cognitionis, & affectus, qui ex ſe non habẽt cõnexionẽ cum opere libero, ad quod inclinant.

Con-

143 Mitto aliorum Patrum testimonia, quę videri possunt apud P. Suarez tom. 2. de grat. lib. 5. de auxilio efficaci gratiæ Dei cap. 48. solum addo breve testimonium S. Clementis Romani Epist. 13. dicentis: *Nihil est, quod audientes fidem, ad credendum determinet præter eorum arbitrium.* Et S. Aselmi in lib. de concord. in 1. eius p. circa finem dicentis: *Sola voluntas determinat ibi (id est cum eligit) quid teneat.* Et infra: *Neque aliquid facit vis necessitatis, vbi operatur sola electio voluntatis.*

§. X.

Quintum caput probandi gratiam non esse prædeterminantem ab autoritate D. Th.

144 COnsentit D. Thom. qui eodem modo, ac Prosper explicat verba illa Christi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* Ioann. 6. 44. exponens enim hæc verba, inquit: *Hominem Deus multipliciter trahit, reuelatione interna veritatis, persuasione, operatione miraculorum, blanditijs, & admirabili delectatione, & amore veritatis.* Similia præmisserat lect. 5. ad illa verba: *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me,* sic exponens: *Modus trahendi est congruus, quia attrahit reuelando, & docendo, & hoc est, quod scriptū est in Prophetis: erunt omnes docibiles Dei.* Et inferius: *Omnis qui audiuit à Patre docente, & manifestante, & didicit præbendo assensum,* &c. Vbi vides, quam longe sit à mente D. Thomæ modus trahendi per prædeterminationem, quę est qualitas mortua, diversa ab omni actu intellectus & voluntatis, qui minime connexi sunt cum actibus nostris liberis ad quos impellunt. Satisque expresse docet Angelicus Doct. gratiam efficacem consistere in vocatione de se indifferenti, quæ efficax reddatur à consensu: sic enim loquitur lect. 6. super cap. 8. Epist. ad Rom. *Hæc vocatio, inquit, in prædestinatis est efficax, quia eiusmodi vocationi consentiunt.*

145 Preterea suadetur; nam D. Th. 1. p. q. 62. a. 3. ad 2. inquit: *Inclinatio gratiæ nō importat necessitatem, sed habens gratiam potest ea non vti & peccare.* Vbi de omni gratia non imponente necessitatem, tradit, subiacere vsui habentis illam. At gratia efficax, per quam Deus facit, vt operemur bonum, nō necessitat: ergo subiacet vsui habentis illam: ergo potest illa non vti: ergo non est ab intrinseco efficax, sed potest reddi inefficax per non vsum eius.

146 Et quidem, quod gratia efficax in sententia D. Th. non sit prędeterminans, suadetur, quia iuxta D. Th. ad libertatē requiritur, quod voluntas non determinetur ab alio, vt constat ex locis citatis in hoc tom. tr. 1. de prędest. dis. 3. sect. 7. n. 69. & sect. n. 105. & constat ex tom. 1. disp. 36. sec. 3. à n. 42. præsertim constat ex 2. sent. dist. 39. a. 1. vbi ad rationē libertatis differte requirit, vt potentia libera operetur ex sua propria determinatione, omnē ab alio determinationem excludente, his verbis: *Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinate.* Multi codices legūt, *non est ab alio determinate*: quod etsi eandem fere efficaciam habeat; tamen efficacius explicatur per illam particulam, *non est ab alio determinante.* Ita autem legendum probat accuratissimus indagator mentis S. Th. Petrus à S. Iosepho, & constat ex novissima editione operum D. Thomæ facta Parisij an. 1659. à Riv. admodum P. Ioanne Nicolai, Ordinis S. Dominici, Doctore Sorbonensi, recognita & notis illustrata, in qua sublato ly *determinatè*, vt mendoso, repositum est ly *determinate*, tanquā verus ac syncerus S. Doctoris textus. Idque ipsū comprobat Henricus de Cerph. cap. 4. n. 98. ex antiquissimus codicibus manuscriptis (cuiusmodi asservatur vnus Leodij in Monasterio S. Iacobi, scriptus, vt creditur, tempore D. Th.) in quibus habetur ly *determinate.* His adiungo celebrem alium textum ex 4. sentent. dist. 49. quæst. 1. artic. 3. in quo duas tractat quæstiones, & ad primam secundę quęstionis hæc habet: *Voluntas se habet ad opposita in eis, quæ ei subsunt, & hæc sunt illa, quæ per ipsam determinantur: non potest autem in oppositum eorum, quæ sunt ei ab alio determinata: ideo voluntas non potest in oppositum eius, quod ex diuina impressione determinatur: potest autem in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt illa, quæ ordinantur ad finem vltimum, quorum electio ad ipsam pertinet*

147 Præterea id suadetur ex 1. 2. q. 9. art. 6. ad tertium, vbi inquit: *Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud.* Quod clarius explicat in secundam distinctionem. 25. quæstione 1. articul. 1. ad tertium, dicens: *Deus operatur in omnibus: ita tamen, quod in vnoquoque secundum eius conditionem. Vnde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans natu[ram] ad [id]*

actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi ſibi miniſtret; & ipſo operante liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrij, vnde remanet ſibi dominium ſui actus, licet non ita, ſicut primo agenti. Quod vltimum addidit, quia liberum arbitrium habet illud dominium depẽdenter à prima cauſa, non quidem prædeterminante, quod paulò ante expreſſe negaverat, ſed creante, conſervante, dante virtutem, & cooperante per concurſum ſimultaneum; cauſa autem prima habet dominium ſui actus abſque vlla dependentia ab alio, vt enim inquit Sanctus Doctor in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. *Hoc eſt de ratione primi principij, quod poſsit agere ſine auxilio ſuperioris agentis, & influẽtia eius.* Ex quo obiter inferes, quam ſiniſtre prædeterminatores inferant, voluntatem noſtram futuram primum liberum, primumque principium, ſi poſſet aliquid agere, quin prædeterminaretur.

148 Conſtat id ipſum ex aliqua egregia doctrina S. Thom. lib. 1. perhier. lect. 14. ante medium, vbi aſſerit, ſufficientem contingentiæ rationem non eſſe, habere ſimpliciter potentiam ad eſſe, & non eſſe, ſive ad vtrũque oppoſitorum; quia hanc potentiam habet materia ſublunaris ad diverſas formas ſubſtantiales, & habẽt corpora cœleſtia ad diverſas vbitationes: *Et tamen* (inquit) *nihil in eis euenit contingenter, ſed ſolum ex neceſsitate, vnde dicendum eſt, quod poſsibilitas materiæ ad vtrumque, ſi cõmuniter loquamur, nõ eſt ſufficiens ratio contingentiæ, niſi etiam addatur, ex parte potentiæ actiuæ, quod omnino non ſit determinata ad vnum, alioqui ſi ita eſt determinata ad vnum, quod impediri non poteſt, conſequẽs eſt, quod ex neceſſitate reducat in actum potentiam paſsiuam eodem modo. At gratia prædeterminans, ita eſt determinata ad vnum, quod impediri nõ poteſt.* Quia talis gratia, neque poſita eſt ex libero voluntatis conſenſu, neque poſtquã poſita eſt, poteſt libere tolli: ergo gratia prædeterminans, ſecundum Div. Thomam tollit contingentiam, ac libertatem.

149 Tandem conſtat, D. Th. aſſerere gratiam illam, per quam Deus facit, vt creatura rationalis indifferenter ſe habẽs ad vtrumque, eligat potius bonum, quam malũ, non eſſe prædeterminantem, ſed intrinſece indifferentem: conſtat, inquam, ex quolib. 1, ar. 7. ad 2. vbi hæc habet: *Dicendũ, quod Deus omnia mouet ſecundũ modũ eorum, & ideò diuina motio à quibuſdã participatur cũ neceſsitate, à natura autẽ rationali cũ libertate propter hoc quod virtus rationalis ſe habet ad oppoſita, & ideò ſic Deus mouet mentẽ rationalẽ ad bonũ, quod tamẽ poteſt huic motioni reſiſtere; & ſic ex Deo eſt, quod homo ſe ad gratiam præparet: ſed quod gratia careat, non habet cauſam à Deo, ſed ab homine, ſecundũ illud Oſeæ 13. Perditio tua ex te Iſraal, tãtummodo ex me auxilium tuum.* Quærit in eo articulo D. Th. *an homo abſque gratia per ſolam naturalẽ arbitrij libertatem, poſsit ſe ad gratiam præparare.* Et contra Pelagianos probat: *Quod homo indiget auxilio gratiæ non ſolum ad merendum, ſed etiam ad hoc quod ſe ad gratiam præparet.* Docetque quod homo non ſe præparat ad gratiam ſanctificantem, quia non vult vti auxilio gratiæ prevenientis, quo Deus ipſum, ſtimulat & movet, vt ſe præparet ad gratiam ſanctificantem: vnde ſua culpa caret auxilio gratiæ efficacis ad ſe pręparandum. Sentit ergo, auxiliũ gratiæ efficax, quoad efficaciã ſubdi arbitrio; & conſequẽter non eſſe intrinſece efficax, ſed talis entitatis, cui ſecundũ ſe sũptæ poſsit homo reſiſtere.

150 Idque ipſum cõſtat clarius ex 1. ſent. diſt. 40. q. 4. a. 2. vbi inquirit: * Vtrùm Deus ſit cauſa obdurationis: & in argumento, ſed cõtra partem negantem probat ex eo, quod dicunt cõmuniter S. Dioniſius, Auguſtinus, & Anſelm. quod cauſa, quare iſte non habet gratiam, eſt, quia ipſe noluit accipere, & non quia Deus noluit dare, quia lumẽ ſuum omnibus effert: quod tamen ab omnibus nõ percipitur, ſicut nec lumen ſolis à cęco: ſed ob duratio eſt ipſa carentia gratiæ: ergo obdurationis cauſa non eſt ex parte Dei. Probat deinde ex eo, quod nullus culpatur, vel punitur de eo, cuius cauſa in ipſo non eſt: ſed homo punitur & culpatur pro obdurationc, vel pro carentia gratiæ: ergo huiuſmodi cauſa eſt ipſe. * In quibus verbis manifeſtum eſt, D. Th. loqui de gratia efficaci; loquitur enim de illa gratiâ, cuius defectu homo obduratur & cuius præſentia non obduraretur in malo. Ergo ſentit hominem ſua culpa carere gratia efficaci, quia cum Deus dat auxiliũ ſufficiens ad recte operandum, quantũ eſt ex ſe offert homini rectam operationem; vnde ſi non vult recte operari, caret gratia rectæ operationis, quia vult. Ergo ſentit efficaciã gratiæ prevenientis diſtingui ab entitate ipſius gratiæ; nam entitas gratiæ prævenientis moventis hominem ad primum exercitium honeſtum, quo ſe diſponat ad gratiam ſanctificantem, non eſt in poteſtate hominis, ſed à ſolius Dei voluntate dependet indepẽdenter ab omni libera diſpoſitione hominis, non enim datur, quia homo bene operatur, ſed vt bene operetur: at efficacia gratiæ prævenientis pẽdet ab arbitrio hominis, alioqui nõ impuraretur ipſi, quod careat gratia efficaci. Ergo efficacia gratiæ prevenientis in

ſen-

sententia Divi Thomæ distinguitur ab entitate ipsius gratię secundum se sumptæ: ergo in sententia D. Thomæ gratia præveniens, qua Deus facit, vt faciamus bonum, non est intrinsece efficax, seu prædeterminans.

151 Id magis constabit ex corpore illius articuli, vbi hæc habet. * *Respondeo dicendum*, quod obduratio dicitur quandoque actus voluntatis obstinatæ in malum, cui pertinaciter adhæret: & sic constat, quod obdurationis causa non sit Deus, sed homo: sicut neque alicuius actus peccati in quantum deformis est: quandoque vero obduratio dicitur ipsa privatio gratiæ, quæ etiam obcęcatio dicitur, quia gratia est quoddam lumen animæ, & perfectio quælibet habilitans ipsam ad bonũ. Istum autem carere gratia, ex duobus contingit: tum quia ipse non vult recipere; tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, vt secundum non sit, nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, nõ vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est: sed quod iste careat gratia, non est bonum simpliciter. Vnde hoc absolute consideratum, non est volitum à Deo: est tamen volitum, vt careat gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se præparat: quia iustum est, & hoc modo est volitum à Deo. Patet ergo quod huius defectus absolute causa prima est ex parte hominis, qui gratia caret: sed ex parte Dei non est causa huius defectus, nisi ex suppositione illius, quod est ex parte hominis. Ergo iuxta D. Thomam ideò Deus non infundit lumen gratiæ sanctificantis homini, quia ille non se disponit ad hoc lumẽ recipiendum; & ideo homo non se disponit, quia non vtitur auxilio prævenienti sibi collato à Deo ad hoc vt se disponeret: ergo est culpa hominis, quod non receperit gratiam efficacem ad se disponendum ad gratiam sanctificantẽ: ergo efficacia gratiæ prævenientis pẽdet à libera cooperatione hominis iuxta D. Tho.

152 Quod confirmatur; nam D. Thomas proponit in eo articulo tertium argumentum ad probandum, Deum sua voluntate esse causam nostrę obdurationis: *Quia secundum Philosophum si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis.* Ergo si Deus ipse conferendo gratiam est causa nostræ obedientiæ; Deus ipse subtrahendo gratiam, seu gratiam negando, erit causa nostræ inobedientiæ, seu obdurationis. Cui argumento respondet, non esse Deum causam adæquatam collationis gratiæ, ac proinde posse ex defectu se tenente ex parte nostra impediri gratiam: quoties enim causa affirmationis coalescit ex pluribus causis requisitis cuiuslibet illarum defectus sufficit ad impediẽdum ipsum. Ergo iuxta D. Thomam auxilium gratiæ prævenientis nõ est efficax præcise quatenus provenit à Deo, ideſt non habet coniungi cum consensu præcise quatenus provenit à Deo; sed insuper quatenus homo libere cooperaturus est cum illo auxilio, ac proinde gratia efficax secundum D. Thomam in recto & paincipaliter importat entitatem gratiæ prævenientis, quã Deus se solo producit in nobis sine nostra cooperatione libera, & de obliquo importat nostram cooperationem, vel vt existentem, vel saltem, vt prævisam per scientiam mediam.

153 Eandem doctrinam tradit Div. Thomas q. 3. de malo art. 1. ad 8. vbi hęc habet: *Deus quantum est in se omnibus se communicat pro captu eorũ, Vnde quod res aliqua à participatione bonitatis ipsius deficiat, est ex hoc quod in ipsa invenitur aliquod impedimentum participationis diuinæ. Sic ergo quod gratia alicui non opponatur, non est causa ex Deo, sed ex hoc, quod ipse, cui gratia apponitur impedimentum gratiæ præstat, in quantum auertit se à non auertente se lumine.* Vt Dionisius dicit 4. de div. nom. circa finem, idem docet 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. Ergo iuxta D. Thomam ideò quis caret gratia efficaci, quia avertit se à nõ avertente se lumine; id est, quia cum lumen diuinę illiustrationis, & inspirationis voluntatem hominis circunfulgeat; ille nequit apperire oculos per consensum liberum. Constatque ex doctrina Anselmi lib. de casu diaboli capit. 3. vbi inquit: *Non ideo diabolus non habuit bonam voluntatem perseverantem, aut non accepit, quia Deus non dedit; sed ideò Deus non dedit, quia ille volendo quod non debuit, eam deseruit, & eam deserendo non tenuit.* Eamque doctrinam Div. Thomas approbat, & affirmat causam defectus gratiæ esse ex nobis, quamvis collationis gratiæ prima causa sit ex Deo; quod est verisimum, & egregiè docetur ab Anselmo ibidem cap. 4. ijs verbis: *Quamvis igitur bonus Angelus, ideò acceperit perseuerantiam, quia Deus dedit; tamen non ideò accepit malus Angelus, quia Deus non dedit; sed Deus ideo non dedit, quia ille non accepit, & ideo non accepit, quia accipere noluit.* Ratio est, quia Deus dans Angelo gratiam prevenientem de se sufficientem, vt perseveret, quantum est ex se offert, & dat perseverantiam; & cum fieri non possit, vt homo actu perseveret, quin Deus ante decretum conferendi illam gratiam noverit, hominem perseveraturum, si illam doner; consequens est, vt decretum conferendi illam gratiam, sit decretum conferendi ipsam actualem

severantiam. At quando homo non perseverat supposita gratia sufficientissima ad perseverándum, sibi ipsi dumtaxat debet tribuere, quod non perseveret: Deus enim quantum est ex se tribuerat perseverantiam, tribuendo auxilium sufficientissimum ad actu perseverandum; vnde ideò præcisè non perseverat homo, quia perseverantię donum sibi oblatũ accipere noluit. Et hanc doctrinam habet etiam Scotus in 2. dist. 37. q. 2. §. *Ad solutionem*, vbi hæc habet: *si ad velle voluntatis creatæ, concurrũt duæ voluntates, scilicet voluntas creata, & diuina, potest esse defectus in ipso velle ex defectu alterius causæ, & hoc quia ista causa posset rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & tamen non dat: alia autem quamuis non teneatur eam dare, tamen quãtum est ex se daret, si voluntas creata cooperaretur. Vniuersaliter enim quidquid Deus dat antecedenter, daret illud consequenter quantum est ex se, nisi esset impedimentum.* Vnde Hugo Cabellus in margine huius textus inquit: *Nota contra prædeterminationem intrinsecam, & extrinsecam voluntatis ad suos actus. Voluntas diuina non causat semper bonum, quia creata id non vult: hæc ergo ad malum determinat.*

154 Audiamus iterum D. Thomam 3. contrag. cap. 159. Vbi cum sibi obiecisset, videri, non esse imputandum homini, si careat fide, & alijs necessarijs ad fidem, cum hęc sine gratia Dei habere non possit: * *Ad huius dubitationis solutionem considerandum est*, inquit, quod licet aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam, neque promereri, neque acquirere possit, potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat: dicitur enim de quibusdam Iob 21. *Dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Et Iob 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Et cum hoc sit in potestate liberi arbitrij, impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni: Deus enim quantum ex se, paratus est omnibus gratiam dare. Vult enim omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, vt dicitur 1. ad Thim. 2. sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur: licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur. * Hucusque D. Thomas.

155 Quę verba egregiè exponit Ferrara ijs verbis: * *Considerandum est*, inquit, quod cum duplex sit auxilium, quo ad beatitudinis consecutionem indigemus, scilicet habitualis gratia & divina motio, tãm intrinsece, quam extrinsece facta, qua ad bonum dirigimur, & ad gratiæ præparationem excitamur: primum auxilium Deus non omnibus dat, absolute loquendo, postquam peccaverunt, sed benè omnibus se ad ipsum præparantibus ex divina motione concedit: secundum autem auxilium omnibus impendit, & nulli quantum ad hoc absens est Deus; cum nullus sit, qui ab eo non moveatur ad bonum, & ad gratiæ præparationem, iuxta illud Apocalipsis 3. *Ego sto ad ostium & pulso, &c.* Sed quia divina providentia vnum quodque secundum naturæ suæ conditionem gubernat, & movet; homo autem est liberi arbitrij: *Potestque diuinam motionem sequi & non sequi.* Inde est, quod aliqui divinam hanc motionem sequentes, se ad gratiam præparant; aliqui vero ipsam non sequentes non se præparant ad gratiam, sed illi magis impedimentum præstant peccando. Dicitur ergo Deus paratus esse quantum in se est, omnibus gratiam habitualem dare, quia omnibus ad illam se præparantibus vult dare, nullique deest auxilium suum, ipsum quandoque movens, & instigans ad hoc, vt se ad gratiam præparet. Et ideò bene hic dicitur, quod merito homini imputatur, si gratiam & virtutes eam concomitanter non accipiat. Quod enim non accipiat aliquid ab eo, qui paratus est dare, & qui quandoque ad accipiendum instigat non est absque eius imputatione. * Hęc Ferrara. Ex quibus manifestum relinquitur, entitatem gratiæ efficacis, per quam Deus movet naturam rationalem, vt se ad gratiam habitualem præparet, quatenus præveniens est, talem esse, vt ea existente, sit in potestate voluntatis eam sequi, vel non sequi: Ergo ex mẽte Div. Thomæ motio gratię pręvenientis, qua Deus facit, vt homo liberè se prępareț ad gratiam habitualem, non est physice prædeterminans. Probatur consequentia, quia posita entitate gratiæ prædeterminantis non est in potestate voluntatis eam sequi, vel non sequi; cum sit chymæra, quod voluntas non sequatur motionem gratię prædeterminantis: nullaque proinde detur potestas ad faciendum, quod motio prædeterminationis non assequatur actum ad quem datur, quod perinde est ac non habere potentiam ad non sequendum motionem physice prædeterminationis. Siquidem non sequi illam motionem, ex terminis est illam frustrare, quod est chymæra: ergo posse non sequi illam est posse frustrare, ac proinde est posse facere chymæram.

156 Addit Ferrara, quod si auxiliũ illud, sine que non potest homo aliquod bonum agere, & sine quo non potest se ad gratiã præ-

pa-

parare, alicui deesset absque sua culpa, non imputaretur ei defectus gratiæ; sicut homini cœco à nativitate non imputatur, quod solẽ non videat. Ex quo evidenter infertur, gratiam necessariam Angelo ad observandum præceptũ non fuisse prædeterminantem, siquidem illa gratia caruit citra suam culpam; naturæ autem rationali carẽti absque sua culpa aliquo essentialiter prærequisito ad acquirẽdam gratiã habitualem, vel permanentiam illius, nequit imputari privatio gratiæ habitualis, seu gratię habitualis defectus: ergo gratia prędeterminãs non fuit necessaria Angelo ad observandum præceptum. Quod confirmatur, quia si gratia illa fuit necessaria ad obsẽrvãdum prędeptum, & standum & perseverandum in iustitia habituali, quam Angelus accepit in primo instanti suæ creationis; & illa gratia negata fuit Angelo, sine aliqua eius culpa; ergo non ideo non perseveravit, quia noluit accipere perseverantiam, sed quia Deus perseverantiã dare noluit: quod est contra Anselmum, & D. Thom. cum Dionisio, & Augustino. Quare in sententia D. Thom. sicut homini habenti oculos nihil deest ad videndam lucẽ solis, nisi voluntas apperiendi oculos; ita Angelo, qui nõ perseveravit, nihil defuit ad perseverandum, nisi voluntas perseverandi, quam potuit immediate coniungere cum motione gratiæ prędevenientis, qua Deus illum ad perseverandum stimulabat. Et sicut homini voluntariè clandenti oculos ne videat, solẽ, ideo imputatur, quod sit in tenebris; quia nihil illi defuit ad videndũ, nisi operatio oculorum constituta in eius potestate: ita Angelo peccanti propterea imputatur non perseverantia in gratia habituali, quia nihil defuit illi ad actualiter perseverandum præter actum liberum perseverandi constitutum in eius proxima potestate vi motionis gratiæ inclinantis & vocantis ad perseverantiam: quia enim potuit sequi motionem gratiæ prævenientis, & noluit sequi, propterea ipsi vnice imputatur, quod nõ perseveraverit, & de ipso verificatur, quod non perseveraverit, quia noluit accipere perseverãtiam, quam Deus ex parte sua illi donaverat, quando ei dedit motionem gratię prędevenientis prærequisitam, & sufficientissimam ad perseverandum.

157 Estque tanta evidentia testimonij adducti à D. Thom. vt M. Alvarez, prędeterminatorũ princeps, lib. 3. respons. c, 5. n, 8. expresse affirmat: *Quod quamvis auxilium efficax non sit in potestate nostræ voluntatis, neque dependeat ab illa, vt à causa efficienti, est tamen in potestate nostræ voluntatis se impedire, ne sibi conferatur à Deo tale auxilium.* Vt 3. contrag. cap. 159. & 160. docet S. Thom. Quæ doctrina non componitur cum eo, quod auxilium efficax consistat in physica prædeterminatione: nam si hęc sit prærequisita ad operandum, homo non habens actu, neque sub sua potestate prædeterminationem illã, non habet in sua libera potestate operationem: vt enim inquit Eximius Doct. lib. 5. de grat. c. 23. n. 8. *Impossibile est me habere in mea potestate effectũ, nisi habeã actu vel in mea potestate quidquid est necessarium, vt effectus fiat.* Quod principium appellat per se notum, vt vidimus in hoc tomo tr. 1. de Præd. disp. 3. sect. 1. n. 13. & 14 eoque convictus est F. Ioannes Vincentius Ordinis Prædicatorum, vt assereret, auxilium prædeterminans, non esse necessariũ, vt ibi vidimus. Illudque principiũ, tanquã firmissimã basim scholæ Societatis accepimus à D. Augustino lib. de Præd. Sanct. cap. 2. prope mediũ, vbi ex illis verbis Apostoli: *Non sumus sufficientes cogitare a nobis quasi ex nobis*, probat, nos non habere ex nobis sufficientiã ad credendum, quia prius est cogitare, quam credere; & non sumus sufficientes ex nobis cogitare. Ex quo infertur hominẽ carentẽ prędeterminatione ad actum non habere sufficientiam ad actũ, quia necessario prius est iuxta adversarios prædeterminari ad agendũ, quã agere: ergo si non sumus sufficientes prædeterminari, sed tota nostra sufficientia vt prædeterminemur, à Deo est; profecto non sumus sufficientes agere. nam August. ex eo quod prius necessario sit cogitare, quã credere, arguit ex terminis, voluntatẽ creatam, quæ non est ex se sufficiens cogitare, nõ esse ex se sufficientẽ credere; ergo pariter ex eo, quod ex terminis prius sit prædeterminari ad actũ, quã elicere actum, recte arguitur, voluntatẽ nostrã, quæ non habet prędeterminationem, nec habet sufficientiã ad eliciendum actum, non habere sufficientiam ad eliciendum actum. Vide hoc principium à nobis expensum tom. 1. disp. 13. sect. 2. n. 29.

158 Vnde infero omnino in sufficientem esse solutionẽ M. Alvarez lib. 3. resp. c. 5. n. 19. pag. 680. vbi fatetur, vt auxilium dicatur vere sufficiens cõparatione conversionis in Deum, necessario requiri, quod possit coniungi in lib. arbitr. cum tali auxilio cõversio, seu ipsa operatio, ad quam datur; cæterum ait, non repugnare, quod cũ auxilio sufficiente ad conversionem coniungatur in arbitrio actualis cõversio, & docet hoc sufficere ad libertatẽ: *Quod autẽ de facto conuersio non coniungatur cũ auxilio sufficienti pro illo instãti, aut tẽpore, quo liberũ arbitriũ efficaciter præmouetur, ad actum peccati, in quantũ actus est, non prouenit ex defectu auxilij sufficientis, sed ex nequitia hominis, qui actũ peccati elicere voluit, cum quo est incõpossibilis conuersio actualis in Deũ.* Infertur, inquã hãc solutionẽ

eſſe ſufficientẽ, & plane repugnãtia continere. Nã imprimis, quod non repugnet auxiliũ ſufficiens coniungi cum converſione, probat quidem Deum prędeterminantem voluntatẽ creatam ad actum peccati incompoſsibilem cum converſione, poſſe in ſenſu diviſo facere, vt auxilium ſufficiens coniungatur cum converſione, quia poteſt poteſtate antecedenti impedire prædeterminationem ad actum peccati prędeterminando ad converſionem: non autem probat, quod voluntas, dum à Deo prædeterminatur ad actum peccati, poſsit potentia antecedenti libera coniungere converſionem cũ illo auxilio ſufficienti: nam prædeterminatio converſionis eſt eſſentialiter prærequiſita ad converſionem: voluntas autem dum à Deo prædeterminatur ad actum peccati: *Non habet actu, neque in ſua poteſtate prædeterminationem ad converſionem.* Ergo non habet in ſua poteſtate converſionem; vt enim num. antecedenti, tanquam quid per ſe notum dicebat P. Suarez: *Impoſsibile eſt me habere in mea poteſtate effectum, ſi non habeam actu, vel in mea poteſtate quidquid eſt neceſſarium, vt effectus fiat.* Vnde quod in illo eventu, in quo Deus prædeterminat voluntatem ad actum peccati incompoſsibilem cum converſione, auxilium ſufficiens non coniungatur cum cõverſione, non provenit ex nequitia hominis volentis elicere actum peccati, ſed ex determinatione Dei, qui potens prædeterminare voluntatem ad converſionem, voluit potius prædeterminare ad actum peccati incompoſsibilem cum converſione. Vnde impoſsibile eſt, quod ſalvetur libertas, vi cuius *homo relinquitur in manu conſilij ſui*, ſi nihil voluntas noſtra operari poteſt, quin prædeterminetur à Deo. Vt enim ſapienter inquit Bellar. lib. 4. de grat. & lib. arb. cap. 14. *Quomodo relinquitur in manu conſilij ſui, qui in omnibus actionibus determinatur ab alio, cui reſiſtere nullo modo poteſt?*

§. XI.

Sextum caput probandi, gratiam non eſſe prædeterminantem, ab authoritate Sancti Franciſci Saleſij.

159 R. P. Emmanuel Maynam è Sacra Minimorum Familia, & in Vniverſitate Toloſana inſignis Theologiæ profeſſor, & celebris Scriptor in ſecundo tomo Sacræ Philoſophię edito Lugduni an. 1672. cap. 42. propoſit. 29. læte defendit Societatis doctrinam, & nervoſe probat, gratiam efficacem, qua Deus facit vt faciamus, non eſſe prædeterminantem, & ex ſe connexam cum noſtra operatione: ſuamque mentem aperit pag. 840. num. 14. nam loquens de gratia efficaci in ſexta propoſitionum, quas probandas aſſumit ad mentem S. Franciſci Saleſij, inquit: *Gratia eſt repudiabilis: fierique poteſt, vt cum minori aliquis operetur; non operetur autem cum maiori, vel etiam operetur minus, quam gratia ferat efficacia.* Et in huius doctrinę confirmationem adducit præclara Sancti Franciſci Saleſij teſtimonia à num. 23. vſque ad 69. excribitque textum Sancti Doctoris in lingua Gallica, in qua ſcripſit, & illum fideliter in Latinam transfert, in vna columna textum Gallicum, in aliam translationem Latinam appendens; & poſtquam hæc teſtimonia expendit, ſic tandem concludit num. 69. alludens ad titulum, quem in fronte illius propoſitionis præfixerat: *Mea doctrina non eſt mea* Ioann. 7. ✻ *Et hæc* (inquit) ſufficiant, vt agnoſci poſsit id, quod in fronte huius propoſitionis propoſui; meam, hactenus nimirum à me expoſitam de efficacia gratiæ, vel de gratiæ operantis hinc efficacis, hinc ſufficientis diſtinctione doctrinam, non eſſe meam, quin eius Authorẽ habeam, quem nemo negaverit poſſe me tuto ſequi, & ſequendum alijs proponere; quem tota commendat Eccleſia velut eximiæ Sanctum, & Sanctiſsime doctum in his præſertim, quæ ad gratiam ſpectãt, qua Deus animam ad ſui amorem; id eſt conſequenter ad iuſtificationem, & ad ſalutẽ movet, ac promovet. Vnde dico: *Mea doctrina non eſt mea.* Sed ſicut eſt S. Franciſci Saleſij; ita & puto eſſe Sancti Auguſtini, ac S. Thomę, ac demum Eccleſiæ; cuius tamen iudicio ſubditam eam volo, & quidquid aliud cenſuerim. ✻ Hactenus Maynam.

160 Initio autem illius propoſitionis numer. 1. pag. 837. in commendationem doctrinæ de indifferentia auxiliorum, quam cũ Schola Societatis in prędecentibus ſtabilierat, ſic ſcribit Maynam: ✻ Ne quis putet, me quid novi in his rebus proſequendis hactenus fuiſſe machinatum, intereſt plurimum, & mea partim, & partim etiam, ſed præcipue, veritatis ac bonitatis cauſæ, quam expoſui; vt edicã, quis mihi ſit exponẽdi Author. Quia ſicut olym conſilium à nebulone propoſitum Lacedæmonij primo reiecerunt; etſi vtile: & idem tamen mox receperunt, cum fuit à cordato, & non probitatis viro datum. Ita nunc ſpero fore, vt ſi forte mihi, vtpote homini nihili, creditum non ſit, quamquam rationes de te, vt puto, benè firmas, teſtimoniaque legitima proferenti: credatur illi ſaltem viro, cui & adeſt ſanctitas inſignis, & ſapientia eximia ſuffragatur: ſapiẽtia, inquam, in rebus Theologicis, tũ in omnibus vniverſim, tum iſtis vel maximè, quę ad myſteria divinæ prædeſtinationis, & gratiæ,

vi-

vtpote opera divini amoris; pertinent, accurate distinguendis, maturè diiudicandis, clarè explicandis, ac demum solide probandis. Nec est opus, vt id ego de eius doctrinæ, seu claritate, seu soliditate, atque cohærentia ad regulas fidei, probem; quod omnes & norunt, & prædicant vltrò: *Cum sint eius scripta sole clariora.* Vt de Iustino Martyre, ait Hieronymus: qui & posset nunc ad rem nostram dicere: *Salesij* (perinde atque olym Hilarij) *libros in offenso decurrat pede.* Posset, inquam, id Hieronymus dicere, quod certius fateri nos cogit luculentissimum Summi sapientissimi Pontificis Clementis Octavi oraculum à Summo æquè Pontifice Alexandro VII. relatum in Bulla Canonizationis ipsius S. Francisci Salesijs sic dicente: *Cognitaque eius doctrina, per examen de more interrogata, eundem ad pedes deoluti amplexus, his verbis dimisit.* Vade fili, & bibe aquam de cisterna tua & fluenta putei tui; deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Ex Prov. 5. Additque mox post Clementem ipse Alexander ibidem: *Ex huius charitatis officina volumina prodierunt, quorum documentis irrigata populorum, ac nobilium virorum pectora affluentem Evangelicæ vitæ messem peperere.* * Hinc itaque duplex nobis est amplissimum Ecclesiæ oraculum in commendationem doctrinæ S. Francisci Salesij.

IN GRATIAM AVTEM LECTORIS, ET VT magis omnibus pateat mens Sancti Francisci Salesij, hæc eadem verba in Hispanum translata à D. D. Francisco Cubillas Presbytero, & Regij Senatus Causidico, hic appendemus.

361 HIS præmissis in medium afferamus verba S. Francisci Salesij, prout ex Gallico in Latinum translata sunt à Maynam, quæ etiam appendemus in Hispano idiomate, in quod ea traduxit D. Franciscus Cubillas. Et imprimis, quod S. Franciscus Salesius, non admiserit decreta efficacia omninò antecedentia, & prædeterminativa nostrę voluntatis, vt adstruunt Patres Dominicani post Mag. Bañez, constat ex lib. 8. Amoris divini cap. 3. vbi hæc habet secundum traductionem à Maynam exhibitam pag. „ 845. num. 32. *Quia voluntas* (inquit) Dei „ significata per modum desiderij procedit, ac „ non per modum absoluti velle; possumus nos „ eam sequi per obedientiam; aut eidem resi„ stere per inobedientiam. Tres enim quoad „ hoc (uæ actus voluntatis Deus habet, vult „ vt possimus resistere: desiderat, vt non resi„ stamus: & finit tamen, vt resistamus, si vo„ lumus. Quod resistere possimus, ex nostra pę„ det naturali conditione, ac libertate. Quod „ resistamus; ex nostra oritur malitia. Quod „ non resistamus; iuxta desiderium est bonita„ tis divinæ. Quando itaque resistimus Deus „ ad inobedientiam nostram nihil contribuit. „ Sed voluntatem nostram relinquens in ma„ nu liberi eius arbitrij, permittit, seu finit eã „ vt malum eligat. Verum quando obedimus, „ Deus contribuit suum auxilium, suam inspi„ rationem, & suam gratiam. Permissio enim „ actio quædã est voluntatis in fœcunda quoad „ se ac sterilis, & (vt ita dicatur) actio passi„ va, quæ nihil facit; sed finit fieri. Desideriũ

PERO porque esta voluntad de Dios significada procede por modo de deseo, y no de querer absoluto: podemos seguirla con obediencia, ò resistirla con desobediencia: porque Dios haze tres actos de su voluntad en orden à esto; quiere que podamos resistir; desea que no resistamos; y permite con todo esso, que resistamos si queremos. Que podamos resistir pende de nuestra natural condicion, y libertad; que resistamos de nuestra malicia; que no resistamos: (esto es del deseo de la Diuina Bondad) quãdo pues resistimos, nada contribuye Dios à nuestra desobediencia; antes dexando nuestra voluntad en manos de su libre aluedrio, permite que elija el mal; pero quando obedemos, contribuye Dios su socorro, su inspiracion, y su gracia; porque la permissiõ, es vna accion de la voluntad de suyo esteril, è infecunda, y à manera de dezir, es vna acciõ passiua, que nada haze, sino que dexa hazer: al contrario el deseo, es vna accion activa, fecunda, y fertil, que excita, combida, y aprieta.

Y por esso deseando Dios que sigamos su voluntad significada, nos solicita, exorta, incita, inspira, ayuda, y socorre: Mas permitiendo que resistamos; no haze otra cosa, que simplemente dexarnos hazer lo que queremos, segun nuestra libre eleccion, contra su deseo, è intencion: y con todo esso este deseo de Dios, es verdadero deseo: porque como se puede mostrar mas claro el cordial deseo que vno tiene de

amigo coma bien, que preuiniendole vn cõbite explendido, como hizo aquel Rey de la Parabola del Evangelio, y deſpues llamarle, inſtarle, y cõſi forçarle con ruegos, exortaciones, y porfias, a que ſe venga a ſentar à la meſa, y coma? Ciertamente aquel que à viua fuerça abrieſſe la boca à ſu amigo, y le metieſſe los bocados haſta dentro de la garganta, y ſe los hizieſſe tragar, no le trataria corteſmente, ſino como à beſtia, ò ave que quieren cebar. Eſta eſpecie de beneficio quiere ſer ofrecida por llamamientos, propoſiciones, y ſolicitudes; ſin fuerça, ni violencia; y eſta es la razon porque ſe haze à manera de deſeo, y no de querer abſoluto. Lo miſmo es en la voluntad de Dios ſignificada; porque por ella deſea Dios cõ vn verdadero deſeo, que hagamos todo lo que nos declara, y para eſto nos provee de todo lo neceſſario, exortandonos, y inſtandonos à que lo logremos. Nada ay mas que deſear, que eſte genero de fauor; y como los rayos del Sol no dexan de ſer verdaderos rayos, aunque ſean rebatidos, y deſechados por alguna coſa que ſe les oponga; aſsi la voluntad ſignificada de Dios, no dexa de ſer verdadera voluntad, aunque la reſiſtan; bien que no obre tantos efectos, como ſiendo obedecida.

è contrà eſt actio activa, fœcũnda, ferax, quæ excitat, provocat, & vrget.

162 Quapropter Deus deſiderans, vt ſignificatam eius voluntatem ſequamur: provocat, hortatur, incitat, inſpirat, adiuvat, ſuccurrit. Sed permittens vt reſiſtamus, nihil facit aliud quam quod ſimpliciter ſinit vt faciamus id, quod iuxta noſtram liberam electionẽ volumus contra eius deſiderium, & intionem. Et hoc tamen deſiderium, verum deſiderium eſt. Nam deſiderium, quod quis habet, vt amicus epuletur laute; quo pacto poteſt candide magis ac ſyncere demonſtrare; quam ſi vti ex Evangelicę Parabolæ inſtruat oppi pare convivium, ſi vocet; ſi vrgeat; ſi ferè cogat precibus, cohartationibus, impulſionibus ad veniendũ, & menſæ aſsidendum, & comedendum? Is certè qui amico vi facta os adaperiret, ciboſque in intimũ gutur deijceret glutiendos, non ei epulum officioſus daret; ſed vt feræ, ſeu pullo altili paſtionem ingereret. Beneficij porrò genus iſtud invitationibus, monitionibus, incitationibus offerendum eſt, non violenter, ac foriter obtrudendum: proptereaque exhibetur per modum deſiderij, non permodum velle abſoluti, ſic vero ſe plane habet res de Dei volũtate ſignificata: per eam namque Deus optat vero deſiderio, vt nos quod edicit faciamus, ac ideo nobis quæcumque ſunt neceſſaria ſubminiſtrat, vehementius exhortans, vt ea in opus exhibeamus. In hoc officij genere nihil vltra eſt, quod deſideretur. Et ſicut radij ſolares non deſinut, quin perinde radij ſint ſolares, obiecto licet obice repulſi: pari modo ſignificata Dei voluntas minime deſinit, quin eadem vera ſit Dei voluntas, etſi paſſa reſiſtentiam, etſi non tantum efficiens, quantum ſi ei obſecundaretur.

163 In quibus verbis clarè opponitur Sanctus Doctor doctrinæ prędeterminatorum. nam iſti circa noſtra bona opera non ſolum admittunt voluntatem Dei antecedentem per modum deſiderij, ſed per modum abſoluti velle. At Sanctus Franciſcus Saleſius ſolum admittit voluntatem per modum deſiderij, quæ frußrabilis ſit, & quã poſsimus ſequi per obedientiam, vel cui poſsimus reſiſtere per inobedientiã. Vlterius: agnoſcit S. Franciſcus Saleſius tres voluntatis divinæ actus, etiã quãdo obſervamus præcepta & cõſilia. Primus, quo vult vt poſsimus reſiſtere: ſecũdus, quo deſiderat, vt nõ reſiſtamus, ſed vt bene operamus: tertius, quo ſinit vt reſiſtamus, ſi volumus. At prædeterminatores non ſolum agnoſcunt primum actum, quo Deus efficaciter vult, vt poſsimus reſiſtere; ſecundum deſiderij, vt non reſiſtamus, ſed tertium, quo abſolute vult, vt non reſiſtamus, & ad id nos determinat; & tunc non habet tertiũ, quo ſinit vt reſiſtamus, ſi volumus. Qui enim antecedenter prędeterminat nos ad non reſiſtendum, & decreto omnino abſoluto vult, vt non reſiſtamus, non habet actum, quo ſinit, vt reſiſtamus, ſi volumus. Deinde S. Franciſcus agnoſcit hos tres actus, quando tranſgredimur præceptum; in quantum Deus efficaciter vult, vt poſsimus reſiſtere, & vere deſiderat, vt non reſiſtamus; (& propterea agimus contra Dei voluntatem cum peccamus) & inſuper ſinit, vt reſiſtamus. At in ſententia adverſariorum, iuxta quam Deus prędeterminat ad actũ reſiſtendi, non verificari; quod vere deſideret, vt non reſiſtamus: non enim cohęrent: *Quod Deus verè, & ex animo deſideret, vt non reſiſtamus; & tamen quod efficaciter velit, vt actum reſiſtentiæ ponamus, & ad id nos prædeterminet à ſe & ex ſe.*

164 Prętera doctrina prædeterminatorum aſſerentium cum Mag. Alvarez Deum nunquam permittere peccatum, quin phyſice prædeterminet ad totam entitatem actus peccati, ex diametro pugnat cum doctrina S. Frãciſci aſſerentis: *Quod permiſsio actio quædã eſt divinæ voluntatis infœcunda quoad ſe ac ſterilis; & actio paſsiva, quæ nihil facit, ſed ſinit fieri.* Quomodo enim nihil facit volitio divina, quæ præcupans arbitriũ creatum,

tum, illud prædeterminat ad eliciendum potius actum peccati, quam actum honestum? aut quomodo dumtaxat sinit vt arbitrium creatum eligat actum peccati, si illud prædeterminat ad eligendum: *Præterea quando resistimus, Deus ad inobedientiam nostram nihil contribuit.* Secundum S. Franciscum Salesium; at iuxta prædeterminatores, quando resistimus, Deus ad inobedientiam nostram contribuit prædeterminationem, qua nos determinat ad ponendum actum inobedientiæ. Ergo illæ doctrinæ sunt ex diametro oppositæ.

165 Sed clarissimè sanctissimus iste Doctor sententiam Societatis tradit lib. 2. de Amore Dei cap. X. vbi argumentum illud instituit peritum à iudicio cõparativo, quo semper Doctores Societatis vti sunt ad probandũ, nou esse necessarium auxilium prædeterminãs ad rectè operandum, quia fieri potest, vt cum auxilijs entitativè æqualibus vnus operetur, & alius non operetur. Vnde ex probatio comparativa, qua Christus duritiem Iudæorum exẽplo Gentilium perstrinxit Mat. 11. & Luc. 10. est invictum argumentum pro sententia Societatis, quod nos expendimus tom. 1. disp. XV. Et hac eadem exprobatione vtitur S. Franciscus Salesius ad explicandam naturam gratię efficacis, & ostendendum, gratiam, qua reipsa operamur, non esse ex se connexam cum nostra operatione; sed ex nostra libertate provenire, quod aliquando maiori auxilio resistamus, aliquando cum minori operemur: & quod ex duobus cum eodem auxilio, vnus convertatur, alius non convertatur.

---

166 Sed Sanctum Doctorem audiamus apud Maynam loco citato pag. 852. à n. *Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te; pœnitentiam egissent cinere, & cilicio.* Mayn. 12. n. 2. Hæc Salvator. Audi igitur, obsecro te, mi Theotime, viros Corozaim, atque Bethsaidæ veram è doctos Religionem, cum tantæ gratias efficaciæ recepissent, vt ethnicos ipsos actualiter convertissent; manifeste tamen indutaros, & nullos ex ijs gratijs emolumentum sumere voluisse; imo rebelles tantæ luci clausisse oculos.

Certe vero in die iudicij Niniviræ, & Regina Sabba surgent adversum Iudæos, & convincent reos esse damnationis: quia cum essent Niniviræ quidem idolatra gens, & barbara; conversi sunt ad vocẽ Ionæ: Regina vero Sabba negotijs implicata Regni; auditá nihilominus famâ sapientiæ Salomonis, omnibus relictis, venit auditura eum. Et Iudęi tamen divinam suis auribus audientes veri sapientiam Salomonis, Salvatoris mundi; suisque oculis miracula cernentes, ac tangentes manibus virtutes atque beneficia; indurarunt se nihilominus, & restiterunt gratiæ, quę offerebatur. Agnosce iterum, ô Theotime, trahi eos ad pœnitentiã, qui minus allecti; & è contra obstinare se, qui magis: properare ad scholam sapientiæ, queis veniendi minora subsunt motiva, & è contra permanere in sua stultitia, qui maioribus vrgentur.

167 Has itaque lege fiet iudicium ex comparatione, cui fundamẽtum (vt ab omnibus est obsevatum Doctoribus) non aliud sub esse potest, quam quod vni gratijs amplioribus adiuti, consensum tamen ipsi misericordiæ negaverint: alij vero, aut paribus, aut minoribus etiam præventi, secuti sint inspiratio-

nem;

166 Quæ verbaba sic Hispanica reddit D. Franciscus Cubillas. *Ay de ti Corozain: ay de ti Bethsaida, que si en Tiro, y en Sidon se huvieran hecho los milagros que en vosotros, ya en silencio, y en ceniza huvieran hecho penitencia. Dize el Saluador: Repara Theotimo, en que los habitadores de Corozain, y Bethsaida, instruidos en la verdadera Religion, auian recibido tantos fauores, que con efecto ellos huvieran convertido a los mismos Gentiles; con todo esso se quedaron obstinados, y no quisieron boluer sobre si, desechando esta santa luz, con rebeldia de incomparable malicia.*

Ciertamente que en el dia del juizio los Niniuitas, y la Reyna de Sabà, se leuantaràn con los Iudios, y los convencerán, de que merecen su condenacion; porque los Niniuitas siendo infieles, y barbaros, à la voz de Ionas se convirtieron, y hizieron penitencia: La Reyna Sabà, aunque embarazada con los negocios de vn Reyno, luego que supo de la sabiduria de Salomon, lo dexò todo por venir à oirle; pero los Iudios oyendo con sus oydos la sabiduria celestial del verdadero Salomon, Saluador del mundo, viendo con sus ojos los milagros que hazia, tocando con sus manos sus virtudes, y beneficios, no dexaron de endurecerse, y resistir à la gracia que les ofrecia. Mira luego Theotimo, como los que tuvieron menos motivos, hizieron penitencia; y los que fueron con mayores impulsos combidados, se obstinarõ: los que tenian menos causas para venir, vinieron à la escuela de la sabiduria; y los que tenian mas, se quedaron en su locura.

167 *Assi serà el juizio de comparacion, como todos los Doctores enseñan, el qual no puede tener otro fundamento, sino el que aviendo sido vnos fauorecidos, y cõ-*

bi-

bidados tanto mas que otros; reuſaron dar conſentimiento à la miſericordia: y los otros aſsiſtidos de iguales, ò menores llamamientos, ſiguieron la inſpiracion, y ſe ajuſtaron con la ſantiſsima penitencia; porque como pudiera juſtamente dar en cara de otra manera à los impenitentes con ſu obſtinacion, comparandolos à aquellos que ſe conuirtieron?

168 *Ciertamente nueſtro Señor mueſtra con harta claridad, y todos los Chriſtianos lo entendemos aſsi ſencillamente, que en aquel recto juizio ha de condenar à los Iudios, por la comparacion de los Niniuitas; porque ellos recibieron muchos fauores, y no retornaron fauor alguno, fueron mui aſsiſtidos, y no arrepentidos: y eſtos con menos fauores, tuvieron mucho amor, y con menos aſsiſtencia, hizieron mucha penitencia.*

169 *El grande Aguſtino da vna grande luz à eſte diſcurſo, con el que haze en el lib. 12. de la Ciudad de Dios en los capitulos 6. 7. 8. y 9. porque aunque habla particularmente de los Angeles, ſiempre en quanto à eſte punto haze iguales à los hombres con ellos.*

Deſpues de auer propueſto en el cap. 6. dos hombres enteramente iguales en bondad, y en todo lo demàs, combatidos de vna meſma tentacion, preſupone, que el vno pudo reſiſtir, y el otro ſe rindiò al enemigo. En el cap. 9. auiendo probado, que todos los Angeles fueron criados en caridad: admitiendo tambien, como coſa probable, que eſta caridad, y gracia fue igual en todos. Pregunta luego, què fue la cauſa de que los vnos perſeueraſſen, y aprouechaſſen con la gracia, haſta conſeguir la gloria; y los otros perdieſſen el bien, y ſiguieſſen el mal, haſta ſer condenados? Y reſponde, que no ſabe dezir otra coſa, ſino que los vnos perſeueraron por la gracia de ſu Criador en aquella pureza de amor que recibieron, quando fueron criados; y los otros de buenos que eran, paſſaron à ſer malos, ſolamente por ſu propria voluntad.

170 *Mas es aſsi verdad, como S. Thomàs lo prueva eſtremadamente, que la gracia es diferente en los Angeles à proporcion, y ſegun es la uariedad de ſus dones naturales. Los Seraſines tienen vna gracia incomparablemẽte mayor que los ſimples Angeles del infimo orden. Como, pues, ſucederia, que algunos de los Seraſines, y aun el ſuperior de ellos, ſegun la mas comun opinion de los Antiguos cayeſſen, al miſmo tiẽpo que vna multitud inumerable de los otros Angeles inferiores en naturaleza, y gracia con*

nem, & ſanctiſsimas pœnitentiæ leges libenter ſubiverint. Quo pacto enim aliter poſſet impœnitentibus impœnitentia crimini dari ex comparatione eorum, qui ſe converterunt?

168 Inſinuat profectò Deus quàm clariſsime; intelliguntque ſimpliciter Chriſtiani omnes, iuxtè hoc iudicio Iudæos ex comparatione cum Ninivitis condemnandos; quòd illi quidem habuere plurimum gratiæ, & amoris nihil; multum auxilij, & nihil pœnitentiæ: iſti vero minus gratiæ, & multum amoris; pœnitentiæ plurimum, licet minus auxilij. Ratiocinationi huic plurimam lucem Auguſtinus Magnus conciliat diſcurſu illo ſuo, quem inſtituit lib. 12. de Civitate Dei cap. 6. 7. 8. & 9. quamvis enim ei ſermo ſit præcipue de Angelis; homines tamen quoad hoc facit eis pares.

169 Cap. autem 6. poſtquam homines bonitate ac rebus omnibus omnino æquales duos fecit, & eadem ambos tentatione tẽtatos, præſupponit poſſe fieri, vt reſiſtat vnus, & alter cedat hoſti. Mox capite nono poſtquã Angelos omnes probavit in charitate conditos, dato etiam, vt re probabili, fuiſſe in omnibus gratiam, & charitatem æqualem: quærit, qui fieri potuerit, vt vnis perſeverantibus, & facto in bonitate progreſſu, pervenientibus ad gloriam; alij bonum deſuerint, & in malum declinaverint vſque ad damnationem? Tũ reſpondet, nihil poſſe dici aliud, quàm quod vni per gratiam conditoris perſeverarunt in amore caſto, quem in creatione exceperant; & alij cum eſſent boni, mali facti ſunt propria eaque ſola voluntate.

170 At ſi verum eſt, prout verum eſſe Div. Thom. probat optime, ſecundũ gradus naturalium donorum fuiſſe Angelis data dona gratiarum: Seraphini conſequenter gratiam ſecluſa comparatione omni habuerunt excellentiorem, quàm Angeli vltimi ordinis. Qui ergo factum fuit, vt è Seraphinis aliqui; ac etiam (vt Antiquorum habet communis eaque potior opinio) primus omnium, ceciderint; dum innumeri alij, natura, & gratię dono inferiores, excellenter, fortiterque perſeverarunt? Vnde porro factum eſt, vt Lucifer dotibus naturæ ſublimis, & gratię donis longè auctior corruerit; ſteterintque inconcuſſa fidei tot Angeli minus adiutis? Certè vero qui perſeverarunt, perſeverantiæ laudem totam Deo debent, à quo creati boni, & conſervati. Sed Lucifer, & ſequaces omnes, cui ſuum infœlices tribuant lapſum, niſi, vt S. Auguſt. docet, propriæ voluntati, quippe qui gratiam, qua ſuaviſsime preventi fuerant deſerverunt? Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui pulcherrimæ auroræ inſtar in inviſibilem hunc mũ-

dum

dum orießaris, charitatem indutus primâ velut ineuntis claritatis diei, quę ad meridiem, vſque æternæ gloriæ creſcere debuerat? Non tibi gratia defuit; quippe eam, vt naturam, habueras præ cæteris excellentiorem: ſed tu potius gratiæ defuiſti. Non te Deus deſtituerat operatione ſui amoris, ſed amori eius tuam tu cooperationem denegaſti. Non te Deus reieciſſet vnquam, niſi dilectionem eius tu abieciſſes. Deus optime! neminem tu deſeris, niſi qui te prior deſerat. Tu nobis dona tua nunquam aufers; niſi quando noſtra tibi nos corda & affectus eripimus.

171 Furto ſurripimus Dei bona, ſi noſtræ gloriam ſalutis nobis arrogamus: at miſericordiam eius probro afficimus, ſi nobis eam defuiſſe dicimus. Liberalitatem eius offendimus, ni beneficia eius fatemur accepta; ſed ſumus in bonitatem blaſphemi, ſi eam nobis adfuiſſe atque ſuccurriſſe negemus. In ſumma Deus alte, & clare nobis ad aures inſonat: *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.* Et cap. XI. ſic habet.

172 Pro Deum immortalem! ô Theotime, quam ingentes brevi progreſſus efficeremus in ſanctitate, ſi cœleſtes inſpirationes, quod earum vim totam reciperemus! Quantùlibet fons abundet, non influent in hortulum eius aquę pro modo affluentiæ, ſed pro alveoli, ſive alvei. Et ſi Spiritus Sãctus vti fons aquę vivæ vberrimus cor vndique noſtrum circumfluat, ſuam in illud gratiam immiſſurus: quia tamen ei non aliam ingreſſuræ cataractam aſſignavit, quam liberi noſtri conſenſus; non eã effundet, niſi pro menſurâ hinc ſui beneplaciti, hinc noſtræ diſpoſitionis, & cooperationis; vt ait ſacrum Concilium Trident. Seſſ. 6. de iuſtificat. cap. 7. à quo etiam receptio gratiæ, receptio voluntaria vocatur; propter eiuſdem noſtri, vt reor, conſenſus correſpondentem cum gratia convenientiam.

173 Hoc ſenſu D. Paulus hortatur 2. ad Corint. 6. ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. Quemadmodum enim infirmus, qui cum excepiſſet manu medicinam; ſic tamen vt non hauſerit ore ac ſtomacho; recipiſſet haùd dubie medicinam; ſed recepiſſet nõ recipiens: id eſt, recepiſſet inutiliter, atque infructuoſe. Ita nos Dei gratiam recipimus in vacuum; quoties ad fores cordis non intus conſenſu dato recipimus. Sic namque eam recipimus non recipientes: ideſt abſque fructu recipimus. Cum nihil iuvet, quòd inſpirationem ſentiat quiſpiam ei conſentiat. Et ſicut pharmacum ęgroto propinatum ſi non hauriretur niſi partim; non operaretur niſi partim, ac minime in totum: ita quando magnam Deus, & potentem infert inſpirationem amplectendi ſui amoris; ſi non ei

con heroica fortaleza perſeueraron? De dõde ſe causò que Luciſer tan eleuado por naturaleza, y tan ſublimado por gracia, ſe perdieſſe, y que tantos Angeles menos auẽtajados permanecieſſen leales? Sin duda los que ſe conſeruaron dieron toda la alabança à Dios, que por ſu miſericordia los crió buenos, y los conſeruò tales: mas Lucifer, y ſus ſequaces à què pueden atribuir ſu caida, ſino (como dize S. Aguſtin) à ſu propria Voluntad, que obrando libremente, ſe priuò de la gracia diuina, que tan dulcemẽte les auia preuenido? Como caiſte, ò Lucifer, tu que como vna hermoſa aurora naciſte al mundo inuiſible, reueſtido de la primera caridad, como de las primeras luzes de vna alegre mañana, que auia de crecer haſta el medio dia de vna gloria eterna? Por cierto no te falto la gracia, porque tu la tenias, como tu naturaleza la mas excelente de todas: tu fuiſte el que a la gracia faltaſte: Dios nunca dexo de obrar en ti cõ amor; tu ſi que te priuaſte del amor de tu cooperacion: Dios no te dexaria nunca, ſi tu no dexaſſes antes ſu amor. O Dios todo bueno! que no deſamparas, ſino à quien primero te dexa: que no niegas tus gracias, ſino al que te niega ſu corazon.

171 *Atribuirnos la gloria de nueſtra ſalud, es robar los bienes de Dios; pero dezir que nos falta, es deshonrar ſu miſericordia: no reconocer ſus beneficios, es ofender ſu largueza: y negar que nos aſiſte, y ſocorre, es blasfemar de ſu bondad. En bien clara, y alta Voz finalmente nos dize Dios:* Tu perdicion Iſrael, de ti nace, y en mi ſolo ſe halla tu remedio. *Y luego en el cap. XI. prueua, q̃ el no tener noſotros mucho amor de Dios, no es por defecto de la diuina bondad, y dize aſsi:*

172 *Ay Dios Theotimo, ſi recibieſſemos las inſpiraciones diuinas, ſegun toda la extenſion de ſu Virtud, en quan poco tiempo podriamos hazer grandes progreſſos en la ſantidad; por caudaloſa que ſea la fuente, no entran ſus aguas en el jardin, ſegun ſu caudal, ſino ſegun es pequeño, ò grande el canal por donde las conducen. Aunque el Eſpiritu Santo, como Vn manantial de agua Viua, rodea nueſtro corazon, para Verter en èl ſu gracia, con todo eſſo no quiere comunicarla, ſino por el libre cõſentimiento de nueſtra Voluntad: y ſegun la medida de ſu querer, y de nueſtra propria diſpoſicion, y cooperacion, la derrama en noſotros: por eſſo el ſagrado Concilio (ſegun yo entiendo) llama a la recepcion de la gracia, recepcion Voluntaria, reſpecto de la corres-*

pondencia, que con ella tiene el conſentimiento.

173 *En eſte ſentido nos amoneſta S. Pablo, que no recibamos la gracia de Dios en vano: porque como el enfermo que toma en ſus manos la medicina, y no la paſſa al eſtomago, ſe dize con verdad, que tomò la medicina, y que no la tomò, porque la recibiò de modo, que no pudo traerle vtilidad, ni fruto. A eſſe miſmo modo recibimos noſotros la gracia de Dios en vano, quando la recibimos à las puertas del corazon, y no la acogemos en èl: eſto es recibirla, y no recibirla, que quiere dezir recibirla ſin frutos; pues la inſpiracion no ſe ſiente, ſino ſe conſiente: y como el enfermo à quien dieron en la mano la medicina, ſi el recibe ſola vna parte de ella, no toda, vèdrà à ſentir ſu operacion en parte, y no enteramẽte. Aſsi quãdo nos embia Dios vna inſpiracion grande, y poderoſa, para que lo amemos, ſino la admitimos en toda ſu extenſion, no nos aprouechará mas que à eſſa medida, y aſsi ſucede, que ſiendo la inſpiracion para que hagamos mucho, no la conſentimos toda, ſino vna parte de ella, como hizieron aquellos del Euangelio, que ſiendo llamados de N. Señor con ſu inſpiracion, para que le ſiguieſſen, le obedecieron; pero con reſerua: el vno, de auer de ir antes à dar ſepultura à ſu Padre: y el otro à pedir à los ſuyos ciencia para ſeguir al Señor. Luc. 9. num. 56. & 61.*

174 *En tanto que la pobre viuda, à quien Eliſeo multiplicò el azeite milagroſamente, tuvo vaſijas que llenar, eſtuvo ſiempre manando; mas luego que faltaron vaſos, dexò de crecer. A la medida que nueſtro corazon ſe dilata, ò por mejor dezir ſe dexa alargar, y dilatar, conſintiendo que la miſericordia diuina llene todo el vazio de voluntad, derrama ella, y eſtiende en el corazon, ſin ceſſar vn punto, ſus inſpiraciones ſagradas, que ſiempre crecen, y nos hazen crecer mas, y mas en el amor ſanto; pero quando no ay mas vazio, y dexamos de conſentir à la inſpiracion, eſtancaſe, y para.*

175 *Pero à que auemos de atribuir que no ayamos medrado en el amor de Dios tanto como S. Aguſtin, S. Franciſco, S. Catalina de Sena, Santa Franciſca? Theotimo, eſto es, porque Dios no nos ha hecho eſta gracia: pero porquè no nos ha hecho eſta gracia? Porque no correſpondemos como debiamos à ſus inſpiraciones: y porquè no correſpondemos? Porque ſiendo libres, quiſimos aſsi abuſar de nueſtra libertad: mas porquè vſamos mal de nueſtra libertad? Theotimo, de aqui no ay que paſſar; porque como* ei ſecundum eius vim ſotam obſequamur; non etiam illa proderit niſi pro hac ipſa menſura. Inſpirationi ad multum agendum acceptæ cõſensimus aliquando non toti, ſed ſolum eius parti: quemadmodum in Evangelio boni illi viri, qui ad inſpirationem Chriſti, vt ſe ſequerentur inſtigantis, excipere volebant, alter vt prius patrem ſepeliret, alter vt ſalutaret ſuos.

174 Quandiu fuerunt pauperi viduæ vaſſa vacua; non deſijt, quin aſsidue flueret oleum, cuius multiplicationẽ Eliſeus miraculò impetrarat: & cùm defuerunt vaſſa, ſtetit oleum. Qua ſe menſura pandit atque diſtendit, aut, vt conuenientius loquar, laxari ſinit, ac diſtendi cor noſtrum; & qua vacuum ſui conſenſus non denegat diuinæ miſericordiæ; eadem illa ipſi affundit ſacras inſpirationes; quæ tum incrementa capiunt aſsidue, tum efficiunt ſacri vt amoris incrementa nos ipſi magis, magiſque capiamus. Sed cum nihil amplius vacui eſt, nec vlterius aſſentimur; ſiſtit illa ſuorum effluxum beneficiorum.

175 Quid cauſæ igitur eſt, quod in Dei amore non tantum profecimus, quantum Sanctus Auguſtinus, S. Franciſcus, S. Catharina Senenſis, vel S. Franciſca? Theotime, quia non id gratiæ conceſsit nobis Deus. At vero cur non conceſsit? Quia non, vt debuimus, ita reſpondimus eius inſpirationibus. Quare autẽ non reſpondimus? Quia, cum eſſemus liberi, ſic abuſi ſumus noſtra libertate. Sed quam ob cauſam ſic abuſi ſumus noſtra libertate? Non vlterius in his, ò Theotime, progredi licet. Voluntatis namque noſtræ depravatio, vt S. Auguſt. docet, non cauſam aliquam habet efficientem, ſed deficientem, quæ peccatum committit. Neque cogitandum eſt rationem reddi poſſe eius defectus, qui in peccato admittitur; niſi enim ſine ratione eſſet defectus, non eſſet peccatum.

176 Cum agnoviſſet per viſum Ruffinus ad quantam pro humilitate gloriam extollendus tandem eſſet Magnus ille Franciſcus, ex eo popoſcit, quidnam ipſe de ſe in rei veritate ſentiret: at ille: me quidem ego peccatorem cenſeo eſſe maximum, qui minimè omniũ Chriſto inſerviam. Sed inſtitit Ruffinus. Quo id modo potes, Pater, vere atque in conſcientia edicere; cum aperte conſtet eſſe plurimos, qui peccata perpetrant maxima, quorum tu per Dei gratiam præſtas immunis. Ad quod Sanctus, ſi Deus, inquit, homines huiuſmodi, quos ais, præveniſſet ea, qua me prævenit, miſericordia, certus ſum eos, quantumlibet iam iniqui ſint, gratias acturos Deo maiores; eique inſervituros melius me: ac èncontrà, ſi me Deus deſereret; plura, quam vllus admittat alius, flagitia me admiſſurum.

Ag-

177 Agnoscis, ô Theotime, sententiam huius hominis, qui ferè non homo fuit in terra, sed Seraphinus. Scio equidem ex humilitate sic eum de se locutum: sed is tamen, vt verum, ac omnino certum habuit, posse gratiam æqualem & pari misericordia impensam vtilius ab vno peccatore ad opus adhiberi, quàm ab alio. At mihi verò instar oraculi est, quod magnus iste in scientia Sanctorum Doctor censuit, qui in Schola crucifixi educatus, nihil spirabat, quàm divinas inspirationes (*& mihi nunc, nec dubito quin alijs, ex ore Salesij, ob rationem omnino eandem, oraculi magni loco est id ipsum, quod ille sic ex ore Assinatis pro oraculo habet*) meritoque laudatum est hocce apophtegma, & vsurpatum ab omnibus quotquot deinceps pietatem impensius coluerunt; & existimarunt ex eis plurimi eo sensu etiam locutum magnum Apostolum cum se primum omnium peccatorum esse dixit.

178 Beata Theresia à Iesu, Virgo etiam certè tota Angelica de quietudinis oratione loquens, ait Plurimæ ad eum vsque statum animæ perveniunt, & eum paucæ prætergrediuntur: quænam autem eius rei causa sit, non probè novi. At profecto non ex parte Dei defectus est: cum enim ille nobis auxilietur, & ad eum vsque gradum perducat; iuvaret vtique, ac promoveret vlterius, si nullus ex parte nostri defectus, si nullum foret impedimentú. Solicitè igitur, ô Theotime, provehamur amore, quem debemus Deo; eius enim erga nos amor nobis nunquam deerit. Hactenus S. Franciscus Salesius.

179 Prætereà cap. XII. post initium hæc habet. Sed quibus tandem funiculis divina Providentia solita est in sui amorem corda nostra per trahere? Ijs nempe, quos ipsamet signat enarrans, quibus ex Ægypto, atque deserto medijs populum Israel in terram promissionis eduxit: *In funiculis Adam traham eos* (inquit Oseæ 11. n. 4.) *in vinculis charitatis*. Haud dubio non ferreis à Deo vinculis, ô Theotime, trahimur, vt solet tauri, aut bubali; sed allectamentis, blanditijs suavissimis, & sanctis inspirationibus; quæ demum vincula illa sunt Adam, vincula humanitatis; hoc est, proportionata, & convenientia humano cordi, cui libertas congenea est. Proprium humanæ voluntatis vinculum est voluptas, & delectatio: *Nuces puero demonstratur*, ait S. Augustin. *& amando trahitur, cordis vinculo trahitur*, non corporis. Sic ergo nos æternus Pater attrahit, docendo delectat, non necessitatem imponens: immittit nobis in corda spiritales dulcedines ac delectationes, velut sacras illecebras, quibus nos attrahit suavissi-

como dize S. Agustin, la depravacion de nuestra voluntad, no proviene de alguna causa, antes de la falta de causa, para cometer el pecado; y no ay pensar en querer dar razon de esta falta, porque ya no seria pecado, sino fuesse sin razon.

176 *El devoto Fr. Rufino, aviendo tenido revelacion del grado de gloria à que avia de subir por su humildad el grande Francisco, le hizo esta pregunta. Mi Padre amado, yo os suplico, que me digais con toda verdad la opinion en q̃ os teneis à vos mismo? A lo qual respondiò: Tengome por el mayor pecador del mundo, y el que menos sirve à Dios: Y replicandole Fr. Rufino, como podeis dezir esso con verdad, y buena conciencia, quando vemos otros muchos, que sin duda cometen grandes pecados, que vos por la gracia de Dios no cometeis? Respondiò el Santo: si Dios huviera hecho tantos favores à essos que dizes, y con tanta misericordia, como a mi me ha hecho, cierto estoy, que por maluados que fuessen, le saldrian à Dios mas reconocidos, que yo lo soy, y le servirian mejor, que yo le sirvo. Y es cierto tambien, que si Dios me desamparasse, ninguno cometeria mayores maldades que yo.*

177 *Repara Theotimo en esta sentencia de vn hombre, que no parecia hombre, sino vn Seraphin de la tierra: bien sé yo que hablò assi de si mismo por humildad; pero creyò sin duda por verdad infalible, que de vna gracia igual, hecha con igual misericordia, puede hazer mejor, y mas vtil empleo vn pecador que otro: y tengo por oraculo el sentimiento de este Doctor grande en la ciencia de los Santos, que criado en la escuela del Crucificado, no respirava sino por las diuinas inspiraciones. Por esso este Apophtegma ha sido loado, y repetido por todos los demas varones pios, que vinieron despues; de los quales muchos sienten, que San Pablo dixo en el mismo sentido, que era el mayor de los pecadores. 1. ad Thimot. c. 1. n. 15.*

178 *La Bienaventurada Madre Teresa de Iesus, virgen de todas maneras Angelical, hablando de la oracion de quietud, dize estas palabras cap. 15. de su vida: Ay muchas almas, que llegan à este estado, y muy pocas las que passan adelante, de lo qual no se sabe la causa, à la verdad la falta no està de parte de Dios: porque supuesto, que su Diuina Magestad nos ayuda, y haze esta gracia, de que podamos llegar à este punto, yo creo, que no nos la dexarà de hazer, para que nos adelantemos, sino es nues-*

tra la falta, y el impedimento, que ponemos de nuestra parte. Atendamos, Theotimo, à mejorarnos en el amor que devemos à Dios, porque el que su Magestad nos tiene jamàs nos faltarà.

179 *Quales son, empero, las cuerdas ordinarias con que la Providencia de Dios acostumbra tirar à su amor nuestros corazones? El mismo Señor las señala, describiendo los medios de que vsò para sacar su Pueblo de Israel, de Egypto, y del Desierto a la tierra de promission:* Yo los llamè, y tirè à mi (*dize por Oseas*) con vinculos de humanidad, con vinculos de caridad, y amor. *Sin duda, Theotimo, que no tira Dios de nosotros con cadenas de hierro, como se vsa con los toros, y bufalos, sino con vocaciones, atractiuos regalados, y santas inspiraciones, que son en suma los lazos de Adàn, y de nuestra humanidad; quiero dezir, los que mas convienen, y se ajustan al corazon humano, à quien es propria la libertad. El lazo mas proprio de la voluntad humana, es el deleite, y el placer. S. Agustin dize: Muestrale à qualquier niño vnas nuezes, y veràs como de su voluntad se viene à ellas, tirado con la cuerda, no del cuerpo, sino del corazon. Mira aora como nos tira à si el Padre Eterno; enseñandonos, nos deleita, no necesitandonos, arroja en nuestros corazones, como cebo sagrado, vnos placeres, y deleites espirituales, con que nos llama suavemente à recibir, y gustar de la dulçura de su doctrina.*

180 *De esta manera, ò muy amado Theotimo, el libre aluedrio nuestro, no es necesitado, ni forçado por la gracia, antes queda libre, y franca la humana voluntad, y essenta de toda suerte de violencia, y necesidad; no obstante la fuerça todo poderosa de la mano misericordiosa de Dios, que toca, cerca, y enlaza las almas, con tantas, y tan varias inspiraciones, è impulsos. La gracia es por si tan graciosa, y se apodera de nuestros corazones tan graciosamente, para tirarlos à si, que no disminuye la libertad de nuestro aluedrio, sino toca con fuerça grande, aunque suave, y delicada los fueros de nuestro espiritu, de manera, que el libre aluedrio no recibe violencia alguna: las fuerças de la gracia no son para forçar, sino para atraer el corazon. Tiene vna violencia santa, no para violar, sino para infundir amor en nuestra voluntad: obra con fuerça, pero tan suave, que la voluntad no queda oprimida de vna accion tan poderosa. No oprime, sino executa nuestra franqueza: de suerte que en medio de ser tan*

simè ad recipiendam, & gustandam suavitatem suæ doctrinæ.

180 Hoc igitur modo, charissime Theotime, nullam arbitrio nostro vim, nullam necessitatem gratia infert, sed stante licet vivida vi omnipotente misericordis manus Dei, qui tangit, circumplectitur, & illigat animam tot, ac tot inspirationibus, vocationibus, & allectationibus, voluntas hæc humana perfectè libera permanet, immunis ab omni coactione, & necessitate. Gratiosa Deo gratia est, & sic rapit alliciens corda gratiosè, vt voluntatis libertatem haud lædat: potenter quidem, sed nihilominus ita molliter animi nervos pertentat, vt inde vim adigentem nullam recipiat arbitrium nostrum. Vires habet gratia, non vt vim inferat, sed vt alliciat. Vim habet sanctè violentam, non vt violet, sed vt impensè amantem reddat libertatem nostram. Fortiter agit, sed ita suaviter, vt non sub operatione sic potente voluntas nostra opprimatur. Præmit nos, sed non opprimit libertatem; adeò vt inter impetus, & impulsiones eius motibus eiusdem consentire possimus, vel resistere, vt libuerit.

181 Sed quod mirabile æquè ac verum est, non minus liberè voluntas nostra divinam allectationem, & motionem sequitur, quando ei obsequitur; quàm liberè eandem abijciat, cum & resistit: licet consensus gratiæ præstitus multo magis à gratia pendeat, quàm à voluntate; & à voluntate sola pendeat resistentia facta gratiæ: adeò nempe se mirabilem exhibet divina manus, tractando scitè, ac regendo corde nostro tanta eius dexteritas est ad suam nobis communicandam vim, illæsa interim vi nostræ libertatis; ad motum nobis præstandum suæ potentiæ, non impedito nostræ libertatis motu: suavitatè suam sic addens suæ potentiæ; vt quemadmodum in ijs, quæ ad bonum, eius potentia dat suaviter nobis posse, ita eius suavitas ducatur, foveatque potenter libertatem nostri velle.

182 *Si scires donum Dei* (ait Salvator ad Samaritanam, Ioann. 4. n. 10) *& quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitam petijsses ab eo, & dedisset tibi vitam.* Animadverte, quæso te ò Theotime, quam scitè Salvator de suis gratiæ loquatur allectamentis: si scires (est hic eius sensus): donum Dei, absque dubio excitareris, & allicereris ad petendam aquam vitæ æternæ; & eam forsitam peteres. Quasi diceret, haberes posse, atque provocareris ad petendum; nec tamen coactionem, aut necessitatem haberes, sed solum forsitam eam peteres, tua namque tibi ad eam petendam, vel non petendam libertas maneret. Hęc verba sunt Salvatoris iuxta editionē vulgatam, & lectionem S. Augustini in Ioannem.

De-

183 Demum, ſi quis diceret libe-
rum arbitrium noſtrum nõ cooperari conſen-
tiendo gratiæ, qua prævenitur à Deo, aut non
poſſe eam objicere, & conſenſum ſuum ei ne-
gare, toti contradiceret Scripturæ, & Anti-
quis Patribus omnibus, ipſique experientiæ, ac
Tridentini Concilij anathemate feriretur. Sed
cum dicitur poſſe nos abijcere cœleſtem inſ-
pirationem, & allectationes divinas: non ſane
ſenſus eſt, impediri poſſe Deum, ne nobis inſ-
piret, vel ſuas noſtris immittat cordibus de-
lectationes: id namque, vt hactenus dixi, fit in
nobis ſine nobis: hæc ſunt beneficia, quibus
nos Deus prævenit, priuſquam cogitaverimus,
excitat nos, dum dormimus; adeoque prius ex-
pergeſcimur, quam cogitaverimus; at in nobis
eſt ſurgere, vel non ſurgere, & quamvis ille
nos excitet ſine nobis, non tamen è lecto vult
nos erigere ſine nobis. Poſt excitationem ve-
ro minime ſurgere, & iterum obdormire; id
porrò eſt reſiſtere excitanti; quippe qui non ad
aliud excitat, quam vt ſugere faciat.

184 Non in poteſtate noſtra eſt im-
pedire ne nos impellat, adeòque permoveat
inſpiratio; ſed ſi eius pulſui repulſum objeci-
mus, vt ne eius motioni obſecundemus; tunc
reſiſtimus. Ita ventus, cum apodes noſtras avi-
culas occupavit, & extulit, non eas longe de-
feret, ni extendant ipſæmet alas, & cooperen-
tur, ac ſublimes in aera ſe ſe evehant, in quem
emiſſæ. Quòd ſi è contra viriditate forſam ali-
qua inferius quam conſpexerint, ineſcatæ; ip-
ſaque ad humum diſidia torpidæ non ſuam
operationi favonij operam adiungant; ſed alas
complicent, ac rurſus in ima ſe dejiciant; ex-
ceperunt illæ quidem reapſe ſpiritus afflatum,
& impetum, ſed in vacuum exceperunt, quan-
doquidem indè nullum ſibi fecere emolumen-
tum. Prœveniunt nos, ò Theotime, inſpiratio-
nes, & ſe præbent ſentiendas, prius quam de
eis cogitemus, ſed poſtquam eas ſenſimus, no-
ſtrum eſt, vt eiſdem aſſentiamur, & obſecun-
demus, & obſequamur; vel diſſentiamur, & re-
ſiſtamus: præbent illæ ſe nobis ſine nobis, ſen-
tiendas; ſed non ſine nobis efficiunt, vt aſſen-
tiamus.

tan fuerte, nos dexa libertad de conſentir, ò
no a ſus mouimientos, como nos agrada.

181 *Pero lo que es tan admirable, co-*
mo verdadero, es, que quando nueſtra voluntad ſigue el llamamiento, y conſentimiento
à la mocion de Dios, le ſigue tan libremen-
te, como libremente reſiſte, quando reſiſte;
bien que el conſentir à la gracia, depende
mucho mas de la gracia, que de la voluntad;
y el reſiſtirla, ſolo de la voluntad depende.
Tan ſuaue es como eſto la mano de Dios en
el manejo de nueſtro corazon; tan dieſtra-
mente le comunica ſu fuerça: ſin impedirle
ſu libertad, y le acomoda el mouimiento de
ſu poder, ſin eſtoruar el de nueſtro querer,
ajuſtando el ſer poderoſo, y ſuaue, con tal
conformidad, que como para obrar bien nos
da ſu poderio ſuauemente el poder: aſsi la
ſuauidad ſuya conſerua eficazmente en ſu
libertad nueſtro aluedrio.

182 Si ſupieſſes tu qual es el don de Dios
(*dize el Saluador a la Samaritana*) y quien
es el que te dize dame de beber, tu miſma pue-
de ſer que le huvieras pedido, y el te daria à
beber del agua viva. *Atiende por tu vida,*
Theotimo, al eſtilo del Saluador, quando ha-
bla de ſus impulſos; ſi tu ſupieras (quiere
dezir) el don de Dios, ſin duda ſintieras en
ti mouimientos, è impulſos de pedir el agua
de la vida eterna, y pudiera ſer que la pi-
dieſſes; como ſi mas claramente dixera, tu
ſerias prouocada a pedir, y tendrias el po-
der de hazerlo; pero no ſerias forçada, ni
neceſsitada, ſino ſolamente puede ſer que la
pidieſſes, porque te auia de quedar libertad
para pedirla, ò no pedirla: palabras ſon eſ-
tas del Saluador, ſegun la edicion ordinaria
y ſegun la lecciõ de S. Aguſtin ſobre S. Iuã.

183 *En ſuma, qualquiera que dixere,*
que nueſtro libre aluedrio no coopera con-
ſintiendo à la gracia, con que Dios le preuie-
ne; ò que no puede reſiſtir à la gracia, y eſ-
cuſar el conſentimiento, contradirà a toda
la Eſcritura, à todos los Padres antiguos; y
à la experiencia miſma; è incurrirà la ex-
comunion del Sagrado Concilio de Trento.

Es verdad, que quando ſe dize, que podemos reſiſtir à la inſpiracion del Cielo, y al impulſo Diuino, no ſe ha de entender que podemos impedir, que Dios nos inſpire, ò acoge en nueſtros corazones ſus llamamientos; porque como ſe ha dicho antes, eſto ſe haze en noſotros ſin noſotros: ſon fauores del Cielo, que recibimos antes de penſar en ellos. Deſpiertanos Dios quãdo dormimos, y nos hallamos deſpiertos antes que lo imaginemos; lo que eſtà en noſotros, es leuantarnos, ò no; porque aunque nos deſpertò ſin noſotros, no nos quiere leuantar ſin noſotros, y ſerà reſiſtir à ſu llamamiento, no querernos leuantar, ò boluernos à dormir; porque el llamarnos, y deſpertarnos, es para que nos leuantemos.

184 *No eſtà en nueſtra mano hazer que la inſpiracion no nos toque; y conſiguientemẽ-*
te que no nos impela, mas ſi à la medida que nos toca, la repelemos, ſin dexarnos lleuar de ſu
mouimiento, entonces reſiſtimos. Aſsi el biento quando ha leuantado del ſuelo, y pueſto en el
aire à las aves, que llamamos Apodes, no las ſuſtentarà en èl mucho tiempo, ſi ellas no tiẽ-
den las alas, y ſe ayudan, ſuſpendiendoſe, y bolando en el aire, donde fueron echadas; per-

al contrario, cebadas (como puede ſuceder) de alguna verdura, que ven en lo bajo, ò entorpecidas con auerſe aſſentado en la tierra, en lugar de valerſe del fauor del biento, tuvieſſen plegadas las alas, y ſe dexaſſẽ caer en el ſuelo: diriaſe, que verdaderamente, y con efecto recibieron en ſi la mocion del biento; pero en vano, pues no preualecirron, y la malograrõ: Theotimo, las inſpiraciones nos preuienen, y antes que noſotros lo penſemos, ſe hazen ſentir; mas deſpues de ſentidas lo que nos toca, es, ò conſentir para ayudarles, y emplear la mocion, ò diſſentir, y repelerlas; danſe à ſentir a noſotros, pero el conſentir, nueſtro ha de ſer.

Id ipſum patet ex ijs, quæ docet lib. 8. Amoris Dei cap. 10.

185 *Los rayos del Sol alũbran calentãdo, y calientan alũbrando: la inſpiracion es vn rayo celeſtial, q̃ dentro de nueſtros corazones eſparce vna luz caloroſa conque nos haze ver el bien, y nos da calor para inquerirle: todo lo q̃ tiene vida ſobre la tierra, ſe aprieta con el frio del inuierno; pero boluiẽdo al calor vital de la Primauera, cobra tãbien ſu mouimiento: los animales terreſtres, corren mas veloces: las aves, buelan mas remontadas, y cantan mas alegres: las plantas brotan agradablemente ſus hojas, y flores: perezoſas, tullidas, è inutiles viuieran nueſtras almas ſin la inſpiraciõ; però al deſpũtar de ſus diuinos rayos, ſẽtimos vna luz mezclada con vn calor vital, q̃ alũbra nueſtros entendimientos, deſpierta, y anima nueſtra voluntad, dãdola fuerças para querer, y obrar el bien neceſſario a nueſtra ſalud.*

185 Radij Solis illuſtrant calefaciendo, & illuſtrando calefaciunt. Inſpiratio radius eſt cœleſtis, lucem cordibus inferens præ fervidã, qua nos & videre bonum facit, & incendit ad eius proſecutionem. Quidquid in terris vitam gerit, hyberno torpeſcit frigore; ſed vivifico redeunte veris calore, omnia ſuos repetunt motus. Terrenæ animantes currunt velocius: altius evolant, & iucundius canunt aviculæ; ac in frondes, floreſque plantæ lætius erumpunt. Sine inſpiratione degerent animæ noſtræ deſides, impotentes, inutiles; ſed ad appulſum diuinij radij, lucem quandam perſentimus vivifico mixtam ardore, quę mentem illuſtrat, excitat, & incitat voluntatem, dandi ei vires volendi, faciendique bonum, quod ad ſalutem æternam pertinet.

186 Aviendo Dios formado el cuerpo humano del limo de la tierra (como dize Moyſ.) inſpiró en èl la reſpiraciõ de vida, y fue hecho en Alma viviente: *quiere dezir en alma que daba vida, mouimiento, y operacion al cuerpo: y eſte miſmo Dios eterno, ſopla, è impele las inſpiraciones de la vida ſobrenatural en nueſtras almas, para q̃ como dize el grande Apoſtol:* Sean hechas en eſpiritu vivificante, *que es dezir en eſpiritu q̃ nos haga viuir, mouer, ſentir, y obrar las obras de la gracia; deſuerte, q̃ aquel q̃ nos diò el ſer, nos dè tambien la operacion. El aliento del hombre, da calor à las coſas en q̃ entra: teſtigo es el hijo de la Sulamite, ſobre cuya boca auiẽdo aplicado el Profeta Eliſeo la ſuya, è inſpirado ſobre èl, ſe calentò ſu carne, y la experiẽcia lo manifieſta: pero el ſoplo de Dios, no ſolo calienta, pero alumbra perfectamẽte: de manera, que el Eſpiritu Diuino, es vna luz infinita, cuyo ſoplo vital ſe llama inſpiracion, y por cuyo medio eſta ſuprema bondad produce, è inſpira en noſotros, los deſeos, è intenciones de ſu corazon.*

186 *Poſtquam è limo terræ corpus humanum Deus formaſſet, inſpiravit* (vt ait Moiſes Gen. 2. n. 7.) *In faciem eius ſpiraculũ vitæ; & factus eſt homo in animam viuentem*; id eſt, in animam, quæ corpori vitam, & motum, & operationem daret. Idem vero Deus æternus affl at noſtris mentibus, & immittit ſupernaturalis vitæ inſpirationes; quibus illæ, vt ait Magnus Apoſtolus 1. ad Cor. 15. n. 45. *Fiãt in ſpiritum viuificantẽ*: hoc eſt, in ſpiritum, qui nos vivere faciat, moveri, ſentire, atque operari opera gratię; ita vt qui dedit nobis eſſe, det etiam operari. Flatu hominis ea calefieri, quibus fuerit inhalatus, probat Sunamitidis filius cuius ori ſuum ipſum os cum applicuiſſet Heliſeus Propheta, & inhalaſſet; calefacta eſt caro pueri, 4. Reg. 4. 34. & hoc idem experiẽtia demonſtra. Afflatus vero Dei nõ calefacit modo, ſed perfectè illuſtrat; eo quod Spiritus Diuinus infinita lux eſt; eiuſque vivifica vis inſufflata, vocatur inſpiratio: illo etenim ſuprema bonitas mẽtibus noſtris deſideria ſui cordis, & rata conſilia inſufflat, inſpiratque.

187 *Al fin la perſeuerancia, es el don mas deſeable de quantos podemos eſperar en eſta vida, el qual, como dize el ſacro Concilio, no podemos alcançar, ſino de Dios, porque èl ſolo puede fortalecer al que eſta en pie, y leuantar al caydo; y aſsi continuamente debemos pedirſele, empleando los medios, que Dios nos ha enſeñado para conſeguirlo, como ſon la oracion, el ayuno, la*

187 Semper tamen perſeverantiæ donum eſt maxime omnium, quę dũ vivimus ſperare licet, optabile: quodque vt ſacrũ ait Conc. *aliũde* haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum qui ſtat ſtatuere, vt perſeveranter ſtet: & eum, qui cadit ſtatuere. Propterea quæ poſtulandum aſsidue eſt mediis adhibitis, quę ad impetrandum idonea Deus docuit: oratione, videlicet, ieiunio, eleemoſyna,

Sa-

Sacramentorum vsu, consuetudine cum bonis auscultatione, lectioneque Sanctorũ verborũ.

188 Quia vero donum orationis, atque devotionis liberaliter à Deo conceditur omnibus, qui sponte velint cœlestibus inspirationibus assentiri, consequenter in nostra potestate est perseverare. Nec ita dico quidẽ quod perseverantiam velim à nostra potestate ducere originem: è contra enim optime scio à divina illam oriri misericordia, cuius & eximij pretij est donum. Sed hic mihi sensus est; quod quamvis illa non à nostra potestate oriatur; in nostram nihilominus veniat potestatem, voluntate ipsa mediante nostra; quam in nostra esse potestate inficiari non possumus. Quamvis enim divina sit nobis necessaria gratia ad volendum perseverare; hoc ipsum tamẽ in potestate nostra est; quia voluntati nostræ cœlestis gratia nunquam deest, quandiu non deest voluntas nostra potestati nostræ. Ac defacto iuxta Bernardi Magni sententiam, potest nostrum quilibet post Apostolum dicere indubitanter, ac vere, quod: *Neque mors, neque vita, neque fortitudo, neque Angeli, neque profundum, neque altitudo poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Rom. 8. num. 38. Omnino: nulla namque nos ab amore hoc sancto revellere potest creatura; sed eum nos ipsi abijcere possumus nostra voluntate, extra quam, & quoad hoc, nihil timendum.

la limosna, el vso de los Sacramentos, la comunicacion de los buenos, oyr, y leer palabras santas.

188 *Y porque este don de la oracion es liberalmente concedido à todos los que de corazon consienten las inspiraciones diuinas, está por consiguiente en nuestra mano el perseuerar. No quiero dezir que la perseuerancia tiene su origẽ de nuestro poder, porque antes reconozco procede de la diuina misericordia; y que es preciso don suyo; solo digo, que cabe en nuestras fuerças, por medio del querer, que no podemos negar es nuestro; porque biẽ que la gracia diuina nos sea necessaria para querer perseuerar, con todo esso este querer está en el poder nuestro; porque la gracia nunca falta à nuestro querer, si este no se aparta de nuestro poder: y en effecto (segun el grande Bernardo) todos podemos dezir de verdad con el Apostol: Que ni la muerte, ni la vida, ni las Potestades, ni los Angeles, ni lo profundo, ni lo alto nos podràn jamàs apartar de la caridad de Dios, que està en Iesu-Christo. Porque criatura ninguna puede apartarnos de este amor santo; nosotros mismos podemos dexarle, por nuestra propria voluntad, fuera de la qual en esta parte, no tenemos à quien temer.*

Videat Prudens Lector, quam longè absit S. Franciscus Salesius à doctrina Magistri Alvarez, qui lib. 2. respons. cap. 8. à n. 9. & disp. 55. de auxilijs: late contendit perseverantiæ donum non pendere ex libera cooperatione liberi arbitrij, etiã tanquam à conditione.

Sententiam etiam Societatis perspicuè tradit lib. 4. amoris divini cap. 5. vbi probat defectum, vel teporem charitatis non Deo, sed nostræ voluntati vnice tribuendum esse, quod salvari non potest, si voluntas nequit aliquid agere, quin ad agendum physice prædeterminetur. Nam quod non observet præceptum, & hac ratione gratiam, & charitatem amittat, provenit ab eo, quod ad actum observationis non prædeterminatur. Iam Sanctum Doctorem audiamus.

189 Sicut esset impia procacitas velle tribuere viribus nostræ voluntatis opera amoris sacri, quæ Spiritus Sanctus in nobis operatur, & nobiscum: ita impudens quædam impietas esset velle imputare defectum amoris, qui est in homine ingrato, defectui iuvaminis, & gratiæ cœlestis; quia omnimodo è converso clamat Spiritus Sanctus Oseæ cap. 13. 9. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur.* Idem cap. 2. *Quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium, & gloriã plebis tuæ Israel.* Ad Tim. c. 2. 4. *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire* Ad Gal. c. 4. 4. *Misit Deus filiũ suũ, factum est*

189 *Como seria vna impia desuerguença, querer atribuir à las fuerças de nuestra voluntad, las obras del amor sagrado, que el Espiritu Santo haze en nosotros, y con nosotros: assi seria vna impiedad descarada, querer achacar el defecto de amor que ay en el hombre ingrato, à la falta de assistencia, y gracia celestial, porque el Espiritu Santo da vozes en todo al contrario; Oseas cap. 13. 9.* Que nuestra perdicion sale de nosotros: que el Salvador ha traido el fuego del amor santo, y nada tanto dsea, como que abràse nuestros corazones. *Que la salud està puesta ante la faz de todas las naciones, luz para alũbrar los gẽtiles, y para la gloria de Israel: q̃ la diuina bondad no quiere q̃ alguno perezca, sino q̃ todos vengan al conocimiẽto*

de la verdad, quiere que todo hõbre ſe ſalve: *Auiendo ſu Saluador venido al mũdo, Eccl. c.15. de iuſt. c.11. ſeſſ.6.* Para q̃ recibieſſẽ todos la adopcion de hijos. *Y el Sabio nos aduierte claramente, no digas por Dios queda. Aſsi el ſagrado Concilio de Trento intima diuinamente à todos los hijos de la Igleſia Santa, que la gracia diuina no falta jamas à los que hazen lo que pueden, inuocando el ſocorro del Cielo; que Dios no dexa jamas à aquellos que vna vez ha juſtificado, ſi ellos no le dexan primero; de manera, que ſi no faltan à la gracia, alcançarán la Gloria.*

190 *En ſuma, Theotimo, el Saluador es vna luz, que alumbra a todo hombre, que viene à eſte mundo. Muchos caminãtes cerca de la hora de medio dia, en vno del verano, ſe ſentaron à dormir à la ſombra de vn arbol; pero mientras que ſu canſancio, y lo freſco de la ſombra les aumentaua el ſueño, ſobreuiniendo el Sol les diò en los ojos con lo mas fuerte de ſu luz, la qual cõ el reſplãdor de ſu claridad, formaua tranſparencias, como menudos relampagos al rededor de las niñas de ſus ojos, y con el calor que les penetraua los parpados, los forçò con dulce violencia à deſpertar; mas los vnos ya deſpiertos, ſe leuantaron, y ſiguiendo ſu camino felizmente llegaron a la poſſada; los otros, no ſolo no ſe leVantaron, mas boluiendo las eſpaldas al Sol, y metiẽdoſe los ſombreros haſta los ojos paſſarõ alli el dia durmiẽdo, haſta que cogidos de la noche, y queriendo con todo eſſo llegar à ſu caſa, ſe deſcaminaron por diuerſas partes en vn monte, à merced de los Lobos, Jaualies, y otros animales. Dezid, pues Theotimo, los que llegaron no debẽ dar todas las gracias de ſu felizidad, y guſto al Sol, ò para hablar Chriſtianamente al Criador del Sol? Si cierto, porque no les paſſaua por el penſamiento en ninguno manera deſpertar à tiempo; hizoles el Sol eſte buen oficio, y por vn agradable auiſo de ſu claridad, y calor, los vino apaciblemente a deſpertar: verdad es que no hizieron reſiſtencia al Sol, pero tambien les ayudò mucho a no reſiſtir, porque vino dulcemente à derramar ſu luz ſobre ellos, haziendoſe entre ver cõ ſu calor, como por ſu amor, al traues de ſus pardos, q̃ fue*

est muliere, vt eos qui ſub lege erãt redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Et ſapiens nos clare monet Eccleſ. c. 15. 11. *Non dixeris, per Deũ abeſt.* Sic Sacrũ Conc. Trid. de iuſtif. c. 11. ſeſſ. 6. divine omnibus filij Sanctę Eccleſię intimat, divinam gratiam nunquã defitere facientibus, quod in ſe eſt implorando cœli opem: *Deus nãque ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*; adeo, vt niſi gratiæ deficiant, gloriam conſequentur.

190 In ſumma, Theotime, Salvator eſt lux; *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. c. 1. Plures viatores circa meridiem die veri ad vmbram arboris ſederunt, vt dormirent, verum dum fatigatio eorũ, & ſub frigidum vmbræ ſomnũ illis augebat, cum ſuperveniret Sol, ipſorum oculos ardentiori ſuæ lucis æſtu perſtrinxit, quæ lux ſplendore ſuæ claritatis fulgores veluti minuta fulgura circum pupillas oculorum efformabat, & calore, qui eorum palpebras penetrabat, eos ſuavi violentia è ſomno excitare coegit; cæterum alij iam excitati ſurrexerunt, & cæptũ iter fœliciter proſequentes ad diverſorium pervenere; alij non ſolum ſurgere noluerũt, ſed terga Soli dantes, vmbellisque ſub oculos demiſsis integrum diem ſomno dedere, vſquedum nocte oppreſi, cum adhuc in domũ pervenire vellent, per varios cuiuſdam montis circuitus errarunt diſcretioni Luporum, & Aprorum, aliorumque animalium. Die, itaque Theotime, qui pervenerunt, non tenentur omnes ſuæ fœlicitatis, & gaudij gratias Soli referre; aut, vt chriſtiane loquar, Solis Creatori? Ita profecto, quia neutiquã illis in mentem venerat, ſomnũ excutere oportuno tempore: Sol eis hoc beneficium fecit; & grato ſuę claritatis monito, caloreque eos apacibiliter excitavit: verum eſt, eos Soli non reſtitiſſe; verum multam illis opem contulit, ne reſiſterent, quia venit ſuaviter, vt lucem ſupra illos effunderet, ſe ipſum introducendo calore ſuo, tanquam propter amorem ſum in obliquũ palpebrarum, vt introſpiceretur, quod quidem fuit oculos aperire eis illosque præmere, vt diem viderent.

abrirle los ojos, y apremiarlos à ver ſu dia:

191 *Al contrario à los otros pobres errantes, no les faltaua razõ de gritar por el monte: Que hemos hecho al Sol, que no nos ha deſpertado cõ ſu luz, como à neſtros cõpañeros, para que pudieſſemos llegar à poblado, ſin quedarnos en eſtas eſpantoſas tinieblas? quien no boluiera por la cauſa del Sol, o por mejor dezir de Dios mi Theotimo? para reſponder à eſtos miſerables deſdichados: Que mas buenamẽte pudo hazer el Sol por*

191 Econverſo alijs miſeris errantibus non de erat ratio clamandi per montem illum: quid fecimus ſoli, qui nos luce ſua non excitavit, ſicut excitavit ſocios noſtros, vt poſſemus devenire ad diverſorium, qui in his horridis nebulis remaneremus? quis causã Solis defendendam non ſuſcipiet, aut, vt melius loquar, Dei, mi Theotime, vt reſponſum præbeat miſeris his infœlicibus: quid melius pro vobis Sol facere potuit, quod nõ fecerit? equa-

les

les omnibus dormientibus contulit favores; vos omnes eadem luce invasit, eisdem radijs retigit, æqualem supra vos calorem diffudit; vos miseros, qui quamvis vidistis, socios vestros surgentes, arripientesque baculum, vt iter facerent, terga Soli dedistis nolentes eius claritate frui, nec eius calore vinci.

192 Audi nunc, Theotime, quid tibi hac in re dicere vellim: viatores sunt omnes homines in hac mortali vita, & pœne omnes voluntarie dormivimus in malitia: Deus Sol iustitiæ supra omnes diffundit sufficienter, aut, vt melius dicam, superabundanter radios suarum inspirationum, corda nostra suis benedictionibus calefacit, vnumquemque pulsando illæcebris sui amoris: quid, itaque, in causa est, quod adeo pauci ad voces istas veniant, & perveniant pauciores? Certe qui allecti, & postea vecti inspirationem sequuti fuerunt, magnam habent occasionem gaudendi, non tamen gloriandi; gaudeant, quia magno fruuntur bono, cæterum de hoc non glorientur, siquidem est propter puram Dei voluntatem, qui eis vtilitatem sui beneficij relinquendo, sibi gloriam reservavit.

193 Verum quantum ad eos, qui in somno peccati iacent: proh Deum! quod pondus rationis habent, vt lamententur, ingemiscant, deplorent, & anxij sint, quia in infœlicitate sunt omnium lamentabiliori, verum rationem non habent, qua doleant, & quærantur, nisi de seipsis, qui lucem contempserunt, illique rebelles fuere, surdi vocibus, & inspirationibus obstinati; adeo vt suæ tantum malitiæ debeatur æterna maledictio, & confusio; siquidem illi solum sunt causa ruinæ suæ, & authores suæ damnationis. Sic Iapones Apostolo suo B. Francisco Xaverio quærebantur de eo, quod Deus, qui tantum curæ habuerat aliarum nationum, suorum oblitus fuisse maiorum videretur, cum eis sui ipsius cognitione non faviſſet, defectu cuius perditi fuerant. Vir Dei respondit, divinam legem naturalem sitam esse in spiritu omnium mortalium, quam si prisci sui custodissent, absdubio illos lux cœlestis illuminasset: sicut è contra, quia eam violarunt, damnari meruere: responsio Apostolica, viri Apostolici, & omnino similis rationi, quam magnus Apostolus assignat perditionis antiquorum gentilium, quæ eos in excusabiles facit, quandoquidem cum cognovissent bonum, sequuti fuerunt malum; quia est vno verbo, quod illis intimat in primo capite Epistolę ad Romanos, miseriam supra miseriam eis, qui non agnoscunt, perditionem suam à malitia sua dimanare.

por vosotros, que no aya hecho? iguales fueron sus fauores cõ todos los que dormiades, à todos os acometiò con vna misma luz, con vnos mismos rayos os tocò, derramò sobre vosotros vn calor igual: desdichados de vosotros, que aunque visteis à vuestros compañeros leuantarse, y tomar el vordon para caminar, boluisteis las espaldas al Sol, sin querer valeros de su claridad, ni dexaros vencer de su calor.

192 *Oid aora, Theotimo, lo que en esto os quiero dezir: todos los hombres son caminantes en esta vida mortal, y casi todos nos hemos dormido voluntariamente en la maldad: Dios Sol de iusticia arroja sobre todos vastantissimamente, ò por mejor dezir, con superabundãcia, los rayos de sus inspiraciones: calienta nuestros corazones con sus vẽdiciones, tocando à cada vno con los atractiuos de su amor: Què es la causa, pues, que à estos reclamos vengan tan pocos, y lleguen menos? Ciertamente los que atraidos, y despues tirados siguieron la inspiracion, tienen grãde ocasion de regocijarse, mas no de gloriarse: regozigense porque gozan de vn biẽ grande; pero no se glorien de ello, pues que es por la mera bondad de Dios, que dexandoles à ellos la vtilidad de su beneficio, se reseruò para si la Gloria.*

193 *Pero quanto à los que se quedan en el sueño del pecado (o Dios!) que gran razõ tienen de lamentarse, gemir, llorar, y ansiarse, porque se hallã en la desdicha mas lamẽtable do todas; pero no tienen razon de dolerse, y quexarse, sino de si mismos, que despreciaron, y fueron rebeldes à la luz, sordos à los reclamos, y obstinados à las inspiraciones: de manera, que à su malicia sola se debe eterna maldicion, y confusion; pues ellos solos son causa de su ruina, y autores de su cõdenacion. Assi los del Iapon, se quejauan al B. Francisco Xauier su Apostol, de que Dios que auia tenido tanto cuidado de las otras naciones, parecia auerse oluidado de sus antecessores, no auiendoles fauorecido con su conocimiento, por cuya causa se auian perdido, El Varon de Dios les respondiò: Que la diuina ley natural, estaua plantada en el espiritu de todos los mortales, la qual si sus predecessores huuieran guardado, sin duda la luz celestial les huuiera alumbrado; como al contrario, por averla violado, merecierõ ser condenados: respuesta Apostolica de vn Apostolico Varon, y toda semejante à la razon que el Apostol grande da de la perdiciõ de los Gentiles antiguos, q̃ califica de inexcusables, porque auiendo conocido el bien, siguieron el mal, porque es en vna palabra lo q̃ les intima en el primer capitulo de la Epistola à los Romanos, desdicha sobre desdicha à los que no conocen, que su perdicion proniene de su malicia.*

§. XII.

Septimum caput probandi, gratiam efficacem non esse prædeterminantem, ab authoritate antiquorum scholasticorum.

194 EXIMIVS Doctor Pat. Franciscus Suarez in opusc. lib. 1. de concursu Dei cap. 14. probat Deum concurre cum causis liberis per decretum indifferens, quod possit componi cum omissione actus, ad quem Deus præparet concursum per tale decretum. Et postquam hunc modum concurrendi ostendit esse conformem Scripturæ, & Patribus, pergit postea à num. 10 illum comprobare authoritate Scholasticorum, & hæc habet: *Nunc Scholasticorum Doctorum authoritatem adiungere oportet, inter quos nullum hactenus reperi, qui diuinum concursum cum libero arbitrio aliter declararit.* Quæ verba eruditissimi viri, & in evolvendis Doctoribus Scholasticis diligentissimi, valde notanda sunt. Citat autem pro sua, & totius Societatis sententia ibi, & in opere de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 42. pag. 327. quam plures Theologos, quos infra simul cum alijs pluribus referam. Præterea tom. 2. de grat. lib. 5. cap. 18. num 3. loquens de eadem sententia Societatis asserente, motionem physice prædeterminantem non cohærere cum libertate, inquit: *Hanc sententiam tractaui in Opusculis, & in Metaphysica, & in 1. parte, illamque censeo communem Theologorum: quia vero adhuc est controuersia, sciendum est, controuersiam hanc cæpisse in Hispania ante annos quadraginta distincte, & in propriis terminis in Scholis agitari, & præsertim in Salmanticensi, de qua possum tanquam testis ocularis deponere.* Hucusque suarius, qui cum extremum diem obierit die 25. Septemb. anno 1617. & eodem anno petierit à Summo Pontifice facultatem in lucem edendi tomum secundum de gratia in quo agit de auxilijs simul cum alijs duobus (vt constat ex litteris Cardinalis Burgesij datis ad suarium die 26 Aprilis ann. 1617. quæ habentur in principio tomi primi de gratia) constat non multo ante absolvisse opus hoc de gratia. Sententia ergo constituens gratiam efficacem in auxilio prædeterminante cæpit in Scholis post annum 1570, Vnde eruditissimus Pater Didacus Ruiz disputat. 49. de scientia sect. 7. num. 14. postquam late examinavit omnium antiquorum Theologorum mentem, differte pronuntiat: *Nullam antiquorum docuisse physicã prædeterminationem, aut si quis forte illam aliquando docuit, argumentorum pondere victum ab ea sententia recessisse.*

195 Igitur vestigis Eximij Doctoris in hærens opere pretium duxi, in medium proferre Authores extra Societatem, qui sententiæ nostræ adstipulantur, vt videant Thomistę, non intra societatis limites sententiam nostram coerceri (vt falso aiebat Ioannes Thomasius apud Henao de scientia med. hist. prop. pug. event. 42. initio) sed extra Societatem nostram per innumeros pœne Theologos præsententia opposita vagari. Non me latet, opus hoc fuisse iam à pluribus elaboratum esse, præcipue à P. Gabriele de Henao, qui eruditissime, copiose, & non minori fidelitate, quam diligẽtia de hac re integrum egregiumque volumen edidit; cæterum quia in dies crescit numerus Recentiorum, quibus illustratur sententia hæc: tum etiam, quia ad rem nostram, non parum facit catalogum Authorum pro nostra sententia militantium hic inferere: & vlterius quia RR. quidam vindicare conantur à sententia nostra quam plures Theologos pro ea à Modernis relatos; quos obiter impugnare statui, non vt Pseudo Philaletes verborum figmentis, sed rationis pondere. Demum, quia plurium verba non sine cura obseruavi, quibus, clarissime sententiam nostram tueri, demonstrant, ideo statui illos summatim referre, seruato antiquitatis, Religionumque Ordine, licet non adeo acurate, vt nusquam talis ordo deficiat. Nec nauseam lectori parere debet, quod tot enumerem Theologorum calculos, passim in alijs voluminibus insertos, alioquin, nec solida fundamẽta sententiarũ iterũ repetere oporteret, quia sæpe iam inculcata sunt ab Authoribus; quod ecquidem absurdum non leve foret. Igitur Authores, quos nunc referam, sententię nostræ subscribentes inveniet lector apud P. Suarez in opusc. & de vere intelligẽtia auxilij efficacis, & tom. 2. de gratia, & apud Ruizium, Fasolum, Paulum Leonardum, Henao, Aldrete, Borull. Henricum de Cerf. Germanum Philalete, prẽter aliquos præcipue Recentiores, quos addo, quosque diligenter inspexi; immo & ipsos à supra dictis Authoribus relatos semel, & iterum evolvi, vt vel ex ipso fonte eorum mentem haurirem, vel clariora verba depromerem. Adducam igitur eos, qui ante, & post controversiam de auxilijs floruere, eorum verba proferens, vt non parum fideliter allegari videantur.

)o(

§. XIII.

Scriptores ex Sacro Ordine Benedictino Varias congregationes amplectente, qui tuetur sententiam Societatis asserentem, prædeterminationem physicam non coherere cum libertate, aut etiam ex aliis capitibus repugnare.

196 OMITTO Divum Anselmum, quia manet iam supra laudatus n. 143. quem, sententiam nostram clarissime tueri, plures adversariorum, vel inviti fatentur. Divus Gregorius Magnus, huiusce familiæ clarissimum sydus sententiam nostram non obscure tradit, videatur varia ipsius testimonia apud Ruizium disp. 43 de scientia sect. 4. num. 8. vnum tamen non omittam, quod habet in Ezechiel homil. 15. prope finem, vbi sic ait: *Clypeos pro nostro munimine vbicũque volumus, mouemus;* & post pauca addit. *Clypeꝰ vero in manu est, & defẽdit: quia virtus patientiæ, & virtus misericordiæ, præcedente nos gratia, & in potestate est arbitrij, & à periculo protegit aduersitatis.* Ecce quomodo apud Divum Gregorium gratia non potest esse intrinsece efficax, quandoquidem adhuc ea præcedente habet voluntas indifferentiam ad eliciendum actum misericordię, v.g. aut patientiæ; vel ad maiorem, minorem ve intensionem ipsius, prout clare demonstrant illa verba, *vbicumque volumus;* quę certe indifferẽtiam minime esset, si propriori daretur gratia essentialiter connexa cum actu misericordię, aut cum tali intensione ipsius, vt compertum est.

197 Dionisius Cistercienſis in 2. dist. 25. q. 2. art. 2. præambulo 2. *Diuinum præ-velle*, inquit, *seu præmotio diuina ad hoc quod volũtas A possit producere actum B, non est antecedẽs necessitas ad effectum B. ab A procedendum: quia stante tali motione, vel præuolitione cum omnibus præuijs ad B, stat voluntatem A, non producere actum B.* Quid ad rem nostram clarius? Videatur hoc Dionisij testimonium apud Germanum Philal. in opusculo contra prædeterminationem c. 1. §. 3. n. 34. Videantur etiam alia eiusdem Dionisij testimonia apud Ruizium disp. 33. sec. 6. n. 8. & 9. & dis. 49. sec. 5. n. 33. & seqq. & apud Henao, qui eventilatione 43. n. 972. affirmat vix invenire antiquum alium Theologum, qui clarius pro sententia nostra loquatur. Nec quidquam in contrarium faciunt ea, quæ adducit R. contra Phil. in libello, cui titulus est: *Vanitas triumphorum, quos ab authoritate contra prædeterminationes erigit Phil.* ait enim loqui Dionisium de prȩmotione divina, quæ correspõdet velle inefficaci antecedenti, cum qua stat, voluntatem *A* positis etiam omnibus prævijs, non producere actum *B*; non vero de prȩmotione, quæ correspondet velle efficaci consequenti, qua posita non potest voluntas non ponere actum *B*. Sit ita, loquatur Dionisius de prȩmotione inefficaci antecedenti, cum qua, positis etiam omnibus prævijs, potest volũtas non ponere actum, hoc libenter admisso manifeste etiam impugnatur prędeterminatio physica; hęc enim iuxta Thomistas, esto non intelligatur ex parte actus primi, est tamen quid prævium, sed iuxta Dionisium, positis omnibus prævijs ad agẽdum, potest voluntas non agere; ergo iuxta Dionisium repugnat prædeterminatio, cũ posita illa, non possit non operari voluntas; vt quid ergo Pseudo-Phil. profers solutionem, quę totam argumenti vim inoffensam relinquit? Nescio certe; at non ignoro quam vaneglorieris contra Philal. dum ipse similia Theologorum placita pro sententia nostra, & fideliter allegat, & eleganter ponderat.

198 Guilielmus, Abbas S. Theodorici in lib. orat. seu medit. tom. 12. p. 2. Bibliothecæ veter. PP. circa initium pag. 308. *Vas*, inquit, *luteum sic redigitur in lutum suum, vt non eum cogat ad hoc diuina præsentia, quia eum non latuit sic futurum.* Vbi ratione præscientiæ concordat libertatem nostram, seu nostram non necessitatem cum efficacia divinæ providẽtię. Et post pauca addit: *Præscientia Dei bonitas eius est, quæ ab æterno parata est omnibus, sed non ab omnibus suscipienda. A quibus autem suscipienda sit, à quibus non, nec hoc alienum est à Dei præscientia.* Et ibidem profert hæc verba, quod scientiã mediam satis clare demonstrãt. *Præscientia autem*, inquit, *non vtique cogit eos esse, quod futuri sunt; tanquã necessario sic sunt futuri, quia sic eos futuros esse præsciisti, quin potius, quia sic futuri erant, ideo tu sciens omnia antequam fiant, etiam hoc tu præsciisti.* Quod axioma passim ab Augustino, & Sanctis PP. vsurpatum intelligi nequit nisi de scientia conditionata, quæ independens sit à decreto; si enim omnia sunt in singulari decreta, priusquam detur scientia; ergo non ideo præscit Deus futura, quia futura sunt, sed quia sunt decreta: *Inepte enim* (inquit Lessius in Apologetico de gratia efficaci cap. 3. num. 24. apud Paulum Leonardum in respons. ad expostulationes contra scientia media p. 2. sect. 3. num. 12.) *dixeris Deum ab æterno præsciuisse futuros Angelos, quia futuri erant, cum causam, cur futuri essent, apud se haberet, suum videlicet decretum.*

199 Alphonsus Ruizius Viruesius, Episcopus Canariensis Philip. 15. apud Ruiziũ disp. 49. de scient. sect. 9. numer. 60. post aliquæ

quibus ſententiam noſtram explicat, ſubdit: *Cum hac ſententia concordant omnia ſcripturarum ſanctarũ teſtimonia, ſiue quæ nobis cuiuſuis, vel minimi boni adimunt facultatem, ſiue quæ tribuunt efficiendi operis libertatem, hoc eſt potentiam operandi, cum adeſt gratia, & ceſſandi ab opere, etiamſi maxime adſit: nec id tantum, verum & in contrarium retinendi, cum volumus.* Vbi in ſenſu compoſito gratiæ aſsignat indifferentiam in voluntate, nec dicas Viueſium loqui de gratia inefficaci, vel ſufficiẽti, non vero de efficaci: quia ſi de illa tantum eſſet apud ipſum ſermo, ſuperfluum eſſet ſcripturarũ teſtimonia congerere ad probãdam indifferentiã in ſenſu compoſito illius. Vlterius, & man feſte: loquitur de gratia, cum qua homo re ipſa operatur, hæc eſt gratia efficax: ergo, &c. Probo maiorem, non ſine evidentia, ex illis verbis: *Hoc eſt potentiam operandi, cum adeſt gratia, & ceſſandi ab opere, etiamſi maxime adſit.* In quibus ait operationem elicitam à gratia poſſe ſuſpendi in ſenſu compoſito ipſius gratię: ergo ſupponit fuiſſe gratiam, cum quo voluntas revera elicuit operationem; ſed hæc eſt gratia efficax: ergo in ſenſu compoſito gratię efficacis datur indifferentia in voluntate ad non operandum; at talis indifferentia minime datur ſi gratia eſt intrinſece efficax, ſeu prædeterminans: ergo, &c.

200 Ex congregatione Camanduleſium vitalis Zuccolus commentator Henrici Gandavenſis quodlib. 4. q. 19. poſtquam adducit aliqua Scoti contra Henricum, ſequentia profert, vt Henricum ab obiectionibus Scoti vendicet: *Hæc Scotus aduerſus authorẽ noſtrum, quibus tamen facile reſpondere valemus. Ad primum negantes ſuppoſitum illud, quòd Deus velit aliquem bene vſurum; aliquem vero male vſurum libero arbitrio; hoc enim repugnat plurimis dictis Sacræ Scripturæ, & Sanctorum. Et inter alia ſcriptum eſt, quod vult Deus omnes homines ſaluos fieri; quare hunc autem, ſi vult omnes homines ſaluos fieri, vult benè vſurum libero arbitrio, hunc autem male? Hoc eſſet profectò quoſdã velle ſaluos fieri, quoſdam vero nolle, ſed damnari velle. Accedit quod ſcriptum eſt, quod Deus fecit hominem rectum, & reliquit eum in manu cõſilij ſui. Quomodo autem eſſet relictus in manu conſilij ſui, ſi Deus vellet hunc bene vſurum, illum vero male vſurum libero arbitrio? Et profectò ſententia hæc eſt hæreticis anſa, vt dicant, Deum cauſam peccatorum eſſe noſtrorum, quia præordinare Dei ad vſum malum liberi arbitrij, eſt cauſare huiuſmodi vſum. Sed abſit vt hoc dicamus.* Hęc Zuccolus relatus ab Alphonſo Briceño in 1. Scoti tom. 2. controv. 11. diſt. 3. art. 1. n. 21. pag. 363. & ſequenti, ab ipſoque impugnatus: Cæterum vel ipſe Alphonſus, dum impugnat Zuccolum, ſupponit ipſum his verbis reijcere prædeterminationẽ ad materiale peccati; quia tamen ſupponit Authorem hunc pro noſtra ſententia militare, licet eius rationes infringere conetur, tum inſtãtijs, tum rationibus, non eſt præſentis inſtituti eius fundamenta contra doctrinam Zuccoli enervare, quamvis nullo negotio diſſolvi poſſent

201 Gillebertus in Altercatione Synagogæ, & Eccleſiæ ſcientiam conditionatam à decreto independentem ſatis clare defendit; opus tamen hoc Altercationis ab aliquibus tribuitur prædicto Gilleberto; ab alijs vero aſſignari videtur Gilleberto, Præpoſito Vveſt monaſterienſi, Conſulatur Henricus Gandavenſis in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis c. 6 & ibi Aubertus Miræus, & alij plures apud Theophilum Raynaudum de Deo, & homine lib. 2. ſect. 5. cap. 12. num. 390. & lib. 4. ſect. 2. cap. 1. num. 120. Conſulatur etiam Euſebius Nierembergius cap. 13. exceptionum Concilij Tridentini, & P. Henao de ſcientia media hiſt. prog. event. 43. num. 971. & parte 1. de ſcientia media Theologice defenſata ſect. 96. num. 891. Quicumque tamen fuerit Author illius operis ſententiam noſtram varijs in locis amplectitur, nam cap. 5. illius tractatus, apud Henao vbi ſupra, de ſcientia media Theologice defenſata, ait Diſcipulus (ſub cuius nomine inſtar dialogi interrogat ille, reſpondetque Magiſter) *Si Deus vellet, Adam, & Eua boni eſſent, nec malum incurriſſent*; reponit Magiſter: *Sed Deus Melius voluit, vt quod vellent, eſſent; ſi boni, non infructuoſe; mali autem impune non eſſent, & eo ipſo vtiles eſſent. Futuram eorum præuiderat malam voluntatem eius præſcientia, & ideo non ipſius, ſed eorum eſt culpa.* Cumque Diſcipulus inſtaret: *Cur ergo creauit, quos tales futuros eſſe præſciebat?* Reſpondit Magiſter: *Quia præuidit quid boni de eorum malis eſſet facturus. Sic enim fecit, vt relinqueret eis, vnde aliquid facerent, & ſi inculpabiliter aliquid facerent, illum de ſe laudabiliter operantem inuenirent. Videbant ergo à ſe habere malam voluntatem, à Deo naturam bonam.* Similia verba per totum illud opus ſparſa leguntur, quæ ſatis aperte explicant ſcientiam conditionatam eorum, quæ ex libera creaturarum determinatione evenirent, vt vlterius videri poteſt in cap. 12. vbi cum Diſcipulus affirmaret: *Sic dici fas eſt, videntur ipſi fratres noſtri* (Iudæi) *licet indurati, ex quadam parte excuſabiles iux-*

iuxta propheticam comminationem, quo dicitur, dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos, vt non videant, aures, vt non audeant: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. Quem Magister sic instruit: *Hoc Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præsciuit. Malam quippe voluntatem eorum prævidit Deus. Et sic excæcat, & obdurat Deus deserendo, & non adiuvando: Deus enim quando non adiuvat, iuste facit, quando adiuvat misericorditer facit.* Hactenus Author ille Altercationis, qui Augustini mentem, immo & verba ipsa sæpissime vsurpat. Vberius eandem doctrinam habet, cap. 3. & cap. 4. teste eruditissimo P. Henao vbi supr. Sunt & alij Authores eiusdem Benedictini Ordinis, qui huic sententiæ consonant, videantur in Bibliotheca VV. PP. per plura volumina sparsi.

§. XIV.

Auctores ex eodem ordine Benedictino sententiæ nostræ subscribentes, qui post ortam controversiam de auxilijs floruere.

202 POST Motam controversiam de auxilijs plures, insignesque huiusce familiæ viri sententiæ nostræ suffragati sunt, inter quos huius Collegij Salmanticensis *D. Vincentij* titulo Sapientissimi Magistri sententiam Societatis vt P. Anselmo consonam, veritatisque amicam iamdiu tuentur; proindeque dum punctum hoc ad examen fuit revocatum coram Summo Pontifice, Romam ad Procuratorem Generalem scribentes; die 31. Iulij anno 1600. aiunt teste Paulo Leonardo 1.p.n.44. *Tantum monere voluimus, quod à Patribus Societatis Iesu defenditur esse doctrinam S. P. N. Anselmi, & ideo ob hanc causam, & quoniam quod illi propugnant, verum est, & docetur in hoc Collegio à nostris Magistris; & à discipulis eorum Monachijs nostris tam in huius Academiæ publicis Thesibus, quam in ijs, quæ in Capitulis Generalibus habentur, defenditur; quam ob rem V. P. sedulò considerandum est, hanc esse litem æque nobis communem, à qua nostræ Religionis honor dependet, proinde qua solet industria in ordinis bonum vigilare, prospiciat doctrinæ tanti momẽti, &c.* Et post alia subdunt: *Quod vestra Paternitas secure dicere valeat suæ sanctitati, & quibuscumque alijs Personis, opiniones Societatis, & nostras legi, & defendi ab Augustinianis, Franciscanis, Carmelitis in conclusionibus, & thesibus suorum Capitulorum, & quotidie magis, ac magis amplificantur, & recipiuntur à Theologis valde doctis, vt conformes fidei Catholicæ, & veritati proximioris, &c.* Ibique subscribunt Fr. Placidus de Pacheco qui postmodum Placentinus Episcopus defunctus est. Fr. Antonius Yepes, vir sane eruditus, qui centurias Benedictinorum Annalium multis voluminibus vulgavit. Fr. Maurus de Salazat, quem doctum, acutum, perspicacem, & eruditum appellet Paulus Leonardus 1.p.num.45. Fr. Leander de Granada, qui elucidationes in Sanctæ Getrudis revelationes edidit. Fr. Gregorius Criales, qui præcipuis Benedictini Ordinis Magistratibus functus est. Fr. Antonius Perez sui Ordinis Generalis, Archiepiscopus Tarraconensis; hic vero præter allatum epistolæ testimonium, alia etiam affert clarissima in opere, quod inter alia ingenij monumenta excudit de *authentica fide Ioannis Catholicis controversijs agitata*, cap. 36. ex eiusdem Ioannis 6.v.43. n.27. 29. & 34. vbi hæc habet: *In malis, & prohibitis scientiam mediam omnino necessariam iudico, propter improbitatem operis, quod (nisi mea fallit opinio) repugnat habere pro causa etiam materialitatis suæ decretum absolutum, efficax, & antecedens Dei.*

203 R.P. M. Fr. Hieronymus Marton, qui tunc Hispalensis Abbas erat, in litteris datis anno 1601. Procuratorem Generalem eiusdem Hispaniæ observantiæ S. Benedicti vehementer hortatur ad doctrinam Molinæ, quæ tunc Romæ discutiebatur, acriter tuendam, vt refert Paulus Leonardus 1.p.num.45. Germanus Philal. cap. 1. §. 4. n. 45. *Quam*, ait, *& nostri dictant suis in prælectionibus Magistri, estque apud nos receptum, hanc fluxisse doctrinam à primitiuis Scholis nostræ Sacræ Religionis; quos ob titulos hæc causa nobis æque propria est, ac Patribus Societatis*: additque: *Rem hanc commendo, quæ non solius nostri sodalitij causa est, sed aliorum sacrorum ordinum per Hispaniam, in quibus communiter præfata doctrina legitur.*

204 Nec post illustres, quos retuli, huiusce familiæ viros, defuerunt alij, qui illorum vestigijs adhærentes sententiam nostram pro virili amplexati fuerint, tum in Academia Parisiensi, tum etiam in Salmanticensi, Complutensi, Vallisoletana, Moguntina, Cæsar-Augustana, Granatensi, Herbipolensi, Conimbricensi, Valentina, Compostellana, Ovetensi, Beatiensi, qui videri possunt apud Henao de scient. med. Hist. prop. event. 45. per totam. Inter quos præcipuæ floruerunt, R. P. Fr. Placidus

eſdus de Puga Philoſophiæ naturalis olim in Vniverſitate Valliſoletana Profeſſor, dudumque Abbas Salmantini Collegij S. Vincentij, poſtmodumque Definitor Generalis. R. P. Fr. Philippus de Bahamonde. R. P. Doctor Fr. Gaſpar à Nivibus Profeſſor Theologiæ in Collegio Benedictino Conimbricenſis Academiæ. Verum, vt alios omittam, audiatur D.D. Ioannes Garcia Coronel Profeſſor Primarius Theologiæ in Pintiana Academia, qui poſtquam de Vniverſitate Beatienſi, Granatenſi, & Pintiana, ſeu Valliſoletana idipſum teſtatus fuerat hæc de Salmanticenſi ſcribit, apud Henao in ſupra relata Event. num. 1216. *Liquet mihi, exceptis Dominicanis, reliquos excellentiores profeſſores negare huiuſmodi Prædeterminationes*, & poſtquam plures huius Societatis ſententiæ Patronos retulit, ſubiungit, *&, vt arbitror, omnes Benedictini Magiſtri.* Similia verba habet in tota epiſtola Romam Miſſa ad R. P. Fr. Ioannem Baptiſtam Piambinum Procuratorem Generalem Eremitarum S. Auguſtini die 17. Octobris, anno 1600. quam integram tranſcribit Paulus Leonardus 1.p. ſect. 11. num. 46. His accedat Illuſtriſsimus, ac Reverendiſsimus Nicolaus Colbert Beccenſis Monaſterij celeberrimi, Ordinis Benedictini ſapientiſsimus Abbas, ac nunc Rhotomagenſis Archiepiſcop. coadiutor, qui in ſuo veteris, & novæ Philoſophiæ præclaro opere ſententiam Societatis paſim tradit, præſertim tom. 2. editionis 2. in quo de Metaphyſica agit. tract. 3 q. 3. concluſ. 2. Accedat etiam R. P. Fr. C. de la Haye Prior Clauſtralis Monaſterij novi Pictavienſis Ordinis S. Benedicti S. Theologiæ Doctor Pariſienſis, qui in approbatione defenſionis per Petrum à S. Ioſepho, cuius opinionem de gratia non prædeterminante, nec neceſsitante dicit eſſe *ad mentem Auguſtini*, hæc habet, apud Germanum Philaletem in opuſculo contra prædeterminationem cap. 2. §. 2. n. 98. loquens de ſententia noſtra: *Cum longe maioris conſolationis, ædificationis, & fiduciæ ſit hæc præſens ſententia, quam oppoſita, lubens, & volens ei ſubſcribo.*

205 Præter hos Benedictini Ordinis ſpectatiſsimos Magiſtros enumerare libet quoſdam alios eiuſdem Familiæ ingenio præſtantiſsimos, quos non ſine ingenti omnium plauſu Salmantinum Theatrũ excepit: ij ſunt R. P. Fr. Benedictus Sala laureatus Salmantinus, qui ibidem Regentem Artium egit ſtrenuum, non ingenij ſolum acumine, ſed doctrina pariter, & pietate; nunc demum inſignis Monteſerrati cœtus meritiſsimus Abbas. Illuſtriſsimus, ac Reverendiſsimus P. Fr. Didacus Baſſanta in hac eadem Academia Cathedræ Phyſicorum moderator, Vir ſane egregius, qui illud ſapientiæ, ingenij modeſtiæque ſpecimen præbuit, vt antequam Sacræ Theologiæ Cathedram obtinuiſſet, prudentia, non tamen ætate, ſenex ad Epiſcopales infulas evectus fuerit. Cæterum proh dolor! Nondum pœne Antiſtes à Porturico electus prima dignitatis limina ſalutarat, cum invido immaturoque fato arreptus non minori omnium dolore, quam antea gaudio, occubuit, vt Religioſis virtutibus ornatus in meliorem portum appelleret. R. P. Fr. Ignatius Royo, quem Salmantinum hoc Lycæum Regentem Artium miratur, quique eximia ingenij ſubtilitate, vel apud æmulos claret. Tribus his, doctiſsimiſque laureatis fas eſt adiungere R.P. Fr. Bernardum de Burgos D. Thomę Cathedrę in Ovetenſi Academia moderatorem, ibidemque laureatum, & ob doctrinæ præſtantiam clariſsimum. Qui omnes acutiſsimos, doctiſsimoſque tractatus tum pro ſcientia media, tum contra phyſicam prædeterminationem in domeſticis prælectionibus dictarunt, quoſque ego præ manibus habui. Vlterius in Theſibus, quę ab ipſis vel in Academia, vel intra Collegiũ propugnatę fuerunt, tum etiam in prælectionibus, aliiſque experimentis pro obtinenda Cathedra, aut laurea, doctrinam Societatis aperte, exacteque tradiderunt.

205 Ex Ciſtercienſis Magiſter Petrus Lorca 3.p. diſp. 10. memb. 2. num. 26. & 27. poſtquam adduxerat verba S. Thomę 3.p. q. 1. art. 3. ad 4. 1.p. q. 22. art. 7. in corpore, ſubdit: *Ex quibus S. Thomæ verbis conſtat, præſcientiam illã, quã dicit ſupponi ad prædeſtinationem, non eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nec ſcientiam viſionis, ſed ſcientiam, quam vocant mediam, quæ eſt de futuris contingentibus conditionatis, quæ ex hoc loco S. Thomæ manifeſte adſtruitur.* Hæc ille apud Henao, vbi videri poſſunt ſuſpitiones, quæ à Thomiſta quoddam Recentiore afferuntur, vt Lorcam à ſententia noſtra vendicet, quas adeo infeliciter adducit, vt nec exiguæ probabilitatis appareant; ait enim ſe vehementer ſuſpicari, verba illa non à Magiſtro Lorca, ſed à Dionyſio Cucho Complutẽſi, qui poſthumum huius Doctoris opus typis mandavit, ſuppoſita fuiſſe, cæterum ecquod fundamentum affert; quo mira hæc ſuſpitio nitatur? nullum, certe hoc modo liceat mihi ſuſpicari, nec phyſicam prædeterminationem tradi à ipſo Bannecio. Ait, fuiſſe illud opus in lucem editum à prædicto Dionyſio ſcientiæ mediæ affecto, ideoque ob affectum erga ſcientiam mediam teſtimonium illud addidiſſe ſuſpicatur. Optime, ergo Thomiſta ille, firmiter cum reliquis aſſerens, inveniri in D. Thoma teſti-

testimonia aperta pro prædeterminatione; cum sciat opera D. Thom. fuisse post controversiã de auxilijs typis mandata à Dominicanis physicæ prædeterminaitoni, vt compertum est, affectis, dat veniam, vt suspicari possimus, ab ipsis, non vero à D. Thoma suppositа fuisse testimonia illa? Quid ad hæc? Certe huiusmodi suspitionibus non indigemus, cum D. Thom. satis pro nostra sententia militare constat; indiget tamen Recentior ille, cum alio modo testimonium Lorcæ vitare nequeat. Nec quidquam momenti affert in contrarium, dum ait, Lorcam ibi non de scientia media inter naturalem & liberam loqui, sed de media inter notitiam pure possibilium, & absolute futurorũ. Hoc enim arbitrarie, & absque omni prorsus fundamento dicitur; clarissime namque affirmat loqui D. Thomam de scientia quæ supponitur ad prædestinationem, *quam*, ait, *Vocant Mediam*, quæ verba esto aliud fundamentum non adesset, satis alludunt ad illam scientiam, de qua est sermo, si enim de illa alia loqueretur, cum exactissimus simul, ac sapientissimus sit Magister Lorca, nõ illam absque distinctione apparuisset ad confundendum potius, quam ad declarandum D. Thomæ locum. Vlterius, vt omni suspitio auferatur, audiatur ipse Lorca, in disputat. de gratia, pagin. 686. vbi loquens de auxilio non prædeterminante, hæc addit: *Nam auxilium huius generis infallibile est ex adiuncta præscientia, & cognitione futuri eventus conditionati, quæ solam inducit necessitatem consequentem, quæ est necessitas secundum quid, & supponens liberam determinationem. Maior difficultas est, si auxilium hoc physice prædeterminet, &c.* Hactenus Lorca, quem scientiæ mediæ faviſse testatur coætaneus ipsius Lorcæ Illustrissimus, ac Reverendissimus Angelus Manrique, apud Henao n. 108. nisi forte tanti viri testimonium reijcias etiam, vt authoris scientiæ mediæ affecti, & certe non vt ille Dionysius Cuchus quo si nullus alius in scientiam mediã propensior floruisset, nullum hucusque Patronũ pro se scientia media enumerare posset. Legatur P. Henao num. 154.

206 Petrus à S. Iosepho Congregationis B. Mariæ Fuliensis Familiæ Cisterciensis in idæa Theolog. l. 1. c. 3. in defensione S. Thomæ disp. 1. sect. 8. n. 4. & sect. 11. n. 2. disp. 2. sect. 6. n. 5. fine, alijsque in locis, vt testantur Henao, & Germanus Philaleth. cap. 3. §. 3. n. 125. scientiam mediam ex professo defendit idque ex mente D. Thom. Item in concordia suavi disp. 4. sect. 4. n. 4. pag. 534. vbi scientiã mediam firmat authoritate Academiæ Complutensis, quæ Suaris opuscula de gratia efficaci approbat tanquam *validissimis rationibus per acute confirmata*, subscribentibus Vniversitatis Rectore, Primarijsque Doctoribus, postmodumque subiungit ipse P. à S. Iosepho: *si gravis hæc controversia ex recentiorum Theologorum numero dirimenda sit, dubitari non potest, quin scientia conditionata longe plures Patronos habeat.* Eandem sententiam fuse tradit in lib. Gallice scripto, cui titulus est, *la Theologie dutemps*. Vide etiam alia huius Authoris testimonia pro sententia nostra in libro, qui inscribitur elogia Societatis, vbi de Cistercienſibus.

207 Illustrissimus Angelus Manriquez Congregationis Cisterciensis Hispanæ Generalis in Salmantina Academia Primarius antecessor, ac demum Pacis Augustæ laudatissimus Antistes scientiam mediam egregio, iustoque volumine illustravit, quod ob inopinatam Authoris mortem paratum iam prælo distulit fatum; servatur tamen in Collegio Cistercienſi S. Mariæ de Laureto apud Academiã hanc, seque illud evoluisse testatur P. Henao de Sc. Med. Hist. prop. n. 3. pluraque affert, quæ ibidem legit, & quæ sententiam nostram valde commendant, inter alia, lib. 3. contr. 25. n. 29. ait explicans sententiam nostram de scientia media, eiusque authoritatẽ in Salmantina Academia: *Licet enim habeat, ab initioque vtriusq; habuerit partis egregios defensores; at Primarij illius Professores à Magistro Curiele, qui primus extra Dominicanam Familiam hanc Cathedram obtinuit nostris tẽporibus, vsque ad nos, qui illam, licet immeriti, possidemus, omnes hanc scientiam admisisse, docuisseque habemus compertum.*

208 Reliquos ex Cistercienſibus referre statui, quin eorum verba transcribam, tum quia satis clare per integras disputationes, immo & volumina sententiam Societatis tuẽtur; tum etiam ne opus hoc in immensum excrescat. Eustachius à S. Paulo Congregationis Fulienſis 2. p. Summæ Philosophicæ tract. 2. disp. 1. q. 3. §. *Verum & libere*. Chrysostomus Caberus de physica auscultatione tract. 2. disp. 4. n. 9. R. P. Magister Fr. Franciscus de Campomanes in Complutenſi Academia Cathedræ Durandi moderator. Et in Salmanticenſi R. P. Fr. Petrus de Oviedo, qui Decanus fuit facultatis Theologicę, Definitor Generalis, & Abbas pluries. R. P. Fr. Franciscus de Rois, Vesperarius Theologię Antecessor, Ecclesiastes Regius, Definitor Generalis, & Abbas. Illustrissimus, ac Reverendissimus P. Fr. Antonius de S. Pedro, vir omnium acclamatione acutissimus, qui postquam varias Theologiæ Cathedras doctissime moderatus fuit, ad sacrã Episcopatus dignitatem promotus, dum Guamangam peteret, antequam Maris vndas, procellasq;

cellaſque experiretur, commune mortis naufragium expertus fuit. His adiungere licet R. P. Fr. Alfonſum Hervas tunc in Academia candidatum florentiſsimum. Qui vero nunc doctrinæ Societatis adhærent, vt ipſam ingenio, & elegantia illuſtrent, ſunt R. P. Fr. Michael de Fuentes in hac celeberrima Vniverſitate Primarius nobiliſsimus, quem vt ſapientia, & eruditione ſpectabilem veneratur Academia noſtra, ab ipſoque commune ſuffragium, & vtilitas publica volumen expoſcit ſapientiſsimum, quod diu meditatur, iam iam, vt opinor præſto maturum, in quo mire ſententiam noſtram exornare audio. R. P. Fr. Barnaba de Ortuño Cathedræ Durandi Prælector, qui certe abſque vlla prorſus adularione ingenij floridiſsimi fama viget R. P. Fr. Michael Quixada, qui Cathedram Logicæ ſumma laude litteris & virtutibus comparata obtinet. R. P. Fr. Alphonſus de Sylva Abbas nunc Salmantini Collegij digniſsimus, Regens Artium quondã, & nunc in litteraria paleſtra, pro obtinenda Theologiæ Cathedra candidatus ſtrenuus. Hi omnes pro Religione doctrinam Societatis, qua ſolent elegantia, acrique ingenio conſtanter vbique defendunt, & vt ait Henao in ſimili de alijs doctiſsimus Ciſtercienſibus: *Habemus nunc in Academia tot, & tales ſententiæ noſtræ Patronos, vt non modo omnium ſimul, ſed & ſingulorum calculus ſatis, ſuperque eſſet ad abſolutam illius* (ſententiæ noſtræ) *commendationem.*

§. XV.

Auctores ex Sacro Ordine Carthuſiano, qui ſententiæ noſtræ fauent.

209 SANCTISSIMVS Patriarcha Brunnius adeo ſententiæ noſtræ patrocinatur, vt qui eum attente ſyncereque meditatus fuerit, vix vel exiguam de hoc formidinem concipiet. Quidquid namque ſit, an docuerit, opera, quæcumque illa ſint meritoria, vel demeritoria, exercere ſuam vim, & obtinere gratiam, & gloriam, etiam ſi numquam abſolute futura ſint, inquem errorem incidiſſe inclytum hoc pœnitentiæ exemplar, affirmat Ruizius diſp. 15. de Provid. ſect. 1. n. 5. quamvis illum, vt inquit Henao excuſare poſſet, ſicut alios Sanctos PP. quos ab hoc errore vendicat diſp. 27. & 28. de Provident. tamen ſententiam noſtram tueri dubiũ non eſt. Namque in epiſt. 9. ad Rom. ad illa verba epiſt. *Iacob dilexi, Eſau autẽ odio habui. Quid ergo dicemus?* (inquit Divus Brunnus) *Quare magis Iacob electus ſit, quam Eſau? Ad hoc reſpondetur, quia Deus Iacob idoneum, & cooperaturum gratiæ præſciuit. Eſau vero non idoneum, quia non cooperaturum, ideo vni miſericorditer tribuit, quod ab altero iuſte propter originale alienavit.* Quid pro noſtra ſententia clarius adduci poſſet vel ab ipſo P. Molina? Et poſt pauca non minus perſpicue phyſicam prædeterminationem reijcit, & ſcientiam noſtram conditionatam ſtatuit: *Deus autem ſic vnum per miſericordiam elegit, ſic alterum per iuſtitiam reprobat; vt tamen voluntariam facultatem in eis nõ deſtruat, quia, & ſi multos in hoc ſæculo Sanctos multiplici muniuit gratia: non tamen coegit eos, vt ex neceſſitate bonũ agerent, nec ad malum, ſi vellent declinare poſſent: ſed adiuvit per gratiam, quia vidit eos gratiæ cooperaturos. E contrario nõ ita Indæ ſubtraxit gratiam, vt gratia ſubtracta impelleret, vellet, nollet operari iniquitatem: ſed vt appareret, quid per ſe poſſet iniquitas; ſi enim gratia data, vel negata compellens eſſet, ac neceſſaria, iam non eſſet relictum homini meritum ſaluationis, vel damnationis.* Vcuſque mirabilis hic Patriarcha, qui certe non incidet in errorem Semipelagianorum, quia quamvis affirmare videatur, Deum vnum elegiſſe, alterum reprobaſſe, quia præſcivit illius demerita, & merita iſtius, tamen ly *quia* non dicit rationem formalem, ſed puram conditionem, licet enim *quia* denotet abſolute cauſam; tamen ibi ſumitur late, vt aliquando ſolet, pro conditione ſolum; & in hoc ſenſu verum eſt, vt communiter traditur apud noſtros, & quod ly *quia* non denotet cauſam, ſed conditionem in prædicto textu, ſatis conſtat ex illis verbis: *Quod ab altero iuſte propter originale alienavit*, in quibus affirmat, cuſam reprobationis in Eſau fuiſſe peccatum originale, quod apud aliquod Theologos reddit homini indebita auxilia congrua, quæ neceſſario requiruntur ad prædeſtinationem.

210 Vlterius non ſine evidentia colligitur ex ipſo Sanctiſsimo Patriarcha, merita, vel demerita prævisa non eſſe cauſam vllo modo electionis, vel reprobationis; audiatur ipſe loco ſupra citato ad illa verba: *Non ex operibus*, vbi hæc habet: *Ego dilexi Iacob, & pro hoc præcipue elegi eum. Eſau autem, quia odio habui, reprobavi. Odium enim Dei nihil aliud eſt, quam ex æquitate gratiam ſubtrahere. Conveniente ſicut de præcedẽti teſtimonium poſuit, vt præceſsiſſe merita eorum excluderet: ita & de ſequenti teſtimonium poſuit, vt oſtendat, ſequens meritum Iacob inſufficiens fuiſſe, & penitus per ſe indignum fuiſſe gratia Dei: & ideo conſtare, quod per miſericordiam electus*

ſit:

sit: vt etiam ostenderet, quod Esau iuste negata sit gratia, quia non esset cooperaturus gratiæ. Quæritur: cur Iacob electus sit, & Esau reprobatus, cum in neutro meritum boni, vel mali præcesserit, quæ causa fuerit electionis vnius, & reprobationis alterius? Ad quod respondetur, Iacob electum esse per misericordiam: Esau reprobatum secundum iustitiam: Deus enim cum primũ creavit hominem, multiplici eum insigninit gratia; quam, quia peccato à se repulit, indignum se fecit gratia Dei, & exinde Deus nihil homini debuit, sicque non est relictum homini, vnde iuste possit conqueri, si destituitur gratia Dei, &c. Vbi certe manifeste affirmat, dari præscientiam recti, vel pravi vsus, cæterum vlterius addit, immo & sæpe inculcat post illam præscientiam, adhuc prædestinationem Iacob fuisse misericordiam: ergo non præcesserant merita, esto præcessisset præscientia illa: & etiam reprobationem Esau fuisse propter peccatum absolute prævisum, quãdo quidem post scientiam conditionatam peccati, adhuc dicit, non præcessisse demeritum. Dum ergo ait, propter præscientiam fuisse aliũ electum, & reprobatum alium, late vsurpavit ly *quia*, non pro causa, sed pro conditione. Potuit ergo Ruiz, immo & debuit venerabilẽ vndique Authorem hunc ab illo impositio errore vendicare. Vlterius, quamvis in errorem sibi materialem incidisset (à quo, vt vidimus, toto cœlo aberrat) hoc damnandum esset non propter vsum scientiæ mediæ, sed propter abusum, vt Semipelagiani reijciuntur; quod absurdum non incurrere sententiam Societatis fuse, & vulgariter propugnatur pasim à nostris, qui quidem manifeste vitant, quam putant Caribdim libertatis, quin incidant in scylam Semipelagianismi.

211 Dionysius Carthusianus in 1. dist. 41. q. 1. aperte stat pro sententia nostra, dum fuse, & expresse disputat, an præscientia meritorum, vel demeritorum sit causa prædestinationis, vel reprobationis? Ibidem namque quamvis acriter impugnet eos, qui asserunt præscientiam meritorum esse causam prædestinationis, tamen supponit vt certum, præcedere scientiam illam meritorum ad prædestinationem, non tamen esse causam, vnde ibidem impugnans Alexandrum hæc habet: *Præterea Alexander in forma quæstionis proponit, non solum an præscientia meritorum ipsius, qua Deus scit, eum bene vsurum gratia, sit causa, seu ratio prædestinationis, sed etiam vtrum præscientia, qua scit illũ male vsurum sit causa, seu ratio reprobationis, & tamen non soluit hanc quæstionẽ nisi pro prima parte ipsius. Videretur autem melius, vel saltem minus male sonare, si respondisset, quod præscientia demeritorum sit ratio reprobationis, quam, quod præscientia meritorum sit ratio collationis gratiæ, & gloriæ, seu prædestinationis. Verum, quid de his sentire oporteat, ex sequentibus evidentius mox patebit, nam & vix tolerare posse videtur, vt præscientia demeritorum dicatur ratio reprobationis, cum Magister dicat in littera, quod Deus reprobavit, quos voluit, non propter futura eorũ merita, id est demerita, quæ prævidit, &c.* Vbi, & in tota quæstione sub expresis terminis loquitur de præscientia conditionata, quæ præcedit prædestinationem, & omne divinum decretum, quin illam refutet, sed asserendo solum, illam non posse esse causam prædestinationis, quæ est ipsissima Societatis sententia. Alia eiusdem testimonia contra prædeterminationem adducit Aldretus disp. 28. sect. 1. num. 11. Ruiz. disp. 33. de scient. Dei, sect. 6. n. 5. Philaletus, & alij.

212 Guigo, seu Guido Prior V. Carthusiæ primariæ, apud Iudo cum Coccium tom. 2. Thesauri Catholici lib. 1. art. 5. pag. 69. scientiam conditionatam independentem à decreto adstruit in *Institutione* cap. 9. dum ait: *Præscientia autem non vtique cogit eos esse, quod futuri sunt, tanquam necessario sic sint futuri, quia sic eos futuros esse præscisti; quin potius, quia sic futuri erant ideo tu sciens omnia ante quam fiant, etiam hoc tu præscisti* Quæ verba supra relata sunt num. 199. tanquam Guillielmi Abbatis, quia cum omnes antiqui PP. doctrinam hanc ex purissime Augustini fonte haurirent, non solum eodem sensu, sed eodem pene loquendi modo hac in re gaudent. Vide in prædicto num. 199. quomodo ex hoc, & similibus testimonijs inferatur non obscure veritas sententiæ nostræ.

§. XVI.

Authores ex Ordine Sacro Prædicatorum, qui ante exortam controversiam de Auxilijs, reijciunt necessitatem gratiæ prædeterminantis, vel etiam eius possibilitatem.

213 RELICTO Angelico Præceptore, quem supra retuli, ducat agmen B. Albertus Magnus Episcopus Ratisponensis ipsius D. Thomæ præceptor, qui obijt anno 1280. sexenio post obitum D. Thomæ, quique sententiam Societatis de indifferentia auxiliorum, & incompossibilitate gratiæ prædeterminantis cum nostra libertate, gradit satis perspicue 1. p. sum. q. 61. memb. 8.

his

his verbis: *Duplex eſt neceſsitas, abſoluta ſcilicet, quam vocat Anſelmus antecedentem, quæ eſt ex cauſis proximis ad effectum ordinatis: & eſt neceſsitas conſequens rei poſitionem, ſicut ſedentem ſedere, dum ſedet. Quod ſubiacet neceſsitati primæ, nullo modo concordat cum libero arbitrio; quod ſecundæ, nihil prohibet concordare cum libero arbitrio. Hæc ille.* Ex quibus ſic ſubſumo: Atqui neceſsitas orta ex gratia prædeterminante phyſice non ſequitur poſitionem rei, ſed illam antecedit; cum iuxta adverſarios, Deus per gratiam phyſice prædeterminantem faciat, vt faciamus bonum: ergo neceſsitas orta ex gratia prædeterminante, non eſt neceſsitas cõſequens, ſed antecedens, quę iuxta B. Albertum cum Anſelmo contraria eſt libertati.

214 Neque dixeris cum Pſeudophilaleto, auxilium prædeterminans eſſe quidem ſuppoſitionem quandam antecedentem, quomodo cauſa ſupponitur effectui; non tamen eſſe neceſsitatem antecedentem. Hoc enim frivolum eſt; quia omnis ſuppoſitio eſſentialiter connexa cum opere, eſt neceſsitas quædã operis: ſuppoſitio autem antecedens nequit eſſe neceſsitas conſequens, quia neceſſe eſt, vnumquodque eſſe, ex ſuppoſitione quod ſit: ergo ſuppoſitio antecedens eſt neceſsitas antecedens. Vnde manifeſte principium petit Pſeudophilaletus, dum ait, phyſicam prædeterminationem non eſſe antecedentem neceſsitatẽ, ſed antecedentem libertatem, *quia libertatẽ*, inquit, *cauſans, in eo, quod non tantũ attingit ſubſtantiam actus, ſed etiam ipſius modum; facitque efficaciter, & infallibiliter, vt ſit actus, ſed eadem efficacia, & infallibilitate facit, vt actus ſit liber.* Petit, inquã, principium; quia cum Deus vult effectum fieri libere, debet applicare ille cauſam proximã non determinatam, ad vnum, vt probavi tract. 1. diſp. 3. ſect. 6. ex D. Thom. gratia autẽ prædeterminans eſt cauſa determinata ad vnum. Vnde Deum velle, vt effectus fiat libere, & velle, vt fiat mediante prædeterminatione, eſt velle contradictoria: vt enim inquit D. Thom. 1. contrag. cap. 68. *Dominium, quod habet voluntas in ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate velle, vel nolle, excludit determinationem virtutis ad vnum.* Ergo excludit gratiam prędeterminantem, nam hęc eſt determinatio virtutis ad vnum.

215 Deinde pro noſtra ſententia ſtare Capreolum, qui floruit anno 1424. fatẽtur ipſe Magiſter Bañez, qui phyſicam prædeterminationem in Scholas invexit. Nam 1. p. q. 23. art. 3. dub. 2. columna mihi 719. §. *Secundus ſenſus*, illum citat pro ſententia P. Molinæ negantis Deum prædeterminare voluntatem, ſimul cum Richardo Taper, & Gregorio Ariminenſi. Eundem pro eadum ſententia citat Petrus de Ledeſma in tomo de auxilijs pag. 7. §. *ex hac ſententia*. Locus egregius Capreoli pro noſtra ſententia eſt in 2. diſt. 24. art. 3. in reſponſ. ad argumenta contra Græcam concluſionem, nimirum pag. 424. columna 1. ad ſextum, vbi hæc habet: *Ad ſextum dicendum, quod voluntas, quantum eſt de naturæ ſuæ, eſt ad oppoſita: ipſa tamen ratione ſuæ libertatis determinat ſe ad id, quod vult, & ita non indiget alio determinante.* Nec ſatisfacies, ſi reſponderis, voluntatem non indigere alio determinante creato, indigere tamen determinante increato: etenim propoſitio Capreoli eſt vniverſalis negativa poſita ſine vlla reſtrictione, *non indiget alio determinante*: ſi autem in exponendis Authoribus licet vniverſalem negativam reſtringere ad particularem negativam, nihil habebimus in Theologia tutum. Præterea Capreolus inde deducit, voluntatem non indigere alio determinante, *quia ipſa ratione ſuæ libertatis ſe determinat ad id, quod vult*, quæ ratio vniverſalis eſt, & procedit ex terminis. Quòd ſi illæſa libertate poſſet Deus prædeterminare voluntatem ad vnum prę alio eligendum; non eſſet ratio, cur Deus non poſſet concedere facultatẽ alicui agenti creato determinandi voluntatem ad vnum præ alio, illæſa eius libertate. Quare ratio Capreoli eſt ex terminis, quia implicat voluntatem creatam ratione ſuæ libertatis ſe determinare ad id, quod vult, & tamen prædeterminari ab alio fortiori, cui ipſa reſiſtere non poteſt: *Non enim relinquitur in manu conſilij ſui ille, qui nihil poteſt agere, niſi prædeterminetur ab alio fortiori, cui ipſe reſiſtere nullo modo poteſt*, vt ſapienter inquit Belarminus lib. 4. de grat. & liber. arbitr. cap. 14. vnde D. Thomas ſupra citatus n. 146. huius diſputationis, aiebat: *Voluntas non poteſt in oppoſitum earum, quæ ſunt ei ab alio determinata, & ideo non poteſt in oppoſitum eius, quod ex diuina impreſsione determinatur.* Ex quibus verbis plane conſtat Div. Thomam ſentire; quod ſit contra conceptum libertatis creatæ, quod actio determinetur ab alio, quam ab ipſa voluntate; & hinc infert, voluntatem non manere cum potentia ad oppoſitum eius, quod eſt prędeterminatum à Deo per prædeterminationem impreſſam voluntati.

216 Ratio à priori eſt, quia actio non oritur liberè à voluntate, niſi oriatur ab ipſa vt proximè indifferenti ad oppoſitum: nõ oritur autem actio amandi v. g. à voluntate vt proximè indifferenti ad odium, quando oritur à voluntate vt prædeterminata ad amandũ;

proue

prout sane oritur in sententia prædeterminatorum asserentium omnes actiones causæ secundæ essentialiter supponere prædeterminationem causæ primæ. Et hanc esse Capreoli mentem constat ex argumento, cui respondet, illud argumentum proponit illa dist. 24. q. 1. art. 2. pag. 414. columna 1. his verbis: *Sexto, Quia Commentator dicit secundo physicorum, quod esse indifferens æqualiter ad oppositа est contradictio potentiæ passiuæ, quæ oportet reduci in actum ab alio, sed voluntas est indifferens ad oppositas volitiones: ergo siue voluntas ponatur nuda, siue affecta, quandiu accipitur vt indifferens ad oppositа, oportet quod moueatur ab altero determinante eam ad alterum oppositorum, quod non potest esse nisi obiectum. Et si dicatur, quod voluntas mouet se, sed hoc non potest nisi mediante obiecto, sicut causa sine qua non: ita etiam dici poterit de ligno, quod calefacit, & comburit se, eo quod in eo erat virtualiter forma ignis, sed hoc non facit, nisi præsente igne, sicut causa sine qua non*: Cui argumento respondet: *Ad sextum dicendum, quod voluntas quantum est de natura sua, est, ad oppositа; ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id, quod vult, & ideò non indiget alio determinante. Ad totam autem deductionem de ligno, dicendum, quod ipse arguens loquitur de potentia voluntatis, in cuius potestate est agere, sicut de potentijs naturalibus, quæ necessitatæ sunt ad agendum: vnde præsente obiecto voluntatis non est necesse, quod voluntas velit, nisi sit obiectum, quod est vltimus finis; & tunc etiam non est necesse necessitate absoluta, sed ex conditione, scilicet, si ostendatur, & maneat illa ostensio. Constat autem, quod non sic est de potentijs naturalibus, quæ necessario agunt præsente passiuo: vnde non est in potestate eorum agere, & non agere. Si autem dicat, quod non est in potestate voluntatis agere, vel nõ agere, libertatem tollit, & primum principium, scilicet quod homo sit liberi arbitrij, tollit etiam meritum, & culpam, vnde patet, quod falsum supponit.* Hactenus Capreolus.

217 Ex quibus constat voluntatem apud Capreolum præsente obiecto non ab alio quam à se ipsa determinari ad illud volendum, & ideo hominem esse liberi arbitrij; quia postquam obiectum est ipsi propositum per cognitionem potest se determinare ad ipsum volendum, vel non se determinare, totaque determinatio actionis suppositа cognitione est penes arbitrium. Quod si non possit iuxta Capreolum se determinare, quin prædeterminetur à Deo; neque potest se determinare ad eliciendum potius actum, cui annexa est malitia moralis, quàm actum oppositũ, quin ad hoc prædeterminetur à Deo. Hoc autem est contra Capreolum, qui in 2. dist. 28. q. 1. art. 3. in resp. ad argumenta contra secundã concl. pag. 471. col. 1. in fine, in responsione ad duodecimum propositum pag. 462. colum. 1. hæc habet: *Ad argumentum dico, quod Deus iuuat nos immediatè ipsum actum efficiendo, & quod non ipse solus efficit actũ, sed etiam voluntas coefficit. Sed, vt iam tetigi, non solum iuvat Deus ad bonum velle partialiter coefficiendo, qui est modus cõmunis, quo concurrit ad cuiuslibet agentis creati effectum quemlibet, vt in argumento dicebatur. Sed etiam quoddammodo speciali, videlicet faciendo ipsam voluntatem partialitèr concurrere; ita quod ipsa voluntas partialitèr concauset applicata, & quasi instrumentalitèr mota à Deo ad sic partialitèr concurrendum. In qua tamen motione ipsa non necessitatur, sed instrumentum liberum existens, in cuius potestate est sequi motionem agentis, iuvatur, ita vt agat ea, quæ non sic adiuta nequaquam agere potuisset. Ad productionem vero actus mali solum primo modo concurrit Deus; quia non facit voluntatem agere actum malum, sicut facit eam agere actum bonum; & hoc est illud adiutorium Dei speciale, sine quo dicimus nos nihil bene velle, aut facere.* Ista clarè docet Beatus Augustinus in lib. de gratia & liber. arbitr. circa medium, vbi dicit sic: *Certum est nos velle, cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est: Præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est, qui operatur in nobis velle: certũ est nos facere cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit, faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Item paulo post: *Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: certus sum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet vsque in diem Iesu Christi: vt ergo velimus, sine nobis operatur: Cùm autẽ volumus, & sic volumus, & faciamus, nobiscum cooperatur, cùm sine illo, vel operante vt velimus, vel cooperãte cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus.* Hactenus Capreolus suã doctrinã ex Augustino hauriens in qua manifestè continetur tota Societatis doctrina, & clarè excluditur necessitas physicæ prædeterminationis, vt voluntas determinetur. Nam voluntas se determinat ad actum malum; & tamen Deus non prę-

de-

determinat voluntatem vt determinet ad actũ malum eliciendum; nam Deus prędeterminans voluntatem ad aliquem actum eliciendum, non ſolum concurrit cum voluntate ad illum actũ; ſed etiam facit vt voluntas partialitèr concurrat cum Deo ad illius elicientiam; ac proinde verè & propriè facit vt voluntas faciat illum actum; Deus autem iuxta Capreolum licet cõcurrat ad actum peccati cum voluntate creata, tamen non concurrit faciendo vt voluntas partialiter concurrat, nec voluntas concurrit quaſi inſtrumentaliter mota à Deo ad ſic partialiter concurrendum: ergo iuxta Capreolum non concurrit Deus ad actum peccati prædeterminando voluntatem; ſed pure ſimultaneè & concomitanter concurrendo, & cooperando cum voluntate in illum actum. Vbi nota iuxta Thomiſtas Deum non concurrere cum voluntate ad actuum peccati reduplicativè vt malũ, quia vt ſic reduplicat malitiam moralem conſiſtentem in privatione reſtitutionis debitæ ineſſe actu vel potentiæ; quæ malitia cum iuxta ipſos non ſit à voluntate vt efficiente, ſed à voluntate vt deficiente, non fit cum concurſu Dei; ſiquidem concurſus Dei, vt talis, eſt coefficientia, & ſolum terminatur ad aliquid poſitivum. Solum ergo Deus, concurrit ad actum peccati ſpecificativè ſumptum, & quatenus entitas eſt: ergo in eo ſenſu, in quo Deus concurrit ſimultaneè ad actum peccati; non concurrit prævie, faciendo vt voluntas eliceat entitatem talis actus; quia Deus iuxta Capreolum non facit vt voluntas eliciat actum peccati: ergo iuxta Capreolum non prædeterminat ad actum peccati: ergo iuxta Capreolum vt voluntas ſe determinet; non indiget Deo prædeterminante; ſed in actibus malis ſolum indiget Deo vt ſimultaneè cooperante & coefficienti; in bonis vero indiget Deo non ſolum vt ſimultaneè coefficienti, ſed etiam vt ſpecialiter faciente per gratiam prævenientem vt voluntas noſtra concurrat cum Deo ad actum ſalutarem, eo quod Deus paratus ſit concurrere, ſolumque ſtet per voluntatem creatam, quod non fiat actus honeſtus, quos Deus præcipit, vel conſulit.

218 Conſtat etiam ex dictis, gratiam, qua Deus facit vt faciamus actum ſalutarem, iuxta Capreolum non conſiſtere in phyſica prędeterminatione, ſed in notione quadam gratiæ prævenientis, ſeu in vocatione, & inſpiratione, qua poſita integrum eſt homini, vel ipſi conſentire, vel ipſi reſiſtere; nam voluntas movetur per gratiam tanquam inſtrumentum liberũ; ac proinde poſita motione gratiæ prævenientis in poteſtate ipſius eſt ſequi motionem gratiæ, illi aſſenſum præbendo, vel non ſequi, illi diſſentiendo, ſeu illam ſine effectu relinquendo. Quod de prętermotione verificari non poteſt; nam poſita motione prædeterminationis, non eſt in poteſtate voluntatis illã motionem ſequi, vel non ſequi: nam voluntas eſſentialiter ex ſe determinata eſt, vt eliciat actum ſub conditione quod phyſicè prædeterminetur; vnde purificata conditione, abſolutè determinata eſt, vt eliciat illum actum, & conſequenter antecedentèr neceſsitata eſt ad illum eliciendum. Vnde illa ſola motio præveniens actum, cohæret cum eius libertate, quæ voluntatem non determinat, ſed relinquit indifferentem, vt cum illa coniungat diſſenſum.

219 Conſtat prætereà Capreolum; erga actum malum ſolum agnoſcere concurſum ſimultaneum, quem Deus in actu ſecundo ponit, quia voluntas vult: quia nimirum Deus quantum eſt ex ſe volebat, vt poneretur actus honeſtus, & ſua vocatione ſuadebat voluntati, vt exhiberet ſuum concurſum ad actum honeſtum; ipſa tamen voluit potius exhibere in actum pravum, in quem Deus erat paratus concurrere ad ſervanda illæſa iura libertatis.

220 Conſtat denique Capreolum id ipſum docere de concurſu Dei ad actus ſalutares, quod docet Schola Societatis: iuxta quam Deus ad actus honeſtos ſalutares non ſolũ concurrit concurſu generali, ſed concurſu ſpeciali: quia imprimis dat voluntati comprincipia neceſſaria ad actum ſalutarem; ad quem eliciendum voluntas ex ſe non habet ſufficientiã & paratus eſt concurrere cum voluntate ad illum actum concurſu ſimultaneo proportionato illis principijs: deinde media gratia præveniente, conſiſtente in illuſtratione intellectus, & inſpiratione voluntatis, ſtimulat voluntatem, vt vtatur illis comprincipijs, & cõcurſum ſibi oblatum ad actum ſalutarem acceptet, cooperando cum Deo: quæ gratia tunc eſt efficax, quando ita ſuadet, vt perſuadeat; & dicitur dare vires efficaciſsimas voluntati, quia dat vires infallibiliter coniungendas cũ effectu: quæ infallibilitas non eſt eſſentialis gratiæ prævenienti, ſed provenit à ſcientia conditionata, per quam Deus cognoſcit voluntatem conſenſuram cum tali vocatione, ſi ei conferatur.

221 Demum mens Capreoli clariſſimè conſtat: nam in 2. diſt. 25. art. 3. pag. mihi 434. col. 2. ad 4. docet, quod actus liber *producitur à cauſa de ſe indeterminata, quæ tamen poteſt ſeipſam determinare, ſcilicet à voluntate*, alium egregium Capreoli locum citat Germanus Philaletes pag. 75. apud quem ſic ait: *Non ideo Deus novit ſic futura, quia novit ſe ſic velle. Imo ſi per impoſsibile Deus non eſſet volens, eſſet autem intelligens, ſicut eſt, & futura eſſent futura, adhuc*

Deus

Deus propter excellentiam suæ intelligentiæ nosset quæcumque futura.

Thomas de Vio Caietanus, Ordinis Prædicatorum Prior Generalis, & postea S. Ecclesiæ Cardinalis, qui obiit an. 1534.

222 Card. Caietanum contrarium esse doctrinæ adversariorum asserentium voluntatem nostram nihil posse agere, quin prædeterminetur à Deo, agnoscit ipse M. Bañez 1. p. q. 19. art. 8. §. *De hac difficultate*, colum. mihi 627. vbi illum tanquam sibi contrariũ in explicatione concursus causæ primæ acriter impugnat ijs verbis: *Sed displicet, quod Caietanus ait, virtutẽ primæ causæ modificari per secundam, non tamen impediri: quod quidem ego falsum reputo, si de prima causa vniuersalissima, qualis est diuina voluntas, intelligatur. Imo vero diuina voluntas omnia modificat, dum causa est vniuersalissima, & efficacissima cuiuslibet rei; & quantum ad fieri, & quantũ ad esse, & quantũ admodũ.* Et paulo post: *Immediatus concursus diuinæ voluntatis consideratus, vt se tenet ex parte agentis, & vt est actio, impossibile est, quod modificetur ab aliquo inferiori: & ratio videtur euidẽs; quia omnis causa modificabilis ab altera nõ determinat seipsam ad effectũ specialẽ, sed diuina voluntas se determinat ad quencumque effectum specialissimũ, & singularẽ producendũ, ergo non est modificabilis à causa inferiori concursus actiuus diuinæ voluntatis. Et confirmatur, quia esset ponere maximã imperfectionẽ in Deo, asserere, quod quemadmodũ idẽ omnino concursus solis producit distinctos effectus, quia modificatur per distinctas causas inferiores: ita concursus diuinæ voluntatis, quantũ est ex parte sua manet indifferẽs, sed modificatur, & determinatur ad distinct⁹ effectus per distinctas causas inferiores.* Hæc Bañez.

223 Et quidem Caietanus 1. p. q. 19. art. 8. § *Primo distinguendo*, necessitatẽ concursus prævij & prædeterminantis satis perspicuè negat, ijs verbis: *Dupliciter cõtingit causam secundum moueri à prima; vno modo motione prævia propriæ actionis, sicut baculus mouet lapidẽ motus à manu, alio modo motione cooperatiua intrinsecè propriæ actioni.* Et postmodum: *Non oportet cùm aliquis vult aliquid, seu cũ sol illuminat, primã causam prævia motione cooperari, sed sufficit & exigitur eam intrinsecè cooperari tali electioni, & illuminationi, & hoc quia cooperatio in vnoquoque est secundum naturam vniuscuiusque. Vnde siue necessario, siue libere cooperaretur Deus, nihil minus creata voluntas liberè vtitur illa cooperatione.* Et paulo post, §. *Et siquidem*, ait, *quod prima causa non attingit effectum secundæ causæ in seipsa, sed modificata cooperatione sua, iuxta modum ipsius causæ secundæ.* Subditque illã propositionem: *Prima causa prius naturaliter respicit effectum, quam quæcumque natura, in cuius primo instanti causa prima respiciat effectum, & in secundo causa secunda; puerilis enim hic est sensus; sed est intelligenda quoad independentiam, & intimitatem: attingit enim prima causa effectum secundæ & intimius & independentius quàm secunda, & propterea dicitur respicere prius.*

224 Deinde Caietanus exponens articulum sextum, quæst. 12. satis clare negat voluntatem nostram determinari à Deo ad volendum hoc vel illum bonum, & solum concedit determinari à Deo ad volitionem boni incommuni, sine qua volitione præsuppositа nullum particulare bonum eligere valet. S. Thomas ibi in responsione ad tertiũ, hæc habet: *Deus mouet voluntatem hominis, sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione, homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est verè bonum vel apparens bonum: sed interdum Deus specialiter mouet aliquos ad aliquod determinate volendum, quod ex bonum: sicut in ijs, quos mouet per gratiam.* In quibus verbis docet D. Thomas, Deum vt vniversalem motorem, voluntatis creatę solum determinare illam ad volitionem boni incommuni; & plane sentit, Deum non movere voluntatem, vt eligat potius obiectum prohibitum, quam honestum; ac proinde non prædeterminare ad actum peccati. Solumque erga actus bonos concedit motionem aliquam particularem, qua Deus facit vt voluntas eliciat actum honestum; quæ motio non est prædeterminans, iuxta D. Thomam, quia motioni, *qua Deus mouet voluntatem ad bonum, potest voluntas resistere*, vt ipse docet quodlibet. 1. artic. 7. ad secundũ & nos vidimus supra num. 149. motioni autem prædeterminanti nequit voluntas resistere.

225 Ad hanc doctrinam respiciens Caietanus sic scribit in commentario illius articuli: *In responsione ad tertium habetur, quod Deus non solum potentiam voluntatis dat, sed actum volendi clausum in omni actu volendi, ipsam scilicet volitionem boni. In omni enim volitione hæc volitio clauditur, vt principium in conclu-*

ſione. Et propterea in littera dicitur, quod ex hac volitione voluntas per rationem determinat ſe ad hoc, vel illud bonum, vere vel apparenter, & ſine illa præſuppoſita volitione nihil omnino velle poteſt: ſicut neque ſine principiorum cognitione intellectus aliquid noſſe poteſt. Et hæc volitio eſt illa, ad quã dictum eſt oportere voluntatẽ moveri ab alio, etiam quoad exercitiũ actus ſecundum hanc enim fertur actus in finẽ, & ex hac vult quidquid vult. Ergo iuxta Caietanum ad nullam volitionẽ determinat Deus voluntatem noſtram niſi ad volitionẽ boni incõmuni, quæ prẽſupponitur antè electionẽ liberã boni particularis, ergo iuxta Caietanum Deus non determinat ad eas voliriones ad quas voluntas ſe determinat per cõſilium rationis. Nam prima illa affectio, & volitio erga bonum incommuni non eſt libera voluntati creatæ libertate à neceſsitate, ſed ſolum libertate à coactione; quo pacto etiam eſt liber amor beatificus.

Franc. Ferrarienſ. Prior Generalis Ordinis Prædicatorum, qui obiit an. 1528.

116 Quid hic author ſenſerit circa gratiam efficacem, conſtat ex eius verbis citatis ſupra n. 155. ex 3. contrag. c. 159. Vnde quãvis 3. contrag. c. 70. §. *circa illam*, neceſsitatem concurſus prẽvij adſtruare videatur:* *Nihilominus* (vt inquit P. Suarez in opere de vera intelligentia auxilij efficaces c. 50. n. 8. de auxilijs gratiæ loquens lib. 3. c. 159.* Ipſa rei veritate ductus ea docet, quæ cum prædeterminãte auxilio, eiuſque neceſsitate nõ ſubſiſtunt. Dixit enim imprimis, cauſam, ob quam ex duobus excitatis vnus ſe prẽparet ad gratiã, & nõ alius, in libertatẽ arbitrij, & non in defectũ alicuius neceſſarij ad talẽ prẽparationẽ, eſſe reducendũ; quia in poteſtate vtriuſq; eſt habere omne auxilium ad talem præparationem neceſſarium. Vnde addit, quod ſi alicui ſine ſua culpa auxilium neceſſarium negaretur, non poſſet illi carentia præparationis imputari. At ſi phyſica prædeterminatio eſt neceſſaria, nõ eſt in hominis poteſtate; neque qui illa carer, ſua culpa *illa privatur*.* Hactenus Suarez mentem Ferrariæ proponens. P. Ruiz diſp. 49. de ſcientia late oſtendit, illum non favere phyſicæ prædeterminationi.

M. Dominicus Soto, Primarius Salmanticenſis qui inter fuit Tridentino an. 1549. *& obiit an.* 1560.

117 Graviſsimus hic Theologus longe eſt à ſententia Bañiztarum, ſeu Recentium Dominicanorum, qui cum M. Bañez defendunt, neceſſariũ eſſe auxiliũ prædeterminans vt quis recte operetur, nam lib. 1. de nat. & grat. quĩ typis mandatus eſt Pariſijs an. 1549. cap. 15. vt probet contra Lutherũ alioſque huius temporis hæreticos liberi arbitrij libertatẽ; hoc conficit argumentum:* *Si Deus* nos ita iuſtificaret per gratiã ſuam, vt nihil aſſenſione & arbitrio noſtro opus eſſet, cũ ipſe ad oſtiũ ſit ſemper, & pulſet, vt eſt in Apocalyſi, quid cauſæ reſtaret cur non omnes converteret? Quod ſi rem forte in æternas cauſas prædeſtinationis referueris, quia cui vult miſereatur, & quem vult indurat; non ſatis quæſtioni feceris. Illa enim eſt cauſa ſuprema & remota; ſed tamen cauſa præterea deſideratur proxima, per quam deſtinaverit vnum quemlibet in regnum recipere, vt enim ex infantibus hic ſalutem conſequitur, quia renatus eſt ex aqua & Spiritu Sancto, ille verò nequaquam, propterea, quod abſque Baptiſmo vita diſceſsit: ita in adultis reddenda eſt proxima cauſa, cur cum duos æquè ſit paratiſsimus convertere, præſentiſsimaque vtrumque miſericordia aſpiret, hunc trahat, & illum non trahat. Quæ revera reddi non poteſt, niſi quod alter præbet aſſenſum & operatur: alter verò minimè. Vt enim parvulum per Baptiſmũ ſive ſuo conſenſu, ita adultum per ſuam cooperationem prædeſtinavit *convertere*.* Quæ doctrina manifeſte opponitur Bañiztis, ſeu prædeterminatoribus, in quorum ſententia ratio proxima cur vnus potius quàm alius convertatur, cũ Deus ad oſtium vtriuſque pulſet per vocationẽ & inſpirationem, eſt, quia vni potius quàm alteri adiungit prædeterminationẽ phyſicam, per quam facit, vt vnus potius quàm alter aperiat ianuam cordis & reſpondeat Deo pulſanti per illuſtrationem intellectus, & inſpirationẽ voluntatis. At in ſententia Magiſtri Soto non agnoſcentis medium inter vocationem & conſenſum, non alia poteſt reddi ratio, niſi quia ex duobus æqualiter antecedenter pulſatis per gratiam excitantem & vocantem, vnus præbet aſſenſum, & cooperatur Deo vocanti, alter vero non vult præbere aſſenſum neque cooperari. Neque in ſententia Prædeterminatorum poteſt verificari, quod Deus ſit æquè paratus duos convertere, ſi vni & non alteri citra omnem eius culpam confert auxilium prædeterminans. Nam quamvis vtrumque vocet æquali vocatione; ſi tamen præter vocationem ſit ad actualem converſionem prorequiſitum auxilium prædeterminans, & iſtud Deus concedat vni abſque eius vllo merito, & neget alteri abſque vllo ipſius de merito, *non eſt æque paratiſsimus vtrumque convertere*; ſed dumtaxat illum, quem prædeterminare ad converſionem determinavit.

Con-

228 Contra hanc doctrinam Soti aliqui ob murmurarunt,obijcientes,ipsum in negotio nostrę salutis multum tribuisse libero arbitrio, ipse tamen semper immobilis in hoc placito perstitit, & ideo ad finem commentoriorũ in 4. sent. dist.50. q. vnica, art. 6. recognoscens opera sua,& aliqua in eis explicans, vel corrigens; ad hoc punctũ deveniens pag.688.col.2. inquit: * *Quidã vero hoc taxare voluerunt dicentes*, quod nimium tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa.Et tamẽ salva semper Catholicæ Ecclesiæ censura,arbitror, necessario sic dicendũ.Assensus enim liberi arbitrij non est causa præveniens motionem Dei , sed effectus eiusdem motionis, idem prævenientis liberũ arbitriũ.Est enim pulsatio, & aspiratio Dei ad corda nostra, similis aeri in fenestram clausam aspiranti , sed quia non aperit nobis eadẽ corda ex necessitate,sed nobis liberè cõsentientibus,quamvis causa prior efficiens,quę nos convertit,sit eius inspiratio,& motio præveniens, tamen dispositio materialis (quæ hoc modo potest dici causa)est assensio nostra,sicut causa efficiens præveniẽs cur fenestra aperitur, est aer intrans,sed causa materialis, cur aer intrat,est quia fenestra *aperitur*. * Hæc illle,qui aliqua addit in huius placiti explicationem, illudque confirmat ex scriptura.* *Nam quãuis* Deus apud Ezequielẽ dicat: *Auferã ab eis cor lapideũ,& dabo eis cor carneũ*:nihilominus Psalmista ait: *Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Primum, quia ipse aperit:secundũ,quia non nisi nobis cõsentientibus aperit. Et ideo postquã dixit Christus Ioan.16. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater,qui me misit,traxerit eum*,subiunxit, *qui audit & discit venit ad me*.Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, aut *dissentire*.*Additque hanc esse doctrinã S.Augustt.& S.Th.* *Imo videtur* (inquit) *sententia Oseæ c.* 13.*Perditio tua ex te, Israel, ex me tantum auxiliũ tuum*,vbi docemur, causam iustificationis in Deũ referri:est enim hic aut ille iustus,quia Deus illum iustificavit, sed causa cur homo nõ iustificatur,referẽda est in ipsum hominẽ.Ob id enim Iudas nõ est iustificatus,quia inspirationibus divinis non *assensit*.*Hucusq; Sotus,cuius doctrina manifeste opponitur prędeterminatoribus,in quorũ sententia ratio primi peccati Angelorum referenda est in Deum, qui noluit ipsos prædeterminare ad observantiam præcepti,sicut prædeterminavit Michaelem & bonos Angelos.

229 Sed sententiam Societatis clarè expressit eodẽ lib.1.de nat.& grat.cap.16. paulo post initium,vbi solvit argumentũ,quo hæretici tanquã Achille passim vtuntur, ad expugnãdam arbitrij libertatẽ.*Si quando* Deus,vel ad bonũ, vel ad malum nos movet, in nostra esset potestate non moveri:motio Dei non esset efficax,atque adeò neque esset omnipotens:cõtra illud,*omnia quæcumq; voluit Deus, fecit in cœlo,& in terra*.Quo argumento persuadent sibi,quoties Deus nos movet,necessitatẽ nobis inferre. Illatio tamen sua nullius est vigoris. Quod enim nos Deus liberè moveat,nihil cõtra eius cuncti potentiã, & efficaciam pugnat. Quin imò inde amplissimè patet infinita eius virtus,& sapientia , quod alias causas instituit naturaliter movere,& aliàs liberè: & cũ singulis modo proprio concurrere.Quo circa quidquid Deus vult voluntate absoluta,& quæ dicitur beneplaciti,fit;iuxta illud Rom.9.*Volũtati eius quis resistit*?Quando autẽ cũ libero homini concurrit,nõ vult illud fieri,nisi salva humana natura,& libera volũtate,quę idcirco resistere Deo potest;vt de Pharaone legitur Exodi 10.& 2.Thim.3.*Ita & hi resistunt veritati*.Et Act.7.*Vos semper Spiritui Sancto resistitis,sicut patres vestri*.*Hæc ille.Quis autẽ non videat,hiẽ sententiã Societatis manifestè contineri:nam docet Sotus,Deũ non parare concursum causis liberis ad actus liberos honestos per voluntatẽ omnino absolutã,sed quasi conditionatã,per quã vult fieri actum bonũ salva libertate,& quasi sub conditione quod arbitriũ creatũ velit actum illũ ponere:vnde volũtas concurrendi cum causis liberis non est per modũ absoluti velle, seu per modũ decreti absolutè resolventis vt actus fiat; sed per modum desiderij vt actus fiat, seu per modũ decreti offerentis concursum , & optantis vt illo vtatur voluntas creata ad actũ honestũ. Idque vel inde manifeste constat;nam iuxta Sotum volũtas concurrendi ad actus nostros liberos talis est, cui possit homo resistere , & cui de facto sæpe homo resistat:ergo iuxta Sotũ Deus nõ cõcurrit ad actum liberũ per decretũ omnino absolutũ, & efficax de eius existẽtia,vt prædeterminatores affirmant,qui propterea tàm fuse impugnãt decretũ indifferens ,per quod iuxta Scholã Societatis Deus vult concurrere cũ causa libera. Evidens enim est voluntatẽ creatã nõ resistere decreto absoluto & efficaci Dei,imò neque resistere posse.

23 Et in eodẽ c.16.fol.mihi 61.pag.2.loquendo de gratijs præveniẽtibus,quas Deus in nobis sine nobis libere cooperãtibus operatur, asserit, sæpe contingere, vt qui minora & exiliora accepit,operetur; non operetur autẽ, qui recepit fortiora & validiora: *Ad est* (inquit) *omnium cordibus pulsans: impariter tamen. Quinimo sæpe numero , qui cumulatiora huiusmodi dona recipiunt , vel nullo modo , vel segnius proficiunt , quam qui exiliora , propter maiorem duritiem*

obstinati pectoris libertatem comprimẽtis. Quemadmodum videre est in Pharaone & Nabuchodonosor, quorũ primus maioribus portẽtis cõmunitus induruit; alter vero minoribus resipuit flagellis. Huc pertinet quod ait Christus Bethsaidæ, & Corozaim, si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiã egissent. Et scribit ac Pharisæis: *Viri Ninivitæ surgent in iudicio cũ generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce plusquam Ionas hic* 51. Quæ doctrina ex diametro opponitur Prædeterminatoribus apud quos semper is, qui operatur, accepit validius & fortius auxilium, quam ille, qui non operatur. Nam qui operatur accepit auxilium prædeterminans, cui nulla potẽtia resistere potest: qui autem non operatur accepit gratiam prævenientẽ adeò per se sterilem, vt non superaddito auxilio prædeterminante, impossibile fuerit cum illo coniungere operationem.

231 Quod magis constat ex illo c. 16. prope finẽ pag. mihi 63. vbi contra hæreticos, asserit, ex eo quod Deus det nobis velle, & efficiat in nobis assensum ipsum, per quem aperit corda nostra, minime sequi, quod nos non efficiamus illum assensum: *Ita enim* (inquit) *efficit ipse nostrũ assensum, si nos tamẽ simul libere concurramus. Quare pereundẽ assensum & nos illi aperimus, & ipse aperit: vnde nostrũ concurrere, est, permittere nos ab ipso moveri, coagendo illi, qui iugiter ad ostiũ pulsat.* Quare Sotus sentit, Deũ non cõcurrere per auxiliũ prædeterminans, sed per vocationẽ pulsare cor, & simul cũ voluntate concurrere, quia ipsa permittit se moveri: ac proinde posset resistendo vocationi facere, ne Deus efficeret in nobis assensum. Vt enim ait ipse eo cap. 16. fol. 61. pag. 2. in fine: *Non est aliud me Deum movere* (nempe efficaciter) *quã mecũ concurrere ad eliciendũ liberum actum.* Ac proinde Deum me movere efficaciter, non est iuxta Sotum, Deũ se solo mihi imprimere prædeterminationẽ me adigentem ponere actum. Hinc idem Soto lib. 2. de natura & grat. c. 3. propè finẽ inquit: *Facere hominẽ quod in se est, non intelligitur ante auxiliũ Dei, sed potius præveniẽte Deo. Tunc enim homo facit quod in se est, quando Deo inspiranti respõdet cooperans.* Quare non admittit mediũ inter vocationẽ, seu inspirationẽ, & consensum; sed docet voluntatẽ nostrã libere assentire illi gratiæ prævenienti, potens eidem dissentire in sensu composito; & libere cooperari, potens non cooperari, ac proinde potens facere, vt Deus non operetur in nobis consensum liberũ.

232 Deinde quod Sotus non admittat gratiam ab intrinseco efficacem, quæ ex se sit connexa cum operatione; sed potius gratiã entitative indifferentẽ, cum qua possimus cõiungere dissensum constat ex comparatione, qua frequenter vtitur, comparans Deũ moventem per gratiã efficacem soli illuminanti, qui non illuminat nisi eos qui voluntarie aperiunt oculos. Ita explicat lib. 1. de nat. & grat. c. 18. fol. 68. pag. 2. vbi ait: *Quod Deus est cõmunis Sol de se illuminans omnẽ hominẽ venientẽ in hunc mundum, qui modo animũ non occluserit.* Et fol. 69. p. 1. *In hac nostræ peregrinationis & militiæ vita haud secus contemplari Deum concedet, quam veluti patentissimum solem fores cordium vniuersaliter omnium irradiantem, & spiritum iugiter ad spirantem, & quo se insinuet, aperire gestientem: Nos autẽ sumus, qui ferream molem pravitatis nostræ obicimus. Et ideo, vt ipse est, qui nostræ nos libertati permittit, ita nos quoque sumus, qui nõ ipsum intra re permittimus; nam cum assensus noster, effectus etiã sit ipsius, non aliter ipse aperit, quam si nos ad eundẽ assensum cooperantes cooperamur.* Idque pag. antecedenti cũ Chrisostomo in quadam homilia eleganter explicat: *Nihil* (inquit) *significantius Deũ exprimit, quamquod sit semper parturiens misericordiã suã, & quæ si doloribus ingemiscens, quod non amplissimos sinus aperiamus, in quos benigne vberrimos fructus pariat.*

233 Denique Sotus concursum prævium Dei cum causis secundis vniversaliter negat 3. physic. concl. 5. prop. 5. his verbis: *Existimo nihil prorsus esse ignee, quando calefacit præter formam, & calorem, quo calefacit.*

Durandus.

234 Hic Auctor in secundum dist. 24. quæst. 2. num. 12. *Libertas arbitrij* (inquit) *est, qua quis potest malignum actum, vel in eius oppositum contrarie, vel contradictorie, & sic libertas excludit non solum coactionem, sed omnem necessariam habitudinem.* Tum sic. Atqui physica prædeterminatio ad actum est necessaria habitudo ad actũ; siquidem implicat existere prædeterminationẽ, & non poni actum; ergo libertas arbitrij, quæ quis potest in vnum vel in eius oppositum, excludit physicam prædeterminationem ad actũ, & ad eius oppositum. Si enim voluntas prædeterminetur ad actum habebit necessariam habitudinem ad actum; si prædeterminetur ad oppositum habebit necessariam habitudinem ad oppositum.

Præterea mens Durandi constat ex quodã principio, quod ibidem n. 19. statuit, nempe,

Potentia, quæ de se est indifferens ad plura, & nihil penitus agit, neque agere potest ad suam determinationem, non est potentia liberi arbitrij. Ex quo principio sic subsumo. Atque voluntas de se est indifferens ad plura; & nihil penitus agit, neque agere potest in physicam prædeterminatur, qua determinatur ad eliciendum amorem præ odio v.g. ergo voluntas non est potentia liberi arbitrij, si nihil potest agere, vt prædeterminetur à Deo ad suum exercitium.

M. Bartholomæus de Medina Primarius Salmanticensis, qui floruit an. 1577.

235 HIC Auctor commentaria in primã secundæ typis mandavit an. 1577. quæ iterum excusa sunt an. 1588. Hic autem principia habet omnino opposita doctrinæ Prædeterminatorum asserentium ad singula opera prærequisitam esse physicã prædeterminationẽ. Num q. 109. art. 10. tres ponit conclusiones. Prima. *Quilibet homo viator potest ad Deum converti & saluari.* Secunda. *Nemo hominũ potest salutem consequi sine auxilio gratiæ.* Tertia. *Deus nemini negat auxilium gratiæ necessarium & sufficiens ad salutẽ.* Et postquã probavit duas priores, vt hanc tertiã probet, notat primo: *Quod Deus geminũ donũ suæ gratiæ conferre solet peccatoribus; alterum, quo possint resipiscere, & saluare; & hoc donum vniuersis hominibus confert, de quo dicitur, ecce ego sto ad ostium & pulso, &c.* Apoc. 3. *Alterum est auxilium efficax, quo homo efficaciter convertitur, & saluatur, & hoc vniuersis hominibus confert.* Secundo notat: *Quod quãuis Deus vniuersis hominibus non conferat hoc auxiliũ efficax, non tamẽ propriè negat, nam est paratus cõferre si homines nõ contradicant, & resistant.* Tertio nota (inquit) *Quod licet homines, qui pereunt, non habeant hoc auxiliũ efficax, nihilominus possunt saluari: nam possunt habere, & sua culpa nõ habent, licet reipsa nunquã habeant.* Quod explicat exemplo petito à rebus naturalibus: *Nam qui habet mentem intelligere potest: sed si non applicat mentem ad intelligendum nunquam intelliget.*

236 Hæc doctrina ex diametro opponitur cum doctrina Prædeterminatorum; apud quod Deus denegavit Lucifero ante omnem culpam suam auxiliũ efficax ad observandũ præceptũ; & similiter negavit Adam. Vnde non fuit paratus dare Lucifero, & Adam auxiliũ efficax ad evitandũ primum peccatum; siquidẽ propriori ad omne illorum peccatum eos privavit auxilio prædeterminante, essentialiter prærequisito in illorum sententia, ad evitandum peccatũ illud. Vnde falsum est, quod Angelus & Adamus potuerint habere auxiliũ efficax, & quod culpa sua non habuerint, si auxilium efficax sit prædeterminans: nam neque in potestate Angeli, neque in potestate Adami fuit habere auxilium prædeterminans ad evitandum primum suum peccatum.

237 Mensque huius authoribus magis cõstat ex ijs, quæ immediatè subiũgit: *Sed videamus* (inquit) *quid de hac difficili quæstione D. Thomas scripserit.* Is namque 3. contrag. cap. 159. postquam demonstraverat adiutorium divinæ gratiæ ad salutem esse necessariũ, objicit sibi in hunc modũ: ergo non imputabitur ad culpã ei, qui non habet donũ divinę gratiæ, si non convertatur: siquidem sine dono divinæ gatiæ converti non potest. Huic obiectioni sic respondet D. Th. Quanquã homo per motũ liberi arbitrij non possit mereri & adipisci gratiã, potest tamen impedimentũ ponere gratiæ susciendæ: nam de quibusdã dicitur Iob 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis.* Et 24. *Rebelles fuerunt lumini.* Ex quo sequitur, quod homini, qui resistit gratiæ susciendę meritò imputatur ad culpã, quod non susciat: Deus enim est paratissimus illã conferre: vult enim omnes homines salvos fieri. Sequitur secũdo, quod illi soli privantur gratia, qui ponunt impedimentũ gratiæ susciendæ: quemadmodũ sole illustrãte totũ orbẽ, ei, qui claudit oculos meritò imputatur ad culpã, si non videat, & si inde detrimentũ subsequatur, licet nõ possit videre sine lumine. Hactenus D. Th. Anselmus ad eundem modũ, & distinctè quidem explicat modũ huius difficultatis lib. de casu diab. c. 2. & 3. & proponit tale argumentũ. Vel diabolus recepit donum, vt perseveraret, vel non. Si recepit, quomodo non perseveravit? Si non recepit, quomodo imputatur ad culpã quod nõ perseveraverit? Respondet D. Anselmus, quod non recepit, quia noluit recipere: Eadem via pergit D. Ambrosius lib. 1. de vocat. Gent. cap. 2. & 5.* Hactenus Medina; quin ex hac doctrina solvit argumenta contendentia necessitatem gratiæ efficacis tollere libertatẽ. *Ex his*, inquit, *facile est respondere argumentis in principio positis, quæ optima videbantur.* Ergo hic author sentit cum D. Th. cum Anselmo, & Ambrosio gratiã efficacẽ in ratione efficacis aliquo pacto dependere ab arbitrio creato, & in potestate voluntatis creatæ esse, facere, ne gratia efficax, fuerit efficax, impediendo illã ab effectu obtinendo; sicut potest homo claudendo oculos impedire solẽ, ne ipsum cum effectu illuminet in actu secundo; ergo sentit gratiam efficacem non esse essentialiter efficacem & prædeterminantem, nam huic gratiæ non potest voluntas impedimentum opponere; quia

neque poteſt facere ne conferatur à Deo; neque poteſt facere, ne ſemel collata obtineat effectum: ergo ſentit gratiam efficacem eſſe entitatẽ, quæ quatenus prȩvenit conſenſum liberũ non habet connexionem eſſentialem cum illo; ac proinde, cui poteſt voluntas in ſenſu compoſito adiungere diſſenſum, impediendo efficaciam eius, ſeu coniunctionem actualem cum conſenſu, & ideo quicumque accipit gratiam efficacem à Deo, libere accipit; quia quamvis non potuerit impedimentum opponere entitati gratiæ efficacis, quatenus prævenit conſenſum; poteſt tamen potentia antecedenti impedire eius efficaciam; vtpote liberam ipſi homini ex ſuppoſitione quod ſit pulſatus entitate talis gratiæ prævenientis. Deus enim ſtat ad oſtium cordis, & pulſat per entitatem gratiæ prævenientis; vt homo aperiat, paratus concurrere cum illo ad conſenſum ſalutarem, ſi homo velit. Vnde, quod ſuppoſita illa pulſatione, non aperiatur ianua cordis, non ſtat per Deum, ſed per hominẽ nolentẽ conſentire, & vti vocatione & concurſu ſibi oblato. Quare propterea eſt culpa hominis non aperire, quia ad aperiendũ nihil ipſi defuit niſi velle, quod erat in eius poteſtate, ſi autem ad aperiendum ianuam cordis præter vocationem & pulſationem Dei, & cætera conſtituentia potentiam aperiendi, neceſſaria foret clavis prædeterminationis, quam Deus habet vnicè penes ſe; & illã negaret homini ad cuius feres pulſat, iniquè illum puniret, quia non aperuit: ſiquidem ad aperiendum erat eſſentialiter prærequiſita clavis illa, & homo abſque ſua culpa illa caruit, neque potuit eam acquirere.

238 Idque amplius patet ex ſolutione, quam Medina adhibet argmentis contendentibus neceſsitatem gratiæ efficacis ad opera ſalutaria, pugnare cum libertate bonorũ operũ, primo enim arguebatur pag. 803. colum. 2. in fine, ex illis verbis Chriſti: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Sed reprobi non trahuntur à Deo, vt conſtat*: ergo non poſſunt venire ad Filiũ: ergo non habent auxilium neceſſarium & ſufficiens ad vitam æternam conſequendam. Huic argumento reſpondet pag. 806. colum. 1. in fine, *quod reprobus non trahitur, ſed Deus eſt paratus illũ trahere, ſi non contradicat.* Ergo ſentit in poteſtate reprobi fuiſſe coniungere cum auxilio ſufficienti, quod accepit, conſenſum; ſicut de facto cum illo coniunxit diſſenſum. Hoc autem non fuiſſet in reprobi poteſtate, ſi ad faciendam illam coniunctionẽ, præter auxilium ſufficiens, ſeu vocationem, & inſpirationem, fuiſſet neceſſarium auxilium prædeterminans; hoc enim auxilio caruit pro ſolius Dei nutu ſine vlla ſua culpa; vt conſtat manifeſte, ſi loquamur de primo peccato reprobi, ante quod prȩceſsit carentia prȩdeterminationis ad obſervandum præceptum, quam carentiam ipſe non meruit: ſiquidem ante primum peccatum nullum habuit peccatum, quo mereretur privari gratia prȩdeterminanti ad vitandum primum peccatum.

Secundo pag. 804. col. 1. arguebatur:* *Cõcilia & Patres quando definiunt* gratiam Dei eſſe neceſſariam ad ſalutem, non tantum docent eam gratiam eſſe neceſſariam, qua poſſumus credere, vt ſperare, diligere, perſeverare, ſed eam, qua actu credimus. Hoc definit pro certo Concilium Melivitanum, Arauſicanum, Tridentinum: hoc ſtatuit pro certo D. Auguſtinus, hoc ipſum teſtatur vniverſa ſcriptura, quod cogitare, credere eſt Donum Dei ad ſalutẽ neceſſariã, ſed hæc dona Dei non dãtur reprobis, vt conſtat: ergo non dat illis auxilia neceſſaria *ad ſalutem.** Huic argumento reſpondet pag. 806. col. 2. ijs verbis: * *Ad* authoritates Conciliorum, & Patrum reſpondetur, veriſsimum eſſe quod donum gratiæ, quo actu credimus, diligimus, & perſeveramus in bono, eſt neceſſarium ad ſalutem: ſed dicunt, quod donum fidei, & perſeverantiæ eſt paratus Deus cõferre omnibus hominibus, etiã ſceleratiſsimis, & ſua culpa eſt *quod nõ habeant*:* ergo ex mente Conciliorum & Patrum iuxta Medinam non fuit neceſſarium, vt prȩter auxilium gratiæ, quod de facto acceperunt Angelus & homo ad ſtandum in gratia, daretur ipſis auxilium prædeterminans ad actualiter perſeverandum: nam quod non habuerint illud auxiliũ, non fuit culpa eorũ: vnde ſi illud fuit neceſſarium ad perſeverandum, non fuit culpa eorum, quod non perſeveraverint. Ideo ergo fuit culpa reproborum non diligere, & perſeverare; quia ad diligendum & perſeverandum nihil illis defuit, præter velle diligere & perſeverare; ideoque non acceperunt donum perſeverantiæ, quia Deus noluit dare, ſed quia ipſi donum illud ſibi oblatum noluerunt recipere: quatenus donum illud importat liberum actũ, quo homo conſentit Deo vocanti, quem actum reprobi ponere noluerunt; cum habuerint omnia prærequiſita ad illum ponendum.

239 Conſtat id tertio ex doctrina huius authoris, quam habeat ibidem pag. 808. colum. 1. §. *ad tertiam dubitationem*, vbi ſic ſcribit:* *Reſpondetur*, quod hoc auxilium, de quo dicimus, eſt ſufficiens ad ſalutem, ſi homo vtatur eo, & non contradicat, quemadmodum cibus eſt ſufficiens ad viram, ſi homo comedat, & traijciat in ſtomachũ; & lumen eſt ſufficiens ad videndũ, ſi homo aperiat oculos: & intellectus ad intelligendum, ſi applicetur. Iſte vero vſus quamvis ſit donum Dei, eſt libero arbitrio

divi-

diuinitus *adiuto.** Hæc ille. Sentit ergo, quod ſicut ſuppoſito lumine, nihil homini habenti oculos deficit ad videndum, quod non ſit in eius poteſtate: ita ſuppoſito præcepto, & vocatione Dei ad illud obſervandum, nihil defuit reprobo ad obſervationem præcepti, præter actum liberum, quo aſſentiretur Deo vocanti: ergo ſentit non fuiſſe reprobo neceſſarium auxilium prędeterminans ad aſſenſum liberum; hoc enim auxilium nec habuit, nec potuit acquirere; vnde ſi fuiſſet neceſſarium ad obſervandum præceptum, non habuiſſet reprobus in ſua poteſtate libera obſervationē præcepti, ſicut in ſua poteſtate non habet legere epiſtolam, qui nec luce fruitur, nec poteſt pro libito frui, ſine qua impoſsibile eſt exercitiū legendi: & ſicut non habet ex ſe liberum arbitrium ſufficientiam ad credendum, quia prius eſt ſancte cogitare, quam credere, & ex ſe non habet ſufficientiam ad ſic cogitandum; vt argumentatur Auguſtinus lib. de Prędeſt. Sanct. cap. 2. vt nos expendimus tom. 1. diſp. 13. n. 29. *Quis non videat* (inquit) *prius eſſe cogitare, quā credere, nullus enim credit aliquid, non prius cogitauerit eſſe credendū. Quod ergo attinet ad religionē & pietatē, de qua loquebatur Apoſtolus, ſi nō ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: profectō non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobis metipſis; quod ſine cogitatione non poſſumus.*

240 Denique mētē huius DD. colligimus ex q. 10. ar. 4. illius tom. pag. 161. col. 1. vbi hæc habet: *Deus non mouet noſtram voluntatem ſicut habitus naturales, aut ſicut impetus ſagittam, nec vero vt mens noſtra membra exteriora; neque ſicut mouet nos, qui trahit nos inuitos; ſed mouet nos libere, vt nati ſumus moueri: mouet, inquam, nos atque ſi ſolus homo eſſet in mundo in manu conſilij ſui conſtitutus & hoc eſt quod dicit Salomon, quod cum magna reuerentia diſponit nos.* Ergo iuxta hunc Authorem non mouet nos per phyſicam prædeterminationem: qui enim mouetur ab alio fortiori, cuius impulſui, & motioni reſiſtere nō poteſt, non ſit mouetur ac ſi ſolus eſſet immundo, imō nec in manu conſilij ſui relinquitur, ſed totus eſt in manu conſilij eius, qui ipſum ita fortiter impellit.

Conradus Kolim, qui obijt an. 1536.

241 HIC Auctor ſcripſit commentaria in 1. 2. D. Th. ante fundationē Societatis, nempe an. 1511. In hoc autē opere ſecundum impreſsionem Venetam factā an. 1589. q. 109. ar. 6. pag. 910. col. 2. §. *nota autem*, concurſum generalē Dei exponit, per hoc quod conſerueţ virtutē cauſæ, & cū illa partialiter concurrat ad effectum; concurſum autem Dei ſpecialē Dei ad actus honeſtos, ponit in eo quod, Deus non ſolum conſeruet virtutē volūtatis, & cū illa partialiter concurrat cooperando, nimirū per concurſum ſimultaneū; ſed inſuper per gratiā prævenientē, nempe per illuſtrationē, vocationem, vel inſpirationē, ſuaviter facit vt voluntas ſuum concurſum partialem exhibeat: ergo ſentit non eſſe neceſſariā gratiam prædeterminantē ad hoc vt voluntas eliciat actum honeſtum ſalutarem, ſed ſatis eſſe quod Deus voluntatem adiuvet concurrendo cum illa ſimultaneè, & inſuper per motionem gratiæ prævenientis faciat vt voluntas concurrat, ſicut docet Societatis Schola. Patet conſequentia, quia iuxta hanc doctrinam ad actum peccati ſolum Deus concurrit conſeruando voluntatem, & concurrendo ſimultaneè cum illa ad actum peccati; & non concurrit prędeterminando, & faciendo vt voluntas partialiter concurrat, hęc enim eſſet ſpecialis motio. Si autem voluntas poteſt facere actum peccati, quin Deus illam prædeterminet; evidens eſt per ſe facere actum honeſtum, quin Deus ad ſic faciendum prędeterminet: ergo ſatis erit, quod ad actum honeſtum concurrat concurſu generali ſimultaneè cooperando, & ſpeciali motione faciendo per vocationem cōgruam vt voluntas partialiter concurrat.

242 Quod autem hoc doceat, patet ex eius verbis: ſic enim ibi ſcribit: *Nota autem pro intellectu huius poſt Capreolum, quod iſta ſpecialis motio* (qua nimirum mouet ad actus ſalutares) *eſt, qua Deus iuſtum iuuat, non ſolum partialiter ſubſtantiā actus coefficiendo, & virtutē operatiuā conſeruando, qua motione concurrit ad quoſvis actus cuiuſque creatæ; ſed faciendo ipſam voluntatē partialiter concurrere; ita quòd cauſet & velit ſpecialiter mota, & applicata, & dulciter tracta per prævenientem Dei motionē, abſque tamen coactione, vel violentia.* Id ipſum docuerat q. 9. art. 6. ad 3. pag. 94. col. 1. §. *Aſſumptum conceditur*; vbi ex D. Thom. inquit: *A Deo nunquā mouetur voluntas hominis ad malum, ſed ad bonum in communi; quia videlicet Deus dat voluntati, quod ſit inclinatio in bonū, & hoc vniuerſaliter in omni voluntate, ſed ſi aliquem determinate ad bonū hoc verū moueat, hoc non eſt generale, ſed gratuitum, vt patebit infra q. 109.* Ergo iuxta Conradum Deus per concurſum generalem non mouet voluntatem niſi ad bonum in communi, non tamen determinatè ad amādum potius verum bonum, quam apparens bonum: hæc enim motio fit per gratiam.

243 Id conſtat etiam ex quæſt. 10. art. 4. pag. 99. col. 2. §. *nota ſecundo*, vbi ex-

ponens articulum illum, in quo S. Thomas inquirit: *Vtrum voluntas de neceſsitate moueatur ab exteriore motiuo* (ſeu motore) *quod eſt Deus*, ſic habet: * *Deus* voluntatem hominis dupliciter mouet, vt patebit infrà in materia de gratia: *Vno modo motione ſpeciali prævenienti voluntatis*, ſicut cum mouet aliquos ad gratiam; alio modo mouet voluntatem motione generali, cũ qua voluntas actiue concurrit ad actum ſuum: & hac motio, eſt neceſſaria in omni actu voluntatis, & quamvis dicenda poſsint verificari etiam de motione prima ſpeciali, & præueniẽti, quia nec ſic mouet viatores abſolutè neceſſariò ad bonum, nec ſic; quin liberè concurrat, & ex parte eorum contingenter, vt poteſt haberi ex D.T. de verit. q. 22. art. 8. quia ad motionem Dei poſſunt acquieſcere, *vel non*. Tamen hic videtur D. T. intelligendus de motione cooperativa Dei. Vnde ſenſus eſt, an Deus cooperando voluntati ad actum reſpectu obiecti determinet ipſum ad vnũ ſic, quod non poſſit oppoſitum velle, Deus enim cooperatur, & ad exercitium, & ad ſpecificationem actus, etiã reſpectu aliorum obiectorum à ſe, quantum ad omne, quod eſt *entitatis*. * Hæc ille ibi. Vnde patet primo, apud Conradum motionẽ generalẽ non eſſe prævenientem volitionẽ ipſius voluntatis, ſed ſolum eſſe concomittantem, & ſimultaneam cum ipſo concurſu voluntatis, quia motio illa vniverſalis in actu ſecundo nihil aliud eſt, quam concurſus ſimultaneus Dei cum voluntate ad volitionem liberam. Patet ſecundo motionem ſpecialem voluntatis creatæ idẽ eſſe apud Conradum ac motionem prçvenientem, ſeu antecedentem natura volitionem, per quam ſcilicet motionem Deus ſuaviter facit, vt voluntas exhibeat ſuum concurſum, & particulariter concurrat cum Deo, qui paratus eſt concurrere ad actum bonum, & quantum eſt ex ſe deſiderat, vt voluntas ad illum ſe determinet; vt patet ex illo Apocalyp. 3. *Ego eſto ad oſtium & pulſo*. Patet, inquam, apud Conradum idem eſſe motionem ſpecialem, ac motionem ſtimulantem voluntatem ad concurrendum, ex illis verbis, *Vno modo motione ſpeciali prævenientẽ volitionem ipſius voluntatis*, & ex illis, *de motione ſpeciali & prævenienti*. Patet tertio apud Conradum hanc motionem ſpecialẽ prævenientem non eſſe prædeterminantem, & eſſentialitèr connexam cum volitione: quia *ad motionem Dei poſſunt* (viatores) *acquieſcere, vel non*: ergo ſentit motionem illam ſpecialem prævenientem talem eſſe, vt ei poſsit voluntas acquieſcere, eliciendo actum, ad quẽ inclinat, vel non acquieſcere, omittendo illum actum, & coniungendo hanc omiſsionem cum illa motione.

244 Conſtat etiam mẽs Conradi ex q. 9. art. 3. pag. 89. col. 2. §. *argumentum*, vbi hæc habet: *In poteſtate ſolius voluntatis, ſtante generali influentia, eſt ſe mouere actiuè completiuè, neque ad hoc concurrit aliquid aliud actiuè completiuè*. Ergo iuxta Conradum in poteſtate ſolius voluntatis creatæ eſt determinare exiſtentiam actus liberi ſtante generali influentia Dei, id eſt poſtquam Deus applicuit ſuam omnipotentiam ad concurrendum tanquam cauſa vniverſalis, neque aliquid aliud præter voluntatẽ concurrit actiuè completiuè, id eſt per modum determinantis, ſuppoſita influentia generali, ſeu ſuppoſita prçparatione omnipotentiæ ad concurrendum ſimultaneè; veriſimile autem eſt apud D. Thomam Deum compleri in ratione applicantis omnipotentiam ſuam ad concurrendum cum voluntate creata ad volitionem liberam, per motionem quandam indifferentem, in ſenſu compoſito cuius poſsit voluntas noſtra ponere omiſsionem actus, ad quem Deus parat concurſum; vt oſtendit Cardinalis Eſsortia 1. 2. diſput. 6. art. 12. vbi inquirit, *an voluntas præmoueatur per aliquam motionem intrinſecam, non ſolum ab obiecto, ſed etiam à Deo*. Et partem affirmantem defendit tanquam ſententiam D. Thomæ. Quamvis autem probabile ſit, voluntatem creatam præmoueri à cauſa prima per motionem intrinſecam; non tamen inde licet inferre, probabile eſſe, quod prædetermineturr, aliud enim eſt præmoueri, aliud prçdeterminari. Primum ſolvum dicit motionem prçviam, quæ poteſt eſſe, vel determinatæ ad vnum, vel indifferens ad vtrumque: ſecundum verò determinatè ſignificat motionẽ prçviam determinatam ad vnum, quæ pugnat cum libertate. Et hoc videtur ſatis perſpicuè docuiſſe D. Thomas 1. 2. q. 10. art. 4. corp. vbi inquit: *Deus omnia mouet ſecundum eorum conditionem; ita quod ex cauſis neceſſarijs per motionem diuinã ſequuntur effectus ex neceſsitate; ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingenter; quia igitur voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam mouet, quod non neceſſario ad vnum determinat, ſed manet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in ijs, ad quæ naturaliter mouetur*. Ergo iuxta D. Thom. motio illo generalis, qua Deus vt cauſa prima cõcurrit ad actus liberos voluntatis creatæ, talis eſt, vt non determinet ad vnum, id eſt ad vnum actum præ oppoſito ponendum; ſed ſuppoſita illa motione liberum eſt voluntati, vel ponere volitionem, vel nolitionem, nimirum coniungendo cum illa motione libere volitionem, & cum potentia

ad coniungendam nolitionem cum tali motione in ſenſu diviſo nolitionis, ſeu faciendo ſenſu diviſum.

245 Idque ſatis clarè docet Conradus in commentario illius articuli 41. pag. 99, col. 2. §. *Aduerte*, vbi ait:* *Dei motio*, cooperativa præſertim, modificatur in vnoquoque, & reſpectu vniuſcuiuſque ſecundum modum ſuũ; ideo vnumquodque vtitur illa cooperatione ſecundum ſuum modum, ſic enim omnia ſuaviter diſponuntur, & quia modus voluntatis reſpectu particularium bonorum. imò & operationum ſuarum eſt liberè velle, & libere velle id, vel aliud libertate contradictionis, ideo voluntas cum divina motione concurrit prout vult, & libere, & hoc vult iſta probatio. Vnde dicimus contra Scotum in 1. diſt. 2. q. 2. & alibi pro Ariſtotele, quem *immeritò* reprehendit, quod etiam ſi Deus ageret ex neceſsitate naturæ, nihilominus ſalutaretur contingentia in rebus propter rationem iam dictam, quia quantumcumque Deus, ex partè ſui neceſſariò ageret, tamen ſua actio cooperativa modificaretur ſecundum naturam, & modum cauſæ ſecundæ, & de facto videmus influentiam cœli indefectivam, propter iſtorum inferiorũ defectivam diſpoſitionem non pertingere ad ſuum effectum, quia præter movere primæ cauſæ, oportet & concurrere movere ſecundæ cauſæ, ſi debeat ſequi *effectus*. *

246 Quæ doctrina eodem eſt cum doctrina Caietani ſuprà expoſita num. 242. & ſequentibus, quam Bañez acriter impugnat vt contrariam Prædeterminatoribus. Vnde Conradus ſatis perſpicuè docet motionem cooperativam cauſæ primæ cum voluntate ad actus liberos, eſſe ex ſe indifferentem, & talem, vt ea poſsit vti, & non vti voluntas creata. Et hæc eſt ratio, cur etiamſi per impoſsibile Deus operaretur ex neceſsitate naturæ, adhuc volũtas creata operaretur libere, vt docent Thomiſtæ cũ D. Thoma, nimirum Caietanus 1. p. q. 19. art. 8. à §. *circa iſtum materiam*, Conradus loco ſuper citato, Ferrara & communiter alij, item P. Vazquez 1. p. diſp. 100. cap. 3. & P. Molina diſp. XI. & alij multi apud Faſolum 1. p. q. 19. art. 8. dubit. 2. n. 10. quia videlicet, etiam ſi Deus ex neceſsitate naturæ moveret voluntatem motione indifferenti, illa motio non magis tunc determinaret voluntatem ad vnum, quàm nunc determinat. Si autem motio illa eſſet prædeterminans, & Deus foret neceſsitatus ad prædeterminandum, in intelligibile eſt, quod effectus maneret liber; ſiquidẽ Deus eſſet neceſsitatus ad imprimendam prædeterminationem; & inſuper foret neceſsitatus ad ponendum effectum ſub conditione quod ad ipſum prædeterminaret.

247 Idque ſatis conſtat ex iſs, quæ tradit idem Conradus q. 79. art. 1. pag. 621. col. 1. §. *Nota, inquam*, vbi ſic ſcribit: * *Secunda cauſa non producit*, niſi in virtute primæ, quæ ſecundam coniungit ſuo effectui, & intimiùs attingit effectum quam ſecunda; ſed cooperando intrinſecè ſecundum modum naturæ cauſæ ſecundæ, vndè attingit operationem voluntatis modificatam iuxta conditionem voluntatis: ergo talis effectus non habet neceſſariam habitudinem ad cauſam primam, ſed contingentem, quia fit ab ea ſecundum conditionem voluntatis, & cauſæ ſecundæ, quæ eſt cõtingens. Vnde ſi Deus ageret ex neceſsitate naturæ, vt Philoſophi poſuerunt, ſtarẽt nihilominus contingentia rerum propter defectibilitatem, & libertatẽ cauſarum *ſecundarum*.* Hæc ille: ergo ſentit, cauſam primã nõ concurrere per motionem præviam determinantem ad vnum, ſic enim effectus haberet neceſſariam habitudinem ad cauſam primam: ſed vel non concurrere per motionem præviam, ſed dumtaxat concomitantem & identificã cum actione creaturæ, & ab illa modificatam; vel per motionem præviam indifferentem, ad quam effectus habeat habitudinem contingentem, quatenus ſuppoſita illa motione liberum eſt voluntati illa vti, vel non vti, illi cooperari, vel non cooperari. Poſt hæc obſervata ex lectione huius authoris, legi Eximium Doctorẽ in opere de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 42. pag. 326. vbi textum adducit ex hoc authore q. 27. art. 1. quì ſufficit ad concludendũ noſtrum intentum; ſic enim ait ibi Conradus: *Cauſa prima non habet motionem prævviam actioni creatæ voluntatis; non enim cùm aliquid vult, oportet antequam velit, præcedere motionem Dei* Loquitur ex vi eſſentialis dependentiæ, vel ſubordinationis, quam cauſa ſecunda ſufficienter conſtituta in actu primo ad agendum, habet reſpectu cauſæ primæ, ac proinde manifeſte ſentit, non indigere motione prævia, vt tranſeat de actu primo in actum ſecundum.

Paulus Soncinas; qui claruit an. 1490.

248 HIC Author in ſua Metaphyſica, lib. 12. q. 19. inquirit, vtrum Deus producat de neceſsitate naturæ aliquid extra ſe; & proponit tertium argumentum ſic: *Omnis potentia libera libertate contradictionis indiget aliquo, per quod determinetur; ſed prima cauſa non poteſt ab alio determinari, alioqui non eſſet prima, &c.* Cui argumento reſpondet iis verbis: *Ad tertium dicitur quod potentia libera ab aliquo determinatur, ſed nõ oportet huiuſmodi*

de-

determinans eſſe aliud ab ipſa potentia. In quibus verbis ad probandum, quod Deus ſeipſum determinat, aſſumit medium vniverſale, complectens etiam libertatem creatam, quod ſcilicet potentia libera poteſt ſeipſam determinare, ac proinde non indiget determinante diſtincto: quamvis potentia libera creata hoc ipſo quod creata ſit indigeat alio vt ſecum concurrente ad actum, nempe creatore; & indigeat gratia ſupernaturali, quando actus eliciendus eſt ſupernaturalis. Ergo vt voluntas creata ſe determinet ad actũ honeſtum ſalutarem non indiget auxilio prædeterminante, ex mente Pauli Sõcinatis. Præterea, vt inquit P. Suarez in opere de vera intelligentia auxilij efficacis cap. 42. pag. 327. *Soncinas lib. 9. Metaph. q. 17. oſtendit late, ad liberum actum neceſſarium eſſe, vt voluntas prius natura ſit in potentia contradictionis, ita vt prius natura quam velit, poſsit non velle, nihilque ſit in voluntate prius natura ſpectata, quod ſit determinatum ad velle; alioquin* (inquit Soncinas) *ipſum velle non eſſet contingenter a voluntate, ſed neceſſario.* Et eodem lib. 9. q. 19. affirmat: *Quod nihil eſt in voluntate, cum elicit velle, quod ſit neceſſario determinatũ ad velle;*

Robertus Holchot qui obijt an. 1349.

249 HIC Author, qui in primam ſentẽtiam q. 3. art. 2. explicans, quid ſit libertas, inquit: *Libertas eſt poteſtas quædam, qua voluntas concurrentibus omnibus cauſis requiſitis ad ſuum effectum, habet quod poſsit cum eis coagere, & ponere actum ſuum in effectum, vel non ponere, ſicut ei placuerit.* Ergo ſentit, auxilium prædeterminans non eſſe neceſſarium ad recte operandum: nam voluntas non habet poteſtatem poſito auxilio prædeterminante, vt cum illo coagat, vel non coagat; ſed eſt ex ſe eſſentialiter determinata; vt poſito auxilio prædeterminante cum illo coagat, eiuſque impulſum ſequatur; neque vllam habet poteſtatem ad non coagendum cum illo: nam non coagere cum auxilio prædeterminante, eſt illud fruſtrare; ad quod nullam habet poteſtatem voluntas. Deinde art. 8. ad 5. dubium, in ſolutione tertij argumenti illius dubij, docet, poſtquam voluntas conſtituta eſt in actu primo proximo per iudicium indifferens, nihil ſupervenire ex parte Dei medium inter actum primum & actum ſecundum, quo determinetur ad eliciendam volitionem: *De nouo tamen* (inquit) *nullam rem recipit, quod coagat ad cauſandam volitionem, quam prius non habebat.*

250 Præterea in ſecundam ſententiam q. 1. art. 4. ſatis perſpicuè tradit ſententiam Societatis, dum docet; Deum cum cauſis liberis non concurrere decreto omnino abſoluto, & efficaci, ſed decreto, quaſi conditionato, cuius efficacia dependet à cooperatione liberi arbitrij: *Deus* (inquit) *dicitur aliquid velle dupliciter. Vno modo abſolute: alio modo ex conditione, vel ex quadam conuentione cum creatura rationali. Primo modo concurrit ad agendã cum omni natura agente naturaliter voluntariè. Illo etiam modo facit, quidquid facit præcisè per ſe ipſum: & ideo omne tale eſt abſolute volitum, & ex electione. Secundo modo concurrit Deus voluntariè ad coagẽdum cum natura rationali libera, cui tales leges ſtatuit, quod quidquid ipſa velit, placet ipſi coagere ad illam volitionem; licet non placeret ſibi agere, ſicut per illam volitionem denotatur. Ita quod ſi ſortes vult peccare, placet Deo coagere ſecum in hac volitione, & non impedire eum, vel ſi impediret eum, hoc faceret per legem communem.*

Vdalricus Argentinenſis, qui claruit anno 1280.

251 HIC Author, qui auditor fuit B. Alberti Magni, lib. 2. Summę (apud Carthuſianum in 1. diſt. 40. p. 34 poſt medium) clare docet, Deum non prædeterminare, neque impellere ad actum peccatis; ex quo ſequitur, neque phyſicam prædeterminationem neceſſariam eſſe ad actum honeſtum ac proide gratiam efficacem, non conſiſtere in auxilio prędeterminante, ſiquidem gratia efficax ad omnem actum honeſtum, & ſalutarem eſt eſſentialiter requiſita. Quod id doceat, patet; ſic enim loquitur: *In obduratione ſunt duo: aliud eſt actus voluntatis pertinaciter inhærentis malitiæ, & huius Deus non eſt cauſa per ſe, neque per accidens, ſed voluntas deficiens: aliud eſt ſubſtractio gratiæ, quæ ſubſtratio poteſt conſiderari, vt pœna peccati, & ita Deus eſt cauſa eius per ſe poteſt etiam conſiderari vt cauſa, ſiue occaſio culpæ ſequentis & ita non eſt a Deo, ſed à voluntate peruerſa.*

Deinde ſententiam Societatis negantis concurſum prævium prędeterminantem cauſę primæ cum cauſis ſecundis liberis, docet idem Vdalricus apud Carthuſiam in 1. diſt. 38. q. 2. vbi reddit rationem, cur neque cauſalitas Dei, neque eius præſcientia tollit contingentiam à rebus: *Quia cauſalitas* (inquit) *primæ cauſæ attingit effectum mediantibus cauſis ſecundis ac proximis, quæ cauſalitatem illam*

re-

recipiunt ſecundum modum ſuæ naturæ.

Raynerius Piſanus, qui claruit anno 1414.

252 Hic Author in Pantheologia verbo *peccatum* cap. 49. perſpicuè docet cauſam liberã non prædeterminari à Deo, quia vt ſeipſam determinet, non indiget alio determinante: ſic enim ait: *Huius, quod eſt liberè agere vel non agere, libere, attendere, vel non attendere, vti regula vel non vti, non oportet aliam cauſam quærere, quia ad hoc ſufficit ipſa libertas voluntatis, per quam poteſt agere, & non agere, vti & non vti.*

253 Item verbo *Præſcientia* cap. 16. advertit dupliciter poſſe rem determinari ad eſſe, *vel per neceſſitatem in ſuis cauſis, vel per præſentiam ſuæ eſſentiæ. Prima determinatio inuenitur in neceſſarijs euentibus, ſiue ſint futuri, ſiue præſentes. Secunda determinatio reperitur in rebus præſentibus, ſiue ſint neceſſariæ, ſiue contingentes.* Quia nimirum effectus neceſtarij, vt advertit ipſe, habent determinationẽ, tum ex ſuis cauſis, tum ex præſentia eorundem effectuum, *ſed effectus contingens*, inquit, *non habet neceſſariam determinationem, nec certitudinem ex ſua cauſa.* Ergo iuxta hunc authorem gratia prædeterminans non eſt cauſa actus liberi ſalutaris; ſic enim iam actus ille haberet certitudinẽ non ſolùm in termino ſed etiã in ſua cauſa. Eandem doctrinam, quod nimirum ad libertatem actionis requiratur, quod voluntas determinat ſeipſam, & non determinetur ab vllo alio, habet, verbo *liberum arbitrium* cap. 1. 2. & 8. 10. 11. 14. 15. 16. & 26.

Didacus Deza Archiepiſcopus Hiſpalenſis, qui claruit an. 1515.

254 P. Didacus Ruiz diſp. 49. dẽ ſcientia ſect. 6. num. 8. Dezam cum Capreolo coniungit: *Deza enim* (inquit) *plerumque nihil aliud, neque aliter tradit, quam dux eius Capreolus.* Additque, *hos duos præ cæteris omnibus mentem D. Thomæ, & diligentius indagaſſe, & felicius attigiſſe, & dilucidius explicaſſe.* Multaque cõfert, vtriuſque loca, in quibus doctrina Societatis continetur: nonnulla etiam perſpicua Dezæ teſtimonia expendit P. Aldrete pro noſtra ſententia diſp. 28. de ſcientia ſect. 9. à num. 7. vſque ad 16. Nobis duo ſatis aperta ſatis eſt adducere. Siquidem in 1. diſt. 38. q. 1. art. 3. notabili 1. ad finem, & notabili 2. propè initium, item paulò inferius ex S. Thom. in 1. diſt. 40. q. 3. art. 1. recte infert: *Quod futura contingentia in cauſa prima etiam determinata quantum eſt ex ratione cauſalitatis cognoſci nõ poſſunt per certitudinem determinate.* Sentit ergo concurſum prævium prædeterminantem non eſſe neceſſarium, vt volũtas ſe determinet: ſi enim foret neceſſarium, Deus in decreto concurrendi cum voluntate ad actum liberum, iſtum infallibiliter cognoſceret: ergo ſentit gratiam efficacem non conſiſtere in auxilio prędeterminante.

255 Deinde ſicut Capreolus in 2. diſt. 24. q. vnica art. 3. intermedium, & finem ad quoddam ſextum argumentum ait: *Voluntas, quantum eſt de ſua natura eſt ad oppoſita: ipſa tamen ratione ſuæ libertatis ſe determinat ad id, quod vult, & ita non indiget alio determinante.* Ita Deza in 2. diſt. 24. q. vnica toto art. 3. notabili 3. & art. 4. ad 12. docet ad libertatem requiri: *Quod voluntas determinet ſeipſam, & non determinetur ab alio.* Et diſt. 25. q. vnica art. 3. notab. 4. à medio, & art. 4. prope finem docet, Deũ tanquam cauſam vniverſalem ſolum determinare voluntatem creatam ad primam volitionem naturalem & neceſſariam circa bonum in communi; at vero voluntatem determinare ſeipſam ad volendum hoc vel illud bonum in particulari. Et vtrobique citat verba D. Thomę ex 1. 2. q. 9. art. 6. ad tertium, quę nos citavimus ſupra num. 147. agentes de mente Div. Thomæ.

Vincentius Bellaracenſis qui obijt an. 1256.

256 Hic Author in ſpeculo Morali lib. 1. diſt. 10. ad 6. quæſtionem, eandem habet doctrinam, quam modo retulimus ex Capreolo, & Deza, & ſcribit eadem verba, quæ D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 6. corp. Docet enim, Deum in ratione primi moventis ſolum habere, quod omnia convertat in ſeipſum ſecundum rationem communem boni; voluntatem autem creatam ſe determinare per conſilium rationis ad particularia bona. Et in ſpeculo naturali lib. 29. cap. 65. cum Boetio docet, voluntates noſtras eſſe ſolutas omni neceſſitate, etiam ea, quam imponeret divina providentia, niſi ſupponeret futuros actus vt præſentes. Supponit ergo omnem neceſſitatem antecedentem, provenientem ſcilicet à ſuppoſitione antecedenti nobis non libera, & connexa cum opere, tollere libertatem: quia talis ſuppſitio actus futuros noſtros, vt præſentes nõ ſupponit, ſed facit præſentes pro ſua differentia temporis.

Petrus Palludanus, Patriarcha Hieroſolimitanus, qui claruit an. 1330.

257 Hic etiam Author docet idẽ quod antiquij alij Theologi, nimirum de ratione li-

liberi arbitrij eſſe, quod ſeipſum determinet, & non determinetur ab alio; ſic enim ſcribit in 3. ſentent. diſt. 18. artic. 3. ad finem. *Per liberum arbitrium intelligimus illud principium, per quod habemus dominium noſtrorum actuum, non ſolum ſicut communiter dicitur, quod omne agens dominatur ſuo paſſo; quia tunc omne agens eſſet liberum, quod falſum eſt: ſed ſic in poteſtate habentis tale principium eſt, exire in actum, vel non exire in actum aliquem, vel eius oppoſitum.* His ſimilia dixerat artic. 1. & 2. de indifferentia libertatis.

Henricus Natalis, Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, qui obijt an. 1325. & fuit Duandi contemporaneus.

258 Hic Author quodlib. 1. q. 1. art. 1. præſertim in reſponſione ad ſeptimum dubium, idem docet quod Div. Thomas 1. 2. q. 109. art. 6. ad 3. * Nimirum, ſuppoſita cognitione, & amore boni in communi, voluntatem determinare ad concludendum, hoc bonum eſſe eligendum potius quam aliud: & huius non eſſe quærendam aliam cauſam, niſi quia eſt principium potens ſe determinare. Et expreſſe notat: Quod non eſt dare vnam cauſam per ſe neceſſariam, & determinatam. * Ex qua videlicet neceſſario ſequatur determinatio: ergo excludit phyſicam prædeterminationem; ſiquidem hæc voluntatem conſtitueret cauſam vnam per ſe neceſſariam & determinatam, ex qua ſequatur electio. Præterea quodlib. 10. q. 9. prope finem docet, voluntatem ita dominari ſuæ indifferentiæ, vt poſsit illam applicare, vel non applicare ad actum: *Habere* (inquit) *dominium ſui actus, eſt habere ſic in poteſtate ſuum actum, quod in poteſtate ſua ſit ſtgere, vel non agere hoc vel illud.* Vnde infert, ad hoc dominium requiri, *quod principium etiam ſuper illam indifferentiam, vt applicabilis eſt ad actum, habeat dominiũ. Si enim aliquid haberet indifferentiã, prout applicabilis eſt ad actum, ſibi non ſubeſſet, non eſſet in poteſtate ſua agere vel non agere.* Sentit ergo manifeſte voluntatem noſtram non indigere prædeterminatione, vt ſe determinet ad amorem, v. g. potius quam odium. Si enim indigeret phyſica prædeterminatione; indifferentia voluntatis, vt applicabilis ad actum, non ſubeſſet voluntati, ſed ſoli Deo, qui ſolus imprimit prædeterminationem, quæ iuxta ipſius aſſertores eſt applicatio voluntatis ad agendum.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, qui obijt anno 1459.

259 Sanctus hic Doctor 1. p. ſum. tit. 4. cap. 2. §. 3. ſupponit, actiones liberi arbitrij à nulla alia cauſa præter ipſam voluntatem determinari; & dicit hoc experimento comprobari: *Nam voluntatem habent* (homines) *indeterminatam reſpectu aliquorum libere eligendi, vel non eligendi, quod patet per experientiam, dum quis eligit vnum, poſtea contrarium.* Et in eodem tit. 4. cap. 2. §. 9. *Immutatur* (inquit) *voluntas à ſeipſa, cum modo vult vnũ, modo aliud: vnde Auguſtinus: nihil tam eſt in noſtra poteſtate, quam voluntas ipſa.* Sentit ergo, voluntatem noſtram ſe determinare, quin prædeterminetur à Deo. Quod magis patet ex eodem tit. 4. cap. 4. §. 3. ad finem, vbi tractans ex profeſſo, quomodo Deus quaſi vniverſalis motor moveat voluntatem, refert, & ſequitur D. Thomã, qui 1. 2. q. 10. art. 4. inquit: *Quia voluntas eſt principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus eã mouet, quod non ex neceſſitate ad vnum determinat, ſed manet eius motus contingens, & non neceſſarius, niſi in ijs, ad quæ naturaliter mouetur.* Ergo ſecundum D. Antonínum motio illa, qua Deus vt Author vniverſalis, movet voluntatem noſtram ad actum liberum, non eſt motio prædeterminans voluntatem, ſed indifferens, & talis, vt ea præſuppoſita maneat contingens motus voluntatis; quatenus poſita illa motione poteſt, non ſequi ad illam motus, ſeu electio voluntatis: ergo ſecũdum D. Thomam, & Div. Antoninum motio prævia, qua Deus movet voluntatem creatam ad electionem liberam tanquam vniverſalis motor, eſt motio, cui poteſt reſiſtere voluntas creata. Idem enim eſt apud D. Thomam, motionem nõ determinare ex neceſsitate ad vnũ, ac motionem eſſe talem, cui voluntas poſsit reſiſtere; vt conſtat ex quodlib. 1. art. 7. ad 2. Vbi ex eo quod Deus omnia moveat ſecundum conditionem mobilium, & voluntas creata ſe habeat indifferenter ad plura, deducit S. Doctor: *Quod ſic Deus mouet mentem rationalem ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere.* Vt conſtat ex dictis ſupra n. 149. Ergo illa motio non eſt prædeterminans; ſiquidem motioni prædeterminanti reſiſtere non poſſumus, ſicut nec decreto efficaci, quod eſſentialiter præſupponitur. Illa autem motio, qua Deus vt vniverſalis motor movet voluntatem noſtram, quatenus eſt principium indifferenter ſe habens ad plura, eſt *inſtinctus quidam*, ſeu amor neceſſarius ad bonum in communi, quem amorem Deus imprimit voluntati, vt conſtat ex D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. vbi ait: *Deus mouet voluntatem hominis tanquam vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum: ſed ho-*

homo per actionem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. Nec dici cum fundamento potest, motionem pręviam, qua Deus, vt vniversalis motor movet voluntatem ad electionem liberam, secundum D. Thomam, & secundum D. Antoninum sectantem eius doctrinam, illamque citantem, esse motionem prędeterminantem. Siquidem D. Thomas ea q. 9. ex professo explicans, quo pacto voluntas seipsam moveat, & moveatur à Deo, nullam mentionem facit prædeterminationis: illam ergo non agnovit; nam si agnovisset, & censuisset concursum causæ primæ consistere in illa, eam silere non debuisset. Quis enim credat, D. Thomam in eo ipso loco, in quo ex professo tractat de modo, quo voluntas moveatur à Deo, siluisse physicam prædeterminationem, si illam agnovisset, & concursum generalem in illa reposuisset. Solum autem ibi art. 4. corpore, dicit, voluntatem moveri: à Deo ad amorem finis, seu *ad primum actum per instinctum*, hoc est, per inclinationem ipsi in prima sui productione inditam ad bonum in communi; à se autem moveri ad amorem eorum, quæ sunt ad finem.

260 Præterea S. Antoninus ex tit. 4. cap. 2. §. 3. docet: *Diuinum decretum non posse esse causam omnium humanorum actuum, quia plures actus humani sunt mali. At ea, quæ sunt à Deo immediate, non possunt esse nisi bona.* Ergo iuxta D. Antoninum Deus non prædeterminat ad entitatem actus peccati, quando ponenda est in circunstantijs, in quibus inseparabilis sit ab illo malitia: ergo iuxta ipsum neque auxilium prędeterminans est necessarium ad actum bonum; ad quē sufficit concursus vniversalis, habitus supernaturalis, & sancta cogitatio, & inspiratio; concursus autem generalis non consistit in physica prędeterminatione, si semel sine illa concurrit ad actum peccati. Ibidem etiam probat, voluntatem non ab alia causa, quam à seipsa determinari, quia *operatur ex collatione quadam rationis.* Ergo sola vis electiva determinat voluntatem iuxta S. Antoninum. Quo sensu ibidem §. 7. in fine inquit cum Ambrosio: *Quorum nos Domini sumus, scilicet actuum nostrorum & peccatorum eorū principia extrinsecus non requiramus.* Ergo iuxta Antoninum cum Ambrosio Deus non prędeterminat ad actum peccati, & consequenter, neque ad actum bonum titulo causæ vniversalis.

M. Franciscus Victoria Salmanticensis, qui obijt anno 1646.

261 Gravis hic Theologus in Relect. de Homicidio ostendit, nullam inclinationem ad opus pravum esse immediate à Deo. Idque inter alia probat, quia Deus non potest dare inclinationem ad falsum: *Quia si Deus* (inquit) *produceret quemcumque habitum inclinantem ad falsum, merito, & mendacij, & deceptionis argueretur.* Hinc deducit, Deum multo minus dare homini inclinationē ad actum peccati: deinde probat, *quia si inclinatio ad malum* (inquit) *est à solo Deo, non video, quare negant, quod Deus causa sit peccati, quod omnes Theologi tanquam impium semper reiecerunt.* Sentit ergo eos facere Deum Authorem peccati, qui dicunt, Deum immediate posse dare homini inclinationem ad actum peccati. Ergo à fortiori sentiret, eos facere Deum Authorem peccati, qui affirmant, Deum imprimere voluntati physicam prædeterminationem determinantem ipsam ad actum peccati: plus est enim imprimere se solo qualitatem voluntati, quæ ita impellat ad actum peccati, vt ei resistere voluntas nullatenus possit; quam imprimere se solo habitum vitiosum, inclinantem quidem ad actū peccati, sed relinquentem voluntati potestatem, vt ei resistere possit, cum eove componere omissionem actus ad quem inclinat. Dum enim voluntas potest resistere qualitati inclinanti ad actum peccati, dici valet, Deum infundere illam qualitatem, vt voluntas illi resistat, & resistendo victoriam obtineat, atque adeo dare homini certamen forte, vt vincat. At prædeterminationem ad actum peccati, nequit Deus imprimere voluntati eo fine, vt ei resistens, palmam mereatur: quia resistere prædeterminationi est chymæra, & Deus nequit intendere finem chymæricum.

Considera Angelum propriori ad primū peccatum. Sane in illo priori quidquid habet, est à Deo: & nihil habet in illo priori exigēs, vt peccet; sed potius omnia quæ habet à Deo, exigūt, vt creatori obediat, & peccatum vitet. Si ergo Deus pro posteriori illum prædeterminat ad actum peccati eliciendum, id facit supra, imo contra exigentiam Angeli: ergo non operatur vt causa vniversalis, sed vt causa particularissima actus peccati: ergo multo magis erit author peccati, quam si infunderet illi habitum vitiosum.

Reuerendissimus Franciscus Romæus Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, qui interfuit Tridentino, & obijt anno 1552.

262 Hic Author, qui obijt an. 1559. in tractatu *de libertate operum & necessitate, veritate* 8. pag. 49. perspicue tradit do-

Societatis negantis necessitatem motionis prædeterminantis ad actiones liberas creaturæ, & consequenter negantis Deum primo cognoscere futura nobis libera in decreto efficaci suę voluntatis concurrendi ad eas actiones. Siquidem ita ibi scribit: *Illud non est prætercundum, quod si ad antiquos Doctores te conuertas, operies, fere omnes in hãc vnam conuenisse sententiam, videlicet, non ex eo, quod Deus scit aliquid futurum, id circo futurum est, sed quia futurũ est, Deus nouit, qui est præscius futurorum. Sic enim loquitur Hieronymus super Hieremiam, sic Augustinus in de Prædest. & gratia, sic Origenes super Epistolam ad Romanos, sic Christost. super X. Mat. caput, sic plerique orthodoxi procerę, quorum non pono verba, ne quinternos occupem.* Quæ doctrina ex diametro opponitur doctrinæ Prædeterminatorum, qui cum M. Alvarez lib. 2. respons. cap. 1. num. 18. mordicus defendunt tanquam veram hanc propositionem: *Quia Deus scivit scientia libera res esse futuras, ideo futuræ sunt; & non econtra quia futuræ sunt, ideo Deus scit esse futuras.*

165. Rursus idem Author, in eodem tractatu veritatis 16. pag. 108. tenet doctrinam Societatis asserentis motionem prævium, qua Deus facit vt faciamus, non esse prædeterminantem, sed intrinsece indifferentem, proindeque liberum esse homini cum illa coniungere dissensum, atque adeo contingere posse, vt ex duobus hominibus, pellatis eadem motione gratiæ prævenientis, vnus consentiat, & alter dissentiat; sic enim ait: *Vnde igitur est, quod conuertitur Nabuchodonosor a peccato, Pharao durescit? Hic iam si respondeas iuxta præmissa, quia videlicet diuina motio & attractus non infert culpam, violentiam, sed suauiter mouet vnumquodque per modum eius, vt scilicet liberum hominem facere moueat; proinde in libertate attracti hominis est sequi, vel non sequi diuinæ motionis attractum: Bene respondebis, & Augustinus & ceteris Patribus conformissime.* Ergo iuxta hunc Authorem, liberum est homini attractui per motionem gratiæ prævenientis efficacis, sequi vel non sequi attractum illius motionis. Sequi autem attractum, est motioni consentire; non sequi attractum est eidem motioni dissentire. At liberum non est homini dissentire attractui gratiæ prædeterminantis, quia dissentire attractui gratiæ prædeterminantis est componere dissensum cum illo attractu, vt patet ex ijs, quæ dixi supra in hac disputat. 7. 2 num. 101. Ergo iuxta hunc Authorem gratia efficax non est prædeterminans.

Matthæus Ori Vicarius Generalis Ordinis Prædicatorum Congregationis Gallicanæ, qui contemporaneus fuit S. Parentis Ignatij.

264. Fuit hic Author studij Parisiensis Fratrum Prædicatorum Regens, & subinde Congregationis Gallicanę Vicarius Generalis, & etiam per totam Galliam Inquisitor Generalis, & Pauli Tertij, Iulij Tertij, Marcelli Secundi, & Pauli Quarti Pœnitentiarius: ac proinde floruit anno 1555. in quo Paulus Quartus assumptus fuit ad Pontificatum, & videtur obijsse ante annum 1559. in quo Paulus Quartus decesserit. Antonius Senensis in Biblioteca Fratrum Prædicatorum diem mortis eius nõ designat. Huius præstantis viri memoriam celebrant Anales Societatis, eo quod honorifice tractaverit S. P. N. Ignatium, delatum ad se Parisijs, & postea præclarum de eius probitate testimonium præbuerit in Vrbe. Magnus hic vir doctrinam Societatis negantis scientiam visionis nostrum actuum liberorum esse eorundem causam, & quod Deus ad illos nõ prædeterminat, neque proinde eos cognoscit in decreto concurrendi cum voluntate ad illos; hanc inquam, doctrinam in lib. 5. de verbis Pauli contra hæreses, verbo *Libertas*, clare tradit his verbis: *Manifestum est, quod visio Dei, qua videt aliquem agere, vel non agere, non est causa talis actus, vel operationis: sicut homo videns incedentes per viam, non est causa illius incessus, ita neque Dei visio causa operationum in nobis.* Consulatur P. Arrubal disp. 34. num. 12. vbi hoc testimonium expendit.

Ioannes Vigerius, qui vixit anno 1545.

265. In [illegible] cap. 20. de Mysterio Incarnationis [illegible] v. 2. prope initium fol. 270. apud Rubium disp. 67. de scientia, num. 8. manifeste supponit, bonum [illegible] illi præsciri tanquam conditionaliter futurum his verbis: *Neque præsciuit meritum sequentem est causa prædestinationis, sed quod Deus prædestinauerit, se dare [illegible] cui gratiam, quia sciebat ipsum [illegible] eam, & ea bene vsurum: & non alteri, quia præsciebat ipsum, vel non acceptaturum, vel ea non bene vsurum. Sicut Rex, qui militi dat equum, sciens eum acceptaturum, &c. Sed contra hoc est, quod effectus non potest esse causa sui ipsius, prædestinationis autem effectus, & omne auxilium datum homini ad vitam æternam, vt auxilium speciale, quod dicitur vocatio, est a Deo.* Hactenus Vigerius. Vide hunc locum ponderatum, apud Rubium vbi supra.

Dein-

tes sententiam Societatis propugnant; necessum non est, verba depromere ex eorum omnium voluminibus ad id comprobandum; sicut etiam foret ineptum ad probandum P. Suarez hanc sententiam defendere,& illustrare,aliqua ipsius fragmenta seligere, vt hic anecterentur. Vnde sufficiat illos allegare, dummodo de aliquo dubium speciale non suboriatur;vel etiam dum peculiare aliquid non afferant in sententiæ nostræ commendationem.

352 Gaspar de la Fuente Complutensis, Professor Theologiæ lib. 2. Phys. q. 5. differ.3.art.1.& 2.Franciscus del Castillo ibidem Theologiæ Professor tom.1.in 1. sententiarum disp.14.q.1.p.2.n.33.quos citat P.Henao num.1143. & seq. Angelus de Montepiloso huic parti adhæret, demonstrans etiam copiose hanc esse mentem Scoti, ita tenet tom.2. 1.part. comment.in Scotum disput.47. art.5. & 7.

353 Dormicius Thadeus *in Nitela Franciscanæ Religionis*,pag.46.vbi affirmat: *Non teneri iam communiter sententiam de prædeterminatione physica nostræ voluntatis ad actus liberos*. Ioannes Muñoz Complutensis, Professor Theologiæ *in disceptationibus, & argumentis Complutensium circa varias Theologiæ sacræ doctrinas, in 7. 8. & 9. arg. de Scientia Dei.* Vbi ex Scoto & alijs suadet scientiam mediam, respondetque ad authoritates contra illam ex Scoti authoritate; ita affirmat Henao num. 1134. citans etiam Thomam Frances de Vrrutigoyti Iubilatum Lectorem, Generalem Exsecretarium Ordinis, custodemque Provinciæ Aragoniæ *in Certam. Scholastico pro Conceptione Deiparæ*, sect.45. subsect. 3. num. 1389. qui etiam ex mente Scoti sententiam nostram propugnat, tum etiam illam inveniri doctrinam in Hugone Cabello, & Philippo Fabro.

354 Alphonsus Briceño tom.2.in 1. Scoti controv.11. dist.2.art.2.n.11. 14.& 20. & num.35.pag.216.Namque in dicto num.11. expresse,& sæpius inculcat, prædeterminationem physicam reijci à suo subtili Doctore, atque esse contrariam libertati. Et ad infringendam Thomistarum vulgarem solutionem de sensu composito, & diviso addit: *Nec sustinendum existimat* (Scotus) *commune illud effugium de compositionis, aut divisionis sensu; ita vt voluntas intrinsice composita formæ prædeterminanti, astruatur solum affixa ad vnam partem contradictionis in sensu composito, & ex hypothesi; non vero absolute. Si enim distinctio illa, quam sana, & communis amplectitur Theologia cum interpretationis latitudinem divisi, & compositi sensus sustineret; fieret, vt nulla destrui posset contradictio indifferentiæ voluntatis, quæ necessitas absolute, & simpliciter renunciaretur; sed tantum in sensum compositionis voluntatis ad talem formam præmovens.* Ita Briceño pro sententia nostra, licet in alijs dissentiat, vt postea dicam de Smisingo. Allegatur communiter pro sententia nostra à RR. Adsunt nunc pro eadē doctrina Societatis insignes alij huius Familiæ viri id ipsum testantes.

355 Ioannes Strienus Mildeburgensis Episcopus, vt testatur Stapletonus in Imagini primo sæculi lib. 6. cap.4. *Pie, ac docte causam PP. Societatis egit contra importunam facultatis Lovanienſis censuram.* Smising.de Deo,tract.3.disp.2.quæst.4.n.129. ait: *Determinationem diuinæ voluntatis neque secundum rationem esse priorem determinatione voluntatis creatæ*; quamvis affirmet vtramque determinationem & voluntatis divinæ, & creatæ esse concomitantem. Præterea RR. alios huius familiæ, qui tum in hoc Salmantino Collegio, tum in alijs pluribus voce, & scriptis sententiam nostram tradunt discipulis solide simul,& erudite, quorum aliquos novi non sine subtilitate scientiam mediam defendere,quibus adiungo R.P. Michaelem Gutierrez Theologiæ professorem, qui in Assertionibus Capitulo Provinciæ Cantabricæ defensatis, & in Bibliotheca huius nostri Collegij Regalis servatis, ex num. 9. vsque ad 17.doctrinam Societatis amplectitur.

356 Denique notandum est communiter,pœneque omnes Scotistæ acriter refutare prædeterminationem physicam, quæ fiat per realem impressionem alicius qualitatis in voluntate, ipsam impellentis physice,& ad vnum determinantis, nam vt testatur Philal. num. 47. *Omnes Scotistæ, nullo (quem sciam, aut sciant doctissimi Scotistæ à me consulti) excepto, physicam prædeterminationem Thomistarum aversantur.* In quo, quidquid sit de pluribus circa punctum scientiæ mediæ, vnà nobiscum contra Thomistas agunt.

357 Hic restant quinque alij scientiæ mediæ indubitati Patroni, & prædeterminationis validissimi impugnatores ex Sacro Ordine Capuccinorum. Vnus ex Ludovicu Caspensis in Provincia Aragoniæ Theologi Professor, & ibidem Definitor Generalis Capuccinorū. In tract.de Scient.Dei,disp.6.p 6.sectionis. Secundus sit Ludovicus à D Professor Theologiæ apud Burgundos, & dem Provincialis Capuccinorum disp.qu partita de modo coniunctionis concursus & creaturæ,part.1.cap.3.& seqq.p.3. cap. seqq. quamvis frustra laboret in concor

Schola noſtra cum Dominicana circa puncta quædam, quæ videri poſſunt ibidem. Tertius ſit. R.P. Martinus Torrecilla ſemel & iterum Provincialis Capuccinorum, qui, licet breviter, vbertime tamen & acute in ſuo curſu Philoſophico ſententias omnes Societatis, quibus à Dominicanis longe diſtant noſtri propugnat acerrime, ibidemque fuſe probat repugnãtiam Prædeterminationis, Thomiſtarumque arguta ſolide enervat, & differte. Quartus R.P. Caſimirus Toloſati ex eodem Ordine, qui in curſu ſuo Philoſophi tom. 6. de Metaphyſica Reali, elegantiſsime, &, quantum Philoſophia in ſimilibus quæſtionibus ad Theologiam ſpectantibus patitur, copioſe: nam ibi. q. 4. p. 2. has aſſertiones proponit, & poſtmodum ſoliditsime probat: *Dico primo: prædeterminatio phyſica quoad cauſas neceſſarias eſt ſuperflua.* Et poſt aſſertionem probatam, hanc ſecundam proponit: *Dico ſecundo, prædeterminatio phyſica quoad cauſas liberas repugnat.* Vlterius quæſtionem 5. inſtituit, vt ſpecialius probet repugnantiam prædeterminationis ad materiales peccati. Quintus eſt R. P. Gaudentius Bontempi Vir apprimè doctus, & mira eruditione florens, qui in ſua Theologia Scholaſtica tom. 1. tr. 1. diſput. 13. q. 12. fuſe ſcientiam mediam defendit, & exornat. Namque ibidem num. 341. hanc proponit aſſertionem: *Aſſero primo, Deum certa formali notitia ſcire ea, quæ à conditione libera pendent.* Et poſtquam huius concluſionis fundamenta ſolide apponit, Adverſoriorumque argumenta ſolvit, hanc ſecundam aſſertionem defenſandam ſtatuit n. 360. *Aſſero ſecundo, Deum habere hanc cognitionem mediã ante omne decretum. Hæc eſt præcipua controverſia in qua habemus aduerſos Thomiſtas, & Scotiſtas.* Et num. 420. invehitur contra Salmanticenſes, eo quod auſi fuerint aſſerere, Clementem Octavum Pontificem eximium annuiſſe dicentibus in illa celebri controverſia, nõ dari ſcientiam mediam, hæc enim habet Gaudentius: *Quod vero aiunt Salmanticenſes eſt fictum, quia Pontifex nihil declaravit, vt habes in vita Bellarmini; ſed opinionem etiam noſtram æque admiſsit in tactam, vt notat Baſſeus.* Hucuſque Auctoriſte ſapientiſsimus, qui egregia volumina edidit, ad mentem Seraphici Doctoris D. Bonavent.

(?·)

§. XXI.

Doctores ex Sacro Ordine Auguſtiniano ſententiæ Societatis ſubſcribentes. De his nunc qui ante controverſiam claruerunt.

358 PLVRES Ex huiuſmodi ſacro cœtu ſententiæ noſtræ ſuffragantur; nec miror, ſequntur enim Parentem Auguſtinum illius ſententiæ Patronum egregium, vt ſæpe iam probatum manet. Omiſſo tamen Parente Auguſtino, pro nobis ſtat Hugo de S. Victore Canonicus Regularis iuxta S. Auguſtini inſtitutum, cap. 9. ad Roman. quæſt. 2. clare pro nobis ſtare videtur, dum inquit: *De duobus quæritur æqualiter in peccato iacentibus, quibus gratia Dei æqualiter proponitur, & offertur: vnde fit, quod alter ei conſentiat, & ab altero reſpuatur? Solutio: vtriſque data eſt gratia, qua potuit conſentire, alterius tamen mens mota eſt, & conſentit, quod de bono naturæ potuit, quia velle adiacebat ei; quod ante gratiam implere non potuit, per gratiam quidem excitata eſt, & ſurrexit. Alter cum poſſet, non conſentit, ſed gratiam oblatam ſponte reiecit; vt apparet in ſoli radio, & in duobus in foveam lapſis. Qui oculos aperit, videt, non ſine ſolis claritate.* Quæ eſt eadem ac doctrina Saleſij eodem exemplo vtentis, quæ iam manet ſupra vberrime pro ſententia Societatis expoſita.

359 Vlterius graviſsimus hic Author ſæpe repetit, voluntatem moveri à ſe ipſa, ſeque determinare ad hoc extremum potius, quam ad illud, poſtquam vocata eſt, ſimilia habet lib. 9. cap. 9. Dionyſij de Cœleſti Hierarchia, dum ita loquitur: *Sicut in noſtra poteſtate non eſt, vt diuinæ illuminationis donum nobis offeratur; ita non niſi in noſtra poteſtate eſt, vt oblatum ſuſcipiatur: Nam aliquando cum volumus offertur, ſed non ſuſcipitur, niſi cum volumus.* Vbi totam nationem determinandi, poſita gratia, ad bona opera revocat in voluntatem noſtram. Conſonat etiam lib. 1. de Sacram. pag. 5. cap. 25. vbi ait: *Libertas eſt habilitas voluntatis, qua movetur ad vtramque.*

360 Sed inſurgit Pſeudophil. nihil probare illa prima verba Hugonis in favorem ſententiæ Societatis. Cur? rationem aſsignat, quia alia ſimilia habet D. Thom. vtiturque eodem exemplo ſolis. Quid ergo ſequitur? igitur Hugo non favet ſententiæ Societatis? Ne vtiquam infertur, niſi deducendo illationem, quæ toto cœlo aberrat ab ea, quæ ſequitur ex antecedenti: quæ namque ſequitur eſt: ergo fa-

favet etiam D. Thomas ſententiæ Societatis. Nec miror Pſeudophil. in Summulas offendiſſe, cum in veritatem offenderit. Sed inſtat ex illis verbis Hugonis. *Alterius tamen mens mota eſt, & conſentit*: ergo ille habet præ alio robuſtum auxilium prædeterminationis. Ne, quæſo, reddas Hugonem ſui immemorem, ſufficiat te tui, & illius oblitum eſſe. Lege priora verba illius: *Quibus gratia æqualiter proponitur & offertur.* Ergo non offertur vni prædeterminans, & alteri nō; vis eſſe æqualis roboris gratiam ſufficientem, ac gratiam prædeterminantem eſſe cenſes? Dum ergo dicit, *alterius tamen mens mota eſt*, intelligi debet neceſſario, ab eius voluntate, non vero à Deo, ne alioqui ſibi implicet tantus Author.

361 Richardus de S. Victore iuxta inſtitutum etiam S. Auguſtini Canonicus Regularis, eandem doctrinam inſinuat ac Victorinus, dum p. 1. tract. 1. cap. 13. ait: *Libertatis eſt, quod conſenſus eius extorqueri non poteſt. Poteſt etiā conſentire, vel non conſentire inſpirationi diuinæ; & ſimiliter ſuggeſtioni diabolicæ.* In quibus indifferentiam in ſenſu compoſito gratiæ tradit, revocatque etiā determinationem ad conſentiendum gratiæ in liberum arbitrium. Nec opus eſt ſolvere ea, quæ in contrarium adducit Pſeudophil. quia non procedunt contra authoritatem, ſed contra illationem quandam factam à Phil.

362 Thomas de Argentina (vt tranſeamus iam ad Doctores ex eiuſdem Auguſt. Eremitico inſtit.) 1. diſt. 40. quæſt. 1. art. 3. §. *Reſtat*, hæc habet, quæ nobis favent: *Quia quædam entia procedunt immediate ex cauſis determinatis, alia autem procedunt immediate ex cauſis indeterminatis.* Et primo contra Ciceronem ait: *Contingentia nullam habent entitatem determinatam in ſuis cauſis proximis.* Sed voluntas eſt cauſa proxima actuum ſuorum contingentium: ergo. Vlterius iuxta prima verba infertur manifeſte, ſecundū mentem iſtius Doctoris, aliquos effectus procedere à cauſis non prędeterminatis. Videatur Aldretus diſp. 28. ſect. 2. n. 7. Ruizius Phil. & Faſſolus dub. 17. n. 311.

363 Ægidius Columna Archiepiſcopus Bituricenſis, adſcriptuſque in numerum Cardinalium in 2. diſt. 25. q. 1. art. 3. dub. lit. 2. via 2. idipſum declarat, dicens: *Sed quoties obiectum offertur ſub vna ratione boni, & alia mali, voluntas poterit illud velle ſub ratione, qua bonum, & nolle ſub ratione, qua malum. Hic ergo voluntas poteſt ſe determinare, vel vt velit ſequi legem Dei, prætermittendo fornicationem; vel vt velit ſequi bonum delectabile; prætermittendo legem Dei.* Expendit mentem Ægidij P. Suarez cap. 50. num. 9. in tom. 2. de gratia, Faſſolus dub. 9. num. 101. dub. 17. n. 312. Ruizius Aldretus, &c.

364 Gregorius de Arimino Prior Generalis inter innumera eius teſtimonia, quæ adducuntur à Ruizio pluribus in locis, hoc mihi valde arridet, quo manifeſte convincitur ipſum pro ſententia Societatis ſtare; legatur in 2. diſt. 37. quæſt. vnica, art. 3. column. penult. ad 8. argum. vbi inquit: *Ad hunc ſenſum dico, Deum ſequi determinationem voluntatis, quoniam ideo Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit; & non ideo quia Deus agit, voluntas agit; & ideo magis proprie dicitur Deus coagere voluntati in talem actum cauſandum, quam voluntas dicatur coagere Deo.* Quæ mire, & clare ſententiam noſtram probant, quin ponderatione opus ſit.

365 Gerardus Senenſis varijs in locis favet nobis, in 1. diſt. 38. q. 1. artic. 1. & 2. præcipue in §. *Iſta autem opinio.* Et diſt. 40. q. 1. art. 2. §. *Illa certitudo*, vbi ait: *Illa certitudo quæ non contrariatur poteſtati liberi arbitrij, quod eſt ad oppoſita, non tollit, quin liberum arbitrium non poſsit ad oppoſita; certitudo diuinæ prædeſtinationis eſt huiuſmodi: ergo.* Tunc ſic certitudo, & infallibilitas prædeſtinationis non poteſt dari, iuxta Thomiſtas, ſine auxilio prædeterminante, at hoc auxilium facit quod liberum arbitrium non ſit ad oppoſita, quando quidem determinat ad vnum: ergo iuxta mentem Senenſis ad certitudinem, & infallibilitatem prædeſtinationis nec eſt opus, nec dari poteſt auxilium prædeterminans.

366 Alphonſus Vargas à Toleto, Epiſcopus primum Vxamenſis, poſt Pacenſis, tandem Archiepiſcopus Hiſpalenſis in 1. diſt. 38. & 39. quæſt. vnic. vbi ſcientiam conditionatam clare adſtruit. Vlterius in 1. *diſt.* 6. q. 6. art. 1. ait, hoc, quod eſt determinare ſe ipſam ad actus, eſſe prædicatum eſſentiale potentiæ liberæ: & poſtquam aliqua adducit ad probandam hanc veritatem, inquit: *Ex his patet, quod de ratione potentiæ liberæ, vt libera eſt, non eſt niſi non poſſe cogi, facere, quæ facit, nec prohiberi non facere, quæ non facit, ſiue poſsit in actum, & in eius oppoſitū, ſiue non: & hæc eſt libertas determinationis*: & paulo ſuperius hanc illationem infert: *Ergo de ratione ipſius* (hoc eſt potentiæ liberæ) *eſt libertas determinationis.*

367 Petrus Aurelius Sanutus *in oppugnatione Lutheranarum aſſertionum, inquiſit.* 10. *de lib. hom. arb.* admittit in differentiam in ſenſu compoſito gratiæ, dum ita

loquitur: (teſte Baſtida in quadam recenſione Authorum contra prædetermin.) *Quinimo vſque adeo invalidum, atque infirmum eſt huiuſmodi noſtræ voluntatis arbitrium, vt ad operantis etiam gratiæ ſuſceptionem, non ſine diuina qua piam motione, impulſione ve prævia, bonis ſcilicet compunctionibus, cogitationibuſque ab optimo Deo nobis immiſſis, velut materia ad formam ſe præparare queat. Hac ergo præveniente gratia, & nõ ſola natura libera, poterit voluntas ſedis ponere. Noſtri vtique poſtmodum arbitrij erit, diuinis his vocationibus, vel aſſentire, vel diſſentire.* Quæ vltima verba manifeſte adſtruunt, ex mente Aurelij, indifferentiam in ſenſu compoſito gratiæ.

378 Franciſcus à Chriſto ſecundarius Theologus conimbricenſis, expreſſe defendit eandem ſententiam, ac Societas noſtra; admittit enim ſcientiam conditionatam, ſicut à nobis adſtruitur, teſte Aldrete de ſcient. diſp. 28. ſect. 5. n. 22. & ſeqq. vlterius diſt. 40. q. 2. ait: *Eadem tamen auxilia ſunt oblata, & præſtita Iudæis: non tamen, adhibitis huiuſmodi auxilijs, adduci potuerunt, vt crederent.* Probat etiam hominem cum eodem auxilio nunc non converti, poſtea vero converti; nam diſt. 40. q. 4. in ſolut. ad 5. inquit: *Cæterum Deus in convertendis ad ſe hominibus, vtitur via, & ratione ordinaria, vt ſcilicet hominem a ſe peccatis averſum vocet, & excitet, adhibitis auxilijs communibus, paratus addere ſpecialiora, ſi communibus recte vtatur, quibus cum non recte vtatur, non adiungit particularioria, ſed illa priora ſemper repetit, donec peccator prioribus illis acquieſcens, & minime reſiſtens, dignum ſe præbeat, cui vlteriora, & vberiora auxilia, quibus ad iuſtificationem perveniat, vtatur.* Non ergo, ſecundum ipſius mentem, auxilia ſunt prædeterminantia, quãdo quidem poſito auxilio *A.* Petrus non convertitur hodie, & tras cum eodem auxilo *A.* convertitur, ſi enim eſſet prædeterminans, ſemper eſſe connexũ cum operatione, ni vellis, auxilium de non efficaci intrinſice, tranſire ad intrinſice efficax.

379 Didacus Stunica lib. 2. *de vera Religione in omnes ſui temporis hæreticos cap.* 3. *& ſequentibus*, cap. 4. ita loquitur: *Non quia Deus prævidet, me facturum quidquam, ego facio; ſed è contrario, quia ego facio, Deus prævidit me facturum; ſed in mea poteſtate fuit, vt facerem, vel non facerem, in mea igitur poteſtate fuit, vt Deus prævideret, vel non prævideret.* En ſcientiam conditionatam non liberam, ſed neceſſariam Deo, ad quam determinat creatura, quam propugnat Societas. Vberrimè invenies eius teſtimonia apud Ruizium de ſcientia diſput. 49. ſect. 9. à num. 56. vſque ad 59. ibi claret, Stunicam ſentire, voluntatem creatam ſe ipſam determinare, quin hoc ſit contra dominium Dei.

380 Perrus de Aragon 2. 2. q. 24. art. 3. dub. 1. notabili 2. loquens de auxilio efficaci ait: *Veriſsime dicitur, quod qui caret huiuſmodi auxilio, ideo caret, quia nõ vult ſe convertere: ſicut dicitur, quod qui ſedet, caret concurſu generali Dei ad currendum, quia currere non vult.* Non ergo auxilium, apud hunc Authorem eſt intrinſice efficax, ſed poteſt fieri efficax à voluntate. Alia huius Authoris, quæ videntur contraria ſententiæ noſtræ ſolide diluuntur à Ruizio.

381 Alphonſus à Mendoza *in quæſt. 7. Quodlibetica Scholaſtica, p. 3. concl. 5. n.* 13. Totus pro nobis eſt, licet illum vives in diſp. 1. diſt. 3. §. 1. num. 13. & alibi contra nos militare affirmet, videatur hac in re P. Henao event. 33. n. 739. Videatur etiam Paulus Leon. part. 2. n. 19. & ibidem ipſe Mendoza §. *Adde*, phyſicas prędeterminationes vocat *ficticias, & chymericas*, teſte Borrul. n. 367.

381 Raphael Venoſtus, qui & Novocomenſis, Canonicus Regularis Congregationis Lateranenſis, voluntatem poſſe conſentire, vel diſſentire poſita gratia affirmat, dum ait lib. 3. de Prædeſtin. grat. & liber. arbitr. *Paratus eſt Dominus omnes trahere trahi volentes, ita vt eis non ſit excuſationi locus, qui non trahuntur; quinimo tanta eſt Dei voluntas, vt aliquos trahi nolentes trahat; nec tantæ benignitatis quærenda eſt cauſa, nec quæri poteſt. Suffiniat cuique vt trahatur, ſiue vocetur, ſi trahi, id eſt conſentire velit.*

§. XXII.

Doctores ex eodem Ordine, qui poſt controverſiam de Auxilijs opera ſua typis mandarunt.

382 DIDACVS de Tapia, Complutenſis Profeſſor Theologiæ 3. p. q. 2. art. 3. verb. *Et ſi obijciat*, pag. 36. hæc protulit, ante quam Molinæ concordia vulgaretur, vt refert Henao event. 1. num. 40. *Cognoſci à Deo infallibiliter, & certo res vt futuras ſi hæc, aut illa conditio poneretur, de quo dubitare non poteſt, qui Sacras Scripturas legerit;* quæ verba, quamvis probent contra Thomiſtas aliquos ſolum admittentes ſcientiam conjecturalem talium futurorum; non tamen probant, mentem Authoris fuiſſe,

fuisse, adstruere scientiam mediam, potius quam scientiam decreto nixam, quam adstruunt Thomistæ, docet etiam sententiam nostram Fr. Ioannes de Guevara Vesperarius Salmantinus, vt testatur Paul. Leonar. part. 2. num. 76.

383 Basilius Poncius Legionensis Primarius in Academia Salmanticensi scientiæ mediæ adhęsit sine dubio, conantur tamen RR. Thomistæ persuadere, ipsum post maturam discussionem mutasse sententiam; cæterum hanc esse impostură probat fuse P. Henao præcipue in event. 32. scribitque Illus. ac R. Angelus Manrique in suavi concord. disp. 4. Basilium scientiam mediam defendisse, cuius ipse testis est, addit: *Sed de retractatione nobis non constat, de sententia non licet dubitare.* Eidem doctrinæ adhæret Sapientissimus Magister Fr. Franciscus Cornejo, Primarius Salmantinæ Academiæ de scientia Dei disput. 5. dub. 3. §. *Dices convincere*, legatur Paulus Leonar. p. 1. sect. 12. n. 50.

384 Martinus Albiz Primarius Professor Theologię in Academia Complutensi 1. p. tract. 1. de scientia Dei disp. 7. per 6. section. ex professo propugnat eandē sententiā. Emmanuel de la Cerda Cathedręe Durandi moderator in Universitate Conimbricensi eidem sententiæ subscribit in QQ. Quodlib. & q. 1. Scholastica, art. 7. n. 2. pag. 27. apud Henao event. 44. n. 115. Ægidius de præsentatione id ipsum docet tom. 1. de Beatitudine lib. 1. q. 13. art. 1. §. 8. num. 30. quamvis non ex professo, nec adeò clare., Ioannes Marquez, quos omnes citat Borrul n. 312.

385 Cœlestinus Brunus in Disp. Quod. lib. disp. 13. de Scientia Dei, §. 8. quem pro nostra sententia allegat P. Ribadeneyra in tract. de Scientia Dei, disp. 20. cap. 1. num. 5. Ioannes Puteanus Primarius in Academia Tolosana 1. p. q. 14. art. 13. dub. 3. & etiam in 1. 2. q. 111. art. 1. 2. & 3. dub. 4. in conclusione vlt. vbi ait: *Gratia prævenies efficax, quæ de communi lege datur iis omnibus, qui de facto convertuntur, & respiscunt a peccatis, non determinat physice libertatem.*

386 Fulgentius Schautheet lib. 2. controversiarum Philosophicarum contr. 17. art. 1. ratione 10. confirmat. 6. vbi inquit: *Difficillime potest assignari discrimen inter errorem asserentem Deum impellere hominum voluntates ad malum, & sententiā dicentem, Deum prædeterminare ad materiale peccati.* Ita refert Phil. num. 45. pag. 65. Accedit Ruviere Theologus Parisiensis in libello, qui inscribitur, *Caluinismus bestiarū religio*, iuxta P. Henao num. 1160. Accedunt etiam R. P. Fr. Nicolaus Cotta Cathedræ Durandi moderator in Academia Conimbricensi; ex Salmanticensi præstantissimi Magistri Bernardinus Rodriguez, Episcopus Guadicensis, Petrus de Oviedo. Illustrissim. D. Augustin Antolinez, Archiepiscopus Compostellanus, anteaque Primarius Salmanticensis. Ioannes Manriquez Laureatus, & Vespertinæ Cathedræ rector celebratissimus. Quos allego ex fide Patris Didaci de Baeza tom. 3. in Evang. lib. 14. cap. 16. §. 35. pag. 348. & seqq. cæterum eos libenter allego, vt appareat, quos noverit sapientissimos viros Salmantica, ex sacra Augustinianaque Familia, sententiæ nostræ devinctissimos, non alio, quam veritatis vinculo adstricti, vt in hanc sententiam conspirarent.

387 Gabriel Pennotus Abbas ex Ordine Canonicorum S. Augustini *in Propugnaculo humanæ libertatis lib. 3. cap. 28.* & seqq. physicam prædeterminationem opugnat, sententiamque Societatis toto opere firmat vt consonam Augustino, Thomæ, & Concilio Tridentino. Hos sequuntur R. P. Augustinus Siqueiros Primarius Complutensis, vir doctrina, modestia, & ingenio eximie florens; & R. P. Ioseph de Veeda. Laureatus Salmantinus, qui in hac celeberrima Academia Regentem Artium egit acutissimum, acri ingenio præditus, quo in prædeterminationem physicam Scholastico furore invehitur: vterque enim publice & privatim hanc sententiam dictant, hanc defendunt, & illustrant.

§. XXIII.

Doctores ex Sacro Ordine Carmelitano, & ante controversiam, pro sententia nostra militarunt.

381 IOANNES Bachonius, gravis admodum, resolutissimusque Doctor sæpe affirmat voluntatem à se ipsa determinari, & non à Deo, in ordine ad actiones liberas: vlterius, scientiam conditionatam independentem à decreto: ait enim in 1. dist. 40. art. 2. ex mente cuiusdam Giltonis: *Vlterius sciendum, quod licet omnis eventus futuri contingentis voluntas Dei sit causa; tamen non omnium est causa eadem. Quædam enim vult velle beneplacito efficaci, sicut reproductionem mundi, vbi non est concurrens efficiens aliud. Alia autem non vult velle efficaci, sed solum permissiue, & respectu sic productorum voluntas diuina est causa actiua per generalem tribuens agenti particulari facultatem agendi sic, vel sic; non tamen determinat agens ad aliquam; nec effi-*

efficienter vult hanc, vel illam. Iſto modo voluntas diuina eſt cauſa actuum noſtrorũ quantumcumque deformium. Imaginor ſic, quod Deo permittente me agere indifferenter hanc partẽ contradictionis, vel illam, nõ determinante me magis ad hanc, quam ad illam, ego eligo alteram partem, &c. Quæ verba adeò clare monſtrant, voluntatem ſe ipſam determinare ad actus ſuos, Deo ſolum permittente, hoc eſt non determinante, vt ipſe loquitur, vt expoſitione non egeant, cùm qualibet expoſitione clariora appareant.

388 Et ne videatur, Bachonium ſolum ex mente illius Giltonis in hanc ſententiam incidiſſe (quem obiter pro noſtra ſententia ſtare, ex dictis conſtat) alia ſimilia habet in eadem diſt. art. 4. nam in ſupra allegato loco non impugnat Giltonem, quantum ad hæc, ſed propter alias ſententias, quas ibidem apponit, & refutat. Ait ergo Bachonius in prædicto art. 4. reſpondens ad quoddam argumentum, quod ſic proponebatur: *Quantumcumque ſit contingens, nihilominus infallibiliter, & inevitabiliter eveniet: ergo non eſt conſulendum. Conſequentia, quia circa inevitabile non eſt conſulendum.* Quam difficultatem ita ſolvit ſtatim: *Quia triplex eſt inevitabile, quoddam ex natura rei, vt ſolem oriri; quoddam, quod dependet ex efficaci voluntate Dei, vt animam intellectiuam creari in corpore, corpore ad hoc vltimate diſpoſito: quoddam inevitabile concomittatiue, ſeu conditionaliter, ſcilicet in ſe vitabile, vt ſunt omnia, quæ ſubſunt generali influxui Dei, & voluntati permiſsiuæ eius, & ſubſunt ſimul in cauſis liberis futuris, & quibuſcumque contingentibus, vt me ſedere cras, vel non ſedere; fodiendo invenire Theſaurum, & non invenire, hæc enim, & huiuſmodi in ſe ſunt evitabilia, & conſiliabilia, & ſolum ſunt inevitabilia concomittãter, & conditionaliter, dicuntur enim inevitabilia propter conditionem præſcientia Dei, quæ eſt de his concomittanter, illaque eſt immutabilis.* Vbi expreſſe affirmat, noſtros actus libetos ſolum dependere à voluntate Dei permiſsiva, hoc eſt, vt ipſe ſupra declarat, à voluntate non determinante voluntatem creatam, ſed relinquente ipſi creaturæ poteſtatem ſe determinandi; & ex conſequenti tenet voluntatem Dei circa illos actus non eſſe intrinſice efficacem, hoc eſt, non eſſe determinativã voluntatis creatæ. Demum inſinuat, actus illos ſolũ eſſe inevitabiles ex ſuppoſitione præſcientiæ divinæ, quæ non poteſt eſſe, apud illum, ſcientia conditionata nixa decreto, quando quidem exeudit ad illos actus decretũ efficax; eſt ergo ſcientia media.

389 Vlterius prædeterminationem ad materiale peccati prorſus reijciendam ſentit diſt. 41. art. 3. dum ait: *Nec propter hoc ſequitur, quod damnatio reprobati non ſit ſibi imputanda; quia actus demeritorios libere elegit, a nullo compulſus; & ideo ſibi imputandus eſt: quia Deus non eſt cauſa illorum actuum determinans, ſed ſolum per influentiam generalem permiſsiue.* Neſcio, an aliud excogitari poſsit teſtimonium, quod clarius refutet prædeterminationem ad materiale peccati? ait enim, Deum non eſſe cauſam determinantem ad actus malos; & ne relinqueret locum vel tenui dubio, affirmat Deum ſolum concurrere ad actum peccati concurſu generali; ex quo ſic, iuxta ſententiam Societatis, Deus ſolum per concurſum generalem, vel ſimultaneam agit in actus pravos; iuxta Thomiſtas vero ſuperadditur huic concurſui alius, ſcilicet concurſus prævius; ſed Bachonius expreſſe tenet Deum non alio concurſu, quam generali concurrere ad actus pravos: *Sed ſolũ per influentiam generalem permiſsiue*: ergo Bachonius expreſſe tenet ſententiam Societatis, & reijcit Thomiſticam circa prædeterminationem ad materiale peccati.

390 Verum non acquieſcit Pſeudophilal. perſpicuis à Deo teſtimonijs, affertque quoddam aliud ipſius Bachonij, quo, ſententiã noſtram aperte fuiſſe contra ipſius mentem convincere iactat; teſtimonium autem eſt huiuſmodi, in eadem diſt. 4. art. 2. *Futura autẽ producta ſecundo modo, ſcilicet voluntate permiſsiua, ſunt in poteſtate noſtra quantum ad determinationem, præſuppoſita influentia tamen in generali, & in eſſendo, & in cauſando.* Ergo ad determinationẽ voluntatis creatę pręſupponitur aliqua influentia, vt motio in ipſa voluntate, quæ quidẽ motio ſit illi infuſa à Deo: ergo mens Bachonij longe diſtat à ſententia Societatis. Ita Pſeudophilal. cui grates habeo quam maximas, eò quod aliud nobis adiungat teſtimonium, præter nuper adducta: certe Bachonius ibi affirmat, creaturam determinare ad actus ſuos liberos, præſuppoſita influentia, ſeu, vt ais, poſita motione pręvia; optime, ergo iuxta Bachonium in loco à te allegato, motio prævia ad actus ſupernaturales relinquit indifferentiam, ſeu poteſtatem voluntati, vt ſe determinet ad hoc extremum, vel ad illud: ergo non eſt motio phyſice determinans. Audiſti ne, ab eis, quos vocas Moliniſtas, voluntatem noſtram excitari, & moveri à Deo ad actus ſupernaturales meritorios, motione non prædeterminante, ſe relinquente poteſtatem ad ſe determinandam in illam potius, quam in aliam partem? Audis ergo à Bachonio id ipſum,

quod

quod à sententiæ nostræ Doctoribus exaudire potuisti. Quid ergo?

391 Insurgit iterum, & Bachonium loqui tantum de actibus pravis censet, aut suspicatur quia futura illa voluntate tantum permissiva fieri à Deo, profert Bachonius, quod esse non potest, si de alijs actibus, supernaturalibus etiam, loqueretur. Hoc suspicatur Pseudophil. vt ita illam motionem prævíam, quam supra retulit ex Bachonio, prædeterminatem faciat ad materiale peccati, cum ad peccatum Deus non excitet, aut moveat alio modo. Cæterum supra iam constitit, Bachonium per ly *voluntate permissiua* solum intelligere voluntatem Dei non determinantem creatam voluntatem ad actus suos liberos, vt velle hoc distingueret à velle efficaci, quo mundum produxit, &c. Sed vt, Bachonium non solum de actu pravo, sed etiam de alijs locutum fuisse, luce clarius appareat, audiatur iterum ipse in dict. supra citata, & expensa: *Vt sunt omnia, quæ subsunt generali influxui Dei, & voluntati permissiuæ eius, & subsunt simul in causis liberis, &c.* Sunt, rogo, omnia, quæ subsunt generali concursu Dei, & in causis liberis, actiones pravæ? Hoc quidem hæreticum, & blasphemum esset dicere, ergo Sermo apud Bachonium est, dum profert verba illa, *voluntate permissiua*, non iam præcisse de actibus pravis, sed etiã de meritorijs aliquando, aliquãdo vero de omnibus simul. Habes suspicionem aliam? Suspicor & ego, te nec hanc habuisse, sed finisse. Alia, quæ ex Bachonio adduci solent contra nostram sententiam, potius eam firmant iuxta ipsius mentem, quam impugnant.

392 Thomas Vvaldensis Prior Provincialis in Anglio tomo 1. doctrinalis fidei, cap. 29. paulo ante medium sic, Deum alloquens, sententiam nostram defendit: *Ad bonum te miseratione tua creatam voluntatem præuenire confiteor, vt trahas per gratiam, non per necessitatem adstringas. Ita vt libera ipsi potestas permaneat, te sequendi saluatorem, vel in sequendi iudicem.* Quam indifferentiam voluntatis in sensu composito gratiæ pluries repetit à cap. 21. vsque ad 30.

393 Vlterius in tomo de Sacramentis cap. 10. post medium firmiter docet cum Augustin. (vt testatur Ruiz disput. 51. sect. 1. num. 32. esse in potestate liberi arbitrij Deo vocanti se applicare, & prævenienti, seu excitanti gratiæ applaudere, vel non: demum in lib. 1. doctrinalis fidei, cap. 25. dum explicat egregie, clariusque, quam reliqui antiquiores, necessitatem antecedentem, & consequentẽ, plane devincit actus nostros liberos non posse provenire à voluntate Dei determinante ad vnum, ne oriantur necessario, necessitate antecedenti, quam repugnare actibus liberis probat latissime, tum ibi, tum etiam cap. 26. Vide huius Authoris mentem fideliter expensam à Ruizio vbi supra, ab Aldreto disput. 28. sect. 1. num. 5. à Fassolo dub. 17. ex n. 301. vsque ad 305. citatur etiam à P. Suarez cap. 48. n. 21. & ab Illustr. Merinero, vt affirmat P. Henao event. 43. n. 1055.

394 Ioannes à Bononia plane, immo & pœne sub proprijs terminis, impugnat prædeterminationem physicam, dum in tomo de Prædestinatione, disputatione de libero arbitrio, pag. 99. *Sic liberum arbitrium diffinit: liberum arbitrium est facultas, qua positis omnibus requisitis ad eligendum, & agendum, possumus non eligere, & non agere; ita videlicet, quod omnibus similiter se habentibus, quando eligimus, possimus non eligere, imò plerumque refutare.* Ex quo sic evidenter infero; iuxta hunc Authorem, quando voluntas eligit actum bonum, ita eligit, & influit in ipsum, vt omnibus se habentibus similiter ac quando eligit, potuerit non eligere; hoc est potuerit coniungere carentiã rectæ operationis cum omnibus illis, quæ habet, dum recte operatur; sed non potuit coniungere carentiam rectæ operationis cum prædeterminatione ad actum bonum: ergo voluntas creata, dum recte operatur, non habet physicam prædeterminationem. Quid evidentius?

395 Ibidem pag. 103. Idipsum docet, dum ait: *Hinc patet nos libere, & absolute, cum operamur, posse non operari: quoniam ipsa eadem Christi gratia effectrix semper operaretur, atque efficeret, nos opera pietatis operari, nisi per liberum arbitrium impediretur.*

396 Habet propterea aliud testimonium expressius, Thomistarumque prædeterminationem, quam componere volunt cum libertate, ait esse contrariã Tridentino, sic enim loquitur, in loco relato pag. 103. & 104. immediate post illa verba nuper adducta: *Cæterum quia non desunt modo homines, quamvis omni pietate præditi, aliter de libero hominis assensu, dum iustificamus, quam nos sentientes: ac ideo huius Oecumenici Concilij clarissimam doctrinam obscurari quodammodo conari videntur, dum dicunt, habere hominem libertatem arbitrij, vt excitationi, admonitionique diuinæ resistere possit, sed his diuinis inspirationibus, atque motionibus suppositis nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi: quoniam ex dictis Reverendissimi Domini Hieronymi à Bononia sanctissimi Sedis Apostolicæ Nuncij dignissimi, necnon Archiepiscopi Consani, Professoris Theologiæ peritissimi,*

atque

atque ſacri Palatij Magiſtri eximij apud Carolum Imperatorem Quintum cognomento maximum, reſidentis, eandem opinionem in ſancta Tridentina Synodo fuiſſe ſumma diligentia à DD. diſcuſſam, & tanquam minus probabilem optimo iure percepi reiectam.

397 Nec quis, niſi inepte reſpondere poteſt, hic ſermonem eſſe apud Tridentinum, & apud hunc Authorem de auxilio ſufficienti, cui homo reſiſtit, non vero de gratia intrinſice efficaci. Rogo, an ad affirmandum, hominem poſſe reſiſtere auxilio ſufficienti, hoc eſt gratiæ, cum qua iuxta Thomiſtas, quamvis homo poſsit operari, nunquam tamen operabitur, an, inquam, ad hoc affirmandum opus eſſet tanta Concilij diligentia, & diſcuſione? an potuiſſet evenire, quod homines pij, doctique, quales dicit eſſe eos, qui aſſerebant, voluntatem non poſſe reſiſtere gratiæ inhærenti iam, defendere conarentur, voluntatem non poſſe reſiſtere gratiæ, cui neceſſum eſt, quod reſiſtat, quamvis habeat potentiam ad ſuccumbendum illi? Accedit, quod poſtea ipſe Author manifeſte demonſtrat, ſermonem eſſe de gratia, cum qua reipſa multi operantur.

398 Thomas Beauxamis Doctor Theologus Pariſienſis in homilijs quadrageſimalibus pag. 69. indifferentiam voluntatis in ſenſu compoſito gratiæ, & motionis divinæ expreſſe defendit, dum ait: *Liberum arbitrium hæc domini interrogatio ſatis teſtatur, docet enim in ægroti poteſtate eſſe bonum eligere, ideſt, ſanitatem: & in peccatoris poteſtate eſſe (Deo tamen præveniente, vt hic prævenit Paralyticum) ſuam à peccatis curationem deſiderare. vt enim hic non curatur nolens, ſed volens, ita nemo aut remiſſionem accipit, aut ſaluti donatur, niſi volens. Quod probatur & ex eo, quod eniti in contrarium poſſumus.* Vbi vides, ideo creaturam libere operari, poſtquam Deus ipſam prævenit, quia poteſt in contrarium eniti, ſeu extremum oppoſitum eligere, poſita prævention illa.

399 Clarè hoc magis ex alijs iſtius magni Doctoris verbis tom. 1. Harmoniæ Evangelicæ, fol. 21. ſuper illa verba Ioan. *Mundus eum non cognovit*, vbi ita loquitur: *Non Verbum Dei, & æternam hanc lucem, ſed imbecillitatem ſuam creatura accuſet. Illuminat enim, repellit autem hanc gratiam creatura, quæ intelligendi acumine, vt natura Deum cognoſceret, ſibi dato abuſa eſt, & vt prodiga, ad creaturas vim aſpiciendi convertit. Nam quemadmodum quamvis vniuerſis ſoloritur, nihil tamen inde cæcus vtilitatis conſequitur; nec propterea merito quiſpiam ſplendorem ſolis accuſabit, ſed non videndi culpam cæcitati attribuit: ſic de vnigenito intelligendum eſt. Cæcitatem autem aduenire homini dicimus, non quia penitus ille luce priuatus ſit, conſervat natura ſemper intelligendi vim ſibi conceſſam; verum quia peiore habitu homo hebetat, & ad peiora diuertens langue facit quodammodo gratiæ menſuram.*

400 Ioannes Maria Verratus, in Apologia contra quoſdam Lutheranorum fautores in 5. concluſione, vbi allegatur contra noſtram ſententiam, dicit, Paulum, cum vocatus fuit, nõ potuiſſe reſiſtere vocationi divinæ, quia eſt quoddam genus vocationis, cui nemo reſiſtit. Verum explicans vocationem Pauli ſatis in favorem ſententiæ noſtræ mentem ſuam aperit, & prima verba, quæ innuere videbantur neceſsitatem quandam declarat; ita enim ait: *Cui non potuiſſet, vel cum maxima difficultate (vt ſaluetur liberi arbitrij facultas) reſiſtere potuiſſet. Quam obrem dictum fuit ei, durum, non autem impoſsibile, eſt tibi cõtra ſtimulum calcitrare*; cum contra ſtimulum gratiæ prædeterminantis phyſicæ, non durum tantummodo, verũ & impoſsibile ſit calcitrare. Simile teſtimonium adducit Eximius Doctor, tom. 2. de gratia, cap. 51. num. 44. allegans Verratum pro ſententia noſtra.

401 Adrianus Hecquetius Profeſſor Theologiæ, ac Prior Carmelitarum Atrebatenſium in enarrationibus Evangelicis feria 2. hebdomadæ 1. quadrageſimæ. Super illa verba Pauli ad Epheſ. 1. 4. *Qui elegit nos ante mũdi conſtitutionem*, &c. Aperte docet ſcientiam conditionatam independentẽ à decreto: *Ipſa mens diuina*, ait, *quidem liber vitæ, cui inſcripta ſunt electorum nomina. Gaudete, dicit, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ. Deus quippe prius intelligit, & in ſe prævidet, ac præſcit, qui ſunt futuri germani, verique eius filij. Hoc in ſe intelligens approbat ſimul & eorum ſaluationem. Dicimus, quod voluntas intellectum ſequatur. Aliquid enim prius intelligimus, deinde id, ſi velimus, ſequimur. Haud dubie abirabilis abyſſus eſt prædeſtinatio. Quos ipſe Deus in ſe intelligit, & prævidet futuros ſuos, hos voluntas eius prædeſtinat: vult enim, vt ij vere ſalventur*, &c. Certe modus hic concordandi libertatem noſtram cum efficacia divinæ gratiæ in idem recidit cum doctrina Societatis, quando quidem aſſerit, prius dari in Deo ſcientiam conditionatam de eo, quod Petrus conſentiet, ſi ei conferatur gratia, quam per actũ voluntatis ſubſequutum (vt explicat paritate intellectus & voluntatis creatæ) ad ſcientiam illam

illam de recto vſu gratiæ,confert illam voluntati, vt eliciat actus meritorios, finalemque perſeverantiam, motus ad illam conferendam ex prævisione illa rectę operationis.

§. XXIII.

Doctores ex eodem Ordine, qui poſt vulgatam Molinæ concordiam claruerunt.

402 R. PP. Henricus Sylvius,& Ioannes Antonius Bobius acerrimè ſcientiam mediam propugnarũt, adeo vt ſe conſtanter opponerent, dum Romæ difficultas hęc agitabatur,cenſuræ contra Molinam attẽtatę, ſuorũque nomine Molinæ ſententiam protegere, qua florebant authoritate, conati ſunt. Teſtatur id Franciſcus Boneſpei tom.1.curſ. Theolog.tract.1.diſp. 11. num. 8. his verbis: *Scientiam mediam eſſe ad ſcripturæ locutiones explicandas neceſſariam è noſtris arbitrati ſunt PP.Henricus Sylvius Ordinis noſtri tunc Vicarius Generalis, & Ioan. Anton. Bobius Collegij noſtri Romani Regens, ambo præſtantiſsimi Theologi, dum anno 1598 ſuo, & ſuorum nomine tam in publicis, quam in priuatis congregationibus aduerſus P. Molinam habitis, cenſuræ contra eundem attentatæ ſeſe conſtantiſsimè oppoſuerunt in fauorem futurorum contingentium conditionatorum infallibilis Dei ſcientiæ,& gratiæ rigoroſe prædeterminantium euerſionem.*

403 Ipſe vero Boneſpei, quamvis in alijs recedat à Molinæ doctrina, tamen in pluribus acquieſcit; ſic enim cum noſtris ait 1. p. Phyſic. tract.2.diſp.7. dub.4. reſol.1. num.59. *Deus non prædeterminat cauſas ſecundas ad agendum per præuiam qualitatem illis impreſſam*: Et num. 65. Thomiſticam prædeterminationem ait: *Eſſe ſuperfluam, & euidenter contrariam D. Thom.* & tom.1.tract. 1.diſp.16.num.21.ait: *Opera mala ſiue quoad materiale tantum, ſiue quoad formale tantum,ſiue quoad vtrumque ſimul,neque Deus prædefiniuit, nec prædefinire poteſt.* Et pluribus alijs in locis prædeterminationem phyſicam reijcit, vt contrariam libertati. Legatur tom.1.curſ. Theolog.tract.1.diſput.14.num.5. tom.2.tract.2.diſp.3.num.132.tract.3.diſp.13. num.15. Eius doctrinam late diſcutit P.Henao cvent.44.à num.1174.

404 Irinæus à S. Iacobo ſententiæ noſtrę non parum favet, vt teſtatur Henao cvent.37.num.823. dicens: *Irinæus à S. Iacobo, de quo in Phyſic. cap. 2. de cauſis rerum naturalium ſect.5. § 6. moneor admittere genus quoddam præmotionum inclinantium, ſimul tamen in § 5. inficiari eas, quæ ſint cum conexione infallibili, & in Metaphyſ. cap.1.ſect. & §. 3. agnoſcere in futuris cõtingentibus veritatem determinatam, quæ à Deo cognoſcatur.*

405 Daniel à S. Ioſepho Profeſſor Theologię, Prior Conventus Quintinenſis, & in Provincia Turonię definitor,atque Provincialis probat Scriptura,& P.P.præcipuè clariſsimis D.Th.locis,ſcientiam mediam,rationibuſque ſuadet eius neceſsitatem per 8.capita tom. 1. in Summam Theolog. S. Thom. diſp.24.& cap.9. poſtquam fundamenta vtriuſque ſententiæ in medium adduxerat, ſententiæ noſtræ firmiter adhærens ait: *De hominum ſalute (quæ tota diuinæ gratiæ adiumento, liberoque arbitrio nititur) male mereri eos, qui conditionalem à Deo ſcientiam reijciunt; peius qui eam agnoſcere coacti, abſoluto, præſcientique decreto ſubiectam voluntį; peſsime, qui apud Theologicarum indoctos, aut certe non ſatis peritos maledictis ſuis in inuidiam trahunt. De quibus ego ſic cenſeo, eos in iſta controuerſia, vel partis vtriuſque momenta non plane aſſequi, vel opinioni ſuæ, potius quam veritati ſeruire. Contrà vero plurimum Rempublicam debere Chriſtianam iis,qui conditionalem ſcientiam abſoluto Dei decreto priorem ſacris ex litteris PP. que, & D. Thom. monumentis, in quibus deliteſcebat, in lucem Theologiæ vocauerint; quoque modo liberam creaturæ voluntatem cum Dei ſcientia, & auxiliis conciliet, atque ita de Vuicleffi, Lutheri,& Caluini erroribus triumphet, magno Chriſtiani orbis bono,oſtenderint.*

406 His præluxit Chriſtophorus Sylueſtranus,Doctor Theologiæ in Gymnaſio Patauino lect. 97. ſup. 1. ſentent. in reſp. ad 1. pag. 2005. lect. 100. per totam, lect. 102. per totam ſpeciatim in reſp. ad 3. pag. 234. multa dicit, teſte Henao, quæ contra prædeterminationem ad materiale peccati valida ſunt. Hic coniungere libet duos Valentinę Academiæ Proceres ex eadem Carmelitana Familia,videlicet Iulianum Caſtelvi,tom.1.curſ.Philoſoph. tract.4. lib. 7. diſp. vnica dub. 2. & Ioſephum Blanc. in curſ. Philoſoph. lib. de Interpretat. diſp.1.ſect.7. qui prædeterminationem phyſicam ſolide impugnant, Societatiſque ſententiam ſtabiliunt. His accedunt Matthæus de Orland. in curſu Theologico tom.1.de Chriſto Redemptore tract. 1. diſp.3.q 1.num.9. & Ioannes Baptiſta Lezana, *qui*, inquit P. Henao num. 794. *defendit cum noſtris contra Dominicanos; Deum nõ prædefinire actus pravos, quantum ad phyſicam ipſorum entitatem.*

Ioan-

407 Ioannes de Sylveira Theologię Primarius Lector iubilatus, & Magiſter Regēs in Provincia Luſitaniæ tom. 3. in Evang. lib. 5. cap. 14. expoſit. 4. num. 29. hoc apertiſsimum teſtimonium habet, quo, gravi, ſubtilique diſcurſu ſententiam noſtram firmat, & exornat; ſic igitur loquitur in præfato loco: *Obſerua quod ait Dominus, in die Iudicij, remiſsius agendum eſſe cum Tyrijs, & Sydonijs; tamen ipſi Tyrij, & Sydonij, vt aperte ſupponitur in littera (exponit enim illa verba Lucæ 10. num. 4. Verumtamen Tyro, & Sydoni remiſsius erit in die Iudicij, quam vobis) puniendi ſunt, quia pœnitentiam non egerunt: nam Tyrijs, & Sydonijs, ac omnibus Deus dat auxilia neceſſaria ad pœnitentiam, & ſalutem; & non ſolum auxilia externa, vtpote doctrinæ, ac miraculorum, ſed etiam interna; nam ſine his externa non ſatis ſunt ad homines conuertendos. Ciuibus autem Corozaim, Betſaida, & Capharnaū ſuperabundantiora, ac maiora dedit dona, quibus non ſunt conuerſi, quæ ſi darentur Tyrijs, & Sydonijs, pœnitentiam egiſſent, & tamen illa eis non dedit: nam Deus aliquādo nonnullis magna præbet auxilia, quos præſcit non conuertendos, quæ tamen ſi darentur alijs, qui non conuertuntur, conuerterētur, vt notat Toletus, Barradas, & alij, &c.* Ecce elegans teſtimonium, ipſumque manifeſtum pro ſententia Societatis.

408 Plures alij, nobileſque RR. ex huiuſmodi ſacra familia ſententię noſtræ ſuffragantur, quos omnes allegabo ex fide P. Henao event. 44. num. 1169. & ſeqq. Petrus Olginat de Medicis, bis Provincialis, electuſque Epiſcopus Oriolanus. Anaſtaſius Vives de Rocamora Segobienſi Epiſcopatu decoratus, vterque Societatis doctrinam in Valentina Academia magno plauſu docuit. In Vniverſitate Ceſarauguſtana floruere Carmelitani inſignes, qui voce, & M. SS. noſtram ſententiam illuſtrarunt. Videlicet Michael Ripoli, Primarius, & Decanus, bisque Provincialis, Martinus Ximenez ſemel Provincialis. Franciſcus Lucea, Cathedraticus Metaphyſicę. Valerius Ximenez de Embun Laurentius, Provincialis, ſępeque Viſitator, deſignatus Epiſcopus Elguerenſis in Sardania, ſcriptorque inſignis, de quo *in Paradyſſo Carmeli* elogium invenitur digniſsimum. Citat etiam Henao R. P. Raymundum Lumbier, Primarium, Qualificatoremque Sancti Officij, & addit: *Vltra memoratos Magiſtros referri poſſunt pluſquam triginta alij Doctoratus Cæſarauguſtani gradu eximij, inter quos Laurentius Angelus Elſin, Aſſiſtens pro Provincijs Hiſpaniæ apud Ordinis R. Generalem Priorem, vir omnigenæ litteraturæ, habenſque parata ad prælum quatuor elucubratiſsima volumina Theologiæ Moralis, qui omnes ſcientiam mediam publice prælegerunt; ſoluſque Dionyſius Iubertus Cathedraticus Theologiæ Moralis, & titularis Epiſcopus Bazæ, excipi poteſt, qui ex Magiſtris Carmelitanis Religioſiſsimi Conuentus Cæſarauguſtani ſua ſubſcriptione non nobilitarit ſcientiam mediam. In noſtra autem Alma Academia Salmanticenſi laureatus Magiſter Hieronymus Iterus, Regens Artium, Chirographum ſuūm eidem ſcientiæ addidit.* Hucuſque eruditiſsimus P. Henao. Vide Ambroſium de Spieria, & alios Carmelitanos laudatos apud Henao num. 8244.

§. XXIV.

Doctores ex Sacro Ordine Hieronymiano, qui ſententiæ Societatis ſuffragantur.

409 LIBET adducere teſtimonium quodam eximium S. Hieronymi, ſapientiſsimi, eloquentiſsimique Parentis huiuſcæ ſacrę familiæ, ex quo efficaciſſime probatur, mentem iſtius Magni Doctoris ſōge diſtare à prædeterminatione phyſica, valdeque affinem eſſe Societatis doctrinæ: nāque ſuper cap. 49. Iſaiæ paulò poſt initium, ad illa verba: *Seruus meus es tu Iſrael, in te gloriſicabor*, quę iuxta Hieronymi ſenſum dictæ ſunt à Patre Æterno Filio ſuo Ieſu Chriſto, quī proptrerea inducitur ab ipſo Hieronymo ita reſpondens: *Quomodo in me glorificatus es Pater, quia in vacuum laboraui, & magnā partem populi Iudæorum ad te reuocare nō potui.* Hæc Hieronym. in perſona Chriſti; poſtea ſuum ſenſum ipſe his verbis exponit: *Hæc autem vniuerſa dicuntur, vt liberum arbitrium hominis monſtraretur: Dei enim vocare eſt, & noſtrum credere; nec ſtatim ſi nos non credimus, impoſsibilis* (hoc eſt impotens) *eſt Deus, ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit, vt iuſte voluntas præmium conſequatur.* Aurea certe verba in favorem doctrinæ Societatis, & quę, vel exigua ponderatione, clare innunt, mētem Divi Hieronymi à prædeterminatione abhorruiſſe non parum. Thomiſtæ volunt, omnipotentiam non applicari indifferenter voluntati creatæ in ordine ad actum meritorium eliciendum, ſed applicari per decretum eſſentialiter conexum cū operatione; è contra Schola Societatis firmiter tenet, omnipotentiam applicari ad concurrendum cum voluntate per decretum indifferens, coniungibile cum vtroque extremo contradictionis, ideoque poſito hoc decreto indifferēti, voluntatem noſtram determinare divinam om-

ni-

nipotentiam potius ad hoc extremum, quam ad illud. D. Hieronymus in præfato loco expresse fatetur hoc secundum illis verbis: *Sed potentiã suã nostro arbitrio derelinquit, vt iuste voluntas præmium consequatur*: Ergo D. Hieronym. expresse favet Scholæ Societatis, & expresse militat contra Thomistas asserentes voluntatem creatam determinari, aut prædeterminari à Deo, ideoque ipsum non applicare suam divinam omnipotentiam per decretum indifferens, sed per decretum connexum essentialiter cum operatione. En discursum plane notũ, quo convincitur esse ex mente D. Hieronymi sententiam nostram, & consequenter prorsus esse contra ipsius sensum Thomistarum doctrinam.

410 Iulius Sirenius in opere de fato novẽ libris distincto, impresso Venetijs an. 1563. in Officina Iordani Sileti lib. 3. cap. 38. fol. 37. p. 2. habet præclaram sententiam, qua mire nostrã confirmat, ita vt negari non possit, nisi stultissime, ipsum plane stare pro Societatis doctrina, hæc sunt eius verba: *Dicẽdum, quod nullo extrinseco determinante voluntario, vel naturali, sed se se (voluntas) præcedente cum ratione consilio, ad quam maluerit partem determinat. Quæ determinatio aliud est nihil, quã ipsa voluntatis electio, quæ electio aliud nihil est, quam practici syllogismi conclusio. Est enim ita sui iuris, vt etsi ab extrinseco persuaderi, & allici aliquomodo queat; nullo tamen modo à re extrinseca ita impelli potest, quin semper quam maluerit partem eligere possit. Id eo eodem tempore, quo vnum agere voluerit, hoc omittere, & aliud velle, & agere poterit.*

411 Et paulò inferius. *Verum enim vero*, hoc ipsum declarat amplius dicens: *Quod autem se determinet magis ad vnam, quam ad alteram partem voluntas, & moueatur; tota causa est, non quia ab extrinseca re quopiam moueatur, vrgeatur, aut determinetur; sed quia ita sibi ratione, consilio, & iudicio mouẽdum videatur. Neque huius est alia requirenda causa, quam ipsa propria libertatis, & voluntatis natura.* Est ne, rogo, aliquod hic Verbum, quod non sit contra prædeterminationem physicam, quodque non aspiret in favorem sententiæ Societatis, immo in identitatem omnimodam cum ea?

412 Hieronymus Guadalupensis in cap. 4. Oleæ v. 13. ex fol. 187. vsque ad 189. mira eruditione Patrum, vrgentibus fundamentis, & testimonis sacræ paginæ probat Deum non prædeterminare ad materiale peccati, quãvis adeo inclinet in sententiam negantẽ huiusmodi cõcursum prævium in actum peccati, vt simul negare videatur cõcursum simultaneum, ait enim ibi: *Adducuntur in hanc sententiã nonnulli ex Recẽtioribus viri quidẽ litteris insignes, quãuis non nihil adimere videntur: iudicãtque minime esse periculosum, si in id genus locutionibus non solum permissionẽ diuinã esse dicamus, sed permissioni nõ nihil addamus, quod nec proprie actio Dei sit, nec sola permissio*; & post aliqua, sic illam sententiã refutat: *Atque ad eam refutandã cen periculosam, satis esse arbitror, cõmunẽ SS. PP. sententiã, qui nequaquã aliud, quã permissionẽ diuinã dicunt intervenire in duratione, excæcatione, & in ipsa perpetratione peccati. Atque antequã SS. PP. testimonijs eã impetã, periculosissimã esse, vel vna ratione ostendã. In excæcatione, induratione, aliisque id genus plus ex parte Dei, quam permissio eius interuenit: ergo ea re, quæ plus est, quã permissio, vere Deus agit ad cooperationem peccati. Nam si Deus nihil agit, satis est, id vocare permissionẽ eius. Quod si dicas Deũ vere agere, illa actio non potest dici instrumenti: sed principalis agentis actio est appellanda, quoniã indignũ est, censere, creatorem instrumentũ esse creaturæ. Tũc sic: Deus est principale agens: ergo causa per se in huiusce modi actionibus, & non per accidens. Causa est per se, ergo facultatẽ liberi arbitri admit homini, vt etiã nollens trahatur ad peccatũ. Hoc autẽ dicere impiũ est, & plusquã erroneũ. Ergo nihil aliud intercedere, quam permissionẽ diuinã in peccato dicendũ est.* Ex quo vrgenti testimonio optime deducitur, grauissimũ hunc Scriptorẽ non potuisse intelligere, quomodo possibile appareat, Deum per actionem propriam (vnde inferri potest, ipsum non refutasse actionẽ ipsam, qua Deus concurrit simul cum creatura, sed aliam à solo Deo pendẽtẽ) determinantẽ ad actum peccati, quin illius libertatem everteret, & quin sit causa per se, & author peccati. Et licet sententia, quã ante relata verba adduxerat, non sit eadẽ, ac sententia Thomistarũ tamen pœnitus est eadẽ illa, quã hic impugnat, quia affirmat hanc secundam coincidere cum prima, *quãuis non nihil adimẽde videatur*; quia videlicet 1. volebat, Deum movere, & inclinare, immo & persuadere peccatum, quod negat hæc 2. sententia Thomistarum, negareque debent Catholici omnes.

413 Petrus Cabrera in sententiam Societatis magis propendere videtur; dum to. 1. q. 1. a. 3. dis. 1. §. 22. n. 149. ait aduersos contendẽtes, eique respondentes, quod licet Deus nondũ decreverit, vt futura conditionata sint, vel forent; prædeterminavit tamen, vt essent, ait, inquam: Sed hæc responsio frivola est, & in Deo imperfectionẽ constituit. Cæterũ adeo varius est circa præsentẽ disput. nihil firmiter tenere videatur. Legantur Suarez to. 1. de Grat. prolog. 2. c. 1

n.3. Ruiz diſ.61.n.8. & 14. Aldrems diſp.28. ſect.11.ex num.1. vſque ad 10. Henao, Faſolus, Ledeſma. qui hac in re Petrum Cabreram varium fuiſſe, & volubilem obiter notant.

§. XXV.

Duo Scriptores ex Sacro Ordine Seruorum B. Mariæ.

414 Felicianus Capitonius, Archiepiſcopus Avenionenſis in explicationibus Catholicis in 73.p.2.pag.291. voluntatem creatã ſeipſam determinare docet, illamque à gratia motam, & excitatam poſſe Deo vocanti diſſentire, vel non, ſic enim ait: *Libera hominis voluntas per gratiam excitata habet in ſui facultate vocanti, monenti, trahentique Deo aſſentiri, vel non, illius præcepta facere, vel negligere.* Videatur etiam in explicat.55. p.2. vbi ipſum citat Eximius Doctor pro noſtra ſententia.

415 Lelius Ballonius qui ſcribebat an.1577. omnẽ predeterminationẽ phyſicã, ſive ad actus pravos, ſive honeſtos eo argumentorũ pondere reijcit, eaque Scripturæ, & PP. authoritate, vt nihil amplius deſiderari valeat pro ſententia noſtra, audiatur ipſe in tr.de Pręd.c.8.vbi hæc habet: * Sed hæc reſponſio nullius roboris eſt, nã ſi movetur à Deo, & ab ipſo determinatur, quomodo poteſt ſe libere determinare? ſi neceſſario ſe determinat, tunc non debemus imputare peccatum homini, cum non ſit voluntarium. Nã voluntas non poteſt non determinari ad aliquid faciendum, cum à Deo determinatur. Et hæc inſtantia, meo iudicio, maximam vim habet, & non video, quomodo, hac ſtante ſententia, poſsit defendi libertas noſtræ voluntatis: nam ſi Deus me ad peccandũ determinat, quomodo poſſum illi reſiſtere, quin fruſtretur voluntas eius? Quod tamen non eſt admittendũ, cum voluntas Dei ſemper adimpleatur. Huiuſmodi poſitio meo iudicio, ſuſtinenda non eſt, nam de ratione voluntatis noſtrę eſt (ex Decano Lovanienſi in lib.de liber. arb. & in Epiſt. ad Petrum Soto) poſſe ferri ad oppoſita. Quomodo hoc erit, ſi tum in bono, tum in malo voluntas noſtra à Deo determinatur: & quomodo non poſſemus excuſſari coram Deo dicentes, Ideo peccavi, quia me ad peccandum determinaſti, & tuæ voluntati non valui reſiſtere, cum non poſſem? *

416 Et in eodem tract.de Prædeſt.cap.8. pag.61.id ipſum defendit ſolidis rationibus, & mira eruditione, & inter alia ait: * Ponamus igitur intentionem noſtram quod voluntas noſtra tum circa bonum, tum circa malum libera eſt, & in malo ſe ſola determinatur, in bona autem, auxilio ipſius gratiæ. Et licet ad determinationem voluntatis duo concurrant, voluntas ipſa, & gratia, & non ſit dare inſtans, in quo ſint ad invicem ſeparata; tamen in termino à quo, & in inſtanti à quo, voluntas eſt prior gratia. Determinat igitur voluntas ſeipſam, auxilio tamen gratiæ: gratia enim illam confortat, datque ei robur, vt ſe poſsit determinare. * Hæc clariora ſunt, quam ponderatione egeant.

417 Duo tamen habet doctiſsimus Ballonius valde noranda, quæque laudare non poſſum, & ſi eius ingenium, & ſolidam doctrinam multum probem. Primum eſt illud, quod conſtanter affirmat de prędeterminatione phyſica, ſcilicet eam eſſe ex mente Div. Thomæ, ait enim vbi ſupra, *Sanct. Thomas 1.p.quæſtion. 105. & quæſt. 106. & 111. & alibi eſt huius ſententiæ, quod determinatio noſtræ voluntatis tum in bono, tum in malo ſit ab ipſo Deo, adeo, quod ſemper Deus illam determinat* Quodquam falſum ſit, ſupra manet abunde probatum, ibi enim conſtitit, mentem Div. Thom. alieniſsimam eſſe à prædeterminatione, quod, meo iudicio, argumentis inſolubilibus manifeſtum fecimus. Secundum eſt, quod ſupponens iam illam ſententiam fuiſſe ex mente Div. Thomæ, ait, hanc eſſe maculam huius magni Præceptoris, quĩ loquendi modus de illo Doctore, qui eſt omnium Theologorum apex, valde diſſonus eſt, & non ſine aliqua audacia dici poteſt. Cæterum notandum eſt, nullum Authorem hucuſque putaſſe prædeterminationem phyſicam eſſe iuxta mentem Div. Thomæ ſi, ſermo ſit de illis, qui prędeterminationem refutant, vnum præter Ballonium, teſte Henrico de Cerf, qui pag. 260. ait de Lelio Ballonio: *Qui vnicus, quem ſciam, prædeterminationem phyſicam acriter reiecit, ſentiens eſſe Diui Thomæ.* Si ergo prædeterminationes averſatur vel ille, qui ſentit illas eſſe conformes doctrinæ Sanct. Thomæ, quanta, rogo, firmitate illas reijciet, qui conſtantiſsime cenſet, illas prorſus eſſe oppoſitas principijs Div. Thomæ?

§. XXV.

Doctores ex illuſtri Trinitatis Ordine.

418 Ex Sacra Trinitatis familia nullius Doctoris verba referre ſtatui, cum ſatis cõſtet, quantum Societas noſtra, eiuſque doctrina illuſtretur huius ſplendidiſsimæ Religionis ſuffragio, in qua tot viri, ingenio, & doctrina pręditi, floruere, vt quamvis nullam aliam externã autharitatẽ nacta eſſet ſcientia media, hoc ſolo titulo cõmendatiſsima foret: nihil enim in sẽtẽtiæ noſtræ prędidiũ cõciliari potuit validius, nihil vtilius, nihilque ingenioſius, & elegãtius.

Quod

Quod equidem Societas noſtra probe agnoſcit, & non ſine grato animi affectu meditatur: cũque inclyta hæc Familia eximia charitate alios è duriſſima ſeruitute, cateniſque vendicet; nos tamen in ſeruitutem, dulciſſimaque gratitudinis vincula redigit, eò quod ipſa pro Religione adſtringi voluerit doctrinæ noſtræ defenſandæ & exornandæ. Acriter namque, & validiſſime pugnant contra ſententiam Thomiſtarum, & R.P.M. Marc. Anton. Alos & Oraca p. 1. ſelect. deſp. in 2. c. 5. §. 7. num. 221. & 222. & etiã in lect. de ſcient. Dei diſp. 5. ſect. 5. nu. 374. Baltaſar Paez in Cantic. Moyſis Text. 29. annot. 5. pag. 361. verum gradum gradum ſiſto in recenſendis huiuſmodi Sacri Ordinis Doctoribus, cum omnes vno agmine doctrinam Societatis ingenio ſimul, & authoritate efferãt. Et in hoc Salmantino Lycæo habuimus ſemper, immo & habemus nunc florentiſsimos Recentiores, quibus ſupra modum commendatur ſcientia media, doctrinaque Societatis. Vnum tamen omittere non poſſum ex Excalceatorum ſacro germine R. P. Emanuelem de Conceptione in hoc ſuo Salmanticenſi Collegio Theologiæ Scholaſticæ Primarium Lectorem, ibidemque Miniſtrum, qui vniverſam Philoſophiã in tria egregia volumina diſtributam publicæ vtilitati, publiceque acclamationi dedit: Philoſophiæ namque arduas, ſelectaſque difficultates acute, & clare ſolvit, vulgareſque tractatus breviſsima vbertate perſtringit. Hic ergo R. Vndique venerabilis in Phyſicam prædeterminationem ſolide invehitur, Thomiſtarũque argumenta enervat in tom. 2. curſu Philoſophici ſuper 8. lib. Phyſ. diſputat. 11. to ta quæſt. 15.

§. XXVI.

Scriptores ex Militari Ordine B. Mariæ de Mercede, qui prædeterminationem ad materiale peccati reijciunt.

419 Fran. Zumeli Doctor præſtantiſsimus, quoad hanc partem amplectitur ſententiam noſtram, dum 1. p. q. 22. art. 4. in appendice pag. 612. ſecundæ editionis factæ apud Salmanticam à nu. 1590. ait: * Quamvis Deus immediate concurrat ad entitatem, & ſubſtãtiam actus mali, & peccati, & ſit veriſsimum; tamen dicere, eſſe prærequiſitum auxilium efficax Dei, prædeterminans, & præmovens efficaciter voluntatem hominis ad actum peccati, & mali moralis, etiam pro materiali, neque eſt verum, neque ſanę doctrinæ conſonum, imo vero eſt falſum. * Hucuſque Zumel, cuius cenſuram probare non poſſum, quamvis doctrina mihi arrideat. Circa alia controverſiæ puncta multum varietatis habet, de quo notatur non ſolum à noſtris, ſcilicet à Faſolo 1. p. q. 14. a. 13. dub. 16. num. 276. à Ioanne Baeza, P. Aldreto, & Ruizio; verum etiam à pluribus Thomiſtis, vt Navarrete to. 2. contr. 25. pag. 259. & contr. 26. Ioanne Thomaſio 1. p. q. 14. diſ. 20. a. 1. pag. 609. & 610. & alijs. Cęterum Authorem hunc prædeterminationem ad materiale peccati impugnaſſe acriter, dubitari non poteſt, vt prętet locum iam allegatũ, ipſumque manifeſtũ, liquet ex pluribus ipſius teſtimonijs, quę, quia primũ ſufficit, omitto. Citatur pro hac ſententia ab Ambroſio Machin to. 1. in 1. p. diſ. 45. fol. 408. vbi ait: *Deum nullo modo præfinire, nec præfinire poſſe entitatem poſitiuã ſeu materiale peccati, eſt cõmunis ſentẽtia, quã ſequitur Cor dub. Vaz. & alij, inter quos eſt noſter Zum.*

420 Ipſe vero Ambroſius Machin Generalis Magiſt. eiuſdem Ordinis B.M. de Mercede; ex profeſſo refutat hanc prædeterminationẽ ad materiale peccati, loco ſupra relato, valideque arguit contra illam pluribus fundamentis non contemnendis, & inter alia adducit hoc argumentum, quod eſt quartum, quo probat contra hanc prædeterminationẽ: * *Quarto*: quia plus deberemus conqueri de Deo in noſtris peccatis, quam de diabolo ſuadente, & de pravis hominibus incitantibus, & tentantibus, quia nec dæmon, nec homines ita efficaciter infallibilizant, & determinant volantatem humanã ſicut Deus. Immo nec dæmon curaret tentare homines: ſciret enim poſita quacumque tentatione, niſi accederet prędeterminatio Dei ſe in caſum laborare; at vero poſita tali prædeterminatione, etiamſi nulla pręcederet tentatio illum peccaturum. Quod &c. *

421 Nec ſolum phyſicam prædeterminationem ad materiale peccati, verum etiam illã reſpuit ab omni actu libero, vt manifeſtum reditur es ijs, quæ affert ibidem, dum poſtquam proponit quæſtionem defenſandam, videlicet, Deum nõ prædeterminare ad materiale peccati, ait: *Eſt communis ſententia. Probatur in primis omnibus illis argumẽtis, quibus q. de ſcientia Dei impugnauimus phyſicam prædeterminationem.* Scientiam tamen mediã, vel eius neceſsitatem ad prædeſtinandũ impugnat, quamvis non omnino faveat Thomiſtis, quia fatetur, ſe elaboraſſe in *inveniendo* nova concordia noſtræ libertatis cum efficacia divinæ gratię, quam ſententiam novam typis non vulgavit, quia ait, ſe à Romana ſede petiſſe, vt facultatem concederet edendi ſententiam illam in tractatu de auxilijs, quam vel non obtinuit, vel obijt ante conceſsionem, vel forte, re poſt modum maturius inſpecta, apparuit ipſi parum probabilis, aut futilis noviſas illa. Sylveſter de Saavedra prædeterminationẽ etiã ad materiale peccati reijcit in veſtig. 2. diſp. 9. ſect. 4. n. 354.

ſit ſi les apud P. Henao qui num. 819. ait: *Sed Saavedra refugit admittere prædeterminationem ad materiale peccati.*

§. XXVII.

Doctores ex Sacro Ordine Minorum, qui Societatis ſententiam amplectuntur, quique claruere poſt controverſiam.

422 Ioannes Dureſſeus Theologiæ profeſſor in Provincia Lugdunenſis ex Scripturę, & PP. authoritate ſcientiã mediam ſtabilire conatur in dialecticothea lib. 2. c. 8. pag. 491. & pluribus ſequentibus, & poſtquam illam ratione, & authoritate probat, ſolvit obiectiones Adverſariũ, quorum prima eſt: *Iſta ſcientia eſt inaudita, & fuit antiquis incognita. Reſpondetur ad primum, quod ab authoritate negatiua nõ valet argumentum; præterea eſſe nouã quidẽ quoad nomen, non autẽ quoad rem, & eã non negaſſe eos, qui volunt cognoſci futura, &c.*

423 Claudius Rangolius in lib. 1. Reg. c. 14. verſ. 14 latiſsime ſententiam Societatis propugnat, & phyſicam prædeterminationem reijcit; expreſſe namque fatetur, ſibi magis placere ſententiam noſtram, dum ibidem ait: *Aut igitur aliud inſtrumentum adhibendũ eſt, quo gratia efficax euadat, quemadmodũ faciunt, qui phyſicam motionem admouent: aut ſi minus placet, ne quam libertati vim faciat, aut certe minus expedita videatur eius explicatio: & magis placet quædã conditionata, quam vocant euentuum cognitio.*

424 Et paulò inferius ait: *Ex his ſequitur, contingere poſſe, vt parẽ gratiã duo inter ſe pares non pariter accipiant: ſed alter quidem conẽptim annuat, alter cupide amplexetur. Quin etiam probabile, eundem hoc aliquando in ſe experiri, vt æqualem gratiã altero quidẽ tempore odio, altero fauore, & amore proſequatur.* Et ibidem aſſerit ſe non poſſe intelligere gratiam illam, quam Thomiſtæ vocant, ſufficientem, ſi aliunde poſita ſolũ ipſa, nunquam creatura eliciet operationẽ, quã vis poſsit elicere, affirmatque hoc in intelligibile eſſe, quandoquidem creatura non eſt potẽs, nec poteſt habere potentiam in re loquendo ad ponendum actum, ad quem non habet requiſitum eſſentiale, ſcilicet gratiam abintrinſeco efficacem. Ad probandumque gratiam illam, poſita hac ſententia, non eſſe revera ſufficientem vſurpat illud cuiuſdam Poetæ:

Quo mihi diuitiæ, ſi non conceditur vti?

Parum certe refert habere gratię divitias, quibus nunquam voluntas vtetur, quamvis vti poſſet: O infelix poſſe, quod nunquam, nec in vno è toto hominum cætu, reducetur ad actum!

425 Marinus Marſenus, militat pro ſcientia media, & contra prędeterminationem phyſicam, quam refutat ſolidiſsime, ſcientiamque conditionatam ex profeſſo ſtatuit, & defendat. Nam in c. 1. Geneſis v. 1. obiecti 10. colum. 354 ſic loquitur: *Supponendum eſt igitur ex dictis cõtingentia futura in ſeipſis à Deo cognoſci, cum determinatam veritatem habeãt, & non tantũ, quando ſunt in actu extra ſuas cauſas; quod tempus dicitur Deo præſens: nã licet Deus nouerit Iudam, aut Petrum peccaturum, non ideò tamen neceſſariò, ſed liberè peccabit: demiror autem quomodo hic futurorum contingentium cognoſcendi modus tã acutum philoſophum effugere potuerit, præſertim cum in arduis nidum ſuum, & extrà vulgi metas ſuos conceptus efferre videatur: nam cui dubium eſſe poteſt, Deum apertiſsimè cognoſcere quid facturæ ſit omnis libera creatura, licet hæc nondum ad agendum ſe accinxerit, aut determinarit? cum Deus perfectiſsimè ſciat quidquid ſcibile eſt, illud autem omne ſcibile ſit, quod fieri poteſt, & quod fiet: inter quæ eſt hominis actio quælibet libera futura.*

Vlterius prædeterminationem refutat ibidẽ obicit. 17. columna 407. dicens: * Etenim voluntates noſtrę non ita ſunt inſtrumentum Deĩ, vt ſecuris, vel malleus in manu fabri, malleus ſiquidem neceſſario agit, vbi recepit impulſum, cum tamen voluntas ſit adhuc liberrima, vt agat, vel non agat, & illud potius, quam aliud velit, etiamſi divinum impulſum, ſeu influxum, & inſpirationem acceperit, quod enim eſt pondus lapidi in centrum currenti, hoc eſt libertas voluntati, quæ huc illuc pro libito ſe convertit, adeò vt omnibus poſitis ad agendum requiſitis ſit adhuc libera, vt agat, vel non agat. *

426 Ruteus 1. p. q. 14. diſp. 7. numer. 15. allegatur pro ſcientia media à Bonęſpei diſp. 11. de dub. 1. num. 37. vbi ait Ruteum pro aſsignando obiecto ſcientiæ mediæ, hoc modo explicare modum tendendi voluntatis divinæ: *Si voluero, quantum eſt ex parte mea præciſè, concurrere cum Angelo ad amorem, poſitus in tali rerum ordine ſe libere determinabit ad amandum.* Additque: *Ideo Deum concurrere cum Angelo ad amorem, quia ille pro innata libertate ſe ad illam determinat.*

427 Ioan. Lallemandet parum conſtanter ſe geſsit; nam in curſu Philoſophico ſententiam Societatis amplectitur, & clypeo 3. n. 12. §. *ad primã* pag. 369. ait: *altas radices iecit ſcientia media, Thomiſt. vero prædeter-*

mi-

minatio dormitat etiam in eorum scholis. Et in *Decisione* n. 14. §. *Resolutio* pag. 402. & alijs pluribus in locis prædeterminationem aversatur acriter; verum postea in cursu Theologico plura adduxit, quibus scientiam mediã aversari constat.

428 R.P. Emanuel Maynam Academiæ Tolosanæ Doctor celeberrimus, Scriptorque literatissimus, in 2. tomo suæ Philosophiæ Sacræ t. 42. prop. 29. sententiã Societatis asserentem, gratiam non esse prædeterminantem, fusse defendit, ac nervose probat; aitque, hanc esse mẽtem S. Francisci Salesij, cuius testimonia Gallico, latroque idiomate expendit; ait vlterius hanc esse mentem D. Th. & Parentis Augustini. Vide Authorem istum supra laudatum à n. 159. Alios ex eadem familia citat P. Henao n. 1225 dicens: *Adsunt quoque nunc Salmanticæ RR. PP. FF. Didacum de Gueuara, & Antonius de Herrera Magistri primæ notæ, quorum secundus annos an. 1655. defensauit in Actu maiori totam nostram doctrinam summa cũ ingenij, & acuminis sui acclamatione: dicauitque humanissime eas assertiones Societati nostræ.*

§. XXVIII.

Doctores ex Sacris Ordinibus Clericorum Regularium, tum Theatinorum, tum Minorum, tum etiam Somaschorũ, sententiæ nostræ suffragantes: tum etiam ex alijs Congregationibus.

429 Ex primo ordine citat P. Henao duos Scriptores, qui doctrinam Societatis manifeste tuentur, scilicet P. D. Franciscus Maria del Monaco, Petavij Professor Theologiæ lib. 2. Physicor. disp. 4. sect. 7. §. sed nec hæc sententia. Et P. D. Thomas del Bene, Romæ Professor Theologiæ to. 1. Sum. Theol. dis. 4. q. 12. & 13.

430 Ex secundo ordine Raphael Aversa. Doctor insignis, Professor Theologiæ, & Præpositus Generalis, satis demonstrat, mentem suã longe recedere à physica prædeterminatione; accedereque ad sententiam nostram; cæterum ait se nolle quæstionem hãc decidere, vsquedũ liceat per Summum Pontificem speciali tractatu agere de hac materia. Verumtamen clarissima affer indicia, quibus constat, nobilem hunc Doctorem sententiæ Societatis adhæsisse, quod præter quam quod constat aliunde ex testimonio multorum, probari potest ex ipsius doctrina, namque in 1. 2. dis. 10. sect. 2. §. *probatur præcipue*: hæc habet: *Ad vsum enim, & exercitium libertatis requiritur, vt causa libera, positis omnibus prævijs ex parte ipsius in actu 1. ad operandum possit agere, & possit non agere.* Ex quo testimonio, sicut ex similibus passim à nostris Theologis ponderatis convincitur repugnantia prædeterminationis: nam prædeterminatio est requisitum prævium, quo posito non potest voluntas coniungere carentiam operationis cum illo prærequisito; aliunde apud Aversam, vt voluntas sit libera requiritur, quod posito quocumque requisito prævio ad agendum, possit voluntas nõ agere, & consequenter coniungere carentiam operis cum actu 1. Et cum omnibus illis prævijs requisitis, sentit ergo non posse componi hanc prædeterminationem cum libertate nostra; & quamvis loquatur de prærequisitis prævijs in actu 1. hoc solum probat, Aversam non intelligere aliquid aliud, quod mediet inter actum 1. & 2. & consequenter non intelligere prædeterminationem. Et saltim hoc probat contra aliquos antiquos Thomistas, qui prædeterminationem adstruebant ex parte actus 1.

431 Vlterius sæpius docet voluntatem creatam à se ipsa determinari ad libere operãdum, nam ibidem sect. 1. ait: *Et plane tota Scriptura proclamant hanc Veritatem de nostra libertate: prorsus supponit, & confirmat, homines esse ita liberos, vt possint operari, vel non operari, possint alia, aut alia opera facere, seque libere determinare ad vnum vel alteram partem.* Et ibidem §. *sexto demum* ait: *Sed ipsa voluntas habet vim & facultatem eligendi, ac determinandi quod sibi placuerit.* Et §. *respondetur in loco*, ait: *Hoc est quod non possumus absque Dei auxilio quidquam facere, & nec etiam cogitare, quod nobis prosit ad salutem: sed tamen cum ipso diuino auxilio liberum nobis est, recte operari, aut non operari.* Vbi in sensu compositio auxilij admittit aperte indifferentiam in voluntate ad operandum, vel non operandum.

432 Demum in Philosophia to. 1. dis. 16. s. 2. § 3. *ad explicandũ*, vbi ita loquitur: *Causa quidẽ libera habet vim seipsam determinandi ex sua libertate ad certum actum, v. g. ad amorẽ, vel odiũ, ad volendũ, aut nolendũ, idque intelligitur, cũ positis omnibus conditionibus necessarijs, & prærequisitis ad operandũ. Sic Deus pro sua voluntate determinauit effectus ad extra, quos sibi producere placuit. Volũtas etiã creata, dum libere operatur, determinat seipsã dependenter tamen à Deo.* Qualis autẽ debeat esse hæc dependentia, ait, se nolle explicare, ob rationẽ, quã supra insinuavit ex ipso; cæterũ, victus rationibus, & fundamentis sententiæ nostræ, profert, vel quasi invitus, indicia plurima, quæ iam aduximus aliaque similia, quibus facile demonstratur, ipsum in pectore habuisse repositam sententiam Societatis, cum animo ipsam vulgandi dum, ad esset facultas Romani Pontificis.

433 Ex tertio P. D. Stephanus Spinula Professor publicus Philosophiæ Morialis,

apud Genuenſem Academiam Grimaldam, vir doctiſsimus, quamvis propoſita controverſia inter noſtros, & Thomiſtas, dicat, ſe velle prætermittere quæſtionem hãc: *Tum quia hæc eſt materia potius Theologica, quã Philoſophica. Tum etiam, quia modo nefas eſt de hac materia publice loqui poſt decreta Summi Pontificis.* Tamen ſatis perſpicue declarat ſe id ipſum ſentire, ac Societas noſtra in huiuſmodi cõtroverſia, nam in curſu Philoſoph. diſ. 7. ſ. 4. n. 40. hæc habet: *Videt ergo Deus, an Petrus amaret, vel odio haberet, videt, quod pro ſua libertate amaret potius: Deus igitur abæterno decernit velle ponere Petrum in tali circunſtantia, & parare omnipotentiã ſuã ad concurrendũ cum illo, parare, inquam, omnipotentiã de ſe indifferẽtem tam ad amorẽ, quam ad odiũ; verum quia prævidit Petrum pro ſua libertate potius amaturũ, in actu 2. præbet concurſum ad amorẽ, & non ad odiũ in eodẽ indiviſibili inſtanti, in quo volũtas agit; & ſic ſe accomodat volũtati creaturæ, concurrens ad illum actũ, ad quem prævidit creaturam ſe determinaturã: & ſic neutrũ ſequitur ex adductis in propoſita difficultate. Nam non eſt Deus, qui determinat voluntatem ad amandum potius, quam ad odio habendũ: ſed potius determinatur Deus à voluntate creaturæ præviſſa abæterno. Nec ſequitur creaturam prius operari, quã Deum; non enim Deum determinat ad concurrendũ ad amorem potius, quã ad odiũ actualis operatio voluntaris in eſſe, ſed operatio voluntatis præviſſa abæterno.* Quod teſtimoniũ vbe rrime monſtrat Spinulam ſcientiæ cõditionatæ à nobis adſtructæ adhęſiſſe, & phyſicam prædeterminationem impugnaſſe; quandoquidẽ, vt liquet ex adductis, explicat concurſũ Dei ad actus noſtros liberos eodẽ prorſus modo, ac Societas; imo tota doctrina in his verbis expoſita cõtrariatur ſententię Thomiſtarum, tanquam ex diametro oppoſita prædeterminationi, vt legenti planum erit.

434 Eandem doctrinam tradit accurate in Animaſtica diſ. 5. ſ. 2. vbi refutat cõmune illud Thomiſtarum refugium de ſenſu compoſito, & diviſo; ait enim voluntatẽ non poſſe eſſe liberã in ſenſu compoſito alicuius principij, aut prærequiſiti, cui reſiſtere non poſsit, quãvis in ſenſu diviſo illius, poſsit non agere, quia hoc, inquit, ſolum probat ipſam ſortituram libertatẽ, quando divideretur ab illo principio, non tamẽ ſortiri rationem liberę, quando adeſt tale principium. Quod explicat exemplo illius, qui vinctus eſſet ferreis catenis, qui non eſſet liber ad iter faciendum in ſenſu compoſito catenarum, quãvis in ſenſu diviſo liber eſſet; quia hac diſtinctione ſolum convincitur, illum, fore liberũ ad iter per agendum in ſenſu diviſo, non tamẽ eſſe liberum, dum adſunt catenę, vel in ſenſu cõpoſito. Vnde erit liber, nõ tamen eſt actu. Ex quo infert, 1. voluntatem nõ operari libere ſi vera eſt ſententia Thomiſt. adſtruens iudicium practicum adeo efficax propriori ad actũ voluntatis, vt ei voluntas reſiſtere non poſsit. Infert 2. eodem modo tollere libertatem comprincipiũ, ſeu prærequiſitum illud iam explicatum, ſive ſe teneat ex parte cauſæ ſecũdę, ſive ex parte cauſæ primæ *Differentia enim*, inquit, *hæc mere materialis eſt, cum eodẽ modo neceſſario ſequatur actus, tũ non ſit in poteſtate potentia illũ non elicere, quæ tali cõprincipio reſiſtere non poteſt: Vnde ſi neceſſario potentia cedit, ſine peccato, ſine merito cedit.* Vt optime vniverſaliter docet D. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 18. his verbis: *Quandocumque talis eſt cauſa voluntatis, vt ei reſiſti non poſsit, tũ ſine peccato ei ceditur, vnde talis actus liber eſſe nequit. Et præterea*, inquit Spinula, *hinc ſequitur clare, Deum nunquam poſſe neceſsitare voluntatem immediate, vi ſua cogendo ad actum.*

435 Ex congregatione S. Pauli Redemptus Baranzanus in Sum. Phyſic. digladiat. 17. theor. 3. diſ. 6. q. 5. dub. 2. vbi propoſita ſententia phyſicæ prędeterminationis affirmativa, & negativa ipſius, ſubdit: *Et in hanc quidẽ vſque hodã, partẽ affirmantẽ ſecutus ſum: at nunc remelius conſiderata neganti omnino adhæreo.* Sic teſtatur eruditus Henricus de Cerf in ſuo aureo libello de controverſia hac cap. 7. pag. 260.

436 Ex Congregatione Oratorij S. Philipi D. Gaſpar Tabuenda, Præpoſitus eiuſdẽ Oratorij ſententiæ noſtræ adhæſit, vt diximus iam ſupra n. 288.

§. XXIX.

Scriptores ex ſtatu Eccleſiaſtico ſæculari, qui ante controverſiam ſententiæ noſtræ præluxere.

437 Petrus Lombardus M. S. ſcientiam mediam varijs in locis inſinuat, illaque ſolvit plures difficultates, quas ſibi obijcit ipſe, vel alij afferebant, nam in 2. diſt. 23. initio ait: *Quæri ſolet, cur Deus hominem tentari permiſerit, quẽ decipiendũ fore præſciebat?* Cui quæſito reſpondet: *Non eſſet laudabile homini, ſi ideo bene viuere poſſet, quia nemo male viuere ſuadet: cum in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle.* Vbi certe non eſt ſermo apud Magiſtrum de deceptione abſoluta futura, quandoquidẽ deceptio futura præſcita erat propriori ad permiſsionẽ ipſius deceptionis, alioqui nulla eſſet difficultas propoſita, & ſoluta à Magiſtro, ſiquidẽ difficultas conſiſtit in eo, quod Deus permittat deceptionem, poſtquam eam præviderat, & hoc ipſum ſupponere debet ſolutio Magiſtri, vt locũ habere poſsit: ergo loquitur de ſcientia cõditionata deceptionis, quę re-

reperitur in Deo pro aliquo signo priori ad decretum permissivum illius deceptionis. Vlterius si sermo non esset de deceptione prævisa ante decretum permissivum, sed de illa, vt absolute futura, & post decretum permissivũ, frustra laboraret Magister, inquirendo, & assignando motiva, ad hoc vt Deus posit sine incõvenienti habere illud decretum permissivum, dum habet scientiam futurę deceptionis, quia scientia hæc absoluta supponit essentialiter tale decretum permissivum, & consequenter ridiculum esset quęrere motivum ad hoc vt Deus haberet tale decretum, postquam habet scientiam deceptionis absolute futuræ.

438 Idem Mag. lib. 2. dist. 23. sub initium clarius hoc ipsum confirmat, dum inquit: *Mouentur aliqui dicẽtes, cur creauit Deus quos futuros malos præsciebat? Quia præuidit, quid boni de malis eorũ esset facturus:* & post aliqua: *Frustra dicitur, non debebat Deus creare, quos præsciebat malos futuros: sciebat enim bonis pro futuros.* Quæ testimonia, sicut & alia adducta à P. Ruiz disp. 67. de scient. Dei sec. 1. per plures numeros, haud dubie convincunt, Mag. sententię nostrę præluxisse, cuius suffragio non parum illustratur doctrina Societatis. Demũ in 2. dist. 25. c. 1. c. 2. & c. 5. voluntatem, dum libere operatur, seipsam movere, & determinare ad vnum extremum plusquã ad aliud, additque, requiri ad salvandũ conceptum libertatis, quod volũtas eligat extremũ *A*, potens eligere extremũ *B*; aliaque arma ministrat adversus prædeterminationem. Legatur P. Aldrete tom. 1. in 1. p. disp. 28. sect. 2. n. 14. & seqq. Ruiz disp. 49. sect. 5. num. 2. & 3.

439 Henricus à Gandavo quodl. 12. q. 26. differtis, & perspicuis verbis, vt inquit Ruiz dis. 49. s. 5. n. 19. & 20. physicam prædeterminationem respuit, nam loquens fere sub eisdem terminis, ac nostrates, ait: *Voluntas seipsam, & secundum seipsam actuat, & ducit de potẽtia ad actum, & causat in se actuationẽ, excludendo omne agens, & mouens, differens secundum rem ab essentia animæ.* Et vt id firmius exponeret, post pauca subiungit: *Sic ergo voluntas seipsa, per seipsam exit in actum volendi tam finem, quam ea, quæ sunt ad finem, absque omni alia dispositione, seu motione existente, seu præcedente in ea, talem enim dispositionem, seu motionẽ non requirit ad hoc, quod exeat in actum volendi, neque à seipsa agente illam, neque à quocumque agente alio. Imò prima motio voluntatis nõ est nisi volitio, quam habet à se, non ab alio, neque etiam à Deo.* Quę verba à Deo efficacia sunt, ad probandum mentem huius Authoris esse ex diametro oppositam prędeterminationi physicæ, vt id non solum probabile, sed manifestum reddant.

440 Verum obijcit Pseudo-Ph. hęc verba non debere intelligi, vt sonant, qui alioquin erronea essent, quandoquidem affirmare primã volitionem nostram non esse à Deo, hæreticum est; & vlterius eodem iure tangit Molinistas, inquit ille, siquidem ex his verbis, deducitur etiã Henricum negasse concursum simultaneũ, eum apud ipsum volitio nostra non sit à Deo; vnde suspicatur nostros, dum adducunt similia Henrici testimonia, alia eiusdem omittere, in quibus ipse forte declararet sensum, in quo doctrinam hanc accipiebat, & simul impugnaret sententiam nostram. Certe, vt ab hoc vltimo incipiam, vel dum hoc suspicatur Pseudo Ph. evolvit opera Gandavi, vel non? Si evolvit; aut legit testimonium, quo nobis contrariaretur Henricus, doctrinamque traditam exponerit, aut non legit? Si legit, cur non adducit illud, vt devinceret suspicionem suam, & argumentum nostrũ? Si non invenit in ipso testimonium cõtra nos, cur suspicatur, nos omittere illud testimonium in operibus Henrici, quod in ipsis non invenitur? Et si forte invenitur (quod falsum est, ne tantus Doctor sibi contradicat, & quia vbi de hoc puncto agit, nihil affert, quod nobis opponi possit) cur vult Pseudo-Phil. diligentiores nos esse ad quærenda Authorum testimonia, quæ nobis contrarientur, quam ipse, & reliqui Baneziæ, ad investiganda verba illa, quæ opinioni suæ faveant? Si vero non evolvit Henrici opera, & aliunde potuit, pessime fecit, & male suspicatur; cũ potuisset tollere suspicionem, & difficultati satisfacere, ideoque suspicatur, quia vult, non quia fundamentum vllum appareat: si tamen Henricum legere non potuit, quia forte eius opera non habet, levi affectu ducitur ad respondendum authoritati, quam videt manifestam pro nostra sententia, dum aliunde non potest habere aliam, qua primam elidat; & vlterius leviori affectu ducitur ad suspicandum Authorem istum aliqua afferre contra nos, dum non vidit, nec videre potuit, vel Authorem, vel aliquod eius opus, aut saltem verba aliqua à simili alio Thomista relata, quæ aliquid, quamvis remote, contra nos probarent.

441 Dico ergo: si Pseudo-Phil. attente legisset in Philal. hæc verba Henrici, nõ affirmaret, illa, vt sonant, esse erronea; quia in primis Henricus non docet, quod prima nostra volitio non sit à Deo: non enim loquitur de prima volitione, sed de reliquis volitionibus liberis, siquidem loquitur de pluribus, vt liquet manifestissime ex illis verbis: *Exit in actum volentis tam finem, quam ea, quæ sunt ad finem*; in nostra enim voluntate distingui solent actus eligentes media ad finem ab actu intendente ipsum finem. Et vlterius, quia ipse in

genere loquitur, affirmans ad actum volendi, non requiri motionem aliquam præviam, aut diſpoſitionem, ad hoc vt reducatur de actu primo ad ſecundum. Quod ergo docet Henricus, eſt: *Prima motio Voluntatis non eſt niſi volitio*, hoc eſt, non datur præmotio, ſeu diſpoſitio prævia, quæ determinat voluntatem, ipſa à ſeipſa moveatur ad actum. Vnde hallucinatus eſt Pseudo-Phil. dũ ſy *prima motio*, ad quemlibet actum, accepit pro prima volitione, aut pro primo actu voluntatis. Ait ergo Henricus, volitionem non eſſe à Deo, non vtcumque, ſed à Deo vt præmovente volũtatem: *Abſque omni alia diſpoſitione, ſeu motione exiſtente, ſeu præcedente in ea.* Ex quo infertur evidenter, ipſum in hoc teſtimonio non negaſſe concurſum ſimultaneum; non enim dicit actũ non eſſe à Deo, vt concurrente ſimul cum voluntate; ſed ſolum non eſſe à Deo, vt præmovente; quia ait voluntatem à ſe ipſa determinari, & moveri, quin indigeat vllo agente extrinſeco. Cæterum hic apud Henricum ſermo eſt de volitione naturali, non vero de ſupernaturali; quia ſolum affirmat, voluntatem non indigere aliqua motione, vt exeat in actum, quandoquidem à ſeipſa debet determinari, & moveri; per quæ verba, non excludit, quod poſsit excitari per gratiam ad actus altioris ordinis; ſed ſolum excludit neceſsitatem motionis prę-viæ ad omnem actũ; & etiam excludit præmotionem, quæ ſit talis naturæ, vt voluntas, poſita illâ motione, non determinetur, & moveatur propriè à ſeipſa, ſed determinetur, aut prædeterminetur ab illa qualitate, quam vocat diſpoſitionem, aut motionem.

442 Guilielmus Epiſcopus Altiſiodorenſis, & poſtmodum Pariſienſis, ſecundus huius nominis in lib. 2. Summæ Theologiæ tract. 1. cap. 3. ponens gratiam omnino æqualem in duobus hominibus, quorum vnus ea bene vtatur, alter male, reddit rationem, cur hoc contingere poſsit, dicens: *Quod contingit propter libertatem arbitrij, quæ ſola cum defectu eſt cauſa peccati.* Ergo iuxta Altiſiodorenſem gratia, qua Petrus operatur actu, non eſt prædeterminans; ſiquidem cum alia æquali Paulus non operatur; ſi enim gratia Petri eſſet prædeterminans, eſſet efficaciſsima ab intrinſeco, ideoque longe ſuperans gratiam Paulo collatam, quę non eſſet intrinſece efficax. Ais: etiam apud Scholam noſtram gratia Petri eſt maior moraliter, quandoquidem gratia cum qua Petrus reipſa operatur, eſt auxilium congruum; è contra vero auxilium Pauli. Frivola equidem evaſio, apud Scholam noſtram auxilium congruum nihil habet in ſe, & intrinſece, quod non reperiatur, aut reperiri non poſsit ſaltem in auxilio prę-viſo in efficaci; vnde congruitas nihil ſuperaddit auxilio, niſi aliquid extrinſecum; nec phyſice, nec moraliter auxilium Petri movet magis Petrum, quam Paulũ in illo caſu, ſiquidẽ pluries auxilia ſunt æqualia; immo ſępe minus movetur, qui recte operatur, quam qui prave. Altiſiodorenſis autem loquitur de gratia omnino æquali in ſenſu proprio, tum quia loquitur de æquali motione vtriuſque hominis, quę motio æqualis petit æqualitatem gratiæ in eſſe phyſico; ſicut motio fortior altera conſiſtit in robuſtiori auxilio, aut certe in auxilio, quod, quamvis non ſit validius ſecundum ſe, tamen ratione circunſtantiarum, & diſpoſitionis ſubiecti magis excitat, & movet Petrum ad operandum, quam aliud auxilium æquale movet Paulum ratione impedimenti retardantis motionem: tum etiam, quia quamvis non loqueretur de motione gratiæ, ſed de ipſa gratia movente, perperam ſequitur Altiſiodorenſem eodem modo impugnare ſententiã noſtram, ac Thomiſticam, quia in ſententia noſtra congruitas auxilij non intelligitur propriori ad operationem, imo potius efficacia ſubſequitur operationem; & ideo in illo priori ſigno ad actum, in quo intelligitur auxilium, præſcinditur à ſcientia de eius efficacia, aut inefficacia. Cum ergo Altiſiodorenſis loquatur de auxilijs æqualibus propriori ad actum, quibus poſitis Petrus reſiſtit tentationi, beneque operatur, Paulus vero ſuccumbit, evidens eſt ipſum locutum fuiſſe de gratia, quę phyſicæ, & in ſe eſt æqualis, non vero de efficacia, quæ ſubſequitur actum; ſi enim in hoc ſenſu loqueretur, non eſſet æqualis, quandoquidem gratia Petro collata eſt extrinſece efficax; gratia vero Pauli inefficax.

443 Rurſus lib. 2. ſummæ tract. 11. q. 4. art. 1. docet voluntatem noſtram determinare ſeipſam, dicens: *Opus meritorium ſemper eſt ex tribus: ſcilicet ex libero arbitrio originaliter, ex gratia elicitiue, & à Deo principaliter mouente.* Ita Altiſiodorenſis, vbi, inquit Ruiz diſp. 49. ſect. 5. num. 16. *Suppoſito quod Deus eſt principale mouens, non reſtat vlla originis ratio, quæ conuenire poſsit libero arbitrio, niſi in quantum vltimo determinat.*

444 Guilielmus Arvernus, Epiſcopus Pariſienſis, tertius huius nominis, Author graviſsimus, vir admodum pius, qui obijt an. 1249. vt refert Bellarm. ſententiam Societatis, reijcientem phyſicam prædeterminationem, doctiſsime tradit, & acurate expendit in tract. de vitijs, & peccatis c. 10. paulò ante finem vbi inquit: *Reuera autẽ, ſi totũ, quod mouet animas noſtras, extra nos eſſet, & nos haberemus principiũ motiuũ operum noſtrorũ intra nos, vel in nobis, totum attribuendum vi-*

videretur extrinseco motori, vel motoribus, si plures essent. Quod si quis dixerit, quia advertere possumus voluntates nostras à male volitis, licet extrinsecus solummodo moueamur ad volendum. Respondemus, quia ipsum auertere eodem modo non est in potestate nostra, cum sit à motore extrinsece tantum: & post pauca addit: Cum enim à solo motore, qui extraneus est, fiunt voluntates nostræ, & voluntatem auersiones, vel repressiones, & motor huiusmodi in potestate nostra non sit vllo modo, non erunt illæ in potestate nostra. Vbi obseruandum est Guilielmum accipere motorem extrinsecum pro quacumque causa determinante voluntatem efficaciter ad operationem; non enim loquitur de causa excitante, aut mouente, relinquendo tamen voluntati in differentiam, vt planum fit ex ipsis verbis, & ex toto illo capite. Cæterum negat perspicue, posse fieri, vt voluntas laudẽ, aut pœnam mereatur, dummodo dicto moueatur ad actus, quia sentit, illam non posse hoc modo determinari, quin necessitetur: quod probat satis efficaciter ex eo, quod volitio non esset in potestate voluntatis, cum determinatio ad illum actum pendeat ex nutu alterius agentis extrinseci, & agens illud non esset subordinatum ipsi voluntati, nec vllo modo sub eius potestatem caderet.

445 Rursus id ipsum explicat, dum docet, ad voluntatem creatam spectare determinationem sui actus, seque ipsam mouere, vt exeat in actum, illum eliciendo pro libito suo, aut cohibendo, quia voluntas habet dominium illius actus, ideoque potest exire in operationem, vel non prout voluerit, quia determinatio talis operationis debet esse in eius potestate, alioqui nec operatio esset, sub eius potestate proxime. Hęc enim habet, vbi supra paulò inferius: *Melius tamen videtur nobis, vt dicamus, sicut prius, quoniam voluntaria nullo modo possunt esse ista ab agente extrinseco, quin sint etiam ab ipsis volentibus, & operantibus; & hoc est, quoniam voluntas semper imperat motum, & prohibet, propter quod apud Philosophos, & virtus imperatiua motus voluntas dicitur: illos etiam declarauimus in præcedentibus, quia est ea, & tanta libertas ipsius, vt nec cogi possit ad operationem suam propriam, quæ est velle, vel nolle, nec prohibere ab ea; imo necesse est, vt si vellet operari operationem suam, quod operetur eam; quidquid ipsam ad hoc moueat, vel impellat. Et propter hoc dicit Augustinus, quia pœnes eam residet authoritas summa mouendi membra; potest tamen moueri ad volendum, vel non volendum aliter, videlicet suggestione, siue suasione, siue consilio, non autem violentia, vel coactione, & quin sibi retineat scilicet dominium, & authoritatem suæ operationis, non potest facere suggestor, aut suasor, aut consiliarius.* Quæ verba vrgentissime suadent, voluntatem seipsam mouere adeo, vt quamvis possit agens extrinsecum concurrere cum illa, non tamen concurrere ipsam efficaciter determinando ad operationem; licet possit ab extrinseco excitari, & moueri modo alio, quo nõ determinetur ad vnum. Ex quibus vltimis verbis plane infertur, Guilielmum non agnouisse aliud genus motionis ab extrinseco agente factum, quam vel motionem efficaciter determinantem voluntatem, & hoc genus motionis, ait, imponit necessitatem, aut motionem, quod solum sit excitatio, aut consilium.

446 Demum scientiam nostram conditionatam sæpe docet: namque, ideo affirmat Deum cognoscere res futuras, quia huiusmodi res eventuræ sunt, non quia scientia ipsa Dei causet illas, consequenterque tenet scientiam de operatione aliqua futura potuisse non esse in Deo, per hoc quod creatura non se determinaret ad eliciendam illam operationem, vnde scientia illa est libera creaturę, in quantum liberum est ipsi ponere, vel non ponere actũ, ex quo infertur necessariam esse Deo scientiam illam, vnde nec erit scientia visionis, quia hęc est libera Deo, nec scientia simplicis intelligentia, quia hæc non est de futuris contingentibus. Audiatur ipse Guilielmus in tractat. de vniverso p. 3. primæ partis cap. 18. versus finem: *Nec tanquam causa dat prouidentia creatoris necessitatem rebus, nec per modũ quo est scientia, vel visio, sicut nec visio tua: nec necessaria concomitantia est inter illam, & res, per hoc, quod sit causa earum, cum innumerabilia sint, quorum ipsa non est causa, videlicet omnia mala culpabilia, vitia, & peccata, neque per hoc, quod communem habeat causam cum rebus, cum ipsa non habeat causam vllo modorum,* & post aliqua: *Etiam dixi tibi, & dedi conuenientissimum exemplum ad hoc, quia ipse cecidit super res multas ab æterno: possibile tamen est, non cecidisse vnquam super aliquam earum: & hoc est, quoniam possibile est, nullam earũ euenire.*

447 Richardus Rodulfus, Archiepiscopus Armachanus lib. 16. de quæstionibus Armenorum per plura capita docet operationem liberam non prædefiniri à Deo decreto absoluto, nisi dependenter à libera determinatione voluntatis prę cognita: additque Deum præparare concursum voluntati per decretum quasi conditionatum, quo vult concurrere, si creatura voluerit; nam vbi supra cap. 18. ait:

Deus

Deus non ſic agere vult, niſi cum voluntas humana vult agere, omnino conſequitur, quod ille actus diuinus, & volitiuus, & affectiuus, ſi ita ponatur, eſt conditionatus hoc modo, ſi voluntas humana ſic agere velit. Et hanc voluntatem diuinam concurrendi ad actus noſtros eſſe conditionatam, iterum affirmat ibidem cap. 19. Hoc enim adeo aperte docet ſapientiſsimus hic Doctor, vt negari non poſsit, nec ratione ſaltem apparenter probabili.

447 Quod vero decretum præfinitiuum actus noſtri liberi ſit in Deo dependens à præuiſione determinationis liberæ noſtræ voluntatis tradit in eodem cap. 11. vbi, ſic loquitur: *Cauſa prima reſpectu rerum in tempore faciendarum ab aliis cauſis immediatis, eo ipſo quod eſt prima in tempore, ſic pendet, quoad hoc, quod ſit cauſa in actu rerum illarum, à cauſis poſterioribus in tempore, aut ſaltem talem relationem habet ad cauſas ſecundas, non ſecundum illud, quod eſt in ſe, ſed in quãtum eſt cauſa huius, quod non poteſt eſſe cauſa in actu reſpectu rerum ipſarum, niſi à cauſis poſterioribus mediantibus, ſeu ſecundis. Et ideo neceſſario conſequitur, quod per priuationem actionis earũ, ipſa cauſa prior poteſt fieri non cauſa, & poteſt nunquam fuiſſe cauſa reſpectu rerum illarum: aut ſaltem ſequitur, quod poteſt ex priuatione actionis earum ſequi, quod cauſa prior nec eſt, nec vnquam fuit cauſa reſpectu rerum iſtarũ, quæ de facto fiunt, & ſit cauſa externa ipſarum, cauſa tamen in potentia & non in actu.* Ecce perſpicuum teſtimonium in firmiſsimam doctrinæ Societatis commendationem. Aliud ſimile affert cap. 12. poſtquam adduxit illa verba Matth. 26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi, &c.* Quod expenditur à Ruiz ſupra num. 40.

448 Alphonſus Toſtatus, mirabile ſapientiæ portentum, celebris Collegij Div. Bartholomæi nobili quondam toga inſignitus, quam togam ipſe iterum nobilitavit, Salmanticenſis Academiæ Chancellarius, Epiſcopuſque Abulenſis, pluribus in locis diſſerte docet, voluntarem ſeipſam determinare ad operationem liberam, addituque illam operaturam neceſsitate quadam naturę, ſi ad vnum determinaretur ab alio. Nam in Matth. cap. 22. q. 229. prope medium inquit: *Præcipue differt agens liberum à naturali, quantum ad principium agendi; quia in agente libero, voluntas eſt principium, & ideo agens liberum in determinatum eſt, ſed ipſum ſe determinat. Agẽs naturale agit per principiũ, quod eſt forma, & ideo non eſt in determinatum, ſed determinatum ad vnum, & ideo agit neceſsitate naturali, non potens ſeipſum cohibere ab actione.* Nec obſtat frivola Pſeudo Phil. reſponſio, qua audet dicere, totam hanc doctrinam Abulenſis verificari in ſententia Thomiſtarum; namque, inquit, verificatur, quod agens liberum ſit in determinatum, & ideo prędeterminatur à Deo; verificatur vlterius, quod agens liberum ſeipsũ determinet, & quod ſeipſum moueat. Reſponſio, inquam, frivola, tum quia nõ aſsignat rationem, cur voluntas ſe determinare poſsit, ſi ſemel determinatur à Deo; tum etiam quia nec aſsignare poteſt. Nam omnino implicatorium eſt duo agentia libera determinare ad eandem actionem, vt communiter tenent Philoſophi: rurſus, quamvis hoc fieri poſsit, tamen hic prorſus repugnaret; cum enim Deus, motione prævia determinet voluntatẽ ad operationem, prædeterminatione efficaciſsime determinante ad vnum, quid reſtat à voluntate creata determinandum? Non enim poteſt voluntas determinare id, quod nullam habet indifferentiam; quia id, quod nullam omnino habet indifferentiam, indeterminabile eſt, ni velis iterum addęquare determinari, quod ſuperfluum eſſet, & ridiculum in omnibus operationibus, ſed prædeterminatio tollit omnem voluntatis indifferentiam, ergo voluntas à Deo prędeterminata non determinat ſeipſam. At hoc exigit Magnus Abulenſis ad hoc, vt actus ſit liber: ergo. Quod rurſus confirmatur ex adductis à Pſeudo Philal. ideo, iuxta ipſum ſupra, Deus prędeterminat voluntatem creatam, quia ipſa ex ſe eſt indifferens, hæc enim ſunt eius verba pag. 66. *Ad quid vellent* (Thomiſtæ) *ipſum* (agens liberum) *à Deo determinari, niſi ipſum in determinatum ſupponerent, & aſſererent.* Sed poſita prædeterminatione, agens liberum nullo modo remanet indifferens ſed determinatum ad vnum; ad quid ergo (liceat vti verbis ipſius Pſeudo Phil. quia ipſe ſuis verbis ſæpius abutitur) *Ad quid*, inquam, *vis, agens liberum ſe determinare, niſi ipſum indeterminatum ſupponas, & aſſeras?* Vides iam Pſeudo Philal. te tibi ipſi vim tuis obiectionibus inferre, cum tamen nobis nullã vim tuis obiectionibus inferas?

449 Eandem doctrinam repetit Abulenſis in Ioſue cap. 11. quæſt. 80. fine vbi ait: *Gratia pulſatiua quolibet tempore aſsiſtit homini pulſans ad bonum. Cum ergo ſit gratia iſta pulſans, in poteſtate noſtra eſt, quocumque tempore acquieſcere illi.* Et quæſt. 81. initio idipſum confirmat, & magis declarat, dicens: *Gratiæ pulſatrici repugnare poteſt* (voluntas) *etiamſi valde magna ſit.* Quo teſtimonio evidenter convincitur celeberrimum hunc Doctorẽ nullum agnoviſſe auxilium adeo

10-

robustam, cui voluntas in sensu compositio illius vt pulsantis resistere non possit.

450 Rursus scientia conditionata, quam nostri defendunt, vtitur sæpe Abulensis ad concordiam prædestinationis cum libertate, nam vt inquit Ruiz disp. 33. de scientia Dei, sect. 9. n. 3. *Abulensis Iosue 11. cap. à q. 75. vsque ad 78. inclusiue, per longas ratiocinationes, replicas, & solutiones in eo insistit, quod nulla sit concordia præscientiæ, & prædestinationis cum libertate, nisi quia præsupponitur actualis, & libera existentia futuræ actionis, & quasi præsens videtur à Deo.* Ibidemque ipsum exponit in aliquibus, quæ prima fronte dissona apparent. Allegatur Abulensis pro sententia Societatis ab Illustrissimo Echalaz, Episcopo Calagurritano, qui prius fuerat eiusdem Collegij D. Barth. emeritissimus rogatus, tract. 2. phys. disput. 16. cap. 3. num. 25. & etiam à P. Suarez cap. 48. num. 18. & seqq. ab Aldreto, & pluribus alijs.

451 Gabriel Biel in 1. dist. 38. q. vnica, art. 1. libertatem voluntatis probat doctrina quadam pœnitus incompossibili cum prædeterminatione. Hæc enim adducit: *Potest enim prior causa facere, quod in se est, & ita movere posteriorem; & tamen posterior propter sui libertatem non parere huic motioni.* Et ne videatur loqui de aliquo auxilio solum, sed de omni; docet in 1. sentent. dist. 1. quæst. 1. notabili 2. & art. 3. in fine; & in 1. dist. 10. quæst. 2. & dist. 38. quæst. vnica, art. 1. & dist. 25. art. 1. & alibi sæpe, voluntatem non elicere cum libertate actum, nisi quando ita elicit actum, vt positis omnibus illis requisitis, cum quibus elicit actum, potuerit non elicere ipsum, & consequenter, resistere auxilio vocanti.

452 Vlterius dist. 37. art. 1. proponens sibi hoc argumentum: *Si voluntas diuina non determinaret nostram, posset voluntas diuina aliquid velle, quod non fieret propter voluntatem non concordantem*, respondit negando sequelam: *Quia nihil efficiēter vult diuina voluntas, voluntatem creatam velle, nisi quod vult voluntas creata. Ad hoc enim determinat se diuina voluntas, dando voluntati creatæ libertatē, quod est dare ei facultatem eliciendi, & non eliciendi, & non eliciendi; & ad quemlibet actum, quem elicere voluerit, velle sibi coagere.*

453 Et in 2. dist. 37. q. vnica, art. 1. ait: *Primam causam concausare, habet voluntas creata in sua potestate: nam voluntas diuina cuicumque concedit antecedentia, concederet & consequentia, quantum est ex se, nisi esset impedimentum, dando autem voluntati libertatem, dedit ei omnia opera, quæ sunt in eius potestate. Ideo Deus semper coagit ad omnem actum, quem vult elicere. Ergo semper est voluntas ante instans, quo elicit actum potens elicere, & non elicere.* Et in alio §. subiungit: *Et cum arguitur. Tunc non esset ordo essentialis inter causam primam, & voluntatem creatā, si neutra determinaret aliam. Negetur: nam in hoc est ordo essentialis, quod voluntas creata non potest elicere actum, non concurrente prima causa coefficiendo, licet non è conuerso. Neque sic mouetur à prima causa, quasi aliquid de nouo causet, vel influat in voluntate, quo voluntas vellit, sed quia produxit voluntatem liberam, ponens actum suum in sua potestate.* Egregium quidem testimonium ad rem præsentem; & quo probatur Gabrielem sensisse, voluntatem creatam potius determinare Deum quamvis nō propria & stricta determinatione, vt postea explicat, ad concurrendum cum ipsa, quam è contra, Deum determinare voluntatē creatam ad operandum, vt constat ex illis primis verbis: *Primam causam concausare, habet voluntas creata in sua potestate.* Deinde in reliquis verbis docet præclare, voluntatem tale habere dominium sui actus, vt determinet ad vnum extremum, potius quam ad aliud, quin ab alio extrinseco determinetur, siquidem negat, consistere essentialem dependentiam creaturæ à creatore in eo, quod creatura determinetur à Deo, sed in eo præcisse, quod hæc non possit elicere suam operationem sine concursu simultaneo, seu coefficientia ipsius Dei.

454 Marsilius ab Ingen quæst. 40. lib. 1. art. 2. pos 4. conclusionem, doctrinam Societatis dilucide exponit, dum affirmat, Deum se attemperare determinationi voluntatis creatæ ad concurrendum cū illa; & voluntatem determinare ad suam operationem, quin sit aliud determinans, nisi sola voluntas, nam ibi ait: *Si effectus est dependens à creata libera voluntate, sicut ab ea dependet libere, sic Deus disposuit æternaliter, quidquid illa voluntas elegerit siue voluerit, se quo ad bonitatem entium producendorum, libere concursuram. Nihilominus præsciendo æternaliter, ad quam partem ipsa voluntas libere declinavit.* Et in 2. sent. quæst. 16. art. 2. dub. 1. hoc magis explicat dicens: *Quia Deus dando libertatem voluntati, consequenter dedit ei, vt quodcumque eligeret, cum ea ad illius electionem concurreret.* Vbi ponit voluntatem in Deo aliquomodo conditionatam, quatenus ideo Deus vult concurrere ad hoc ex-

tre-

tremum; quia creatura ſe determinavit ad illud; quæ doctrina falſa eſſet ſi voluntas, ſeu decretum Dei eſſet prædeterminans, quando quidem decretum illud eſt omnino abſolutum, & efficaciſsimum, nec ſpectat ad concurrendum determinationem voluntatis; imò potius prædeterminat ipſam vt ſequatur determinationẽ divinæ voluntatis volẽtis efficaciter, independenter à prçſcientia noſtræ operationis, hoc extremum præ illo. Cuius contradictorium docetur hic à Marſilio.

455 Idem ibidem art. 2. dub. 1. in ſolut. ad 3. inquit: *Cauſa determinans ad hanc volitionem eſt ſola voluntas, nunc acceptans, quod antea non voluit acceptare, eiſdem exiſtentibus impellentibus.* Sed auxiliũ, cum quo reipſa operata fuerat voluntas, eſt quid movens, & impellens ipſam ad rectam operationem: ergo cum, iuxta Gabrielem, poſſit voluntas cohibere actum, *exiſtentibus eiſdem impellentibus*; poteſt ſuſpendere actum exiſtenti eodem auxilio, cum quo reipſa antea elicuerat operationem: hoc ipſo tale auxilium non eſt prædeterminans: ergo. Notanda etiam ſunt verba illa, *cauſa determinans ad volitionem eſt ſola voluntas*, vbi clariſsime excludit omne aliud agens determinans ad volitionem, præter voluntatem ipſam; ſentit igitur Deum non determinare, ſed concurrere ad noſtram operationem liberam determinatum à noſtra voluntate. Cæterum per hæc verba non excludit concurſum Dei ad huiuſmodi operationem, ſed tantum affirmat hunc concurſum non eſſe prævium, & determinantem ad vnum. Deum enim concurrere ad noſtras operationes, ſupra docuerat, & hic iterum docet ad 4. dicens: *Quamvis concurſus diuinus requiratur ad voluntatis liberam electionem.* Sic manet ſoluta futilis quædam evaſio Pſeudophilal. qui non iam reſpondet omnibus authoritatibus adductis à Philalet. vt reſpondeat omnibus, ſed vt de omnibus loquatur.

456 Idem Marſilius quæſt. 40. fine ad 5. ſcientiam mediam adſtruit, quam impedire ſit in poteſtate voluntatis. Vnde admittit circa futura contingentia libera ſcientiam conditionatam in Deo, quæ ſit libera creaturæ, & neceſſaria ipſi Deo, vt Societas noſtra. Namque ibidem hæc habet: *Deus ſcit Socratem eſſe peccaturum cras: ergo Socrates peccabit cras.* Cui difficultati ſic reſpondet: *In poteſtate Socratis eſſe facere, vt nunquam fuerit verum illud antecedens, ſcilicet, Deus ſcit, Socratem eſſe peccaturum cras, quia in poteſtate Socratis eſt non peccare: quod ſi non peccaret, hoc antecedens non fuiſſet verum.* En evidentiſsimum pro ſcientia media teſtimonium Marſilij. Legatur Suarez cap. 5. num. 5. Faſſolus dub. 17. num. 306. & num. 370.

457 Demum hic author in 2. quæſt. 16. art. 4. vt probet, voluntatem, poſitis omnibus ad operandum requiſitis poſſe non agere, affert, iuxta Ruiz diſp. 50. ſect. 4. num. 1. propoſitionem illam Pariſijs damnatam inter alios errores ab Stephano Epiſcopo Pariſienſi, ex conſilio Theologorum ann. 1226. quæ ita ſe habebat: *Voluntate exiſtente in tali diſpoſitione, in qua nata eſt moveri, & movente ſic diſpoſito, quod natum ſit movere, impoſsibile eſt voluntatem non velle.* Ex quo abſdubio infertur Marſilium firmiſsime ſentire, voluntatem noſtram in ſenſu compoſito omnium diſpoſitionum, quibus nata eſt moveri ad operationem, poſſe non ponere operationem, ſeu coniungere carentiam operationis, cum omnibus requiſitis ad ipſam operationẽ. Quod falſum eſt in ſententia, etiam falſa, prædeterminatorum.

458 Ioann. Maior. in 2. diſt. 25. per quatuor integras quæſtiones. Nam q. 1. ait liberum arbitrium eſſe potentiam, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere, vel non agere: & contra hanc doctrinam opponit duplicem obiectionem. Prima eſt; vnum ex requiſitis prævijs ad agendum eſt concurſus Dei, ſed concurſu Dei poſito, non poteſt voluntas non agere: ergo. Cui difficultati reſpondet: *Concedo, quod requiritur concurſus Dei, antequã voluntas concurrat, ſed Deus paratus eſt cum voluntate agere, & non agere ad nutum voluntatis.* Secundum argumentum eſt: Deus efficaciter vult hanc operationem: ergo talis operatio eſt: conſequentia eſt neceſſaria, poſito antecedenti; antecedens non es in poteſta Socratis: ergo nec conſequens: cui ita reſpondet: *Nego, quod antecedens non ſit in poteſtate Socratis, Deus eſt paratus coagere cum voluntate; ſed non ſequitur, quod propterea à voluntate noſtra pendeat, ſed quo ad noſtrum modum loquẽdi poteſt dici Dei concurſus quoddammodo dependere à noſtra voluntate, cum eſt paratus coagere, vel non coagere ad noſtrum nutum. Omnibus cauſis ſecundis poſitis ad actionem, voluntas poteſt agere, & non agere.* Verba quidem clariſsima pro ſententia noſtra, quibus ſimilia ſupra manent expoſita, ideoque ab vlteriori ponderatione ſuperſedeo.

459 Rurſus in eadem diſt. quæſt. 3. prope finem aperte aſſerit, voluntatem, ſe determinare ad operationem liberam ſuam, quia vult, nec quærendam eſſe aliam rationem, vel aliam cauſam, ob quam dicatur voluntatem de-

determinari ad actum; inter alia enim, hæc habet verba: *Voluntas vult hoc obiectum, quia & placet, & ſua libertate ad hoc ſe determinat. Ne quærendum eſt aliud ab ea, per quod ſe determinat, ſed ſicut calor naturaliter calefacit, ita voluntas libere vult.*

460 Idem, pœne ſub eiſdem terminis ac noſtri, ſcientiam mediam adſtruit, quāvis optime propugnet, merita conditionate prævisa non potuiſſe movere Deum ad prædeſtinandum parvulum, quem rapit à vita, nam in 1. diſt. 4. quæſt. unica, probans primam concluſionem de parvulis, ſic loquitur: *At fortaſſe dicis: prædeſtinatur ob bonum rationis vſum, quem habuiſſent, ſi periodus vitæ fuiſſet his prolata; & non ob actū talē vſum bonum liberi arbitrij, quem habituri erant. Hoc nihil valet: nemo ſiquidem præmiabitur pro meritis poſsibilibus in effectu nunquam ponendis, ſed pro his quæ fecerit, aut facere voluerit.* Vbi ſupponit ſcientiam conditionatam, prout ponitur à nobis. Quod iterum clare habet in 2. diſt. 23. quæſt. 4. Legatur Ruiz diſp. 67. ſect. 6. n. 12. 13. & ſeq.

461 Adrianus Sextus huius nominis Summus Pontifex in 4. ſentent. quæſt. 1. art. 3. in fine ſolutionis ad ſecundum approbat orationem B. Anaſtaſiæ in epiſtola ad Chryſogonum, quæ relata ab Aldreto diſp. 18. ſect. 1. n. 13. huiuſmodi eſt: *Deprecor te, o homo Dei, vt inſtanter Dominum depreceris, vt aut ad fidem ſuam ſi venturum prævidet Maritum Publium, ſinat viuere; aut ſi eum in hac incredulitatis perverſitate ſcit manſurum, iubeat eum locum dare ſuis cultoribus. Melius eſt enim ſpiritum exhalare, quam Dei filium denegare, & eum confitentes impedire.* Ergo Adrianus cum Anaſtaſia, *quæ merito*, inquit Aldretus, *creditur ſcripſiſſe ſuggerente Spiritu Sancto*, ſupponit Deum præſcire futura conditionata; at non in decreto, ſiquidem Adverſarij ſupponunt Deum non decernere prius conditionate veritates illas, quæ futura ſunt abſolute; & aliunde in hac oratione ſupponitur, Deum præſcire veritates illas, ſive futuræ ſint abſolute ſive non. Quod patet manifeſtet: nam Adrianus cum B. Anaſtaſia orat Deum, vt prorendat vitam Publij ſi præſcit eum venturum ad fidem, ergo ſupponit Publium venire poſſe, hoc eſt futurum hoc illius converſionis poſſe fieri abſolutum, quāvis Deus habuerit ſcientiam conditionatam de illoiar non ſcientiam conditionatam nixam decreto, cum tale decretum conditionatum circa futura abſoluta non detur pro priori, vt Adverſarij fatentur; erga ſupponit in Deo ſcientiam conditionatam non nixam decreto. Certe Publius, aut venit ad fidem, aut perſeveravit in errore ſuo; vnum enim ex his duobus extremis extirit à parte rei; ſed quodlibet illorum extremorum, quod reipſa eventurum erat, præſcitum fuiſſe à Deo pro aliquo priori ad eius futuritionem abſolutā ſupponit Adrianus cum B. Anaſtaſ. ergo ſupponit aliquam præſcientiam independentem à decreto, cum hoc non poſſet eſſe pro priori ad futuritionem abſolutam illius veritatis niſi conditionatum, & tale decretum illius veritatis, quæ abſolute futura eſt, repugnat, apud omnes Thomiſtas, vno, vt inquit Aldrete ſupra, *excepto.*

462 Idem Adrianus in quodl. 7. q. 1. verſus finem, defendit, in poteſtate hominis eſſe, adhue poſita gratia, cooperari Deo, vel non cooperari, iuvare ſemetipſum, aut non iuvare, prout voluerit. Hæc enim habet ibi: *Sed plurimorum manus a Deo apprehenduntur, qui tamen extra puteum non trahuntur, quia ſemetipſos iuvare non fatagunt: vt ſi iacenti in puteo corda porrigatur, qua ſe valeat liberare; ſed quia laboris piget, aut pœnam refugit, ſua culpa, non offerentium reſtem, in puteo perſeverat.* Ergo poſt apprehenſam à Deo peccatoris manum, & poſt collatam ipſi vocationem, ceu cordam, qua è puteo delictorum extrahatur, poteſt peccatum huiuſmodi vocationem, aut cordam abijcere, in puteoque culparum perſeverare; aut è contra adiutorio illo in altum emitti, iuxta Adrianum. Non enim ſentit Adrianus, hac corda ligari voluntatem noſtram, imò cenſet, potius ſolvi, vt habeat poteſtatem exeundi, quam ſine illa non habebat.

463 Ioannes Gerſon Doctor, & Cancellarius Pariſienſis in ſermone de Spiritu Sancto, column. 781. tom. 2. affirmat Deum prævenire liberum arbitrium gratia ſua excitante, non tamen præveniri à libero arbitrio; cæterum aſſerit etiam, huiuſmodi prævention-em non eſſe adeò efficacem, vt voluntas non poſſet ei reſiſtere, ab eaque reſilire, quamvis ſæpe conſentiat Deo vocanti; hæc ſunt graviſsimi huius Doctoris verba: *Scandalizantur aliunde homines, quales prædiximus, carnales filij huius ſæculi, quia non ſapiunt, quod huiuſmodi præventio non tollat libertatem, atque neceſsitatem, aut quod non in Deo ſit invenire viciſsitudinis obumbrationem, aut perſonarum acceptionem, vel inefficaciam operationis, dum a prævenitore reſiſtit quis, & peccat.* En vbi poſita gratia præveniente, poteſt quis reſiſtere ab ea, & peccare, & certe loquitur de gratia cum qua reipſa quis operatur, cum afferat hanc doctrinam, ad probandum, Deum non auferre à creatura libertatem, quamvis gratia ſua excitante

fa-

faciat, vt voluntas operetur: ergo ideo iuxta Gerſonem gratia vocans, & excitas non tollit libertatem, quia poſita illa, poteſt voluntas non agere; manifeſtum eſt ergo Gerſonem non agnoviſſe gratiam prædeterminantẽ, ſiquidem prædeterminatione poſita, & in ſenſu compoſito illius non poſſet voluntas non agere, cuius contrarium docet Authoriſte de gratia vocante, qua reipſa quis operatur. Rurſus ibidem affirmat, Deum non determinare voluntatem, ſed relinquere ipſi poteſtatem, vt ſe moveat ad actus ſuos; ſic enim loquitur: *Inducunt præterea illud Auguſtini, quod Deus ſic res adminiſtrat, vt eas proprios motus agere ſinat. Liberum arbitrium cur ab hac lege, inquiunt, dicetur exemptum? Nec exemptum eſt, fatemur, quin ſinat ipſum agere Deus proprios motus ſuæ libertatis, imò tanto liberius, & efficacius ſinet, quanto ipſum ampliori prævenit gratia.*

464 Ioannes Echius admittit indifferentiam in ſenſu compoſito gratiæ, dum in Enchiridio locorum communi loco 31. ait: *Non eſt in homine via eius, quantum ad executiones electionum, in quibus impediri poteſt multipliciter, velit, nolit; electiones autem ipſæ ſunt in nobis, ſuppoſito tamen diuino auxilio.* Et ibidem ad vndecimam obiectionem, affirmat, audita voce Dei excitante, & compellante nos ad rectam operationẽ, in poteſtate noſtra eſſe reſpondere vocibus, cooperarique gratiæ prævenienti, aut corda noſtra indurare: *Aſſeruimus*, inquit, *tractum Patris per gratiam prævenientẽ, & cooperantem, ſed acquieſcere tractioni, & non indurare corda noſtra, ſi vocem eius audierimus, hoc eſt liberi arbitrij.*

465 Ioannes Fucherius, Epiſcopus Roſſenſis, & Cardinalis, poſteaque, vt nobiliori purpura inſigniretur, proprium ſanguinem pro Eccleſia Catholica inuictè fudit. Hic ergo clariſsimus Doctor ſententiam noſtram innuit ſæpe in confutatione aſſertionis Lutheranæ art. 36. de libero arbitrio, vbi poſtquam in medio articuli hæc obiecerat Lutherus: *Periit itaque hic etiam generalis illa influentia, qua garriunt, eſſe in poteſtate noſtra naturales operationes operari.* Cui Reſſenſis ita reſpondet: *Ego certe vſque a Deo neceſſariam cunctis rebus generalem illam influentiam opinor, vt ſine hac nec motus agere ſuos, nec eſſe omnino poſſe confiteor; & poſt aliqua: cooperaturitaque creatura per huiuſmodi influxum, non ad eſſe ſolum, verum etiam ad operationes ſingulas. Et per eundem exercere voluntas actum ſuum poteſt, aut velendi, aut nolendi, quoties libuerit.* Vbi generalem illum concurſum, quem cenſet eſſe neceſſarium ad omnes operationes etiã naturales, inſinuat eſſe talis naturæ, vt cũ illo concurſu in actu 1. poſito poſsit voluntas velle, vel nolle, prout libuerit hoc eſt amplecti potius hoc extremũ, quã oppoſitũ; quæ doctrina componi nõ poteſt cum eo quod concurſus illæſit prævius, ſeu prædeterminans, ſiquidem eo poſito non eſt voluntas indifferens ad hoc, vel illud extremum, vt compertum eſt, ſed omnino determinata ad vnum, quin valeat reſilire à prædeterminatione ad vnum extremum, vt poſsit elicere extremum contrarium.

466 Hanc doctrinam expreſsius confirmat idem Roſſenſis ibidem paulo poſt dicta, dicens: *Quis enim non compertiſsimum habet, ſe poſſe per influentiam illam generalem, cum voluerit ſtare, vel ſedere, ſilere, vel loqui?* In quibus verbis, influentiam illam generalem non eſſe prædeterminantem ſatis demonſtrat, cum influxus ille relinquat poteſtatem voluntati, & indifferentiam ad quodcumque extremum contradictionis; ergo iuxta Roſſenſem, Deus non concurrit cum cauſis ſecundis, illas prædeterminando.

467 Petrus de Alyaco Archiepiſcopus Cameracenſis pluribus in locis adſtruit ſcientiam conditionatam ſub eiſdem terminis, ac nunc propugnatur à noſtris: loquitur enim in 1. ſentent. quæſt. 11. de prævisione meritorum, & recti vſus liberi arbitrij ante omne liberum Dei decretum; & quamvis firmiter teneat rectum vſum liberi arbitrij conditionate futurum non eſſe cauſam, ob quam Deus prædeſtinet nos; non tamen negat dari huiuſmodi præſcientiam. Quod clariſsime conſtabit legenti ipſum fuſe ibi hac de re agentem.

468 Rurſus ibidem affirmat præſcientiam illam eſſe Deo neceſſariam; liberam tamen creaturæ, quia in eius poteſtate eſt facere, ne Deus huiuſmodi actionem præſciverit futuram. Sic enim ait: *Si autem dicatur, ſi Deus ſciat ſortem peccaturum in A. ſortes peccabit; conſequentia eſt neceſſaria, & antecedens eſt verum: ergo non eſt in poteſtate ſortis. Dico quod in poteſtate ſortis eſt facere, quod antecedens non ſit, nec vnquam fuerit verum, ſicut ſupra tangebatur.* Quod equidem teſtimonium manifeſtum eſt.

469 Ioannes Cochlæus lib. 2. de libero arbitrio dum impugnat textum 5. num. 1. ad finem ait: *Non omnia eveniunt neceſſario, quia liberum arbitrium (quod nemo rationis compos negat) eſt cauſa humanorum actuũ voluntaria, non naturalis, quæ ad vnum determinetur, ſed indifferens ad oppoſita. Libere enim eligit ire in forum, vel non ire, cogitare hoc, aut illud, amare litteras, aut*

mu-

mulieris, &c. Hanc libertatem non tollit diuina prouidentia, aut prædeſtinatio, quia diſponit omnia ſuaviter. Vbi poſtquam ſupponit libertatem involuere eſſentialiter indifferentiam, affirmat, divinam prædeſtinationē, & providentiam non tollere libertatem, ergo nec indifferentiam: ergo providentia Dei circa actum finalis perſeverantiæ relinquit indifferentiam ad non perſeverandum: ergo decretum illud perſeverantiæ finalis vel non eſt intrinſice efficax, vel ſi efficax eſt, debet eſſe efficax efficacia impedibili à noſtra voluntate, & quæ ſubſequatur operationem noſtrā; quamvis decretum illud ſecundum alia prædica præcedat ipſam operationem. Demum inquit, voluntatem creatam non determinari ad vnum ab agente extrinſeco, ſed à ſe ipſa; at ſi Deus ipſam phyſice prædeterminaret, determinaretur ad vnum ab aliquo extrinſeco; ſentit ergo voluntatem non prædeterminari à Deo. Plura iſtius Doctoris afferuntur à Ruizio diſp. 49. ſect. 9. n. 31.

470 Iacobus Latomus in lib. adverſus Eraſmum tit. de merito fol. 175. multa adducit, quæ nobis favent; inquit enim apud Henao num. 780. *Bona opera, quæ Deus in nobis, & per nos operatur, nos cum Deo operamur libere, & voluntarie, tanquam actuū noſtrorum Domini, habentes in noſtra poteſtate agere, vel non agere. Eligimus enim, quæ Deo placent, & quæ illi diſplicent, repudiamus, ſicut de viro ſancto dicit Eccleſiaſticus, Beatus vir, qui potuit tranſgredi, &c. Alioqui ſi tantum in nobis, aut per nos Deus operaretur, nobis ſponte, & libere non cooperantibus, pœnitus excluſa ſunt meriti, & mercedis vocabula; ſicuti non habent locum in brutis animalibus.* Quæ verba innuunt mentem iſtius Doctoris eſſe, voluntatem noſtram vocatam, & motam à Deo ad aliquem actum ſalutarem, habere dominium agēdi vel non agendi, & conſequentet indifferentiam in ſenſu compoſito vocationis, ſeu motionis; quod deducitur ex eo, quod affirmet, eſſe liberum voluntati cooperari, vel non cooperari Deo moventi, vbi iam ſupponitur motio Dei apud ipſum, dum affirmat, voluntatem habere poteſtatem cooperandi, vel non, ſine quo, inquit, non ſalvaretur meritum.

471 Ioannes Driedo, noſtram ſententiam accurate docet in concluſione, ſeu corollario 5. tract. 4. de Redemptione generis humani, vbi ita loquitur: *Quemadmodum ex duobus iam æqualiter iuſtis, contingit alterum, libero arbitrio, à gratia deficere, conſentiendo deſideriis carnis ſuæ; alterum eodem libero arbitrio innixo Dei auxilio perſeverare: ſic ex duobus adhuc impijs æqualiter indignis; æqualiter diuinis inſtinctibus pulſatis, atque admonitis, aut ad fidem, aut ad cordis pœnitentiam, contingit, alterum non reluctari, ſed locum dare pulſanti Deo; alterum vero reſiſtere, & permanere in obſtinatione ſuæ voluntatis. Habuit hic, qui ſic vocatus reſiſtit, in poteſtate ſua non reſiſtere, alioqui nec peccaret, neque ſibi meritum ſupplicij faceret reſiſtendo.* Vbi præterquamquod in ſenſu compoſito gratiæ, affirmat dari indifferentiam, & poteſtatem ad operandum, vel non; docet etiam poſſe contingere, vt Paulus æquali gratia pulſatus, ac Petrus, reſiſtat gratiæ vocanti, dum Petrus illi ſuccumbit. Quod, vt ſæpius iam ponderatum eſt, evenire non poteſt, quin gratia, cum qua reipſa Petrus operatur, ſit indifferens, & minime connexa cum operatione.

472 Rurſus in eodem lib. de Redempt. tract. 5. cap. 3. concl. 3. eadem doctrinam habet, & late exponit; additque verba, ex quibus colligitur, ipſum militare etiam pro ſcientia noſtra conditionata, quando quidem admittit præſcientiam lapſus Adami, quæ non potuit eſſe nixa decreto, cum circa fictura, quæ abſolute talia ſunt, non habeat Deus, iuxta Adverſarios, decretum aliquod conditionatum pro priori ad abſolutum; allegat pro ſententia noſtra hunc Doctorem Merinerus, Ruizius, Henao vbi ſupra, & plures alij.

473 Ruardus Tapper. contra Lutheranum, art. 7. evidentiſsime tuetur ſententiam noſtram, quin hoc, meo iudicio, rationabiliter inficiari poſsit, affirmat enim poſita gratia, adhuc voluntatem creatam habere poteſtatem ſe determinandi, vel non; docet vlterius, gratiam vocantem, qua quis reipſa operatur, multoties in vacuum recipi: tenet etiam, ideo Deū concurrere nobiſcum ad operationem liberam, qui determinatur à noſtra voluntatem in hoc extremum potius, quam aliud; demum ait, Deum non determinare voluntatem creatam ad opus liberum ſalutare, ſed tantum ſuadere ipſi tale opus, ad ipſumque excitare. Citat Tapperiū pro noſtra ſententia Bañez 1. p. q. 23. art. 3. dub. 2.

474 Audiatur Tapper in prędicto art. concl. 7. inter principium, & medium *In eo qui ſequitur vocationem credendo, vel pœnitendo, & in alio, qui eam negligit, poteſt eſſe idem converſionis, & fidei principium, hoc eſt eædem illuminationes, ſuaſiones, & inſpirationes: adeo vt ex ſola eorum libertate vnus negligat vocationem, & ideo non credat, nec convertatur, Deo ad hoc propter eius negligentiam non cooperante: & alter credat, & convertatur ob ſuam diligentiam qua ad Verbum Domini auſcultat,*

& ideo efficaciter converſionem eius Deus operatur. Nec in iſto differentia eſt inter opera ſalutis, & moralia, & naturalia. In eo enim, qui vult ambulare, Deus cooperatur; & ſi non vult, Deus ei non cooperatur: nec tamen aliquid poſitiuum eſt ante actionem in vno, quod non in alio. Et vbique eſt eadem voluntas, ac liberum arbitrium per gratiam, aut naturam operans. Regulariter enim Deus non flectit voluntatem, ad alteram cont. adictionis partem determinando, niſi ſuaſione, & inſpiratione, quas etiam liberè eſt homini ſequi, & negligere, per quas ipſe operatur in cordibus noſtris velle, & perficere, ſicut in ſemine operatur ad animalium & arborum productiones.

475 Idem in eodem art. concluſ. 5. propoſ. 10. ait: *In omni enim materia, ita pietatis, & gratiarum, ſicut morali, & ciuili, ad voluntatem pertinet ſe determinare ad vnam, vel alteram partem.* Et in 4. propoſ. hæc habet: *Omnes gratiæ, quæ ſunt nobis operandi principia, aut quibus dirigimur, & protegimur, & vniuerſæ, quæ præcedunt tempore, vel natura Dei operationem efficacem, eſſe poſſunt ſine fructu, & vſu, & inanem a nobis accipi, ita vt eis poſitis, poſsimus non credere; non converti, non bene operari, nec voluntati adducunt neceſſitatē.* Ecce apertiſsima pro nobis teſtimonia, quæ ipſa ſe exponunt, & ponderant.

476 Iacobus Sadoletus, Cardinalis, qui varia opuſcula habet, in epiſtola ad Romanos, cap. 8. & 9. Societatis doctrinam habet, vt teſtatur Eximius Doctor tom. 2. de Gratia, cap. 51. n. 45. namque ibi docet opera ſalutaria, prius cognoſci à Deo conditionate futura, quā decernat ea decreto abſoluto; quamvis tribuat ipſis bonis operibus cōditionate præviſis, pluſquam opus erat, in ordine ad obtinendā gratiā.

477 Gaſpar Contarenus, Cardinalis in quadam epiſtola de prædeterminatione, quæ affertur ad finem operum ipſius, docet ad mentem D. Thom. in ſenſu compoſito gratiæ pulſantis, cui reipſa aliqui aperiunt ianuam, alij vero aperire nolunt, dari indifferentiam in voluntate, ad cooperandum, vel non gratiæ pulſanti, dicens: *Deum cordis ianuam perpetuo pulſare, eiuſque duritiem per fringere: verum eos ad ſalutem perducere, qui aperuerint; eos vero, qui cor illi recludere recuſarint, in ſua cæcitate, & ægritudine permanere, ſuaque culpa; non illa originali, ſed actuali hac, qua pulſanti Deo cordis ianuā recludere noluerunt, in perpetuam damnationem detrudi.* Quam doctrinam exemplo quoddam explicat ſatis oportuno, quod quia nimis longum affertur ab ipſo, nolui tranſcribere.

478 Albertus Phigius de liber. arb. lib. 6. paulo poſt medium propoſitis quibuſdā verbis Calvini, inter reſpondendum, late confirmat ſententiam noſtram, namque docet, nec ex illis verbis: *Nemo poteſt venire ad me, &c. niſi Pater traxerit*, nec ex alijs ſimilibus ſcripturæ, probari, auxilium prævium, ita efficax intrinſece, vt voluntas ei reſiſtere non poſsit; additque: *Nam trahit Deus, ſed volentem, vt Chryſoſtomus ait, & qui audit, venit, ſi tamen diſcat, id eſt perſuadeatur, quod ex eius voluntate pendet, quia Deus (vt Cyrillus ait) non vi trahit credentes, ſed motione, & revelatione ineffabiliter facta.* Lege teſtimonia iſtius Doctoris exactiſsime expenſa à Patre Suarez vbi ſupra num. 30. & ſeq.

479 Bartholomæus Camerarius lib. 1. de gratia & lib. arb. cap. 7. & vniverſim per tres integros libros de gratia, ſententiam noſtram tuetur, dum affirmat in manu hominis eſſe, reſpondere Deo vocanti, vel non reſpondere; pluraque alia adducit probando indifferentiam voluntatis, poſita gratia, qua homo movetur ad operationem ſalutarem, quæ videri poſſunt apud Aldretum diſp. 28. ſect. 2. n. 11. & apud Ruizium vbi ſupra: vnum tamen non omittam, in quo expreſſe probat indifferentiā voluntatis, poſt gratiam oblatam, & habetur apud ipſum lib. 1. cap. 7. vbi dicit: *Immo potius hoc aliud exiſtimavit, vt quomodo homo propria voluntate ſerpentis vocem audivit, eadem Dominum, vt reſurgat, audiat? In manu conſilij ſui illum, gratia aſſiſtente, reponentem, vtrum oblatam virtutem accipere, eaque bene vti, an ipſam excludere velit.*

480 Franciſcus Belcarius de Bauquere, Epiſcopus Metenſis, qui interfuit Concilio Tridentino, in opuſculo adverſus Calvini & Calvinorum dogma de Infantium in Matrum vtero ſanctificatione, edito Pariſijs anno 1557. pag. 62. nobis favet, noſtramque doctrinam tradere videtur, dum inquit: *Nos itaque contrariam ſententiam probamus, hoc eſt Dei decretum, ſiue prædeſtinationem diuinæ præſcientiæ eſſe cauſam negamus. Negamus vero, ideo dumtaxat Deum omnia prævidere; quod ita vt fierent, decreverit, vt temere aſſerit Caluinus, alioqui fatalis quædā in rebus omnibus inveheretur neceſsitas. Nec dico fatalem qualem ſtoici ex connexione cauſarum ſibi mutuo neceſsitate quādam ſuccedentium, ſed fatalem neceſsitatem appello, quæ ita æterno Dei decreto inſtituta eſt, vt aliter evenire non poſsint, quam & Caluinus, Caluinianique admittunt, recte ne, an ſecus?* Vbi negat Deum cuncta

præ-

præ videre in decreto, quoniam ita vt fierent, decrevit, sicuti etiam nos negamus contra Thomistas, immo eandem affert rationem, quia scilicet necessitaretur voluntas, quod inconveniens deduci non potest ex scientia conditionata à nobis adstructa, cum hæc impedibilis sit à voluntate nostra, vtpote illi libera. Citat pro nostra sententia hunc Doctorum P. Franciscus Suarez de vera intelligentia auxilij efficacis, cap. 43. & Aldretus disp. 28. sect. 14. n. 53. & etiam disp. 29. sect. 10. n. 10.

482 Omissi in superioribus plura, quæ contra adducta Doctorũ testimonia obijcit Pseudophilaler. omissi, inquam, quia vidi nullius esse momenti, prorsusque inania, cæterum hic non omittam ea, quæ affert contra huiusmodi Belcarij testimonium, quia tangit doctrinam quandam saris obviam Thomistis; ait enim, Deum posse habere duplex decretum efficax intrinsice, aliud, quo vult operationem creatam poni aperte rei, quin velit eius modum, hoc est eius libertatem; alterum, quo vult non solum substantiam actus, sed & eius modum, vt communiter explicat Schola Thomistica; de primo, inquit ille, loquitur Belcarius impugnans Calvinum; non de secundo, alioqui audacter loqueretur non solum de opinione adeò probabili Thomistarum, verum & de tota Ecclesia, quæ opinionem vt valde probabilem admittit: Thomistæ enim firmiter asserunt, salvam manere libertatem, & contingentiam operis adhuc posito illo decreto efficaci. Vnde longe distant ab illo Calvini errore; & consequenter doctrina Belcarij non est alia à doctrina Thomistarum, siquidem solum improbat decretum illud primo modo explicatum, non vero secundum. Et obiter *ferit* Philaletem, eo quod huiusce decretorum diversitatem non ponderaret, dum Belcarium allegabat pro Iesuitica, vel, vt ille loquitur, pro Moliniſtarum sententia.

482 Cæterum egregie fallitur Pseudophil. dum verba Belcarij detorquet in sensum prorsus arbitrarium, & aliunde falsum. Belcarius enim in definitè affirmat, efficax, æternumque Dei decretum circa operationem, inducere necessitatem in ipsam operationem, & assignat rationem, quia non potest id non evenire; at quomodocumque adstruatur illud decretum efficax operationis, non potest, illo posito, non poni operatio: ergo si tale decretum sit in impedibile à nostra voluntate, inducit necessitatem ipsi voluntati. Vlterius, petitur clare principium, dum respondetur, decretum Dei efficax non tollere libertatem, quãdo Deus simul vult efficaciter, modum libertatis poni simul cum substantia actus: petitur, inquam, principium, quia sententia nostra firmiter tenens per illud decretum in impedibile tolli libertatem, tenet etiam consequenter, Deum non posse velle modum libertatis, dum concipit tale decretum, quisquis docet illud decretum efficax tollere libertatem, asserit, impossibile esse salvari libertatem cum illo decreto, qui asserit salvari libertatẽ cum illo decreto esse impossibile, asserit Deum non posse velle, vt ponatur à parte rei modus libertatis, quia Deus non potest velle, vt à parte rei ponatur chymæra: ergo qui dicit, ideo salvari libertatẽ, posito illo decreto, quia Deus ita vult, petit principiũ, & respondet cum ea doctrina, circa quam procedit dubium, vnde probat suã conclusionẽ cum conclusione ipsa, quod est nugatorie procedere. Demum manifestũ est Belcarium non loqui de decreto efficaci, quo Deus expresse diceret, se velle necessitare voluntatẽ creatã, quia tunc non laboraret adeò in inferẽda consequentia de necessitate operationis: nã ecquod dubium esse potest, quod decretum efficax Dei volens efficaciter operationẽ poni, & nolens modum libertatis, tollat libertatem? Dum ergo tot rationibus conatur, probare, ex illo decreto efficaci sequi destructionem libertatis, non loquitur de tali decreto determinate nolente modum libertatis; sed absolute de omni decreto efficaci in impedibili (si enim impedibile est, iam manet illæsa libertas, vt nostri communiter probant, & adversarij fateri solent.

483 Cunerus Petri Episc. Leovvardensis c. 10. de lib. arb. & c. 20. & lib. de gratia Christi, c. 10. ait (teste P. Suarez de vera intelligẽtia auxilij efficacis, c. 43. pag. 334.) concursum causæ primæ non esse aliquid prævii in causa secunda. Et vniversim allegatur pro nostra sententia à modernis; optimo quidem iure, nam adeò expresse negat gratiam ex se & ab intrinseco efficacem, prædeterminationemque ad materiale peccati, vt evidens sit hanc fuisse eius mentem & in relato c. 10. de lib. arb. ait: *Vnde Verissima est propositio eruditissimi Magistri nostri Ioannis Driedonis de Turnhout, quod quemadmodum ex duobus iam æqualiter iustis contingit alterum libero arbitrio à iustitia deficere, alterum eodem arbitrio innitendo auxilio Dei perseverare; sic ex duobus adhuc impijs, æqualiter indignis, pariter diuinis instinctibus adiutis, contingit, alterum non reluctari, sed locum dare pulsanti Deo; alterum vero resistere, ita tamen vt is diuina inspiratione vocatus in sua habuerit potestate non resistere. Similiter notanda est profunda quædam propositio Domini Ruardi Cancellarij Louanienſis, quod ex similiter tractis,*

& interne corde vocatis vnus credit, & convertitur; & alius manet incredulus, neque convertitur; contingere potest ex sola arbitrij diuinitus præparati libertate nec aliter contingere potest, si similiter hi sunt affecti, & vocantur, secundũ quod apti sunt ad sequendum. Quæ tamen sic moderanda est, vt particula sola aliam prævenientẽ gratiam excludat. Et sicut idem vir doctissimus semper præsupponit, Dei cooperatio, quæ simul incipit, & definit cum libero voluntatis opere, intelligatur. Sic Cunerus, vbi non solum explicat mentem suam sententiæ nostræ faventem, verum etiam mentem gravissimorum Doctorum Ruardi, & Driedonis. Notandum etiam est ex mente prædicti Ruardi, & Cuneri; Paulum pulsatum æquali gratia, ac Petrum, posse converti exclusa omni alia gratia præveniente, non tamen secluso concursu simultaneo, vt in adducto testimonio exponit, vnde vt Paulus, pulsatus æquali auxilio ac Petrus convertatur, dum Petrus resistit, non est opus, inquit Cunerus, altera gratia prævia, nec aliquo novo superaddito ipsi à Deo, sed solum habet præ Petro concursum simultaneum Dei: cum ergo gratia illa vtrique collata non fuerit prædeterminans, quandoquidem Petrus cum illa non convertitur; & aliunde excludat aliam gratiam præviam, vel saltim necessitatem illius, *vt particula sola aliam prævenientem gratiam excludat*, ad hoc vt Paulus operetur, manifestum est Cunerum, vel ex hoc solum testimonio, prædeterminationem physicam aversatum fuisse.

484 Cosmas Philiareus in lib. Prædestinatione, cap. 11. pag. 104. citatur pro nostra sententia à Francisco de Herrera tom. 1. in 1. sentent. dispur. 24. quæst. vnica, & expenduntur eius testimonia à P. Suarez in favorem doctrinæ Societatis, & inter alia docet, determinationem ad opus salutare sumi ex voluntate nostra, ad illamque spectare rationem determinationis: hæc sunt eius verba: *Admittimus quidem in operibus moralibus, imò etiam in multis operibus gratiæ, quãdo homo est in gratia, posse se ad agendum aliquid determinare, & rationem determinationis à voluntate sumi; vt in primæ gratiæ receptione non posse se ad illã determinare.*

485 Ioannes Antonius Pantusa, Consentinus, & litterensis Episcopus, qui Concilio Tridentino præsens fuit, post accuratam lectionem operũ D. Thomæ secure affirmat, non inveniri prædeterminationẽ apud D. Th. esseque contra eius mentem. Nam tom. 2. opusc. suorum tract. 1. de lib. arb. affert verba, quæ iam retuli in alio loco; & nunc brevius transcribam, quia cum hæc sit propria eorum sedes, omitti non possunt: *Animaduerte*, inquit, *Thomista, qui substãto principe militas, quod prima causa movet, nõ præmovendo causam secundam, & c. sed movet prima causa motione cooperativa intrinsece.* Et hic non negat ad actus salutares gratiam prævenientem absolute, sed illam, quam docent Thomistæ, gratiam scilicet præmoventem, intrinsece adæquate efficacem, connexamque cum operatione. Vel loquitur de pluribus operationibus naturalibus, quę ait, fieri à creatura absque omni motione prævia causæ primæ, cũ simultaneo tamen concursu ipsius.

486 Alexius Gomez, Abbas S. Dominici de Pedraza in elucidatione in varijs qq. Scholasticas, p. 2. lib. 1. cap. de lib. arb. §. ad dissolvendum, & §. solutio dubij est, adducit vt sua, quædam verba Soti, namque sub ticuit eius nomen, dum verba profert. Et quidem verba ab ipso, & à Magistro Soto prolata accurate exponunt doctrinam Societatis, sic enim loquitur Alexius: *Sunt inter Scholasticos, qui doceant posito concursu Dei, non esse vtrumque in potestate voluntatis, scilicet agere, & non agere. Ob idque secundo aiunt, eiusmodi cõcursum non connumerari inter requisita ad agendum: immo dicunt, vt sua vtamur voce, concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum, vel vtrumque nunquam intellexi, vel neutrum vnquam credam. Etenim non est dubium, quin concursus Dei licet concomitetur, vt aiunt, actionem, sit nihilominus cuiuscumque causæ secundæ requisitus ad agendum immo vero & natura prærequisitus. Quoniam non solum Deus est causa effectus secundæ causæ, verum etiam ipse movet eam ad agendum. At quamvis ille concursus sit prærequisitus, nihilo secius, illo posito, tunc etiam est in facultate voluntatis agere, & cessare. Alias nullus dabitur requisitorum numerus, quibus positis, volũtas possit agere, & non agere; atque adeo neque erit libera. Nam ante diuinum concursum non potest agere; & quando ille adest, vt isti aiunt, non potest non agere.* Hactenus Alexius satis aperte nobis favens.

487 Ferdinandus Vellosillus, Episcopus Lucensis; priusque Professor Salmantinus in Advertentijs ad tomum 3. S. Chrysostomi quæst. 2. pag. 44. negat concursum prædeterminantem ad omnem actum, præcipue ad actum peccati. Et quamvis affirmet concursum Dei esse requisitum essentialiter, & aliunde doceat, huiusmodi concursu posito, non posse non poni actum, hoc ideo affirmat, quia tenet concursum Dei esse identificatũ cum actione, loquendo de concursu in actu secundo. Et quod loquatur de hoc concursu identificato

cum

cum actione, manifestum est: tum ex eo quod aperte neget concursum prædeterminantem, tum ex eo, quod doceat, Deū concurrere esse in potestate voluntatis, posseque facere voluntatē creatam, vt Deus non præstet huiusmodi concursum, quod si non intelligeretur, de concursu simultaneo, sed de concursu prædeterminā-te, omnino falsum esset, cum voluntas creata non habeat potestatem ad impediendam prædeterminationem. Audiatur ipse Vellosilus vbi supra: *Modus vltimus respondendi est forte melior cæteris, supposito quod de ratione libertatis, & voluntatis hominis sit, positis omnibus requisitis ad agendum, in potestate voluntatis esse agere, & non agere, etiam Dei concursu posito. Quo supposito modus exponendi, quo pacto Deus non sit causa peccati facilis est; fingamus enim Dei concursum esse aliquam qualitatem in me, vel in voluntate mea existentem: talis qualitas non me necessitat ad agendum; possum enim illa vti, aut non vti, & cum illa qualitate possum occidere, & sine illa non possum; sed quia in potestate mea est, illa non vti, si occido, ego sum causa peccati, & non illa qualitas, sicut quia dedit manus, & manu occido, non Deus dicitur causa homicidij: Sicut ergo falso supposito, Deus non dicitur causa peccati, ita neque modo in rei veritate. Ille enim concursus licet non sit qualitas aliqua, Deus tamen in concursu cum creaturis ita omnino se habet, ac si esset qualitas quædam in me, & in quocumque singulari existens. Oportet ergo, quod Deus actu me moveat, vt ego agam; & licet ille concursus non me moveat sine hoc, quod ego agam; ita quod illo posito, in sensu composito non possim non agere, ex natura tamen rei non infert mihi necessitatem, simpliciter enim possum non vti illo, & non agere, & ita in potestate mea est efficere, quod Deus non concurrat, & si non concurrit; non ergo est causa, quod ego peccem, & si de peccatis contra præcepta negatiua est verū, facilius est, hoc intelligere de omissionibus, nō enim Deus est causa, quod ego non audiam, aut faciam sacrum, ipse enim paratus est, vt me cū concurrat, quod si nolo, mihi imputatur.*

488 Thomas Stapletonius, Doctor sapientissimus, qui numeratur inter principes Academiæ Lovanienſis, hic, inquam, Author tam ante, quam post editam concordiam Molinæ, acerrime cum nostris defendit scientiam mediam, & physicam prædeterminationem refutat, vt Adversarij fatentur, inter quos Pseudophilalet. pag. 77. c. 5. ait: *Verum est, quod Molinistis faveat Stapletonius.* Cæterū quia ipsum à nostra sententia vēdicare non potest, graviter reprehendit Philaletum, qui Stapletonium refert inter Authores, qui scripserunt ante controversiā, & ante editā Molinæ concordiam, quia, inquit, in consequēter procedis, dum illum annumeras inter Doctores, qui ante vulgatam concordiam scripserunt, & aliunde ais: *Cum totus sit Stapletonius in Caluino refutando nostræ doctrinæ armis crebro vtitur, vt in vna eademque pagina quinquies Molinam citet, & ad eius doctrinam, tanquam Caluinienæ hæresis antidotum Lectorem remittat.* Si ergo Molinæ concordiā citat toties & adeo frequenter, quomodo scripsit ante illam? Hæc opponit Pseudophil. & certe nescio cur non puduerit virū Theologum, huiusmodi argumentum confingere, & adeo turpiter decipi; est ne, rogo, impossibile, Stapletonium & ante, & post Molinæ concordiā opera edidisse; & in prioribus Molinæ sententiæ præluxisse; in posterioribus vero ipsum Molinam vt ducem sequi? Profectò hoc impossibile non est, immo de facto, ipse & ante, & post controversiam favit sententiæ nostræ, vt testatur Henao n. 782. & negari non potest, iam ante exortam controversiam floruisse Stapletonium celeberrimi Doctoris fama, vt constat ex Imagine primi sæculi Societatis Iesu à Provincia Flandro, Belgica lib. 6. cap. 4. §. *Aduersantium nobis.* Miratis iam, Pseudophilaletes, potuisse ante controversiam ortam, & etiam post controversiam favere doctrinæ Societatis? Miror ego quidem, te adeò audacter loqui, vt, nostris sollicitantibus, Stapletonium & plures alios sequaces obtinuisse Molinam, sine robore dicas; hoc enim convicio, & Stapletonium impetis, & reliquos gravissimos Doctores doctrinæ nostræ suffragantes; qui validissimis sententiæ nostræ fundamentis, non vero sollicitationibus moti fuere ad doctrinam hanc tuendam; præterquamquod nostros hac, sicut & pluribus alijs, impostura feris, qui patronos sibi volunt ob veritatem devinctos, non ob diligentiam. Disce, quæso, Pseudophilal. calamum potius attramento imbuere, quam felle, quia te tuosque eisdem impostoris impetere, facillimum esset, si licitum.

489 Non possunt omittere fragmentum epistolæ, quam ad familiarem scribebat Stapletonius in hęc verba relata ab Imagine primi sæculi, vbi supra: *Vehementer gaudeo Reverendissimum Dominum Middelburgensem, quem spero brevi pace confecta ad sui Episcopatus munia obeunda profecturū, tam pie, docte, æstrenue causam agere RR. PP. Societatis Iesu contra importunam cēsuram facultatis Lovanienſis; velim sciat in Concilium facultatis Duacenſis me vocatū*

non fuiſſe, cum de illa cenſura ſuum iudicium parum, vt audio, æquum, & minus modeſtum præſcriberet; imò cum ante complures meſes eandē ad me cenſuram Michael Baius miſiſſet, meam ſententiam non tam petens, quā exploraſſet; ſuaſi ne illam cenſuram amplius evulgaret, monuique, Societatis maiorē eſſe gratiā, & authoritatē, quam vt eam facultas Lovanienſis labefactare poſſet; precabar denique, vt ſtudium veritatis vinculum charitatis non diſſolueret. Sed video me vel ſero, vel ſurdis loquutum fuiſſe; ſic egi cum Reverendiſſimo Altrebatenſi, vt nedū illi cenſuræ ſubſigna verit, nec ſpero ſubſignaturus ſit; doleo hanc novam maculam facultati inuſtam, & Patres doctiſſimos tam iniuſtè vexatos.

490 Docet præterea Stapletonius ſententiam noſtram ſæpius, & illam late exponit, & defendit in Antidotis Apoſtolicis in Epiſtola ad Romanos c. 9. v. 11. §. *Deum altitudini intellectus ſui*. Vbi poſtquā diſtinguit triplicem in Deo ſcientiam, poſsibiliū videlicet, abſolute futurorum, & ſubconditione, hæc adiungit: *In hac ergo æterna ſui præſcientia* (conditionatorum) *Deus videns quid quiſque hominum facturus eſſet, ſi talis rerum ordo, & curſus poneretur, ipſiſque hominibus talia, & talia gratiæ ſuæ auxilia Deus impartiret; cum quoſdam videret talibus auxilijs gratiæ ſuæ, ſi darentur, per ipſius gratiæ adiutoriū, liberique arbitrij concurſum, rectè, & perſeveranter vſuros, hæc auxilia ex ſuo beneplacito præparavit, & conferre ſtatuit: & hæc præparatio, prædeſtinatio eorū erat, quos per præſcientiam illam hypotheticam noverat ex illis auxilijs, ſalutem adepturos. Non vti dixi, quod talis præſcientia fuerit aliqua cauſa prædeſtinationis facta (nam habita illa præſcientia ex hypotheſi pro ſua tantū libera voluntate, & ex ſuo libero beneplacito decrevit Deus dare bene vſuris illa media, atque auxilia gratiæ ſufficiētia, & congrua, & conſequenter ad vitā quoque æternam prædeſtinavit) ſed ipſam prædeſtinationem talis præſcientia neceſſario antecеſſit. Cuius hæc certa, & perſpicua cauſa dari poteſt. Sicut talis præſcientia in Deo non fuiſſet abſque futuro de facto bono vſu talis gratiæ, ſi daretur (non enim quia futurum bonum vſum præſcibit Deus, ideo futurus erat, ſed quia talis vſus ex libero voluntatis influxu vere futurus erat, ideo eum futurum Deus præſcibit) ſine aliqua præſcientia eiuſdem boni vſus præparatio eorum auxiliorum non ſortiretur rationem prædeſtinationis circa ipſos prædeſtinatos, ſed ſolius providentiæ rationē retineret. Nam ſola ratio conferendi his, & illis talia media, & auxilia gratiæ, abſque præviſo ipſo eorū vſu, qualis futurus ſit, eſt tantum providentia Dei circa homines ad beatitudinem perducendos. Prædeſtinatio vero, quæ ſuperaddit providentiæ præſcientiam illā futuri certi vſus, certique rerū exitus includit, vt vbi bonus vſus præſcitur, & ex puro Dei beneplacito acceptatur, prædeſtinatio conſequatur. Facit ergo hæc præſcientia in Deo, vt quæ ex ſolo ſuo beneplacito ad beatitudinē media cōferre determinat, prædeſtinationis rationē habeant.* Hactenus Doctor iſte egregius, cuius mirū teſtimonium invenitur apud P. Borrul diſp. 5. ſect. 3. n. 354.

491 Franciſcus Turrianus in libello de electione divina, qui fuit typis mandatus anno 1551. antequam ipſe admiſſus fuiſſet in Societatem noſtram, doctrinam Societatis continet, vt refert Aldretus diſp. 29 ſect. 10. n. 30. & pluribus ſeqq. Martinus Martinius Cantapetrenſis in lib. 5. Hypotypoſeon, cap. 6. allegatur à P. Ruiz diſp. 67. ſect. 9. n. 8. pro ſententia noſtra. Eandem tenet Ioannes de Bononia, vt ſupra dixi, eius teſtimonia afferendo, de quo agit P. Suar. cap. 51. n. 27. eidem etiam ſuffragatur Author Antipologiæ adverſus Miniſtrorum Metenſium Apologiam conſcriptæ fol. 50. vt refert P. Henao num. 945. Accedit Lelius Zecchus, Canonicus, & Pœnitentiarius Brixienſis in tract. de Deo vno cap. 21. prop. 11. pag. 308. quem citat Didacus de Baeza tom. 3. in Evangelia lib. 4. cap. 16. §. 35. pag. 334. Eidem ſententiæ adhæret Petrus Tartaretus in 1. diſt. 8. quæſt. 5. ſub medium §. Contra iſtam concluſionem.

492 Diegus Payva, Doctor Conimbricenſis, & in Concilio Tridentino laudatiſsimus, Societatem noſtram, eiuſque doctrinam eleganter vendicavit ab impoſturis cuiuſdam libelli, cui titulus eſt, *Theologiæ Ieſuitarum præcipua capita*, Authore Kemnitio; qui Societatis Doctores Pelagium poſt tot ſæcula ab inferis revocaſſe, temere iactabat. Contra iſtius Authoris audaciam inſurgit Payva *in libris decem doctiſsimis Ortodoxarum explicationum*, quorum primus eſt de origine Societatis, cuius defenſionem ſuſcepit (teſte P. Henao num. 466.) anno Domini 1564. & fol. 138. contra Kemnitium ait: *Facturum me opere pretium exiſtimavi, ſi paucis aperiam ſummam opinionum cum Pelagij, tum Lutheri, quas Colonienſes Patres evertere conati ſunt, atque vna explicem Colonienſium de lib. arbitrio ſententiam: quibus intenſe collatis, facilius pateat, quam abſit à Pelagianiſmo ſanctiſsima Ieſu Societas; Kemnitij vero calumniæ coerceantur.*

Rur-

493 Rursus fol.142.& 143.plura affert valde consona principijs,doctrinæque Societatis,videlicet: *Si voluntas à Deo mota, non vltro vult, hoc est non libere se se ad gratiã applicat, voluntas certe dici nullo modo potest, cuius in natura, ac ratione nullo modo in est, se ad quamvis obiectam bonitatis speciem adiungere: Qui diuina gratia hominũ volũtates ita ad iustitiã allici putant, vt liberum illis nullo modo sit eam aspernari, & respuere, magis quidem iustitiam humanis mentibus à Deo obstrudi, quam efficere vt illam velint, existimare videntur: Manifestum sit, atque testatum, efficientem causam applicationis animi ad gratiam, hoc est internis Dei vocibus auscultandi, vel ingrate aspernendi, esse tum gratiam ipsam, tum liberum arbitrium.* Legatur Albertus disp. 29. sect.10.n.15.& seqq.

494 Ricardus Imytheus opusc.de lib.arbit. Adversus Ioannem Calvinũ. Ioannes Antonius Viperinus lib.1.de providentia divina, c.10.pag.71. Ludovicus Orianus Brixianus in libello de lib.arb.contra Lutherum pag.37.Hi sententiam Societatis tuentur,quos allegat pro ea P.Henao n.939. 940. 944.

495 Iudocus Tileranus 1.p. Apologiæ pro Tridentino contra Kemnitium circa sess. 6.Tridentini & sex prioris illius canones pag. 178. in §.*Hæc cum ita sint*, nostram doctrinam habet acurate, dicens,iuxta Ruiz disp.49. sect.9. n. 61. *Remansit in homine potestas ex iudicio rationis libera in suis actionibus: nec per peccatum est ei in iecta in suis operationibus necessitas. Vnde Concilium Tridentinum definit in cap.6.simul, & can. 4. Hominem etiam in spiritualibus pietatis operationibus libertatem retinere: homines, inquiens, diuina gratia excitati, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. Et in can. 4. liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, cooperari Deo, assentiendo Deo excitanti, & vocanti: sic tamen vt possit dissentire, si velit.* Vbi, sicut in tota illa Apologiæ parte, admittit semper,& probat ex Scriptura,& Patribus indifferentiam voluntatis in sensu composito gratiæ.

496 Franciscus Somnius, Episcopus Boscoducensis,& post Antuerpensis in demonstrationibus tract.12.de consilijs toto fere cap. 8.obijciens sibi hoc:*Si autem dona Dei sunt, igitur non habet ea in sua potestate homo.* Respondet: *Valde in debite, & præter artẽ colligis. Dona enim dici nequeunt, nisi vbi donata fuerint. Vbi autem donata sunt, tam vti illis, vel non vti, eius, qui dono accepit efficitur. An ob aliud, quam vsum, & vtilitatem donatarij dantur munera?* Et probans quodcumque donum à Deo creaturæ cõcessum debere relinquere potestatem creaturæ, vt eo vtatur,vel non vtatur,affert carmen redolens aliud Horatij epist. ad torquatum, Carmen somnij est.

Quo Deus Omnipotẽs, si nõ cõcesseris vti
Munera largiris?

497 Marcus Antonius Natta Astensis sequitur eandẽ sententiã lib.9.de Deo fol.96.lib. 12.fol.129.& 131. Eandẽ docet Ioannes Nopolius in confessione Ambrosiana lib. & cap. 2. de lib.arb.

498 Cornelius Iansenius,Episcopus Gandavensis,Eccles.15.ad illa verba:*Reliquit eum in manu consilij sui*,declarat,ideo hoc esse dictum;*non quasi sua gubernatione, ac gratia destituerit, & ille per se sine Dei gratia, & conservatione sibi sufficiens fuerit, sed quod eum non ad vnum aliquid, pecudum more determinaverit*:Et vt inquit P.Ruiz d.49.s.9. n.93. *Quod ait more pecudum non limitat verbum prædeterminandi, sed pro brevitate cõmentarij rationem attingit, ob quam prædeterminatio negãda sit homini, qui relictus est in manu consilij sui. Quod si Author intendisset, negare solummodo prædeterminationẽ aliquam pecudibus propriã, & distinctam ab illa prædeterminatione physica, quæ peculiaris esset hominibus, debuisset aliquo saltem indicio innuere, alterã esse prædeterminationẽ, vltra eam, quam ipse negaverat.* Testimonia aliqua Cornelij Iansenij, quæ adducuntur ad ipsum vendicandum à sententia nostra, expenduntur, & solvuntur facile à P. Ruiz vbi supra.

499 Franciscus de Carthagena, qui præfegit Theologiam in Academia nostra Salmãticensi, & antea ibidem discipulus fuerat, vt ipse gloriatur,lib.vlt. summæ moralis cap.3.§. 4.P.Henrique Henriquez,hic,inquam,Author clare nobis favet;nam in disc.8. dub.4. reijcit opinionem eorum,qui dicunt: *Quod quando dicitur,Deũ dare omnibus sufficiẽs auxiliũ ad salutẽ,intelligitur de sufficienti, vt possint,nõ tamen de sufficienti,vt convertãtur:*

500 Præterea discurs.4.dub.3.refert hanc sententiam,quam late impugnat,sententia est: *Consideratus secundum se, & divisus à determinatione voluntatis divinæ, est natura sua liberrimus;at vero compositus cum determinatione divina non remanet in eo potestas in oppositum eius, quod Deus prædeterminat. Quam ob rem licet simpliciter homo sit liber, ex suppositione tamen ei omnia inevitabiliter eveniunt.* In hunc dicendi modum acriter envehitur, & postquam ostenderat illum esse prorsus falsum, ac ratione probat, illum esse prorsus falsum, ac

addit: *Dico primo, quod quandocumque Deus ante determinationem voluntatis creatæ illam determinaret ad aliquem actum in particulari; reſpectu talis actus neceſſario, & non libere operaretur; niſi dicas in ſenſu diuiſo, quod eſt, vt paulo ſuperius oſtendimus, prorſus fictitium. Dico ſecundo. Deum Opt. Max. non omnes actus liberos definiuiſſe, ante quam videret cauſas ſecundas liberas ſe ipſas determinare.* Apertum certe teſtimonium, quo noſtra ſententia, quo lecto, non miror, quod Ruizius miratus fuerit, eo, quod ab aliquo Thomiſta citetur pro ſua ſententia Carthagena.

501 Michael de Palacio in 2. ſentent. diſt. 25. poſito hoc argumento: *Liberum arbitrium cauſa ſecunda eſt, & eget, vt à Deo moueatur, & agatur: at agente cauſa prima, cauſa ſecunda non poteſt non agere, igitur non eſt in nobis arbitrium liberum.* Hoc, inquam argumento poſito, ſic reſpondet: *Quãdo Deus mouet ineffaciter, tunc liberum arbitrium non neceſſario cooperatur (imò aliquando libere moventi Deo, & vocanti reſiſtit) cæterum quando efficaciter mouet, tunc liberum arbitrium neceſſario cooperatur. Nam hoc eſt efficaciter moueri, quod ſub ſequatur operatio liberi arbitrij. At hæc neceſſitas eſt ſecundum quid, quia illa cooperatio liberi arbitrij eſt neceſſaria ſub inſtanti, ſub quo eſt, quia omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. At eſt libera ſimpliciter, quia poterat liberum arbitrium illam non præſtare, hoc eſt cooperationem.* Ergo motio illa Dei eſt efficax, quia creatura illi cooperatur, ergo fit efficax per conſenſum, & conſequenter non intrinſece adæquate eſt motio efficax.

502 Ioannes de Medina Codice de pœnitentia tract. 1. q. 11. §. *Deinde homini*, & §. *Dicendũ igitur*, fol. 36. noſtrã ſententiã amplectitur. Eandem ſequitur Hieronymus Oſſorius, Epiſcopus Algarbienſis tom. 2. lib. 9. de iuſtit. col. 407. & 410. vt teſtatur Suarez c. 51. n. 45. in tom. 2. de gratia.

§. XXX.

Doctores ex ſtatu Eccleſiaſtico ſæculari, qui poſt controverſiam de auxilijs floruere, ſententiæque noſtræ aperte ſuffragati ſunt.

503 PETRVS Binsferius, ſuffrag. Trevirẽſis lib. *Receptarũ in Theologia ſententiarum, & concluſionũ*, ſect. 3. de lib. arb. & gratia, concl. 14. pag. 578. inter alia, quæ valde de ſententiã Societatis commendant, hæc habet: *Bañes acriter inſurgit contra Tapperiũ in art. 7. prop. 10. quod doceat contingere cum æquali auxilio Dei vnum converti, aliũ non, quia hic voluit, alius non voluit. Quam doctrinã dicit eſſe contrariã Deo, & diuinæ gratiæ derogatricem. Sed mirũ eſt, quomodo Bañes tam vehementer invexerit in Tapperium, & non reprehenderet Dominicum Soto, qui idem, niſi me ſenſus fallat, docuit, lib. 1. de natura, & gratia, cap. 14.*

504 Ludovicus Tena, Primarius Complutenſis, & Epiſc. Pertuſienſis in c. 4. epiſt. ad Hebræos diff. 6. in fine, & in c. 12. in litterę explicatione, n. 59. §. *Ex quo contra*, eandem ſentẽtiam defendit, cum efficaciam auxilij congruĩ explicet pariter ac noſtri, ait enim tale auxiliũ eſſe congruũ ratione ſcientiæ conditionatæ noſtri conſenſus liberi. Hoc enim ſunt verba, quæ habet priori loco citato: *Auxilium Chriſti in hoc ſenſu ſemper eſt congruũ, quia ſufficiens, & neceſſariũ ad bene operandũ, & conſequendã vitam æternã. Aliquando vero eſt ſpecialiter congruum, quia ita competens, & contemperatũ tempori, & occaſioni, quod ſcit Deus nos bene illo vſuros. Et hoc vocatur ab Auguſtino cogitatio cõgrua.* Vnde falluntur manifeſti Alvarez, & Antonius de Matre Dei, dũ affirmant, tenam nihil afferre, ex quo ſufficienter colligi poſsit eius mens in favorem Societatis; quin ad hoc probandum aliquod fundamentum adducant; cum ad probandum, ipſum amplexatum fuiſſe ſcientiã mediam, afferamus ſupradictũ teſtimoniũ, & quidem manifeſtum, & alia, quæ adducuntur à Noſtratibus. Videatur P. Henao n. 1091.

505 Iſaacus Habertus, Doctor Sorbonicus Epiſcopus, & Comes Vvabrenſis edidit, teſte P. Henao n. 1094. tres libros inſcriptos: *Theologia Græcorum Patrum vendicata circa vniuerſam materiam gratiæ, cum perpetua collatione. Scripturæ, Conciliorum, doctrinæ S. Auguſt. S. Thom. & Scholæ Sorbonicæ.* In quorum librorum 2. de grat. efficac. cap. 16. §. 2. refutat cum Gamachæo gratiam prędeterminantem ab intrinſeco, explicatque in quo conſiſtat gratiæ Efficacia: *Efficax*, inquit, *gratia completa conſiſtit incongruitate, opportunitate, & attemperatione diuinæ vocationis cum libero arbitrio, cum ingenio, & ſenſibus noſtris accommodata, ex qua vocatione ſemel poſita ſequatur certus, & infallibilis hominis conſenſus, nec poſsit non ſequi, ſpectatis omnibus circunſtantijs.*

506 Prętерea in cap. 17 §. 4. docet: *Doctores omnes ortodoxi neceſsitatẽ ab efficacia gratiæ procul ab eſſe contendunt, adeò, vt qui prædeterminationẽ, ſiue intrinſecã, ſiue extrinſecam, ſiue moralẽ, ſiue phyſicã aſſerunt, nihil quidquã ſibi atrocius abijci, magiſque ægre patiuntur, quam induci neceſsitatem: è diametro vero pars eorum altera,*

quæ

quæ longe numeroſior, Sorbonica præſertim Cathedra, & paleſtra, non alia graviori de cauſa prædeterminationi phyſicæ bellum indicit, quam metu admittendæ, per ipſius veluti poſticum, neceſſitatis; quod in primis profitetur Philippus Gamachæus 1.2. ad q. 111. cap. 6. his verbis: Prior cauſa, cur non placeat, eſt, quod arbitrij libertatem labefactare videatur. Reſpondent, hanc neceſſitatem eſſe ſalum hypotheticam, ſuppoſito Dei decreto. Sed confutatur ſolutio; iam & ſi hypothetica, & conditionata neceſſitas non officiat libertati, quando ſuppoſitio eſt in agentis poteſtate, & concomittans, vel ſubſequens: attamen vbi ſuppoſitio eſt omnino antecedens, nec in poteſtate agentis, tunc omnino deſtruit, ac perimit libertatem: Atqui in præſentique ita res habet.

507 Denique ſubiungit: *Eodem plane modo opinionem illam impugnant ob neceſſitatis illationem præſtantiſsimus Duvallius de gratia, quæſt. 6. & ampliſsime Nicolaus Yſambertus, Profeſſor Regius tract. de gratia, quæſt. 3. art. 5.* Vbi ſententiæ noſtræ adiungit egregios patronos, videlicet Gamachæum, Yſambertum & Duvallium, quos iterum non allegabo, quia ex hoc teſtimonio ſufficienter liquet, eos prædeterminationem phyſicam averſatos fuiſſe. Gamachæus etiam præter ibi adducta, habet alia præclara teſtimonia, quibus late defenſat ſcientiam mediam 1. part. quæſt. 19. cap. 7. concl. 3. probat. 2. pag. 149. & ibidem ipſum facit Duvallius quæſt. 7. art. 3. §. vnde, in tract. de gratia, & pluribus alijs in locis adductis ab Henao num. 1096. Duvellium, & Gamachæum allegat pro noſtra ſententia Petrus à S. Ioſepho in ſuavi concordia diſp. 4. v. Rurſus.

508 Ludovicus Abelley, Pariſinus in Sacra Theologia Doctor, & Eccleſiæ Parochialis S. Iudoci in vrbe Pariſienſi Paſtor, doctrinam Societatis tuetur in medulla Theologiæ, part. 1. tract. 2. de Deo, cap. 3. de ſcientia Dei, ſect. 4. v. Quod autem, vbi ſic loquitur, poſtquam ſcientiam conditionatam adſtruxerat: *Quod autem ſpectat ad id, quod aliqui Theologi aiunt, nihil eſſe futurum ſiue abſolute, ſiue ſub conditione, niſi dependenter à decreto aliquo ipſius Dei, quo efficaciter vult prædeterminare creaturam quamcumque, etiam liberam, ad agendum, & per quod proinde cognoſcit futura ſub conditione; atque ita hanc cognitionem non ſpectare ad ſcientiam illam conditionatam, ſeu mediam, ſed ad ſcientiam liberam; magnam id recipere videtur difficultatem. Si enim hoc verum eſſet, ſequeretur, Deum fore cauſam peccati, quia v. g. in ille prædictione ſupra ex lib. 1. Regum relata, ſenſus illius eſſet Deum efficaciter decreviſſe, aut decretum fuiſſe, vt Saul contra ius, faſque ad necem Davidem quæreret.*

509 Et poſt aliqua: *Præterea ex probratio Chriſti relata contra Iudæos per cõparationem Tyriorũ, &c. Videretur parum rationi cõſentanea, potuiſſent ſiquidẽ Iudæi reſpondere, non mirũ eſſe, quod Tyrij in occaſione ibi declarata eſſent cõuertendi; quia vi decreti alicuius diuini auxilia quædã efficacia, & ineluctabilia eſſent accepturi, quibus ipſi carere debebant, & ſine quibus pœnitentiam agere non poterant.* Hæc aperta ſunt pro ſententia noſtra.

510 Franciſcus Hallier, Doctor, & ſocius Sorbonicus, Profeſſorque Philoſophiæ in Pariſienſi Academia docet eandẽ ſententiam 1. p. Analyſis Logicæ à n. 65. vſque ad 68. Carolus Franciſcus Abra de Raconis, Doctor Pariſiẽſis, Epiſcopuſq; Vaurenſis in Philoſophia tract. de principijs, q. 2. propoſ. 1. habet eandẽ doctrinam: Ferdinandus Martinez Maſcareñas, Algarbiorum Epiſcopus, & Luſitaniæ Inquiſitor Generalis in tr. de Auxilijs, & Ioannes Ioanniz Echalaz, Epiſcopus Calagurritanus, & Calciatenſis, olimque Logicæ magnæ Anteceſſor in Salmantina Vniverſitate, tract. 6. Logicæ diſput. 32. cap. 3. tract. 2. Phyſic. diſput. 16. cap. 1. & ſeqq.

511 Ioannes Malderus, Profeſſor Regius Lovanienſis, & poſtea Epiſcopus Antuerpienſis 1.2. q. 111. art. 3. tract. de gratia dub. 10. membr. 3. & 4. & in hoc vltimo, poſt recenſita argumenta Thomiſtarum contra ſcientiã mediam, ait: *Verum tota hac operoſa argumentorum mole neque ſatis oſtenditur inutilitas, imò nec tollitur neceſſitas præſcientiæ conditionatæ in explicãda gratiæ efficacia; imò probabilius eſt, rectè, & ſecundum mẽtem veterũ, Recentiores quoſdã, eoſque non paucos, neque obſcuros, neque in vnius Scholæ ſententiã iuratos, per hanc præſcientiam conditionatam explicare complementũ quaſi vltimũ, & omni gratiæ efficaci commune.* Claudius Dauſquius Sanctomarius, Canonicus Tornacenſis lib. 2. de Sanctitudine S. Pauli cap. 6. vbi ait, vt refert P. Henao n. 1108. *Prædeterminationes iſtas novellas ſatis ſuperque extirpavit, atque exterminavit Leonardus Leſsius, Theologiæ Belgi Alpha in lib. de gratia efficaci, Molina in concordia.*

512 Ludovicus Bail, Sacræ Theologiæ Doctor, & Subpœnitentiarius B. Virginis Pariſijs in Theologiæ affectiva Gallice edita ibidem anno 1654. part. 1. meditat. 16. de ſcientia Dei, punct. 2. admittit ſcientiã mediã;

explicatque eam ex Matth. cap. 11. *Si in Tyro, & Sydone, &c.* Aic vlterius pro hac veritate extare teſtimonia Scripturæ, & Patrum, gratiamque reddi efficacem per accidens, id eſt per hoc, quod homo ei conſentiat. Addit, prædeſtinationē ad gloriam factam eſſe poſt præviſa merita, iuxta S. Thomam 1. part. quæſt. 23. art. 3. in corpor. quem inquit, fuiſſe ab aliquibus eius diſcipulis non bene intellectum.

513 Antonius Cargot, Sacræ Theologiæ Doctor, Paſtor, & Vicarius, tom. 1. anni Paſtoralis Gallicè ſecundo editi Pariſijs ann. 1662. concione ad diem Dominicam ſexageſimæ, reiecit phyſicam prædeterminationem, vt libertati noxiam. Legatur P. Henao num. 1102. Antonius Moraynes, Profeſſor Theologiæ apud Pariſios in Anti-Ianſenio diſp. 27. ſect. 5. & diſp. 36. ſect. 1. Ioannes Vvigghers, Doctor & Profeſſor Regius Lovanienſis 1. p. q. 14. art. 13. & 1. 2. q. 111. art. 3. tract. de gratia, dub. 10.

514 Ioannes Gonçalius Martinus, Doctor Complutenſis lib. 2. Phyſicorum cap. 3. quæſt. & diff. 4. Alexander Peſantius, Romanus, Philoſophiæ, Theologiæ, & vtriuſque iuris Doctor, Comes, & eques 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 5. q. 25. art. 5. diſp. 7. q. 111. art. 5. diſp. 4. Franciſcus Murcia de la Llana, Philoſophus, & Theologus Complutenſis lib. 2. Phyſicorum diſp. 4. de cauſa efficiente, q. 3. Moriſanus Ibernus, quæſt. 11. Phyſicorum, quem citat pro noſtra ſententia Lallemandet diſput. 4. de corpore phyſico, part. & clypeo 4. in deciſione.

515 Odoardus Vveſtonus, Doctor, & Profeſſor Theologiæ in Collegio Duacenſi Anglorum lib. 3. de triplici hominis officio, cap. 9. & 29. & in cap. 10. §. *ex duobus*, ſic prædeterminationem, afficacius quam fas eſt, impugnat: *Quam obrem inique, nec ſane opinati ſunt, meo iudicio de libertate noſtra, qui præter has mentium excitationes, ad hoc vt voluntas ſe hac inflectat, requiri dicunt impreſſionem phyſicam in ipſa voluntate, quæ illata ſit à Deo tantum efficienter, & antecedenter requiſita ad voluntatis definitum, deſignatumque conſenſum.* Et poſtea phyſicam prędeterminationem appellat inſigne comentum, tam clareque noxiam libertati, quam clarum eſt, ſolem lucere. Hæc & plura alia habet Odoardus, cuius doctrinam hac in re probo, non tamen cenſuram, parumque modeſtam locutionem.

116 Gervaſius Bilonius, Cenomanēſis, Magiſterque Theologiæ apud Pariſios ſcientiam mediam adſtruit in tract. de auxilio gratiæ, diſp. 5. q. 4. art. 6. & in diſp. 3. q. 2. art. 5. inquit: *Maior, & ſanior pars Thomiſtarum Orthodoxorum cum S. Thoma phyſicam illā voluntatis præmotionem vt fictitiam, & improbabilem amolitur.* Sic mordicus inſurgit Doctor iſte contra prędeterminationem phyſicam, à cuius cenſura debuerat abſtinui. Cæterum horum aliqua teſtimonia retuli, vt conſtet, quam verum ſit illud, quo ſe à viris fide digniſsimis accepiſſe profitetur, Petrus à S. Ioſepho vbi ſupra v. *Addo.* Ne vnum quidem Doctorem, in Collegio Sorbonico fuiſſe inventum, qui ſcientiæ mediæ non ſuffragatus fuerit, poſt moram controverſiam inter PP. Dominicanos, & noſtros. Quod equidem adeò perſeverat, vt Annatus in ſuo Eugen. Philad. cap. 3. §. 6. dicat: *Quod ante aliquos annos ſcribebat Petrus à Sancto Ioſepho, alienos eſſe à phyſicis prædeterminationibus Sorbonicos omnes Profeſſores, adeò perſeverat, vt ex illis ſex, qui quotidie ad Sorbonam docent, nullus prædeterminationem approbet: & anno ſuperiori ſcilicet 1632. Cum ad pileum Bacalaurei ſupra 40. pararentur, duo tantum inventi ſunt, qui cauſam prædeterminationis ſuſciperent.*

517 Melchior Fuſter, Præpoſitus S. Metropolitanæ Eccleſiæ valentinæ, Theologiæ Doctor, diſp. 4. de volunt. Dei, cap. 1. part. 5. n. 583. & ſeqq. Hieronymus Columbus, Presbyter, & Theologus Sæcularis lib. 2. de Angelica, & Humana Hierarchia diſp. 1. cap. 7. quamvis in diſp. 2. cap. 15. *Videatur velle melius ſtare*, inquit P. Henao num. 1112. inter Dominicanos, & Ieſuitas. Oregius, Theologus Vrbani VIII. poſteaque Cardinalis Emin. tract. 1. de Deo, cap. 14. citatur pro noſtra ſententia à Petro de S. Ioſepho in ſuavi concordia, diſp. 2. ſect. 7. n. 5.

518 Gundiſalvus Sanchez de Luzena, Canonicus Granatenſis, diſcurſu 1. de conceptione B. Mariæ Virginis, cap. 5. vbi inter alia habet verba quædam acriora, quam oportebat, dum inquit: *Video multos non admittere ſcientiam mediam, ſed ſane abſque ratione; & negare eam ſcientiam, eſt nimia contentio, affirmareque non fundari in Scriptura Sacra, doctrinaque Patrum, error eſt intolerabilis.*

519 Thomas Pius à Pont. 1. p. q. 14. art. 13. dub. 3. & 4. q. 23. art. 3. dub. 8. & ſeqq. Germanus Philalet. in aureo libero, ad cuius eximiam commendationem nulla alia laude opus eſt, quam calumnijs, & iniurijs, quibus impatitur à pluribus, aut forte ab vnico ſolum Authore in opuſculis editis in lucem, vel potius in horrorem adverſus Philal. non enim adeò in ipſum irruere conarentur adverſarij, ni viderent incrementum, quod ſortiri poſſet hoc opere veritas, & fidelitas autho-

ri-

ritatis, qua gaudet doctrina nostra. Cæterum, quia duo isti Authores, quos retuli, domestici esse videntur, larvato proprio nomine, ideo inter Doctores externos annumerandi non sunt.

520 Ludovicus Diaz Franco, Olysipponensis, in doctrina Philosophica tract. 1. de rebus naturalibus in communi quæst. 8. cap. 2. 3. & 4 Ludovicus Montesinos, Primarius Cõplutensis tom. 2. in 1. 2. quæst. 79. art. 2. disp. 10. q. 3. §. *Ad confirmationem Durandi*, & pluribus alijs in locis. Eugenius Philadelphus Romanus, *in exercitatione Scholastica tripartita contra novam rationem tuendi physicas præmotiones liberorum agentium, eorumque libertatem exponendi*. Nicolaus Viti Gozzi, filius patritius Ragusinus, in *Brevi dilucidatione controversiæ de auxilijs gratiæ, quæ in præsentiarum disputatur inter Dominicanos, & ex Societate Iesu PP.* Quam dilucidationem dicavit Emin. Cardinali Bellarmino.

521 Ioannes Alphonsus Curiel, Primarius Salmanticensis, scientiam mediam tanquam probabiliorem, & advincendas innumeras difficultates aptiorem amplectitur controvers. 7. in cap. 4. sapientiæ, art. 4. n. 1. Physicam prædeterminationem aversatur controv. 2. in cap. 1. epist. 2. S. Petri in illud: *Satagite, vt per bona opera*, à num. 208. & à num. 234. eandemque prædeterminationem ad materiale peccati repellit 1. 2. q. 79. art. 1. dub. vnico §. 2. conclus. 2. verum plures Thomistæ vt Petrus de Ledesma, Antonius de Matre Dei, Vives, Alvarez, & alij affirmant doctissimum Curielem in vltima senectute mutasse sententiam, à Castrisque validissimis scientiæ mediæ discessisse; decepti sunt ij Authores, quia, vt inquit Paulus Leon. 3. part. n. 31. Curiel, *Vno, aut altero anno, priusquam ab Scholis dimissus rude cum donatus esset, dum 3. p. q. 11. excuteret de scientia Christi ad 1. artã impugnavit sententiam, quæ propositionibus de futuro contingenti conditionali determinatam, & fixam ex parte obiecti veritatem, aut falsitatem concedit.* Sed quid inde? an ideo scientiam mediam repudiavit? Certe si hæc illatio recte deduceretur, ipse Molina, & Fonseca scientiam mediam reijcerent, cum idipsum sensisse affirment plures, quamvis alij ipsos ab illa opinione vendicare conentur. Rursus opus controversarium, in quo scientiam mediam impense amat, fuit vltima mea studiorum, suarumque lucubrationum, ait enim R. P. M. Fr. Gaspar de Liende Benedictinus in præfatione ad Lectorem: *In quibus vtpote in vltimis laboribus sapientior factus seipsum superare videtur.* Et quidem vt recte notat Illustrissimus Angelus Manriquez, de retractatione Curielis non constat; de sententia in impressis contenta dubitare non licet. Profecto leve ingenium saperet Curiel, si post adamatam scientiam conjecturalem, quam antea defensavit, vt tradit Ledesma, huius scientiæ devinctissimus; post illam repudiatam, defensatamque scientiã mediam, iterum hanc scientiam mediam repelleret, transfugaque toties à Castris vtriusque Schole discederet, vt iterum rediret; ex vnaque in alteram Scholam peregrinus transfugeret, imò per omnes erraret; hic enim non esset partus senectutis, sed puerilitatis. Denique Curielem non mutasse sententiam probant fusè, & manifesti Paulus Leonardus vbi supra, P. Henao tota event. 31.

522 Noviter scientiam mediam exornat, & doctrinam Societatis circa repugnantiam physicæ prędeterminationis, illustrat D. Henricus de Cerf, Sacræ Theologiæ Doctor, ac Seminarij Torreani Præses in opere nuper edito Duaci, typis Ioannis Patte sub signo Nativitatis 1669. cui titulus est: *Controversia inter Angelici Doctoris sectatores de mente eius circa Prædeterminationem physicam cordatis Theologis ded canda proponitur.* In quo mira erudictione, ingenio, & elegantia nostram doctrinam firmat, non solum scripturæ, Patrum, & D. Thom. testimonijs, rationeque, verum omni antiquorum, & modernorum Theologorum suffragio illos in classes, secundum proprias dignitates dividendo.

523 Omitto S. Franciscum Salesium inclytum sententiæ nostræ patronum, quia satis iam expensum allegavi supra; cæterum quia ipse B. Franciscus in lib. 2. praxis amoris divini cap. 11. §. 4. refert quędam verba S. Theresiæ à Iesu, virginis clarissimæ, muliebri vesti virilem animum tegentis; quæ quidem verba, quamvis non adeo expresse doctrinam nostram contineant; innuunt tamen mentem divino instinctu sufflatam istius Angelicæ virginis magis propendisse in sententiam Societatis, quam in oppositam, verba autem, quæ habentur in cap. 15. vitæ suæ, hæc sunt: *Placitum sit Deo, vt mihi gratiam conferat ad reddendos alios de hoc puncto bene instructos; sunt enim plures, & plures animæ, quæ ad istum statum perveniunt, & paucæ, quæ inde progrediuntur, nescioque, cuius culpa; certe non deficit Deus, nam cum ipse præstiterit accessum ad hunc statum, non credo, cessant ab vlterioribus beneficijs, nisi ob culpam nostram.* Hactenus sapientissima virgo, quæ attribuit negligentiæ creaturæ, & impedimento ab ipsa posito, quod Deus illam

illam non eveħat ad ſuperiorem contemplationis ordinem; ſi vero ad altiorem illum gradum obtinendum neceſſaria eſſet phyſica prædeterminatio, & illa poſita, non poſſet creatura non aſſequi gradum illum, attribuenda potius eſſet hæc in elevatio ad perfectiorem gradum, ſeu hæc carentia ferventioris contemplationis, tribuenda, inquam, eſſet potius carentiæ talis prędeterminationis, ſine qua nullus vnquam donum illud obtinuit, nec obtinebit, immo nec obtinere poteſt, vt ſentit Schola noſtra, iure optimo, quia ſi prędeterminatio ſit requiſita, nulla voluntas ſine prędeterminatione ad actum *A.* habet potentiam ad illum ponendum à parte rei, quia non habet potentiam ad ponendum aliquod requiſitum, ſine quo non poteſt poni actus; & qui habet potentiam ad ponendum actum, debet habere ſub ſua poteſtate id ſine quo non poteſt poni actus. Fateor hoc teſtimonium non eſſe vrgentiſsimum pro noſtra ſententia, cæterum, quia quoddammodo ipſi favere videtur, & quia vel leve indicium huius virginis mirabilis pro noſtra ſententia magni haberi debet à Societate noſtra, ideo præallegatum teſtimonium retuli.

524 Et quia incidit ſermo de B. Thereſia, obiter adducere ſtatui aliud pro ſententia noſtra expreſſum teſtimonium alterius virginis, quæ fama ſanctitatis notiſsima in Hiſpania noſtra floruit, quamque mirantur vel doctiſsimi viri, ſapientioreſque Magiſtri, hæc eſt V. M. Maria à Ieſu Abbatiſſa obſervantiſsimi Conventus Immacul. Conception. de Agreda Ordinis Seraphici, in 2. part. ſuæ myſticæ civitatis, quæ continet vitam excelſam B. Virginis Matris Dei, quæ in hac 2. part. lib. 6. cap. 10. clare doctrinam Societatis tradit; ait enim auxilia, quibus Iudas pulſatus fuit, eſſe maiora, & robuſtiora in ſe, quam auxilia collata cæteris Apoſtolis, quod evidentiſsime falſum eſſet, ſi auxilia collata reliquis Apoſtolis, quibus reipſa perſeverarunt in Chriſti Sociatate, & Schola, fuiſſent prædeterminantia; è contra vero auxilia conceſſa Iudæ non eſſent prædeterminantia, ſed ſolum ſufficientia: certè, vt negari nõ poteſt, auxiliũ prædeterminans robuſtius eſt in ſe, & intrinſice, quam auxiliũ non prędeterminans; at, iuxta hanc mirabilem Virginem, auxilium datum reliquis Apoſtolis, quibus reipſa recte operati fuerunt, non fuit robuſtius, immo nec æque robuſtum, ac auxilium Iudæ conceſſum, quo reipſa male vſus fuit: ergo gratia, qua reipſa Apoſtoli recte operati fuere, non fuit prædeterminans. Et ne tollat, quod auxilium collatum cæteris Apoſtolis, quo bene vſi ſunt, ſit maius, & fortius in aliquo alio ſenſu, videlicet extrinſece, & ratione previsionis, ideo non ait abſolute, quod auxilium Iudæ conceſſum fuerit fortius, ſed tantum aſſerit, illud fuiſſe in ſe validius, & fortius. Vnum tantum monere volo, doctrinam contentam in his voluminibus, ab ipſaque V. M. traditam, eſſe doctrinam, vt ibidem dicitur, receptam à B. Virgine Cœlorum Regina, quæ ſervam ſuam docebat mira claritate, & exactione, adeò, vt omnia, quæ affert in ſuis operibus, à B. Virgine accepiſſe teſtetur, tum ipſa V. Mater Maria à Ieſu, quæ introducit Matrem Dei cum ipſa loquentem ipſamque cœleſti doctrinę lactice irrigantem verba autē illius tranſcribam prius vulgari idiomate, ſicut habentur in loco citato; poſtea tamen illa in latinum ſermonem vertam, vt ab eis etiam, quos Hiſpanicum idioma latet, percipi poſſint. Hæc enim ſunt verba, quibus nolumus aliam præſtare certitudinem, quam quæ in fide humana nitatur, vſque dum aliud à ſummo Eccleſiæ Paſtore decidatur.

525 *Paſsò el diuino Maeſtro à lauar à Iudas, cuya traicion, y aleuoſia no pudieron extinguir la caridad de Chriſto, para que dexaſſe de hazer con èl maiores demonſtraciones, que con los otros Apoſtoles: y ſin manifeſtarles ſu Mageſtad eſtas ſeñales, ſe las declarò à Iudas en dos coſas. La vna en el ſemblante agradable, y caricia exterior, con que ſe le puſo à ſus pies, y ſe los lavò, beſò, y llegò al pecho. La otra en las grandes inſpiraciones con que toco ſu interior conforme à la dolencia, y neceſsidad que tenia aquella depravada conciencia; porque eſtos auxilios fueron maiores en ſi miſmo con Iudas, que con otro de los Apoſtoles. Pero como ſu diſpoſicion era peſima; los habitos vicioſos intenſiſsimos, ſu obſtinaciõ endurecida con muchas determinaciones, el entendimiento, y las potencias turbadas, y debilitadas, y de todo punto ſe avia alexado de Dios, y entregado al demonio, y le tenia en ſu corazon como en trono, y ſilla de ſu maldad; con eſto reſiſtiò à todos los favores, y inſpiraciones que recibia en el lavatorio de los pies. Iuntòſe à eſto el temor, que tuvo à los Eſcriuas, y Fariſeos, de faltar à lo contratado con ellos. Y como à la preſencia de Chriſto exterior, y à la fuerça interior de los auxilios, queria la luz del entendimiento moverle, levantòſe en ſu tenebroſa conciencia vna borraſca turbulenta, que le lleno de confuſion, y amargura, y le encendiò en ira, y le deſpechò, y aparto de ſu miſmo Maeſtro, y Medico, que le queria aplicar la medicina ſaludable, y toda la convirtiò en veneno mortal, y yel amarguiſsima de maldad, que le tenia repleto, y poſſeido.*

In Latinum tamen ſermonem converſa

hæc

hæc ſunt formaliſſima? Proceſsit divinus Magiſter, vt lavaret Iudã, cuius proditio, & infamia minime potuerunt extinguere charitatẽ Chriſti, ne ipſi tribueret ſigna maioris benevolentiæ, quam reliquis Apoſtolis; & quin ſigna hæc reliquis manifeſtaret, ſoli Iudæ ea declaravit in duplici re. Prima, in vultu placido, exteriorique affectu, quo devoluit ſe ad pedes eius, eoſque lavavit, de oſculatus eſt, pectorique ſuo iunxit. Altera, in magnis inſpirationibus, quibus cor eius pulſavit, ſecundum vulnera, & neceſsitatem, quo laborabat depravata illa conſcientia; quia auxilia hæc robuſtiora fuerunt in ſe ipſis cum Iuda, quam cum alio quolibet Apoſtolorum. Verum quia diſpoſitio eius peſima quidem erat, habitus vitioſi intenſiſsimi, atque eius obſtinatio pluribus determinationibus induruerat, intellectus, & potẽtiæ debiles, turbatæque erant, immo pœnitus à Deo recedens ſe diabolo tradiderat, ipſumque in corde ſuo tanquam in throno, aut ſede iniquitatis ſuæ erexerat, ideo reſtit beneficijs, ac inſpirationibus, quas in pedum ablutione recipiebat. Acceſsit his timor, quem habuit Scribis, & Phariſeis, ſi pacto cum ipſis inito deficeret. Et cum externa Chriſti præſentia, interiorique vi auxiliorum lumen intellectus ipſius vellet ipſum movere, in ſurrexit in illa caliginoſa conſcientia tempeſtas quædam turbulenta, quæ illum amaritudine & confuſione replevit, in iramque accendit, & deſperationem, & avertit à proprio Magiſtro Medicoque, qui ſalutarem ei medicinam apponere cupiebat, totamque in læthale virus & fellem amariſsimam iniquitatis mutavit, qua poſſeſſus, & refertus erat. Hactenus V. hæc Mater.

526 Rurſus pluribus alijs in locis aſsignat indifferentiam auxiliorum quibus re ipſa aliqui operantur. Et in part. 2. lib. 6. cap. 5. num. 1089. affirmat Iudam habuiſſe auxilia ſpecialiſsima & vrgentiſsima, quamvis poſtmodum ſolum ei concederentur auxilia communia; & tamẽ reſtitit omnibus: ergo quia omnia auxilia, etiam illa, quibus ſpecialiſsime Deus vtitur ad pulſandum cor alicuius peccatoris, quem peculiari diligentia, maioribuſque beneficijs pulſat, & excitat, ſunt indifferentia, & quibus reſiſtere poteſt voluntas noſtra. Vlterius ſi Deus prædeterminaret voluntates hominũ, nullum vrgentiſsimum, & ſpeciale auxilium contuliſſet Iudæ, dum reſtitit omnibus illis vocationibus; ſi enim reſiſtit, ergo dona illa, ſeu auxilia minime erant prædeterminantia: ergo ſolum ſufficientia; ſi ſolum ſufficientia, & conſequenter talis naturæ, vt nulla voluntas cum illis operaretur vnquam, quamvis habuiſſet potentiam ad operendum, quid ſpeciale afferebant illa auxilia collata Iudæ, præ cæteris collatis reliquis hominibus? Sicut enim nihil ſpecialius affert vna prædeterminatio præ altera, quia ambo conectuntur eſſentialiter cum operatione, ita auxilia ſufficientia, cum quibus nullus operabitur, nihil notatu dignum afferre poſſunt, quod ſpeciale ſit in vno potius, quam in altero.

527 Demum ibidem num. 1138 evidentiſsime tradit ſententiam noſtram, dum docet, Phariſeos, & Iudam potuiſſe melius reſiſtere tentationi, qua inſtigati fuere ad perſequendum Chriſtum, cui tentationi ſuccubuere, quam conſilio, quo diabolus illis perſuadebat, vt Chriſtum iam non perſequerentur (vt ita fructus ex morti Chriſti percipiendos vitaret) & tamen huic conſilio reſtiterunt nolentes à peccato cepto reſilire. Vnde, ne primæ tentationi ſuccumberent, habebant maiorem vim, robuſtioreſque erant, & tamen ſuccubuere; in ſecundo caſu habebant debiliorem vim, & tamen reſtiterunt conſilio diaboli: ergo quia in hoc ſecundo caſu non habuerunt prædeterminationem phyſicam ad actum fugiendi illud conſilium diaboli, quem actum re ipſa elicuerunt; ſi enim prædeterminationem habuiſſent in hoc ſecundo caſu, quomodo verum eſſet illos nõ poſſe adeo facile reſiſtere in hoc ſecundo caſu, in quo reſtiterunt, quam in primo, in quo ſuccubuerunt? Siquidem in primo non habuerunt prædeterminationem, è contra vero in ſecundo. Manifeſtum ergo eſt ex his, & alijs pluribus teſtimonijs, quæ nunc omitto, V. hanc. M. divinitus, vt creditur, inſpiratam ſententiam Societatis tradere, eaque vti ſæpius, vt eius opera evolventi liquido conſtabit.

528 Eandem doctrinam habet ſol ille ſemper in Oriente refulgens, & indiarum Apoſtolus S. Franciſcus Xaverius, qui in lib. 3. epiſtolarum, epiſt. 5. ait: *Primum ſi vobiſcum reputetis, complures eſſe homines facinoroſos, qui ſi abſterſa ſuperioris vitæ quaſi fuligine, in eadem vbi vos eſtis Schola virtutis diuinitus collocarentur; non modo vitæ rationem commutarent, ſed etiã vos ſedulitate, & virtute non ſine veſtro pudore, præcurrerent.* Quod dictum ſimile eſt alio S. Franciſci de Aſis ſupra relato, vt expendit Ruiz diſp. 65. ſect. 12. num. 13. & 14. Eiuſdem Societatis doctrinæ præluxit ipſius Societatis egregius erector, & de vniverſa Catholica Eccleſia egregie meritus S. Parens Ignatius de Loyola in mirabili libello exercitiorũ ſpiritualium, vt late probat P. Henao event. 46. ann. 1230. Aliqua in contrarium opponit Vincentius Ferre, vt S. Parentem Ignatium à ſuæ Societatis doctrina vendicet, cæterum hac in re argumẽta Authoris, qui & P. Suarez & P. Henao

hæo allegat pro prędeterminatione, & contra doctrinam Societatis, cum tot volumina ediderint contra Thomistarum sententiam, & in confirmationem roburque doctrinæ Societatis; argumenta, inquam, talis Authoris potius sunt despicienda, quam solvenda.

529 Omissi in superioribus nobilem quendam Recentiorem ex Sacra Congregatione Carmelit. cuius resolutissima Schola in dies novo Doctorum lumine clarescit, omissi, inquam, illum quia nondum eius opera legeram; nunc tandem 3. volumen summa alacritate, & fructu evolvi; is est R. P. Iosephus Zagaglia, Sacrę Theologiæ Doctor sapientissimus, Sanctæ Inquisit. Consult. Examinator Synodalis, & in Romana Curia sui Religiosissimi, clarissimique Ordinis Procurator Generalis, qui lõga erudita, luculentaque disputatione scientiã mediam ex mẽte sui Resoluti Doctoris Bachonij commendat, & illustrat. Et in hac disp. quæ est 8. tom. 13. in sect. 2. ad finem numeri 9. ait, proposita quæstione hac inter nostros, & Dominicanos: *Hinc aperte protestor, vtpote minimus inter Scriptores, quod nec verbum quidem quoad hanc controuersiam interponere auderem, nisi suscepti oneris de prosequendo hoc Theologico cursu secundum mẽtem nostri Resoluti, me ad inuestigandum, an scientiam mediam, seu scientiam de conditionate futuris ante decretum diuinum agnouerit Doctor, & an eam vel expresse admittat, vel supponat, vel saltẽ an ex eius doctrina deducatur, impelleret.* Et postea in sect. 2. §. 3. n. 43. proponit hunc titulum: *Quod ex doctrinis Bachonij habeatur scientia media, ostenditur, & hanc dari in Deo cõprobatur.* Deinde num. 55. scientiam mediam vendicat ab errore Semipelagianorum, & convincit magna eruditione ipsam nõ pugnare cũ dictis S. Augustt. sed immo potius esse ex eius mente, & in num. 42. eiusdem §. 3. ait: *Ac proinde quod detur scientia media, est communis sententia neutralium, qui eam in discriminatim, & accerrime tuentur.* Sic exornat doctrinam Societatis gravissimus hic Author, quem non legisse dolerem, quia me illum legisse gaudeo.

530 Omissi etiam supra vbi de Seraphico Ordine B. Amadeum huius Seraphici Ordinis, quem in Bibliotheca Virginali, audio à viris sapientissimis eiusdem Sacræ Familiæ, sententiam nostram tradere, seu potius ipsi sententiam nostram tradi ab Angelo, quo cũ colloquia miscebat, & à quo cœlesti imbuebatur doctrina. Cæterum non potui legere verba ipsius, vel Angeli ipsi B. Amadeo proposita, ideoque solum ipsum fide doctissimorum virorum eiusdem familię allego.

531 Omito Academiarum suffragia pro sententia nostra, quia fuse satis habentur apud P. Henao tota eventil. 45. Paulum Leonardum, Borrul. Philalet.

§. XXXI.

Vltimum caput probandi gratiam efficacem non esse prædeterminantem, petitum à ratione.

532 DEnique à ratione evincitur gratiã efficacem non esse prædeterminantem, seu non esse entitatem aliquam antecedentem consensum salutarem antecessione connexa essentialiter cum consensus existentia. Id autem probatur, quia gratia Dei efficax est necessaria, vt homo salutariter operetur. At gratia prædeterminans non est necessaria vt homo salutariter operetur: ergo gratia efficax non est prędeterminans. Consequentia est evidens. Præmissæ seorsim probandæ sunt. Et imprimis maior apud omnes Catholicos in confesso est: & probatur primo, ex illo cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Ex illo Christi, Ioann. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: idest fieri non potest, vt veniat, quin trahatur, vt explicui sect. 7. §. 3. vbi ostendi in scripturis nomine auxilij Dei trahentis intelligi auxilium efficax, quo Deus facit, vt ad ipsum veniamus. Tertio ex illo Apostoli ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quarto ex illo Ezech. 36. *Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Vnde, vt supra num. 38. vidimus, Augustinus, & Prosper dixerunt: *Multa sunt in homine bona, quæ non facit homo; nullum tamen bonum fit ab homine, quod non faciat Deus, vt faciat homo.* Quare sicut impossibile est, vt homo rectè, & salutariter operetur, quin à Deo accipiat consensum salutarem; ita impossibile est, vt recte & salutariter operetur, quin Deus medio auxilio gratiæ prevenientis fecerit, vt salutariter operetur; & consequenter, quin ipsum per gratiam effiracem traxerit ad bene operandum.

533 Iam probanda est minor: ad cuius probationem suppono, iuxta adversarios physicam prædeterminationem à solius Dei nutu pendere, & respectu illius voluntatem creatam merè passivè se habere; cum enim iuxta adversarios impossibile sit, vt aliquid voluntas creata agat, quin à Deo prædeterminetur ad ita agendum, impossibile est, vt prædeterminatio

ad

ad primam operationem liberam, dependeat à voluntate creata, ita vt in poteſtate illius ſit illam habere, vel non habere; quia nec poteſt pendere ab operatione illa, ad quam datur; non enim prædeterminatur homo ad operandum, quia operatur, ſed vt operetur: neque poteſt pendere ab operatione alia priori, tum quia etiam ad illam operationem priorem eſſet neceſſaria alia prædeterminatio: & ſic vel admittendus eſt proceſſus in infinitum, vel deveniendum eſt ad aliquam prædeterminationem, quæ ita ad operandum impellat voluntatem creatam, vt nullo pacto ab illius nutu dependeat; nec poſsit voluntas creata facere, ne talis prædeterminatio exiſtat.

534 Quo ſuppoſito, iam probationem conficio: nam homini carẽti auxilio prædeterminanti ad obſervandum præceptum, v.g. diligendi Dei ſuper omnia, Deus præcipit, vt obſervet præceptum; nimirum, vt eliciat dilectionem Dei ſuper omnia: at homini carenti auxilio eſſentialiter prærequiſito ad eliciendã dilectionem Dei ſuper omnia, nec pro libito ſuo potenti illud acquirere, nequit Deus præcipere, vt eliciat dilectionem illam: ergo auxilium prædeterminans non eſt eſſentialiter prærequiſitum ad eliciendam dilectionem Dei ſuper omnia: ergo auxilium, ſeu gratia prædeterminans non eſt neceſſaria, vt homo ſaluãriter operetur. Maior conſtat; quia quando homo transgreditur præceptum diligendi Dei ſuper omnia, caret prædeterminatione ad illud obſervandum; & tamen tunc Deus illi præcipit vt eliciat dilectionẽ Dei ſuper omnia. Minor probatur: quia homini non habẽti ſub ſua poteſtate actum dilectionis Dei nequit Deus præcipere, vt actum illum eliciat; homo autem carens auxilio eſſentialiter prærequiſito ad elicientiam dilectionis, nec pro libito ſuo potẽs illud acquirere, non habet ſub ſua poteſtate actũ dilectionis: vt enim tanquam principium per ſe notum ſtatuit P. Suarez lib. 5. de grat. cap. 23. num. 8. *Impoſsibile eſt me habere in mea poteſtate effectum, niſi habeam actu, vel in mea poteſtate, quidquid eſt neceſſarium, vt effectus fiat.* Quod principium à nobis oſtenſum eſt ſupra in hac diſput. num. 157. & tract. 1. de Prædeſt. diſp. 3. ſect. 1. n. 13. & 14. & tom. 1. diſp. 13. ſect. 2. n. 29. ergo homini carenti auxilio eſſentialiter prærequiſito ad eliciendam dilectionem Dei, nec pro libito ſuo potenti auxilium illud acquirere nequit Deus præcipere, vt eliciat dilectionem Dei.

535 Probatur ſecundo eadem minor: quia Deus homini impoſsibilia non iubet, ideſt non iubet homini, vt faciat id, quod homini impoſsibile eſt facere. At Deus iuberet impoſsibilia; ſi prædeterminatio eſſet eſſentialiter prærequiſita ad eliciendam dilectionem Dei, & homini carenti tali prædeterminatione præciperet, vt eliceret talem dilectionem; præciperet impoſsibile: ergo, &c. Probatur ſequela minoris: quia vel præciperet, vt eliceret cum prædeterminatione, qua caret, & quam pro libito ſuo acquirere nequit; & hoc eſt præcipere illi id, quod ipſi impoſsibile eſt; quia poſsibile mihi non eſt, id eſt liberum, & ſub mea poteſtate, operari cum principio, vel medio, quod neque habeo, neque acquirere poſſum: vel præciperet, vt eliceret ſine prædeterminatione eſſentialiter prærequiſita ad illam elicientiam; hoc eſt præcipere aliquid chymæricum: quia chymæra eſt, quod homo eliciat dilectionem Dei ſine auxilio eſſentialiter prærequiſito ad eius elicientiam; & conſequenter ſine prædeterminatione, ſi prædeterminatio eſt eſſentialiter prærequiſita. Vel præciperet, vt eliceret dilectionem Dei in eo ſtatu, in quo nec eliceretur cum prædeterminatione, neque ſine prædeterminatione, id eſt neque cum prædeterminatione, neque cum carentia prædeterminationis, qui eſt ſtatus chymæricus: Ergo, &c. Conſulantur, quæ dixi ſupra in hac diſp. à num. 22. Quare ſi phyſica prædeterminatio feret neceſſaria ad operandum, homo carens prædeterminatione ad eliciendam dilectionem Dei, non haberet poteſtatem proximam abſoluram antecedentem ad illam eliciendam dilectionem Dei, ſed ſolum haberet potentiam quandam conditionatam ad eliciendam dilectionem, ſub conditione quod ad illam eliciendam prædeterminaretur.

536 Probatur ſecundo *gratiam efficacem non eſſe prædeterminantem*: nam per gratiam efficacem facit Deus, vt voluntas libere operetur; nequit autem Deus per prædeterminationem facere, vt voluntas libere operetur; vt oſtendi tom. 1. diſp. XI. ſect. 2. Vbi hoc argumentum confeci: *Actionem amandi exiſtere* à parte rei idem eſt ac phyſicam prædeterminationem actu influere in actionem amãdi; ſed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum, ne phyſica prædeterminatio actu influat in actionem amandi: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum, ne actio amandi exiſtat à parte rei: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi, ponit libere actionem amandi. Hæc vltima conſequentia eſt evidens: quia tunc ſolum voluntas ponit libere actionẽ amãdi, quando habet poteſtatem proximam antecedentem ad non ponendum, & conſequenter ad faciendum, ne actio amandi exiſtat à parte rei. Prima conſequentia, negari nequit, conceſsis præmiſsis; nam qui conceſsis præmiſsis, ne-

negarei conſequentiam; vi formę cogi poſſet ad concedenda duo contradictoria, arguendo contra ipſum ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis in hunc mundum: ergo *Voluntas aliqua* prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum ne actio amandi exiſtat à parte rei. Sed per te actionem amandi exiſtere à parte rei idem eſt ac phyſicam prędeterminationem actu influere in actionem amandi: ergo voluntas aliqua prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum ne phyſica prædeterminatio actu influat in actionem amandi. Quæ concluſio opponitur contradictoriè cum minori conceſſa in priori ſyllogiſmo. Et quidem hic ſecundus ſyllogiſmus, mutata maiore in minorē, eſt in *Dariſ*. Nam hęc propoſitio: *Actionem amandi exiſtere à parte rei, idem eſt ac phyſicam prædeterminationem actu influere in actionem amandi.* iuxta principia adverſariorum eſt in materia omnino neceſſaria, & ex terminis eſt nota, & æquivalet vniverſali affirmativę vnde conficitur hic ſyllogiſmus in *Dariſ*; *Actionem amandi exiſtere à parte rei:* (per ſe & ex terminis) *idem* eſt ac phyſicam prædeterminationem actu influere in actionem amandi; ſed per te aliqua voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum, ne actio amandi exiſtat à parte rei: ergo aliqua voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum ne phyſica prædeterminatio actu influat in actionem amandi.

537 Præmiſſas primi ſyllogiſmi ſecoſim probavi. Et in primis maior videtur manifeſta. nam actionem amandi exiſtere à parte rei, idem eſt ac oriri à voluntate creata, vt prædeterminata ad ipſam ponendam: nam ſicut per ſe ipſam habet eſſentialiter, & ex terminis oriri à voluntate creata, ita iuxta principia adverſariorum per ſe ipſam habet eſſentialiter & ex terminis oriri à voluntate vt prędeterminata. quia iuxta ipſos implicat, vt cauſa ſecunda operetur, niſi prædeterminetur à prima: idem autem eſt phyſicam prædeterminationem actu influere in actionem amandi, ac actionem amandi oriri à voluntate creata, vt prædeterminata. Minorem probavi: nam phyſicā prædeterminationem non influere actu in actionē amandi, ex terminis eſt, vel phyſicam prædeterminationem non exiſtere, vel ad illam iam exiſtentem, non ſequi actionem amandi (cum non ſit poſsibilis alius modus impediendi effectum alicuius principij), vel quaſi principij niſi vel impediendo exiſtentiam principij, vel faciendo, ne principium ſemel exiſtens ponat effectum) ſed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum ne exiſtat phyſica prædeterminatio, vel ne ad illam iam exiſtentem ſequatur actio amandi: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum, ne phyſica prædeterminatio influat in actionem amandi.

§. XXXII.

Præcluduntur effugia, quibus Modernus Prædeterminator vim ſyllogiſmi à nobis confecti contra prædeterminationem declinare tentauit.

538 Vldit hoc argumentum Vincentius Ferre recentiſsimus ſcriptor ē Sacra Prædicatorum Familia, ſicut & alia à me confecta contra ipſum, & tom. 2. in 1. 2. excuſſo an. 1681. à pag. 813 vſque ad 847. tacito meo nomine; in illis ſolvendis non parum laborat; & à §. 8. in omne latus ſe vertit, vt eius vim infringat. Et imprimis negat ſuppoſitum, nempe quod phyſica prædeterminatio influat in actionem amandi. Verum hæc evaſio frigida eſt, non enim vim facio in eo, quod prædeterminatio ſit cauſa, vel virtus, vel complementum virtutis, & conſequenter an eo quod influat vt *quod*; ſed permitto eſſe puram applicationem cauſę ad agendū & ſuppono id quod negari non poteſt, prædeterminationem aliquo tādem pacto influere in opus ad quod datur, ſive vt *quod*, ſive vt *quo*; ſive per modum virtutis, vel complementi virtutis, ſive per modum applicationis: quis enim neget gratiam efficacem aliquo pacto vere influere in operationem noſtram ad quam datur; ſiquidem per illam, vt inſtrumentum Deus vere facit, vt faciamus: A iuxta adverſarios gratia efficax conſiſtit in phyſica prædeterminatione; ergo negari nequit phyſicam prædeterminationem influere aliquo pacto in actionem, quæ vi illius ponitur à cauſa ſecunda, & de hoc influxu procedit argumentum.

539 Sed ne effugium hoc habeat illum locum, argumentum ſub alia forma propono; & ſic argumentor: Actionem amandi creatam exiſtere à parte rei, ex terminis eſt actionem amandi creatam oriri à voluntate creata, vt prędeterminata ad amandum. At nulla voluntas creata prædeterminata ad amandum habet poteſtatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi creata oriatur à voluntate creata, vt prędeterminata ad amandum: ergo nulla voluntas creata prędeterminata ad amandum habet poteſtatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi creata exiſtat à parte rei. Maior manifeſta; quia actio amandi creata perſe ipſam eſſentialiter habet oriri à voluntate

crea-

creata, vt applicata ad amandum. At per vos voluntas creata applicatur per prædeterminationem ad amandum: ergo actio amandi creata per ſeipſam eſſentialiter habet oriri à voluntate creata, vt prędeterminata ad amandū. Quod confirmatur; quia cum actionis non detur actio, actio amandi creata per ſe ipſam oritur à voluntate creata, vt mota à cauſa prima ad agẽdum: at per vos cauſa ſecunda movetur à prima per phyſicam prædeterminationem: ergo actio amandi creata per ſe ipſam oritur à voluntate creata, vt mota à cauſa prima per prædeterminationem: ergo per ſe ipſam oritur à voluntate creata, vt prædeterminata: ergo ex terminis in principijs Recentium Dominicanorum cum Magiſtro Bañez, idem eſt actionem amandi exiſtere à parte rei, ac actionem amandi oriri à voluntate creata, vt prędeterminata ad amãdum. Minor vero illius primi ſyllogiſmi probatur, quia nulla voluntas creata prædeterminata ad amandum habet poteſtatem antecedẽtem ad faciendum ne exiſtat illa prædeterminatio ad amandum, ſeu ad faciendum, ne ipſa ſit prędeterminata ad amandum: rurſus nulla voluntas creata prædeterminata ad amandum, habet poteſtatem antecedentem ad faciendum, ne ab ipſa, vt prædeterminata ad amandum oriatur actio amandi. Non eſt autem poſsibilis alius modus faciendi, ne oriatur actio amandi à voluntate, vt prędeterminata ad amandum, niſi vel faciendo, ne exiſtat prędeterminato, vel faciendo, vt quamvis exiſtat prædeterminatio, non oriatur actio amandi à voluntate, vt prædeterminata: ergo nulla voluntas creata prædeterminata ad amandum habet poteſtatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi creata oriatur à voluntate, vt prædeterminata ad amandum.

540 Secundo reſpondet num. 1498. negando minorem; minor erat: *Sed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amãdi habet poteſtatem antecedentem ad faciẽdum, ne prædeterminatio actu influat in actionem amandi.* Hanc dicit eſſe falſam, & reddit rationem: *Nam licet* (inquit) *ex parte rei operatæ non ſtet prædeterminationem exiſtere, & actu in actum amandi non influere; tamen ex modo operandi voluntatis contingentis, dum ſic influat in actum, quod poſsit non influere, poteſt voluntas antecedenter facere, quod prædeterminatio actu non influat in actum amandi: nam prædeterminatio ſic influit in actum amandi, quod non aufert modum operandi contingenter, quem ex ſe habet voluntas: modus autem operandi contingenter eſt ſic defacto operari, quod poſsit non operari: ergo modus operandi, & actu influendi prædeterminationis in actum, talis erit, quod licet ex parte rei operatæ non ſtet illam exiſtere, & actu non influere; tamen ex modo operandi poſsit non influere.*

541 Quod rurſus explicat: *Quia prædeterminatio ad actum amandi non influit in actum amãdi influxu diſtincto ab eo, quo voluntas in actum amandi influit, ſed eodem; non enim ſunt duo influxus, ſed vnus indiuiſibilis voluntatis prædeterminatæ: cum ergo voluntas prædeterminata ſic influat infallibiliter in amorem, quod poſsit non influere; ſiquidem adhuc prædeterminata voluntas ad amorem poteſt non amare, prædeterminatio ſic influat in amorem, quod poſsit propter contingentiam voluntatis, non influere, & in hoc ſenſu verificari poteſt, quod prædeterminatio ad amorem ſic influit in amorem, quod ex parte modi operandi voluntatis poteſt non influere, & ſic verificari poteſt, quod in ſenſu diuiſo poteſt voluntas facere, quod prædeterminatio ad amorem actu non influat in amorem.* Hæc ibi.

et inferius §. 9. num. 1504. idem repetit his verbis: *Licet nulla ſit poteſtas in voluntate ad faciendum, ne prædeterminatio in voluntate recipiatur, quia non recipitur in voluntate prædeterminatio liberè, ſed neceſſario; tamen voluntas prædeterminata ad actum amandi, dum ſic amat, quod poteſt non amare, ex modo amandi poteſt aliquo ſenſu impedire, quod prædeterminatio actu non influat in actionem amandi.*

542 Hanc tamen ſolutionem ſubſiſtere non poſſe, promptum eſt oſtendere. Primo, quia ſi ex parte rei operatę non ſtat prędeterminationem exiſtere, & actu non influere in actionem amandi: ergo voluntas non poteſt antecedenter facere, quod prędeterminatio actu non influat in actionem amandi: etenim prędeterminationem exiſtere, & actu non influere eſt chymæra: voluntas autem ex modo ſuo operandi non habet poteſtatem antecedentem ad chymæram: ergo voluntas non habet poteſtatem antecedentem ad faciendum quod prædeterminatio exiſtens, actu non influat in actionem amandi. Quarè cum aliundè certum ſit, quod non poſsit facere, ne exiſtat prædeterminatio; conſequens neceſſario fit, voluntatem prædeterminatam ad actionem amandi non poſſe in aliquo vero ſenſu facere, quod prædeterminatio actu non influat in actionem amandi.

Secundo, quia ſolutio data principium manifeſte petit, argumentum aſſumitur ad probandum, quod voluntas prædeterminata ad actionem amandi non habet poteſtatem ante-

ce-

cedentem ad faciendum, ne exiſtat actio amandi non habet poteſtatem antecedentem ad faciendum, ne exiſtat actio amandi, quia voluntas ſic prædeterminata, neque poteſt facere, quod non exiſtat prędeterminatio, neque poteſt facere, quod prædeterminatio exiſtens non influat, cum tamen non ſit poſsibilis alius modus impediendi influxum alicuius principij, vel quaſi principij, niſi vel faciendo, ne exiſtat tale principium, vel faciendo, ne tale principium exiſtens inducat effectum; quorum neutrum poteſt facere voluntas prædeterminata. Author modernus autem, quem impugnamus, vt ſolvat argumentum, ſupponit voluntatem prædeterminatam ad actionem amadi manere cum proxima poteſtate antecedenti ad non amandum: ex quo infert manere cum poteſtate antecedenti ad faciendum quod prædeterminatio actu non influat, quod eſt reſpondere argumento ſupponendo id, quod argumentum evertit, & principium manifeſte petere.

543 Deinde ex ijs, quæ ipſe verè affirmat, concluditur voluntatem prædeterminatam ad amandum non poſſe impedire ſuam actionem amandi, ac proide non libere, ſed neceſſario amare. Per te, & per veritatem, eadē eſt actio prædeterminationis, & actio voluntatis, quia cum per prædeterminationem Deus faciat, vt faciamus iuxta adverſarium, eadem-met actio amandi, quę oritur à voluntate, ſub eadem formalitate oritur à prædeterminatione, quia non oritur à voluntate, niſi vt prædeterminata; ſiquidem Deus per prædeterminationem non facit immediate, directe, & formaliter, vt Deus concurrat ſimultanee, ſed facit vt concurrat voluntas noſtra, & facit, vt faciat. Tunc ſic. Per te eadem indiviſibiliter & impreſcindibiliter eſt actio voluntatis creatæ, & actio prædeterminationis: ſed voluntas prędeterminata ad amandum non poteſt impedire actionem prædeterminationis; ergo neque poteſt impedire ſuam nempe ipſiuſmet voluntatis. Probatur minor, quia non eſt poſsibilis alius modus impediendi actionem alicuius principij, niſi vel faciendo, ne tale principium exiſtat, vel faciendo, ne ſemel exiſtens erumpat in actionem ſuam. At voluntas prædeterminata ad amandum, neque poteſt facere, ne exiſtat talis prædeterminatio, neque poteſt facere, ne illa ſemel exiſtens erumpat in ſuam actionem, nempe in actionem amandi, quæ indiviſibiliter eſt actio voluntatis, & prædeterminationis. Ergo voluntas prædeterminata ad amandum non poteſt impedire actionem prædeterminationis.

544 Nec habebat adverſarius, quid reſpondeat, niſi iterum petendo principium, & dicendo, quod voluntas prædeterminata ad amandum, poteſt ex modo ſuo operāndi impedire actionem prædeterminationis, quia habet potentiam antecedentem ad non amandum. Nos probamus non poſſe amare cum hac potentia antecedenti, quia non poteſt manere cū potentia antecedenti ad faciendum, vt exiſtat à parte rei chymæra; maneret autem cum hac potentia, ſi maneret cum potentia ad impediēdam actionem prædeterminationis: quia poteſtas ad impediendam actionem prædeterminationis, quæ non eſt poteſtas ad impediendam exiſtentiam prædeterminationis, eſt poteſtas ad faciendum, ne prædeterminatio erumpat in actionem prædeterminatam. Atqui prędeterminationem non erumpere in actionem prædeterminatam, eſt exiſtere à parte rei chymæram: quia chymæra eſt, quod prędeterminatio eſſentialiter inſeparabilis ab actione, ſeparetur ab actione: ergo poteſtas antecedens, manens iuxta adverſarium in voluntate prædeterminata ad impediendam actionem prædeterminationis, foret poteſtas ad faciendum, vt exiſtat à parte rei chymæra. Cum ergo repugnet poteſtas ad chymæram; conſequens neceſſario fit, voluntatem prædeterminatam ad amandū, non manere cum poteſtate antecedenti libera ad non amandum.

At reſpondebit hic Author ex principijs ſuis, & reliquorum Banniztarum, ſe non gratis ſupponere, quod voluntas prædeterminata ad amandum maneat cum potentia proxima antecedenti ad non amandum; quia nimirum voluntas prædeterminatur ad amandum liberè, & conſequenter ad amandum cum potentia proxima ad non amandum, quod autem prædeterminetur ad amandum libere probavit: *Quia* (vt ipſe inquit num. 1509. in fine) *prædeterminatio ad amorem requiritur indiſpenſabiliter, vt Deus ſit primum efficiēs, & voluntas creata ſecundum.*

545 Sed hęc reſpouſio, & principiū iterum petit, & repugnantiam involvit. Involvit repugnantiam: quia perinde eſt voluntatem phyſice prædeterminari ad amandum libere, ac voluntatem antecedenter neceſsitari ad amandum libere, cum enim prædeterminatio ſit neceſsitas, quædam vt exiſtat actus prædeterminatus, & ſit neceſsitas omnino antecedens noſtrum actum, quia eſt neceſsitas faciens nos cōſentire, ſeu neceſsitas, quæ cauſa eſt, vt res ſit, quia Deus prædeterminans voluntatem noſtrā ad conſenſum, quatenus ſic prędeterminans eſt cauſa cur conſentiat: idem omnino eſt Deum prædeterminare voluntatem ad cōſentiendum libere, ac Deum neceſsitare voluntatem ad cōſentiendum libere. At Deum neceſsitare voluntatem ad conſentiendum libere, repugnantiam involvit. Ergo Deum prædeterminare vo-

lun-

suntatem ad consentiendum libere, repugnantiam involvit. Idque constat ex doctrina Anselmi lib. 2. *cur Deus homo* cap. 18. vbi explicans, qualis sit necessitas cohærens cum libertate inquit: *huiusmodi necessitas non cogit rem esse, sed esse rei facit necessitatem esse: est namque necessitas præcedens, quæ causa est, vt sit res, & necessitas sequens, quam res facit.* Ergo cum necessitas proveniens à prædeterminatione, seu in prædeterminatione consistens, non sit necessitas, quam facit cõsensus noster, sed sit necessitas faciens, vt consensus noster sit, est necessitas præcedens, quæ cum libertate non cohæret.

546 Præterea responsio principium petit, dum supponit prædeterminationem requiri, vt Deus sit primum efficiens, & voluntas creata secundum: id enim falsissimum est 1. quæst. vt inquit Divus Thomas 1. contrag. cap. 68. *Dominium, quod habet voluntas in suos actus, per quod in eius potestate est velle, vel nolle, excludit determinationem virtutis ad vnum*; ac proinde excludit physicam prædeterminationem, per quam virtus voluntatis determinatur ad vnum: ergo physica prædeterminatio non est necessaria ad salvandum dominium Dei, & rationem primi principij respectu actus nostri liberi. Secundo id constat esse falsum; quia vt inquit idem Div. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. *Hoc est de ratione primi principij, quod possit agere sine auxilio superioris agentis, & influentia eius.* At quamvis voluntas creata non prædeterminetur à Deo ad eliciendum consensum salutarem, indiget auxilio superioris agentis, nempe Dei, & influentia eius ad illum eliciendum: ergo quamvis non prædeterminetur à Deo, non id circo erit primum principium consensus. Ergo sine sufficienti fundamento, & contra Diuum Thomam adversarij inducunt necessitatem physicæ prædeterminationis, vt voluntas creata operetur, tanquam agens secundum subordinatum primo.

547 Dices, ex Div. Thoma 1. ad Anibaldum dist. 47. quæst. vnica art. 4. *Quamvis contrarium eius, quod est volitum a Deo non possit stare cum voluntate divina, possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea propter contingentiam causæ mediæ, & hoc sufficit, vt effectus sit contingens, & non necessarius.* Ergo stat Deum decernere efficaciter, vt voluntas eliciat amorem, & quod simul habeat potentiam ad odium, vel saltem potentiam ad non amandum: ergo potest Deus efficaciter velle, vt voluntas eliciat libere amorem: nam velle, vt voluntas eliciat libere amorem, nihil aliud est, quam velle, vt eliciat amorem habens potentiam proximam antecedentem ad non amandum: ergo pariter poterit prædeterminare physice ad eliciendum libere amorem. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam: quia hoc ipso, quod Deus velit, vt voluntas operetur libere, vult vt ipsa se determinet, & quod non determinetur ab alio: vnde præfinitio efficax amoris, vt libere ponendi, est voluntas efficax non prædeterminandi ad amorem. Nam vt docet D. Thomas locis citatis supra in hac sect. à n. 146. & tom. 1. disp. 36. num. 43. & communis sententia Patrum, & Theologorum, ad libertatem requiritur, quod sola voluntas determinet seipsam, & non determinetur ab alio. Vnde, vt docet D. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. c. quando Deus vult, vt effectus aliqui eveniant contingenter, & libere, adaptat illis causas defectibiles, ideſt, quæ in operando possint deficere, seu quæ libere, & contingenter coniungantur cum effectu; voluntas autem, vt prædeterminata non est causa defectibilis, & contingens, sed indefectibilis, & necessaria: ergo quando Deus efficaciter vult, vt voluntas ponat libere amorem, vult vt illum ponat non prædeterminata. Vnde Div. Thomas gratiam efficacem posit in motione gratiæ prævenientis, cui voluntas resistere possit, seu cum qua possit coniungere dissensum, vt ostendi supra num. 149. ex quodlib. 1. artic. 7. ad 2.

548 Quare ex eo quod Deus possit efficaciter præfinire nostros actus liberos, honestos, & salutares, minime sequitur, quod possit ad eosdem physicè prædeterminare: nam præfinitiones communiter admittunt Societatis authores, & multi alij, qui vnanimi consensu negant physicam prædeterminationem. Et ratio est; quia præfinitio efficax non concipitur nisi præeunte scientia media de congruitate vocationis ad eliciendum consensum liberum. Vnde præfinitio est suppositio quodammodo consequens nostrum consensum, vt præviſum per scientiam mediam, ac proinde est impedibilis à nobis, sicut ipsa scientia media, & est principium remotum non requisitum minime immutans modum operandi voluntatis, & solum inducens auxilia congrua, vt late explicui in hoc tomo in tract. de Prædestinat. At physica prædeterminatio est suppositio omnino antecedēs immutans modum operandi voluntatis, eiusque virtutem determinans ad vnū ac proinde auferens indifferentiam proximam ad vtrumque, quæ libertatem constituit. Vnde si stante iudicio indifferēti Deus prædeterminationem immittat, stante iudicio indifferenti voluntatem necessitabit ad vnum præ alio faciendum.

(:)

§. XXXIII.

Detegitur debilitas argumenti, quo modernus prædeterminator contẽdit, ſyllogiſmum a nobis confectum contra prædeterminationem peccare contra Dialecticam.

546 TErtio conatur vim ſyllogiſmi à nobis facti eludere num. 1513. aſſerendo illum habere quintum defectum extrinſecum aſsignatum à M. Soto lib. 5. Sum. poſtremę editionis cap. 3. lect. vnica notabili 4. qui intervenit, *quando arguitur à non amplo ad amplum cum diſtributione ampli, ſiue affirmatiue, ſiue negatiue.* Aſſumptum probat: nam ſyllogiſmus à nobis confectus fuit hic: *Actionem amandi poni à parte rei*, eſt phyſicam prędeterminationem influere in actionem amandi. At nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem antecedẽtem ad faciendum, ne prædeterminatio influat in actionem amandi: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem ad faciendum, ne actio amandi ponatur à parte rei. In hoc autem ſyllogiſmo maior extremitas eſt illud complexum, *actionem amãdi poni à parte rei*, quod quidem complexum ẽ maiori propoſitione non ampliatur, cũ nullo ſigno ampliativo efficiatur: in conſequenti ampliatur per illud verbum *habet poteſtatem*, quod æquivalet verbo *poteſt*, & inſuper diſtribuitur in concluſione, cum illa negatio conſtituens propoſitionem illam vniverſalem negativam tranſeat in prædicatum, illud diſtribuendo: ergo arguitur à non amplo ad amplum cum diſtributione ampli. * Hæc ille.

550 Verum hæc obiectio frivola eſt. Antequam autem eius inanitatem detegã, oportet probare ſyllogiſmum illum eſſe rectum: & legitime concludere; & conceſsis præmiſsis nõ poſſe negari conſequentiam; quod non contingeret, ſi in illo argueretur à non amplo ad amplum. Nam quando ſic arguitur, conceſsis præmiſsis, negatur conſeq. vt cernitur in hoc ſophiſmate, quod ſophiſta quidam confecit adverſus Diogenem: *Quod ego ſum, non es: ego ſum homo: ergo tu non es homo*, & in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt animal; ſed equus non eſt homo; ergo equus non eſt animal.* In quo, conceſsis præmiſsis negari debet conſequentia: quia in maiori ly *animal*, non diſtribuitur: & diſtribuitur in conſequenti; quia de equo neg. in conſeq. omnis ratio animalis contenta ſub animali vt ſic; & in maiori non affirmatur de homine omnis ratio animalis contenta ſub animali vt ſic.

551 Qui perpenderit hęc & alia exempla adducta à M. Soto lib. 5. Sum. cap. 3. lect. vnica notabili 4. & à P. Fonſeca lib. 6. Inſtitut. Dialc. cap. 20. ad probandum, non valere argumẽtum, quando arguitur à non amplo ad amplum cum diſtributione ampli; manifeſtè comperiet ſimile vitium in noſtro ſyllogiſmo non reperiri: vt autem hoc magis conſtet, audiamus P. Fonſecam, qui in eo cap. 20. tradit duas regulas generales ijs verbis: *Generale documentum eſt, nullum terminum, qui non fuerit diſtributus in antecedenti, diſtribuendum eſſe in conſequẽti. Vnde cõtrario vitio laborat hic paralogiſmus: omne animal eſt ſenſus capax; omne animal eſt ſubſtantia; igitur omnis ſubſtãtia eſt ſenſus capax: etenim nomen ſubſtantia*, quod non diſtribuitur (ideſt non accipitur vniverſe) in aſſumptione, ſeu minore propoſitione diſtribuitur in concluſione. Similiter generale documentum eſt medium terminũ in altera ſaltem præmiſſarum complete diſtribuĩ debere, ideſt vniverſe accipi pro omni re, pro qua accipi poteſt. Contrario vitio labora hic ineptus ſyllogiſmus: quoddã animal eſt bipes: quidam equus eſt animal: igitur quidam equus eſt bipes. Quia ly animal non diſtribuitur in minori concluderet autem ſi diſtribuiretur ſub forma: *Quoddã animal eſt bipes; quidã equus eſt omne animal: ergo quidam equus eſt pipes.* Hic vere fallax ſyllogiſmus: *Omne animal fuit in arca Noe; Bucephalus eſt animal: ergo Bucephalus fuit in arca Noe.* Non ideo vitioſus eſt, quòd mediũ nõ diſtribuatur, ſed quod non diſtribuatur complete, ſeu perfecte: ſubiectum ſiquidẽ maioris ſolet accipi pro omnibus ſpeciebus animaliũ tereſtriũ; non etiã pro omnibus earum individuis. * Hæc ille. Manifeſtũ eſt autẽ in noſtro ſyllogiſmo non reperiri iſtum defectum.

552 Idque clariſsimè conſtat: nam maior noſtri ſyllogiſmi eſt ex terminis, & eſſentialiter vera, & eſt quaſi definitio explicans quiditatẽ rei. Si enim quæras, quid eſt actionẽ amãdi poni à parte rei? recte reſpõdebit iuxta adverſarios actionẽ amandi poni à parte rei idẽ eſt, ac actionẽ amãdi oriri à volũtate, vt prędeterminata ad amandũ: & conſequenter idẽ eſſe ac oriri ſuo modo à prędeterminatione: & cũ actionẽ amandi oriri à prędeterminatione idẽ ſit ac prædeterminationẽ influere actu in actionẽ amandi; inquirenti, quid ſit actionẽ amandi poni à parte rei, recte reſpondebis, idẽ eſſe ac phyſicã prędeterminationẽ actu influere in actionẽ amandi, ſeu idem ac voluntatẽ, vt phyſicè prædeterminatã actu influere in actionẽ amandi. Vnde maior ſyllogiſmi poteſt ac debet ſic exponi, actionẽ amandi poni à parte rei, eſſentialiter, & ex terminis eſt idẽ ac phyſicã prædeterminationẽ actu influere in actionẽ amandi, neque illa identitas eſt ſolũ realis, ſed eſt vir-

tua-

tualis, & formalis: eũ hoc quod est actionẽ amãdi oriri à voluntate, vt prædeterminata, sit formalissimè idẽ ac voluntatẽ quatenus prędeterminatam influere actu in actionem amandi; & hoc idem sit ac prædeterminationè suo modo actu influere in actionem amandi. Vnde maior illa cum sit omnino necessaria, & ex terminis, est vniversalis affirmativa. Vt enim docet P. Fonseca lib. 8. Instit. Dialect. cap. 48. n. 4. documento: *Vocabula propositionũ necessariarum amplissime accipiuntur, hoc est pro omnibus rebus etiam possibilibus, quas significant.* Vnde sicut in hac definitione, *homo est animal rationale*, ly *homo* supponit pro homine, qui est, qui fuit, qui erit, & qui potest esse: similiter in nostra propositione, *actionem amandi poni a parte rei*, idem est ex terminis, ac prædeterminationem influere in actionem amandi; illud complexum supponit pro omni actione amandi, præsenti, præterita, futura ac possibili.

553 Nosterque syllogismus similis est huic: amorem beatificum existere à parte rei, idem est essentialiter, & ex terminis, ac oriri à visione clara Dei: sed nullus Beatus habet potestatem ad faciendũ; ne amor beatificus oriatur à visione clara Dei: ergo nullus Beatus habet potestatem ad faciendum, ne amor beatificus existat à parte rei. At hic syllogismus legitimus est, & positus in secundo modo secundæ figuræ, nimirum in *Camestres*: quia maior est vniversalis affirmativa: minor & cõclusio sunt vniversales negativę, & medius terminus prædicatur in maiori & in minori. Ergo noster syllogismus est legitimus, & collocatus in *Camestres*. Similiter noster syllogismus similis est huic: hominem poni à parte rei; idem est formaliter, & ex terminis, ac poni animal rationale à parte rei: sed nullus Angelus habet potestatem ad faciendum, ne animal rationale ponatur à parte rei: ergo nullus Angelus habet potestatem ad faciendum, ne homo ponatur à parte rei. Postremo, vt alia omittam exempla, similis est huic: hominẽ resuscitare idem est, ac animam rationalem reunire corpori mortuo: sed nulla causa naturalis habet potestatem ad faciendum, vt anima rationalis reuniatur corpori mortuo: ergo nulla causa naturalis habet potestatem ad faciendum vt homo suscitetur. Tum sic in ijs syllogismis conclusio evidenter infertur ex præmissis: ergo & in nostro: ergo in nostro syllogismo non arguitur à non distributo ad distributum: siquidem quando sic arguitur, conclusio non sequitur ex præmissis; vnde illis concessis, negatur consequentia. At in nostro casu conclusio evidẽter infertur ex præmissis: & illatio fundatur in principio quodam per se noto, nimirũ quod quando duo conceptus sunt omnino idem realiter & formaliter, qui potest facere, vt existat vnus potest facere, vt existat alius, & qui est impotens facere, vt existat vnus, est impotens facere vt existat alius: ergo manifestissimũ est, in nostro argumento non argui à non distributo ad distributum.

554 Ratio autem cur non sic arguatur est duplex prima, quia in conclusione huius syllogismi: *Actionem amandi poni à parte rei, essentialiter & est terminis est, physicã prædeterminationem actu influere in actionem amãdi*; sed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet potestatẽ ad faciẽdum, ne physica prædeterminatio actu influat in actionem amanda: ergo nulla volũtas prędeterminata ad actionẽ amandi habet potestatẽ ad faciendũ, ne actio amandi ponatur à parte rei. In conclusione, inquam, huius syllogismi, non magis distribuitur, neque magis ampliatur illud complexũ: *Actionem amandi poni à parte rei*, quam in maiori: tum quia terminus ille vniversalis, *nullius*, immediate solum afficit prædicatum illius propositionis, quoad rectum illius, illudque distribuit, nempe, *potestatẽ*, & reddit sensum hunc. Nulla voluntas habet potestatẽ, ideſt nulla habet potestatem vllam, non autem afficit immediate obliquum illius prædicati, nempe terminum illius potestatis, ideſt ly *ad faciendum, vt actio amandi ponatur à parte rei*. Vnde complexum illud, *actionem amandi poni à parte rei*: non magis ampliatur in cõclusione, quam in præmissis. Tum quia in conclusione non potest magis per vllum signũ, distribui illud complexum, quam sit distributũ in maiori: nam in maiori illa, *actionem amãdi poni à parte rei, essentialiter & ex terminis est, &c.* Illud complexũ accipitur vniversaliter proomni actione amandi tum existente, tum præterita, & futura, tum possibili: non potest autem magis ampliari, quam per extensionem ad omnem omnino actionem amandi, nulla excepta.

§. XXXIV.

Ostenditur consequentiam nostri syllogismi esse formalem.

555 AT instat Ferre numero 1514. pagin. 846. nostrum syllogismum non esse rectum, quia eius consequentia non est formalis, sed ad summum est tantum materialis. Assumptum probat: *Ideo enim* (inquit) *supponit subiectum maioris pro possibilibus, quia illa propositio est necessaria, sed propositionem esse necessariam, pertinet ad ma-*

materiam, non ad formam: ergo ideò eſt bona, quia eſt in tali materia, & conſequenter ſolum erit bona conſequentia materialis, non formalis. Deinde: conſequentiam eſſe bonam, & formalem, eſt, quod teneat in omni materia, vt illa conſequentia non tenet in omni materia: ergo non eſt bona & formalis. Min. prob. In materia contingenti non tenet, cum in iſta materia non poſsit ſuppleri defectus arguendi à non amplo ad amplum cum diſtributione ampli, per hoc quod ſupponat ratione neceſsitatis pro poſſibilibus: ergo. Denique ſi illa conſequentia eſſet formalis, hæc etiam eſſet formalis: Homo eſt animal: ergo omnis homo eſt animal: cum in illa arguatur à ſubalterna ad ſubalternantem: ergo: Mai. prob. quia cum in hac antecedens ſit neceſſarium, ſubiectum ſupponit pro omnibus, pro quibus ſupponit in conſequenti: ergo eſſet formalis propter eãdem rationem. Sed omnes Dialectici ſupponunt, hanc conſequentiam tantum eſſe materialem, & eſſe materialem propter hanc rationem: ergo ſimiliter conſequentia moderni ad ſummum erit materialis, non formalis. Hæc ille.

556 Verum enim vero, quam debilia ſint hęc, facile conſtabit: in primis contra hunc Authorem adduco prudentem illam admonitionem Magiſtri Soto lib. 5. Summularum cap. 1. lect. 2. prope finem §. *Ex his ſequuntur*, nimirum, *quod non licet cuicumque negare conſequentiam eſſe ſyllogiſticam, videlicet, quia deficit aliqua conditio, quam ipſe finxerit, ſed ſi conſequentia eſt formalis virtute connexionis, per hoc probatur à poſteriori nullam deficere conditionem in ſyllogiſmo.* Tum ſic: At in noſtro ſyllogiſmo conſequentia eſt formalis virtute connexionis: ergo noſtra conſequentia eſt ſyllogiſtica, & conſequenter argumẽtum conceſsis pręmiſsis, concludit; vt enim inquit idem M. Soto lib. 5. Sum. cap. 1. lect. 1. *quando examinatur bonitas conſequentiæ, nihil refert veritas præmiſſarum.* Quando autem Ferre impugnat noſtram formam arguendi, permittit præmiſſas eſſe veras. Quas tamen eſſe veriſsimas ſatis ſuperque probavimus; & conſtat ex debilitate, & inanitate reſponſionum, quibus earum vim eludere conatur hic Prædeterminator, inſiſtens principijs Magiſtri Bañez, quæ procul ſunt à mente Div. Thomę. Vnde Patres Dominicani, quatenus defendunt phyſicas prædeterminationes ad noſtros actus libros, Thomiſt. non ſunt; & potius Banniztæ dicendi ſunt.

557 Quod autem conſequentia noſtri ſyllogiſmi formalis ſit virtute connexionis, ſuadetur: nam vt inquit M. Soto lib. 5. Sum. cap. 1. lect. 2. §. *Conſequentia: Materialis conſequẽtia eſt, quæ tenet ſolum in tali ſus terminis, & in tali materia: formalis, quæ tenet in quacumque materia, & quibuſcumque terminis eiuſdem formæ.* At noſtra conſequentia tenet in quacumque materia, & quibuſcumque terminis eiuſdem formæ: quia iuxta principia Prædeterminatorum, ſeu iuxta Prædeterminatores; omnis actio creata ſupponit eſſentialiter prędeterminationem, & eſſentiale eſt cuilibet actione, oriri à voluntate, vt prædeterminata; & conſequenter eſſentiale eſt cuilibet actioni creatæ, quod prædeterminatio actu influat in ipſam; vnde hæc eſt formalis conſequentia: actionem amandi exiſtere à parte rei, eſſentialiter & ex terminis eſt, phyſicam prędeterminationem actu influere in actionem amandi: ergo in omnem actionem amandi actu influit prædeterminatio: ſicut hæc eſt formalis conſequentia: exiſtere hominem eſt exiſtere animal rationale: ergo omnis homo eſt animal rationale: item iſta exiſtere amorem eſt amorẽ oriri à cognitionę: ergo omnis amor oritur à cognitione; & in omnẽ amorem influit cognitio, & ad quacumque materiã trahatur ſimilis forma, valebit conſequentia, vt patet in exemplis ſupra adductis, quibus oſtendimus in noſtro argumento non argui à non amplo ad amplum cum diſtributione.

558 Vnde quamvis hæ conſequentiæ ſint materialis: *Homo eſt animal, ergo omnis homo eſt animal: homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt rationalis: homo non eſt lapis, ergo nullus homo eſt lapis.* Tamen iſtę ſunt formales; exiſtere hominẽ eſt exiſtere animal; ergo omnis homo eſt animal: exiſtere volitionem eſt oriri à cognitione: ergo omnis volitio oritur à cognitione: eſſe album, eſt eſſe diſgregativum viſus: ergo omne album eſt diſgregativum viſus: exiſtere actionem amandi, eſt oriri à voluntate, vt prędeterminata: ergo omnis actio amandi oritur à voluntate, vt prædeterminata; & conſequenter in omnem actionẽ amandi influit prædeterminatio. Ratio diſparitatis eſt; quia vt inquit M. Soto vbi ſuper: *Conſequentia materialis eſt illa, quæ nõ tenet per aliquem dialecticum locum, ſed ſolum in tali materia.* Tales autem ſunt conſequentię prioris generis; quæ non tenent per aliquem dialecticum locum, quia nimirum ex vi terminorum in illis arguitur à nõ amplo ad amplum cum diſtributione; & ſimiles in modo arguendi ſunt huic: *Homo eſt albus: ergo omnis homo eſt albus*; vnde ratione formæ nõ tenent. At conſequent. poſterioris generis tenent in omni materia. Et ratio diſparitatis eſt; quia in conſequentijs poſterioris generis non ſolum ſubiectum connectitur cum prædicato; ſed ipſa

la propositio significat prædicatum esse de ratione subiecti; qui enim affirmat, idem esse existere, actionem amandi, ac oriri à voluntate, vt prædeterminata, affirmat, ortum à physica prædeterminatione esse de conceptu actionis amandi. Et ideò hæc propositio est falsa: existere hominem, est, hominem esse album, quia significat esse album esse de conceptu hominis. At qui dicit, *homo est animal* ex modo significandi non affirmat, animalitatem esse de conceptu hominis; quia simili enuntiandi forma, dicere potest, *homo est albus*. Vnde sicut hæc forma arguendi non est bona: *Homo est albus, ergo omnis homo est albus*: Ita nec illa: *Homo est animal, ergo omnis homo est animal*.

559 Adde, quod sicut hæc est bona, & formalis consequentia: homo essentialiter, & ex terminis, seu ex conceptu suo est animal, ergo omnis homo est animal. Ita hæc est formalis consequentia: actionem amandi existere à parte rei, essentialiter & ex terminis est, actionẽ amandi oriri à prædeterminatione: ergo in omnẽ actionẽ amandi influit prædeterminatio. Vnde in nostro argumento consequentia est formalis; quia modus ille affirmandi: *Actionem amandi existere à parte rei, idem est ac physicam prædeterminationem influere in actionem amandi*, significat, idem esse essentialiter, & ex terminis. Et illi termini à nobis sæpe repetuntur. Pone ergo syllogismum sub hac forma; & vide, an concessis præmissis, possit negari consequentia. Formasit: Actionem amandi existere à parte rei, essentialiter, & ex terminis est, actionem amandi oriri à voluntate, vt prædeterminata. At nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet potestatem antecedentem ad faciendum, vt actio amandi non oriatur à voluntate, vt prædeterminata ad actionem amãdi ergo nulla volũtas prædeterminata habet potestatẽ antecedentẽ ad faciendũ, vt actio amandi non existat à parte rei. Vide, an concessis præmissis, possit negari consequentia. Puto, quod non audebis negare, nisi velis cogi ad concedẽda duo contradictoria. Si enim concessis præmissis, negaveris consequentiã, sub inferã statim contradictoriã cõclusionis. Ergo aliqua volũtas prædeterminata ad actionẽ amandi habet potestatem antecedentẽ ad faciendum, vt actio amandi, non existat à parte rei, quæ propositio debet concedi ab eo, qui negavit eius contradictoriam. Tum sic. Per te actionem amandi existere à parte rei, essentialiter, & ex terminis est, actionem amandi oriri à voluntate, vt prædeterminata ad actionem amandi: sed per te aliqua voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet potestatem antecedentem ad faciendum, vt actio amandi non existat à parte rei: ergo per te aliqua voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet potestatem antecedentem ad faciendum, vt actio amandi non oriatur à voluntate, vt prædeterminata ad actionem amandi. Quæ propositio est contradictoria illius minoris, quam in primo syllogismo concesseras, quando concessis præmissis, negasti consequentiam. Ergo cogeris admittere, vt veras duas contradictorias. Videat nunc Vincentius Ferre, quo evadere possit.

560 Addo, quod quamvis Magister Soto lib. 5. Summularum capit. 1. lect ou. 2. §. *Consequentia* doceat, hanc non esse consequentiam formalem: *Homo est rationalis: ergo omnis homo est rationalis*: *Homo non est equus, ergo nullus homo est equus*. Quia in ijs deficit ille locus Dialecticus, seu illud principium, non arguendi à non amplo ad amplum: tamen multis contendit, quod consequentia ab inferiori ad suum superius, à definitione ad definitum, est formalis, vt ista: *Petrus est homo, ergo est animal*. Sic enim ait Soto: *Dialectici huius temporis censent consequentias materiales illas, quæ tenent ab inferiori ad suum superius, à definitione, ad definitum, & similes, vt Petrus est homo, ergo est animal. Nam dicunt in simili forma non valere, est homo, ergo est equus; Sed reuera gratis negatur, huiusmodi consequentias esse formales, cũ teneant in quacumque materiã, tam naturali, quam remota, quam contingenti. Vnde nos dicemus, has consequentias non esse similis formæ. Petrus est homo, ergo est animal: Petrus est homo, ergo est equus: Petrus est homo, ergo est animal rationale: Petrus est homo, ergo est animal album.* ✳ Nam illa habitudo inter inferius & superius, definitum & definitionẽ est intrinseca, & seruanda ad instandum in simili forma; gratis enim putant, quod sola identitas terminorum est intrinsece seruanda. Imò vero omnis habitudo terminorum, quæ exprimitur in aliquo loco arguẽdi locali est necessario seruanda in similitudine formæ. Et hæc est regula fundamentalis in hac materia. Sed consequentia materialis est illa, quæ nõ tenet per aliquem Dialecticum locum, sed solũ tenet in tali materia, *vt homo est rationalis, ergo omnis homo est rationalis*, à non distributo ad distributũ: *Homo non est lapis, ergo nullus homo est lapis*: quę consequentię solum tenent in materia naturali, & materia remota. ✳ Hæc ibi Soto, quæ fusè prosequitur.

561 Ex quibus contra Vincent. Ferre ita infero: ergo ex eo quod hęc consequẽs non sit formalis, sed tãtũ materialis: *homo est animal*,

ergo omnis homo eſt animal, quia in illa contra regulam Dialecticæ arguitur à non amplo ad amplum cum diſtributione; non infertur, quod hæc non ſit formalis: *Actionem amandi exiſtere a parte rei, eſt phyſicam prædeterminationem actu influere in actionem amandi*: Ergo qui non poteſt facere, vt phyſica prædeterminatio actu non influat in actionem amandi non poteſt facere, vt actio amandi non exiſtat à parte rei. Siquidem hæc conſequentia eſt à definito ad definitionem: vbi enim duo conceptus neceſſario, & mutuo identificantur, & ſunt impreſcindibiles, qui non poteſt impedire vnum, non poteſt impedire alium. At actionem amandi exiſtere à parte rei, & phyſicam prædeterminationem actu influere in actionem amandi, ſunt concepus mutuo identificati, & impreſcindibiles in principijs prædeterminantium: quia actionem amandi exiſtere, ex terminis, & impreſcindibiliter eſt, oriri à voluntate, vt prædeterminata: & actionem amandi oriri à voluntate, vt prædeterminata, idem eſt formaliſsimè, ac voluntatem, vt prædeterminatam ponere actionem amandi; voluntatem autem, vt prædeterminatam ponere actionem amandi, idem eſt ac phyſicam prædeterminationem ſuo modo actu influere in actionem amandi, ſive per modum complentis, ſive per modum applicantis virtutem amandi.

562 Ergo admiſsis præmiſsis illis: *Actionem amandi exiſtere a parte rei, eſt phyſicam prædeterminationem actu influere in actionem amandi* (& conuerſo phyſicam prædeterminationem actu influere in actionem amandi, eſt actionem amandi exiſtere à parte rei, ita vt illi duo conceptus ſint mutuo connexi, & identificati, atque impreſcindibiles, vt ego expendi tom. 1.) *ſed nulla Voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem antecedentem ad faciẽdum, ne phyſica prædeterminatio actu influat in actionem amandi*. Nequit ex vi formæ negari hęc conſequentia: *Ergo nulla Voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet poteſtatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi exiſtat à parte rei*. Manet ergo probatum, ſyllogiſmum à nobis confectum legitimum eſſe: nam vt definit ex Ariſtotele, & Petro Hiſpano, M. Soto, lib. 5. Sumular. cap. 1. lect. 2. §. *Igitur ſyllogiſmus*, eſt conſequentia formalis, in qua virtute connexionis medij cum extremitatibus, ſequitur connexio extremitatum inter ſe. Atque adeò tres conditiones ad rectum ſyllogiſmum requiruntur, teſte eodem Soto ibi. Prima quod conſequentia ſit formalis. Secunda quod antecedens conſtet ex duabus propoſitionibus debite dipoſitis in modo, & figura. Tertia quod talis conſequentia teneat ſolum virtute connexionis medij cum extremitatibus. Omnes autẽ iſta conditiones concurrunt in noſtro ſyllogiſmo. Nam primo conſequentia eſt formalis, vt oſtendimus. Deinde præmiſſæ illius diſpoſitę ſunt in modo, & figura; nempe in Cameſtres, qui eſt ſecũdus modus ſecundæ figuræ: quia maior eſt vniverſalis affirmativa, cum ſit ex terminis ipſis, & modo ſignificandi neceſſario vera, & minor eſt vniverſalis negativa; & in vtraque medium prędicatur. Et cõcluſio infertur ex vi connexionis antecedentis cum conſequentis: ex eo enim, quod ij duo conceptus ſint omnino idem realiter formaliter, nempe actionem amandi exiſtere, & phyſicam prędeterminationem, ſeu voluntatem, vt phyſicè prædeterminatam, actu influere in actionem amandi, neceſſario infertur, cauſam impotentem impedire vnum non poſſe impedire alium; ac proinde nullam voluntatem prædeterminatam poſſe facere, vt actio amandi non exiſtat, ſicut nulla poteſt facere, vt phyſica prædeterminatio non influat in illam.

§. XXXV.

Inſtauratur alius ſyllogiſmus à nobis factus contra prædeterminationes tom. 1. & oſtenditur omnino inſufficientem eſſe reſponſionẽ illi adhibitam à quodam Prædeterminatore Moderno.

563 SYllogiſmum illum opus eſt hic repetere, vt conſtet, quam debilis ſit reſponſio ei adhibita à Vincentio Ferre. Poſui diſputandi gratia, voluntatem potentẽ amare Deum ab ipſo prædeterminari ad actum incompoſsibilem cum amore, v. g. ad nolitionem amandi, quod iuxta adverſarios poſsibile eſt, & ſæpe contingit, vt abſtinerem ab illa quæſtione, an poſsibilis ſit pura omiſsio abſque aliquo actu poſitivo, qui cauſa ſit vel occaſio omittendi propter incompoſsibilitatem cũ actu præcepto. Et ſic argumentatus ſum tom. 1. diſput. XI. ſect. 2. num. 11. voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere vt actio amandi coniungatur cum prædeterminatione amoris: ſed actionem amandi exiſtere, eſt actionem amandi coniungi cum prædeterminatione amoris: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, nequit facere, vt actio amandi exiſtat: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, non libere, ſed neceſſario omittit amorem. Hæc ſecunda conſequentia eſt evidens, ſi prima concedatur. Prima vero eſt legitima, ſi præmiſſæ admittantur. Quod autem debeant admitti, probavi. Imprimis minor videtur clara; ſi-

qui-

quidem exiſtere actionẽ amandi, eſt coniungi cum voluntate, vt prædeterminata ad amandũ, & hoc eſt coniungi cum prædeterminatione. Rurſus, quia actio amandi eſt coniunctio ſui cum ſui cauſis, & cum omnibus eſſentialiter prærequiſitis ad ipſum, in quibus per ſe numeratur prędeterminatio amoris. Iam probatur maior. Voluntas prædeterminata ad nolitionẽ amoris, non poteſt facere, vt prędeterminatio amoris coniungatur cum actione amandi: ergo neque poteſt facere, vt actio amandi, coniungatur cum prædeterminatione amoris. Patet conſequentia, quia illa duo ſolum differunt pẽnes nomen activum, vel paſsivum. Probatur antecedens: voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, neceſſario, & abſque libertate caret prędeterminatione amoris, neque illam poteſt pro libito ſuo acquirere: ſed nulla potentia habet facultatem ad faciendum, vt forma, qua neceſſario, & abſque libertate caret, & quam pro libito ſuo nequit adquirere, coniungatur cum aliquo alio, vt videtur manifeſtum: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere, vt prædeterminatio amoris coniungatur cum actione amoris. Hoc eſt argumentum, breviter à nobis ibi propoſitum, quod nunc inſtaurandum, & confirmandum ſuſcipimus.

564 Videamus nunc, quid huic argumento reſpondeat Vincentius Ferre, ex tom. 2. pag. 842. à num. 1506. Imprimis me carpit, quaſi Thomiſtis imponam, quod admittant prædeterminationem ad omiſsionem. Sed quis adeò cœcutiat, vt non videat nolitionem amoris non eſſe idem, ac puram omiſsionem amoris, ad quam per ſe notum eſt Deum non poſſe prædeterminare voluntatem noſtram, cum omni prædeterminatio eſſentialiter reſpiciat pro termino entitatem poſitivam. Conſulto ergo locutus ſum de prædeterminatione ad nolitionem amoris, quia nolitio illa eſt actus poſitivus capax terminandi prædeterminationem, & aliunde neceſſario infert carentiam amoris.

565 Deinde reſpondet noſtro ſyllogiſmo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: *Actionem amandi exiſtere, eſt actionem amandi coniungi cum prædeterminatione; loquendo de exiſtere per ordinem ad primum poſſe, & ad ſecundum poſſe, quale eſt poſſe voluntatis creatæ, & poſſe Dei; concedo* (inquit) *minorem. Loquendo de exiſtere ſolum per ordinem ad voluntatem creatam, nego minorem, & diſtinguo conſequẽs: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionẽ amoris nequit facere, vt actio creata exiſtat, cum dependentia à prima, & à ſecunda cauſa, concedo conſequentiam: prout dependet ſolum à voluntate creata, nego conſequentiam.* Hæc ille.

Verum hæc ſolutio ſatis manifeſtat ad quas angoſtias redactus ſit eius author vi argumenti noſtri: coactus fuit enim concedere conſequentiam manifeſte abſurdam, quam vt conceſſam aſſumens ſic argumentor: *Per te voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, nequit facere, vt actio creata exiſtat cum dependentia à prima, & à ſecunda cauſa.* Id enim rotunde, & plane conceſsiſti: Ergo voluntas prędeterminata ad nolitionem amoris, nequit facere vt abſolute exiſtat actio creata à parte rei, & conſequenter non manet abſolutè potens amare: nam poſſe voluntatem creatam amare eſt poſſe elicere actionem amoris, ac proinde eſt poſſe facere, vt exiſtat actio creata amoris à parte rei. Probo primam conſequentiam, vnde cæteræ inferuntur: per te voluntas prædeterminata ad nolitionẽ amoris, nequit facere, vt actio creata exiſtat cum dependentia à prima, & à ſecunda cauſa. At actionẽ creatam exiſtere à parte rei, eſſentialiter & ex terminis, & formaliſsimè eſt exiſtere cum dependentia à prima & à ſecũda cauſa: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionẽ amoris nequit facere, vt abſolutè exiſtat actio creata. Cõſequentia eſt evidens. Maior à te expreſſe conceſſa eſt, & minor eſt ex terminis nota: quia actio creata (amoris ſcilicet) per ſe ipſam eſſentialiter eſt ens participatum à Deo, & per ſe ipſam eſt eſſentialiter vitalis; ac proinde per ſe ipſam dependet eſſentialiter à cauſa prima, & à ſecunda, nempe à voluntate creata.

566 Quapropter eſt manifeſta implicatio in terminis, quod aliqua actio per ſe ipſam immediate, & eſſentialiter dependeat à pluribus cauſis, & quod cauſa ſimpliciter potens facere, vt illa actio exiſtat à parte rei, non poſsit facere, vt exiſtat cum dependentia ab omnibus illis cauſis; quia poteſt facere, vt exiſtat cum ſua eſſentia, & eius eſſentia eſt dependentia actualis ab omnibus ſuis cauſis. Sic voluntas noſtra nequit facere, vt exiſtat actio charitatis à parte rei, quin faciat, vt exiſtat cũ dependentia ab habitu charitatis, vel ab alio principio, à quo elevatur ad illam eliciendam. Sic intellectus Beati nequit facere, vt exiſtat viſio beata, quin faciat, vt exiſtat cum dependentia à lumine gloriæ. Et generaliter voluntas creata vtens habitibus, cum vult, non facit, vt exiſtat actio, quin faciat, vt exiſtat cum dependentia ab habitu, quo vtitur ad actionem illam eliciendam. Sic potentia cognoſcitiva, quæ nequit elicere notitiam obiecti, quin obiectum concurrat, vel per ſe ipſum, vel mediante ſpecie; hoc ipſo quod faciat notitiam exiſtere, fa-

cit vt exiſtat cum dependentia ab obiecto, vel ab ſpecie.

567 Et quidem hic Author dum pag. 842. num. 1506. illam propoſitionem conceſſit, oblitus fuit eorum, quę paulò ante, nempe pag. 839. num. 1498. dixerat veriſsime, ſcilicet: *Prædeterminationem ad actum amandi non influere in actum amandi influxu diſtincto ab eo, quo Voluntas in actum amandi influit, ſed eodem: non enim* (inquit ille) *ſunt duo influxus, ſed Vnus indiuiſibilis Voluntatis prædeterminatæ.* Ergo idem eſt formaliſsime, voluntatem poſſe facere, vt actio amandi oriatur ab ipſa, ac poſſe facere, vt oriatur ab ipſa quatenus prędeterminata: quia non poteſt facere, vt oriatur ab ipſa tanquam ab agente primo, ſed tanquam ab agente ſecundo operante cum dependentia à primo, & conſequenter à ſe ipſa, tanquam ab agente ſecundo applicato per actionem agentis primi ad agendum: ergo exiſtentia actionis creatæ adhuc ſumpta per ordinem ad volũtatem creatam, eſt impreſcindibilis à dependẽtia à prima cauſa. Vnde diſtinctio illa adhibita ab hoc authore ad minorem noſtri principalis argumenti, eſt deſubiecto non ſupponente; ſupponit enim ordinem chymæricum, nimirum quod *exiſtere actionis creatæ*, poſsit accipi ſolum per ordinem ad voluntatem creatam. Affirmat enim: *Actionem amandi exiſtere, idem eſſe ac actionem amandi coniungi cum prædeterminatione*, loquendo de exiſtere per ordinem ad primum *poſſe*, & ad ſecundum *poſſe*, ideſt ad *poſſe* Dei, & *poſſe* voluntatis creatæ; negat tamen idem eſſe *actionem amandi exiſtere, & actionem amandi coniungi cum prædeterminatione*, loquendo de exiſtere ſolum per ordinem ad voluntatem creatam: ergo ſupponit, exiſtere actionis creatæ, ſeu exiſtentiam actionis creatę poſſe accipi per ordinem ad ſolam voluntatem creatam, quin accipiatur per ordinem ad Deum; quod tamen eſt chymęra; quia exiſtentia actionis creatæ reduplicativè quatenus oritur à voluntate creata, dependet à Deo, quia vt ſic dependet à voluntate creata, vt prædeterminata à Deo.

568 Pro maiori intelligentia nota, iuxta Prædeterminatores Deum duplici concurſu concurrere cum voluntate creata, & cum quacumque cauſa ſecunda, nimirum concurſu ſimultaneo, vi cuius omnis actio creaturæ immediate oritur à cauſa prima, ſicut immediate oritur à cauſa ſecunda: & concurſu prævio, vi cuius Deus facit, vt voluntas creata cooperetur cum omnipotentia ad talem effectum, & actionem; neque enim Deus prædeterminat ſuam omnipotentiam, vt ſimultanee concurrat cum voluntate creata; ſed prædeterminat voluntatem, vt ſimultanee concurrat cum omnipotentia. Vnde in illorum ſententia omnis actio creata eſſentialiter dependet à Deo, vt concurrente ſimultanee cum voluntate; & vt concurrente prævie media prædeterminatione phyſica, per quam facit, vt voluntas creata faciat, & cooperetur ſimultanee cum omnipotẽtia. Vterque autem Dei concurſus eſt iuxta illos eſſentialis omni effectui, omnique actioni creatæ. Neque enim Deus concurrit ſimultanee ad effectum creatum per actionem diſtinctam ab ea, per quam concurrit cauſa ſecunda, ſed per eandem indiviſibilem; ſi enim concurreret per diſtinctam, iam daretur aliquod ens creatũ non dependens immediate ab omnipotentia, nempe actio creaturæ: & ſic facile ferer ſententiam Durandi defendere.

569 Quapropter omnis actio creaturę eſt etiam actio omnipotentiæ eſſentialiter & impreſcindibiliter: ſiquidem repugnat actio creaturæ, quæ non ſit ſimul actio Dei: è contra vero actio Dei quatenus actio Dei non eſt formaliter actio creaturæ; cum enim poſsit Deus agere ſine cauſa ſecunda; conceptus actionis Dei præſcindit ab eo, quod inſuper ſit actio creaturę. Hinc manifeſte infertur, non minus eſſe de conceptu actionis cauſæ ſecundæ oriri immediate ab omnipotentia, & à Deo immediatè dependere, quam ſit de conceptu hominis, quod ſit animal rationale; ideo enim hoc eſt de conceptu hominis, quia repugnat, vt detur homo, qui non ſit animal rationale. Ita etiã repugnat, vt detur actio cauſæ ſecundæ, quæ ſimul non ſit actio Dei. Ergo pariter eſt de conceptu actionis cauſę ſecundæ, quod ſit actio Dei, & conſequenter quod exiſtat cum dependentia à Deo, quoties exiſtit. Ergo quorieſcũque voluntas creata habet poteſtatem ad faciẽdum, vt exiſtat actio amandi à parte rei, habet poteſtatem ad faciendum, vt exiſtat cum depẽdentia à Deo, vt concurrente ſimultanee ad ipſam; & vt exiſtat cum dependentia à Deo, vt prædeterminante. Et quamvis in actione cauſę ſecundæ poſſumus præſcindere conceptum dependentis ab ipſa voluntate à conceptu dependentis à Deo ſimultanee concurrente in illam: tamen non poſſumus pręſcindere à conceptu dependentis à Deo, vt prædeterminante; ſiquidem iuxta adverſarios, cauſa ſecunda non poteſt concipi, vt actum ſluens, quin concipiatur, vt prædeterminata ad agendum. Ergo ex terminis voluntatem creatam poſſe facere, vt actio amandi coniungatur cum ipſa voluntate, eſt poſſe facere, vt coniungatur cum prædeterminatione, quia eſt poſſe facere, vt coniungatur cũ ipſa voluntate. Ergo etiã loquẽdo de exiſtere per ordinem ad *poſſe* voluntatis creatæ, idẽ eſt formaliſsimè voluntatẽ creatam poſſe facere,

vt actio amandi existat cum dependentia ab ipsa voluntate, ac posse facere vt existat cum dependentia à Deo: ergo ex terminis hæc propositio est vera, *actionem amandi existere à parte rei, est actionem amandi coniungi cum prædeterminatione*; neque locum habere potest distinctio huius Authoris de existere per ordinem ad primum *posse*, & simul ad secundum *posse*, id est, per ordinem ad *posse Dei*, & ad *posse* voluntatis creatæ; & de existere solum per ordinem ad voluntatem creatam; cum chymæra sit, quod actio amandi existat per ordinem ad voluntatem creatam, quin sub hac expressione existat per ordinem ad Deum vt prædeterminantem voluntatē creatam ad agendum. Vnde non solum est essentialiter vera illa propositio: *Actionem amandi existere a parte rei, est actionem amandi coniungi cum prædeterminatione.* Sed etiam ista: *Actionem amandi existere à parte rei per ordinem ad voluntatem creatam, est actionem amandi coniungi cum prædeterminatione.* Quia est coniungi cum voluntate vt operante, & nō operatur voluntas creata nisi quatenus prædeterminata: vnde existere actionem amandi à parte rei per ordinem ad voluntatem creatam, est oriri à voluntate creata vt prędeterminata: at oriri à voluntate creata, vt prædeterminata, est coniungi cum prædeterminatione: ergo actionem amandi existere à parte rei per ordinem ad voluntatem creatā, ex terminis est actionem amandi coniungi cum prędeterminatione.

570 Hinc contra hunc Authorem duplex conficio argumentum, quo evincitur, solutionem ab ipso datam esse innanem; ipsumque, eam exhibendo, potius succumbere argumento, quam illud solvere. Primum sic efformo. Per se, *actionem amandi existere* per ordinem ad causam primam & secundam simul, idem est formalissime, ac actionem amandi coniungi cum prędeterminatione: At actionē amandi secundum se existere, ex terminis est existere in ordine ad causam primam & secundam simul: ergo actionem amandi secundum se existere, ex terminis est coniungi cum prædeterminatione. Sed per se voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere, vt actio amandi coniungatur cum prædeterminatione amoris: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere vt actio amoris secundum se existat: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, non liberè, sed necessariò omittit amorem.

Secundum argumentum sic efformo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris per se potest facere vt existat actio amandi per ordinem ad voluntatem creatam; sed actionem amandi existere per ordinem ad voluntatem creatam, est ex terminis oriri à voluntate creata, & cum illa coniungi: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, potest facere vt actio amandi oriatur ab ipsamet voluntate creata; & cum ipsa coniungatur. Tum sic: At actionem amandi oriri à voluntate creata, & cum illa coniungi, est ex terminis oriri ab illa vt prędeterminata, & coniungi cum illa vt prædeterminata: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, potest facere, vt actio amandi oriatur ab ipsamet voluntate vt prædeterminata, & cum illa vt prędeterminata coniungatur; & consequenter potest facere vt coniungatur cum prædeterminatione amoris. Quod tamen tu negaveras. Cogeris ergo concedere contradictoria.

§. XXXVI.

Ostenditur, syllogismum à nobis factum inepte instari in principijs Societatis.

571 SED Pergit citatus Recentior, & pag. 842. num. 1507. & affirmat, argumentum à nobis factum in principijs Societatis habere manifestam instantiam. * *Etenim* voluntatem actu amare (inquit) in sententia Societatis, est coniungere actum cū auxilio divino, quod per scientiam mediam prævidetur voluntas amatura: sed habere tale auxilium, de facto non est in potestate voluntatis; cum Deus sic det illud, quod possit non dare: ergo de facto amare non est in potestate voluntatis creatæ, & sic non liberè amabit. Præmissæ sunt veræ, & consequens est falsum. Non est ergo bona consequentia in principijs Societatis: *Amorem existere, est actum amandi coniungi cum auxilio prævisō per scientiam mediam, quod ipso de facto voluntas amabit: sed non est in potestate voluntatis creatæ habere de facto tale auxilium: ergo non est in potestate voluntatis amare.* Sic ergo non benè valet: *Amorem existere à parte rei, est actum amandi de facto coniungi cum prædeterminatione ad amandum: sed non est in potestate voluntatis creatæ coniungere actum amandi cum prædeterminatione: ergo non erit in potestate voluntatis amare.* Tenemur ergo in vtraque Schola solvere eandem difficultatem, vt salvemus voluntatem liberè posse amare. Hactenus ille.

572 Verum hæc instantia non aprè, sed cōfusè & valde obscurè proponitur. Deinde quamvis proponeretur dilucidè, nihil obtineret, quia procedit ex non penetratione sententiæ Societatis; qua explicata & probè intelle-

rellecta, evidenter conſtabit inſtantiam eſſe frivolam, & nullius momenti.

Defectum perſpicuitatis in proponenda inſtantia cum aliquo colore & apparitia, ego ſupplebo. Nos confecimus argumentum in homine prædeterminato ad nolitionem amoris ad probandum, hominem illum non movere cum poteſtate proxima antecedente ad amandum, & implendum præceptum amandi. Inſtantia vt proponatur dilucide, debet deſumi à voluntate noſtra libere eliciente nolitionem amoris, quando vrget præceptum amandis, & ſic debet repręſentari: *Amorem exiſtere, eſt actum amandi coniungi cum auxilio* prævi ſo congruo per ſcientiam mediam, id eſt cum auxilio, de quo per ſcientiam mediam Deus prævidet de facto coniungendum cum amore. Sed voluntas, nolens amare, vel omittens amorem præceptum non habet poteſtatem ad faciendum, vt actus amandi coniungatur cum auxilio prævio congruo per ſcientiam mediã, (ſiquidem non habet poteſtatem ad faciendũ, vt exiſtat auxilium, quod Deus per ſcientiam mediam prævidit fore congruum; cum hoc ſolo Deo liberum ſit) *quia voluntas nolens amare, vel amorem præceptum non habet poteſtatem ad faciendum vt exiſtat amor.* Hoc argumentum fallax eſt. Ergo ſimiliter erit fallax iſtud aliud: *Amorem exiſtere eſt actũ amandi coniungi cum phyſica prædeterminatione ad amandum: ſed voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi, non habet poteſtatem ad faciendum vt actus amãdi coniungatur cum phyſica prædeterminatione ad amandum (ſiquidem non habet poteſtatem ad faciendum vt exiſtat prædeterminatio ad amandum, cum hæc ſoli Deo libera ſit) quia voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi non habet poteſtatem ad faciendum, vt exiſtat actus amandi.*

573 Sed quamquam ita clarius, & formalius proponatur inſtantia; illa tamen nullius roboris eſt; cum detur manifeſta & evidens diſparitas. Pro qua nota primo, in ſententia Societatis non diſtingui intrinſecè & entitativè auxilium ſufficiens, per quod voluntas potens eſt proxime operari, ab auxilio efficaci, cum quo de facto operatur, ſed ſolum extrinſecè; quia nimirum entitas auxilij ſufficientis dicitur efficax, cum ſubeſt ſcientiæ mediæ repræſentanti operationem futuram ſub illo auxilio, ſi detur tale auxilium; & eadem entitas dicitur inefficax, quando coniungitur ſcientiæ mediæ repræſentanti operationem non futuram ſub illo auxilio, quamvis tale auxilium detur. Quod autem Deus ſciat operationem futuram ſub illo auxilio, vel ſciat non futuram, non eſt liberum ipſi Deo; ſed eſt liberum voluntari creatæ, poſtquam habet auxilium illud, per ipſum conſtituitur proxime potens operari, quia quod ſuppoſita proxima indifferentia ad vtrumque, voluntas ſe determinet potius ad nolitionem, quàm ad volitionem, vel è contra, non eſt ab alio determinante, ſed vnicè à voluntate vt determinãte; vt clarè docet S. Thomas ſupra citatus pag. 99. n. 145. & toto illo §. X. & communis conſenſus Patrum & Theologorum, quos citavi in tota hac ſectione à n. 136. & in hoc eodem tom. tract. de Prædeſt. diſp. 3. ſect. XI. à num. 146. tom. 1. pag. 518. n. 14. & pag. 529. n. 43. & late oſtendit P. Suarez lib. 3. de grat. à cap. 43. vſque ad 50. vnde cum ſcientia media eſſentialiter ſupponat, voluntatem creatam ſe determinaturam pro ſuo libito ad ſpeciem amoris, potius quàm ad exercitium oppoſitum, ſub conditione, quod pulſetur tali auxilio indifferenti; vel è contra ſe determinaturam ad exercitium oppoſitũ amori, potius quàm ad amorem; ſcientia mediæ ſoli voluntati creatæ libera eſt poſito auxilio; quia ſoli voluntati creatæ ſuppoſita proxima indifferentia ad vtrumque, liberum eſt, quod exiſtat vnum exercitium præ oppoſito: quia hoc ipſo quod Deus voluit illam relinquere in manu conſilij ſui, voluit vt ipſa ſe determinaret ſuppoſita proxima potentia, & non determinaretur ab aliquo alio, id eſt, neque ab agente alio creato, neque ab ipſo Deo: vnde ipſa proxima poteſtas voluntatis creatæ ad amandum involuit decretum indifferens, quo Deus paratus eſt concurrere cum voluntate vel ad amorem, vel ad exercitium oppoſitum.

574 Hinc notandum eſt ſecundo in ſententia Societatis, nihil mediare inter actum primum proximum ad amandum & non amãdum, & ipſam actionem amandi; ſed liberum eſſe voluntati tranſire immediate de actu primo ad actum ſecundum vi proprię virtutis electivæ, & omnipotentiæ ſibi applicatæ per decretum indifferens. Quia dum eſt in actu primo proximo habet omnia prærequiſita neceſſaria tum ad exercitium amoris, tum ad exercitium oppoſitum, & cum omibus illis prærequiſitis poteſt coniungere alterutrum exercitium. Vnde quod voluntas habens auxilium ſufficiens ad eliciendum amorem præceptum, omittat amorem eliciendo exercitium oppoſitum, vnicè imputandum eſt ipſi voluntati, & vitio illius fit, vt accipiendo auxilium illud pleniſsime ſufficiens, non acceperit auxilium congruum & efficax ad amorem; quia ſi illa, vt potuit, coniungeret immediatè actionem amandi cum illi auxilio, illudque redderet efficax in actu ſecundo, Deus conferendo illedmet auxilium, contuliſſet auxilium congruum;

quia

quia contulisset auxilium prævidens fore efficax.

575 Notandum tertio est; licet voluntas creata non possit facere, vt Deus conferat auxilium, quod prævidit fore efficax, quia soli Deo liberum est suppositâ scientia media habere decretum collationum auxilij: ex suppositione tamen quod Deus dederit auxilium, posse illud facere efficax, & determinare obiectivè Deum, vt ante collationem auxilij habuerit scientiam de efficacia; nam vt Deus prior ad collationem auxilij *A.* habeat potius scientiam mediam affirmantem, quàm negantem, supponi debet ordine rationis, quod voluntas creata posito auxilio se determinabit potius ad amandum, quàm ad omittendum amorem. Vnde licet voluntas creata non determinet ad existentiam auxilij, tamen determinando, suppositio auxilio ad omissionem amoris præcepti, determinat ad hoc, quod Deus ante decretum collativum auxilij habuerit scientiam de inefficacia: quia vero actus primus proximus ad omittendum præscindit ab omissione, & ab amore, & potest attento actu primo voluntas ponere amorem; potest voluntas in eo instanti, in quo omittit amorem, habere auxilium congruum ad amandum; non quidem determinando ad existentiam auxilij, sed determinando ad scientiam mediam congruitatis, per quam auxilium constituitur efficax in actu primo, id est habiturum effectum.

576 Denique notandum est, scientiam mediam non esse necessariam vt voluntas nostra operetur, quia eodem modo operaretur, quamvis Deus per impossibile careret scientia media: & si enim Deus quando confert auxilium, ignoraret quid reipsa factura sit voluntas sub illo; per hoc præcisse quod conferret auxilium, & offerret voluntati concursum ad amorem, & ad exercitium oppositum, relinquendo electioni voluntatis, quod concursu sibi oblato vtatur potius ad hoc extremum, quàm ad oppositum; voluntas nostra eodem modo operaretur. Quare scientia media solum est necessaria ne Deus cœco modo procedat, & vt conferat auxilium cum perfecta providentia. Vnde licet existere amorem ex terminis sit in sententia prædeterminantium coniungi cum prædeterminatione, quia operatio nostra iuxta illorum sententiam essentialiter supponit prædeterminationem; tamen in sententia Societatis, amorem existere non est ex terminis ipsius amoris, & attenta exigentia illius, non est, coniungi cum scientia media; sed solum est coniungi cum actu primi proximo constituto per existentiam auxilij & decreti oblativi concursus, & per potentiam voluntatis. Attenta autem insuper exigentia intellectus divini & perfectæ providentiæ; amorem nostrum existere est coniungi cum auxilio indifferenti vt collato cum scientia media cõgruitatis futuræ.

577 His præ notatis patet evidens disparitas inter sententiam nostram, & prædeterminantium, nam in illorum sententia voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris caret aliquo auxilio essentialiter prærequisito ad amorem; nempe prædeterminatione ad amandum; neque illud auxilium potest acquirere pro suo libito. Qui autem caret medio essentialiter prærequisito ad finem, neque illud medium potest acquirere, non habet liberam potestatem ad finis consecutionem; vt late ostendi in hoc tom. tract. de prædestinat. disput. 3. sect. 1. n. 13. & 14. & tom. 1. pag. 207. num. 18. & probavi manifesto Augustini testimonio, & in hac ipsa disput. & sect. pag. 148. n. 285. At in nostra sententia voluntas omittens amorem præceptum nõ caret auxilio prærequisito ad eliciendum amorem, quia in eo instanti habet potestatem proximam antecedentem ad coniungendum amorem cum eo ipso auxilio, cum quo coniunxit omissionem amoris; siquidem auxilium illud constituebat potestatem proximam ad immediate ponendum amorem post signum auxilij, quin fuerit necessarium vt Deus daret auxilium aliud præveniens. Vnde in nostra sententia voluntas omittens amorem præceptum sua culpa caret auxilio congruo ad observandum præceptum; quia nullo alio superaddito auxilio prævenienti, potuit auxilium, illud reddere efficax. At in sententia Thomistarum voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris absque sua culpa caret auxilio prærequisito essentialiter ad observandum præceptum: vnde quod non observet, non stat per ipsam, sed per Deum, qui dare noluit auxilium prærequisitum ad observandum præceptum.

578 Hinc informa respondeo ad instantiam. *Amorem existere*, est actum amãdi coniungi cum auxilio prævisо per scientiam mediam congruo; ita vt entitas auxilij & prævisio congruitatis auxilij sit prærequisitum antecedens amorem, & ab illo immediate postulatum, quoad vtramque partem, nego maiorẽ; ita vt sola entitas auxilij quatenus constituens actum primum, sit prærequisita, prævisio vero congruitatis nõ sit prærequisita ex parte amoris, sed solum ex parte Dei ad conferendum auxilium cum perfecta providentia, concedo maiorem, & distinguo minorem: *Voluntas nolens amare, vel omittens amorem, non habet potestatem ad faciendum vt actus amãdi coniungatur cum auxilio prævisо con-*

gruo

gratia per ſcientiam mediam; faciendo vt præexiſtente ſcientia media congruitatis exiſtat auxilium, concedo minorem; faciendo vt poſt exiſtentiam auxilij, præextiterit ſcientia congruitatis auxilij, nego minorem: & conſequentiam. Explico diſtinctionem. Duplex eſt poteſtas ad coniungendum auxilium cum ſcientia media congruitatis auxilij *A.* cum quo voluntas creata omittit actum præceptum; alia eſt poteſtas ſupponens ſcientiam congruitatis, vel completa per talem ſcientiam, & antecedens tanquam cauſa exiſtentiã auxilij & hæc poteſtas in ſolo Deo poteſt dari: quia ſolus Deus ſuppoſita ſcientia media congruitatis auxilij, per quam videt voluntatem creatam operaturam cum auxilio, ſi detur, poteſt facere vt exiſtat auxilium, & conſequenter vt auxilium cõiungatur cum ſcientia congruitatis. Alia eſt poteſtas ad coniungendum auxilium *A.* cum ſcientia congruitatis; nempe poteſtas ſupponens auxilium & conſtituta per ipſum: & hæc poteſtas datur in ſola voluntate creata omittente amorem: quia voluntas creata cum illomet auxilio præveniente, cum quo de facto coniunxit omiſsionem actus præcepti, potuit potentia antecedenti coniungere actum præceptum; ſi autem coniungeret amorem cum auxilio, præeſſiſſet in Deo ſcientia media congruitatis auxilij; dum enim voluntas creata ſuppoſito auxilio determinat ad exiſtentiam amoris, determinat ad duplicem ſcientiam cõtingentem Dei, nempe ad ſcientiam viſionis ſupponentem exiſtentiam auxilij & affirmantem exiſtentiam amoris: & ad exiſtentiam ſcientiæ mediæ præſcindentis ab exiſtentia auxilij, & affirmantis amorem ponendum à voluntate, ſi pulſetur tali auxilio: vt latè explicui tom. 1. diſput. 19. ſect. 3. agens de determinatione ſcientiæ mediæ: Non enim ideo voluntas noſtra amabit poſt datum auxilium, quia Deus videt illam amaturam; ſed potius ideo videt amaturam, quia amabit: nec ideo amabit, ſi detur auxilium, quia Deus prævidet amaturam, ſi ipſi detur auxilium; ſed potius è converſo ideò prævidet amaturam, ſi detur ipſi auxilium, quia ſi detur, amabit.

579 Itaque in eodemmet inſtanti in quo voluntas noſtra conſtituta in actu primo proximo per entitatem auxilij *A.* ſufficientis, ad eliciendum amorem præceptum, omittit amorem; habet poteſtatem antecedentem, ad faciendum, vt auxilium illud coniungatur cum amore; habet etiam poteſtatem antecedentem ad faciendum, vt coniungatur cum ſcientia media congruitatis talis auxilij, ſicut enim poteſt dividere auxilium *A.* ab omiſsione amoris & coniungere cum amore, ita poteſt dividere auxilium *A.* à ſcientia media in congruitatis auxilij *A.* cum qua de facto coniungitur, quando voluntas noſtra omittit amorem; & coniungere illud auxilium cum ſcientia congruitatis.

Duplex itaque diſtinguendum eſt ſignum; nimirum ſignum libertatis divinæ ad conferendum vel non conferendum auxilium ſufficiens reddens voluntatem noſtram proximè potentem amare & non amare: & ſignum libertatis creatæ, in quo voluntas noſtra eſt potens vi auxilij ſufficientis amare, & non amare: ſignum poteſtatis divinæ ſupponit ſcientiã mediam de eventu futuro, ſi detur auxilium, & antecedit collationem auxilij; ſi adſit in Deo ſcientia media congruitatis auxilij, Deus propoſteriori ad illam conferens auxilium, facit vt coexiſtat eum tali ſcientia: ſi adſit ſcientia oppoſita in congruitatis auxilij è contra ſignum libertatis creatæ ſupponit collationem auxilij, & antecedit ordine rationis ſcientiam, ſi libertas creata conſtituta per auxilium ſe exerceat per omiſsionem, facit vt auxilium coniungatur cum ſcientia media in congruitatis; ſi ſe exerceat per amorem, facit vt auxilium coniungatur cum ſcientia congruitatis. Et ſicut in inſtanti in quo ſe exercet per omiſsionem habet poteſtatem antecedentem ad dividendam à ſe illam omiſsionem per poſitionem amoris; ita habet poteſtatem ad impediendam ſcientiam in congruitatis auxilij, & ad inducendam ſcientiam congruitatis; non quidem effectivè & per modum principij: ſed dumtaxat obiectivè, id eſt per modum exhibentis materiam ſupra quam feratur ſcientia, ſeu ponentis conditionẽ obiectivam omninò neceſſariam, vt Deus habuerit ab æterno ſcientiam.

580 Ex ijs luce meridiana clarius patet, nullum argumentum fieri à carentia vocationis congruæ, quam carentiam habet ob ſuam culpam voluntas omittens actum amoris præceptum, ad carentiam prædeterminationis, ad amandum, quam carentiam neceſſariò & abſque libertate patitur noſtra voluntas, dũ eſt prædeterminata ad nolitionem amoris. Fieret quidẽ recta paritas, ſi voluntas noſtra omittens amorem, indigeret alio auxilio, quod non habet, nec pro libito ſuo poteſt acquirere, ad eliciendum amorem: At in principijs Societatis nullo alio indiget, ſiquidem cum entitate illius auxilij, cum qua de facto coniunxit omiſsionem amoris, potuit ac debuit coniungere amorem, quamvis nullum aliud auxilium præveniens, ſuperadderetur; & ſua culpa non coniunxit: quia eſt primum principium in Schola Societatis, inter actum primum proximum, & inter actum ſecundum non mediare aliquod auxilium præveniens à ſolo Deo de-

pen-

pendens, quo voluntas indigeat ad tranſeundum de actu primo in actum ſecundum. Vide quæ ſuprà in hac diſp. pag. 74. n. 69. in fine diximus ex Maynan. & quæ dicemus infra à num. 544. ad 600.

§. XXXVII.

Explicatur amplius ſyllogiſmus noſter, & oſtenditur eſſe in primo modo ſecundæ figuræ, nempe in ceſſare.

581 SYLLOGISMVM Illum iterum proponere libet, & eius rectam formam detegere. Sic igitur argumentor. Nulla voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi habet poteſtatem antecedentem ad coniungendam actionem amandi cum prædeterminatione ad amandum. Sed actionem amãdi exiſtere à parte rei, ex terminis eſt, actionem amandi coniungi cum prædeterminatione ad amandum: ergo nulla voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi habet poteſtatem antecedentem ad exiſtere actionis amãdi, ſeu ad faciendum, vt actio amandi exiſtat à parte rei. Syllogiſmus iſte eſt in forma, nempe in primo modo ſecundæ figuræ, nempe in *ceſſare*; nam medius terminus, nempe *actionem amandi coniungi cum prædeterminatione*, prędicatur in maiori, & in minori. Deinde maior & concluſio ſunt vniverſales negativæ: & minor eſt vniverſalis affirmativa; cũ ſit propoſitio definiens *hoc*, quod eſt, *actionem amandi exiſtere à parte rei*; & procedit vniverſaliter, & ex terminis eſt vera. Vnde conſequentia evidenter infertur ex præmiſſis; ac proinde, ſi illæ ſint veræ & neceſſariæ, ſyllogiſmus erit demonſtrativus. Quod autem ſint veræ & neceſſariæ, probandum eſt.

582 Et in primis minor eſt manifeſta in principijs prædeterminantium, iuxtà quos ad omnem actionem creatam eſſentialiter prærequiritur prędeterminario, vel per modum complentis virtutem agendi, vel per modum applicantis virtutem agendi ad agendum: nam iuxta ipſos, actionem creatam exiſtere, ex terminis & vniverſaliter & in omni eventu poſsibili, eſt actionem creatam oriri à cauſa creata vt prædeterminata ad agendũ; ac proinde eſt actionem creatam coniungi cum cauſa creata vt prædeterminata, & conſequenter eſt coniungi cum prędeterminatione ad agendũ: ergo iuxta adverſarios, actionem amandi exiſtere à parte rei, ex terminis eſt actionem amandi oriri à voluntate vt prædeterminata ad amandum; & conſequenter coniungi cum voluntate vt prædeterminata ad amandum, ac proinde coniungi cum prædeterminatione ad amandum.

583 Probatur deinde maior. Nulla voluntas carens neceſſariò & abſque libertate prædeterminatione ad amandum, habet poteſtatem antecedentem ad coniungendam actionem amandi cum prædeterminatione ad amãdum. Sed omnis voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi, caret neceſſariò & abſque libertate prædeterminatione ad amandum: ergo nulla voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi habet poteſtatem antecedentem ad coniungendam actionem amandi cum prædeterminatione ad amandum. Hic ſyllogiſmus eſt rectè diſpoſitus in figura & modo, nam eſt in prima figura, in ſecundo modo, nempe in *celarem*; ſiquidem medius terminus, nempe, *Voluntas carens neceſſariò & abſque libertate prædeterminatione ad amandum*, eſt ſubiectum in maiori propoſitione, & prædicatum in minori maior & concluſio ſunt vniverſales negativæ, & minor eſt vniverſalis affirmativa. Conſequentia ergo iſtius ſyllogiſmi eſt evidens. Præterea minor eſt ex terminis nota; quia omne ſubiectum habens neceſſariò & abſque libertate vnam formam, caret neſſario & abſque libertate forma ipſi eſſentialiter oppoſita, ſeu illa eſſentialiter incompoſsibili. Omnis autem voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi, habet neceſſario, & abſque libertate prædeterminationem ad nolitionem amandi, quæ prædeterminatio eſſentialiter incompoſsibilis eſt cum prædeterminatione ad amandum: ergo *omnis voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi, caret neceſſario & abſque libertate prædeterminatione ad amandum.*

584 Solum reſtat probanda maior; illa vero videtur non minus perſpicua; & ſic oſtenditur. Nulla voluntas carens neceſſario, & abſque libertate prędeterminatione ad amãdum, habet poteſtatem antecedentem ad coniungendam illam prædeterminationem, qua neceſſario caret, cum actione amandi. Sed idẽ eſt formaliter & ex terminis coniungere actionem amandi cum prædeterminatione ad amãdum, ac coniungere prædeterminationem ad amandum cum actione amandi (ſicut idem eſt coniungere formam cum ſubiecto, ac coniungere ſubiectum cum forma; coniungere exercitium cum potentia, ac coniungere potentiã cum exercitio; coniungere amorem cum cognitione, & coniungere cognitionẽ cum amore. Solumque illamque illa duo differunt penes modum grammaticalem enuntiandi activum & paſsivum, vt differunt hæ duo propoſitiones: *Ego amo Deum, Deus amatur à me*) ergo nulla voluntas carens neceſſario &

abſque

abſque libertate prædeterminatione ad amandum, habet poteſtatem antecedentem ad coniungendam actionem amandi cum prædeterminatione ad amandum. Conſequentia eſt in forma. Minor manet in parentheſi oſtenſa. Maior videtur perſpicua, quia nullum ſubiectum carens neceſſario & abſque libertate forma aliqua, habet libertatem ad coniungendam illam formam cum aliqua alia re. Sic qui neceſſario caret lapidibus neceſſarijs ad conſtruendam domum, non habet libertatem ad conſtruendam domum coniungendo lapides cum lignis: qui caret neceſſariò pecunijs, non habet libertatem ad coniungendas illas cum actu largitionis: qui caret igne neceſſariò & abſque libertate, non habet libertatem ad igne faciendum, ſeu ad coniungendum ignem cum actione igniendi, & calefaciendi. Quod ſi hac negaveris, negabis eadẽ facilitate prima principia: ergo nulla voluntas carens neceſſario, & abſque libertate prædeterminatione ad amandum, habet poteſtatem antecedentem ad coniungendam illam prædeterminationem cum actione amandi. Vide prudens Lector ad quas anguſtias redigantur Doctores Catholici, qui ad ſalvandum dominium Dei ſupra noſtras actiones liberas, exiſtimant neceſſarium eſſe, quod Deus ad omnes & ſingulas phyſicè prædeterminet voluntatem.

§. XXXVIII.

Infertur ex dictis, quantum præſtet doctrina Societatis doctrinæ Patrum Dominicanorum in materia de auxilijs ad defendendam libertatem indifferentiæ contra hæreticos Caluiniſtas & Lutheranos.

585 OMNES Doctores Catholici conuenimus in concluſione, aſſerentes gratiam efficacem per quam Deus facit, vt faciamus, componi cum libertate indifferentiæ: ac proinde voluntatem noſtram ita moueri per gratiam efficacem ad actum ſalutarem, vt retineat poteſtatem antecedentem ad exercitium oppoſitum. Calviniſtæ & Lutherani hanc libertatem indifferentię negant, aſſerentes Deum ſuo decreto efficaci, & impulſu ſuæ motionis prævię ita voluntatem mouere ad agendum, vt ei neceſſitatem antecedentem imponat; ac proinde voluntatem noſtram operari actus ſalutares, & actus pravos cum ſola libertate à coactione, & ſine libertate à neceſſitate, ſeu ſine libertate indifferentiæ; quem errorem ſecutus eſt Ianſenius, dum aſſeruit *ad merendum & demerendũ in ſtatu naturæ lapſæ nõ requiri libertatem à neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione*: quæ eſt tertia ex quinque propoſitionibus eius damnatis ab Innocentio Decimo.

586 Ponamus hæreticum Calviniſtam, vel Ianſeniſtam in certamen deſcendere cum Theologo Catholico: & ad perſuadendam cõcluſionem hæreticam aſſumere hoc medium. Fieri non poteſt, vt voluntas noſtra aliquem actum eliciat, quin ad illum eliciendum præmoueatur, & impellatur motione & impulſu prævio irrefragabili, & irreſiſtibili, id eſt motione prævia adeò valida, vt ei reſiſtere, & refragari nequeat voluntas noſtra, coniungendo cum ipſa exercitium oppoſitum ei, ad quod talis præmotio inclinat: ergo non libere, ſed neceſſario elicit actum illum, ad quem præmouetur. Theologus Catholicus, ſi ſectetur ſententiam Patrum Dominicanorum adſtruentẽ neceſſitatem phyſicæ prędeterminationis ad ſingulos noſtræ voluntatis actus, concedet antecedens, & negabit conſequentiam: dicetque hæreticum errare inclusione, quia ex vero antecedenti deducit falſum conſequens. Si vero Theologus Catholicus ſectetur ſententiam Societatis, negabit antecedens; firmiter perſuaſus, admiſſo antecedenti non poſſe negari conſequentiam; ac proinde cenſens, ad defendendam concluſionem Catholicam contra hæreticos, neceſſarium eſſe negare antecedens.

587 Habent quidem Patres Dominicani argumenta probabilia ad exiſtimandũ hæreticum male inferre, hominem non operari cum libertate indifferentiæ ex eo quod operetur phyſicæ prędeterminatus; ac proinde ad cenſendum hæreticos non errare in antecedenti, ſed in illatione, qua ex antecedenti vero deducunt conſequens falſum. Cæterum quamvis Patres Dominicani ita ſentiant poſt M. Bañez, & M. Alvarez: negari non poteſt, maiorem partem Eccleſiæ Catholicæ ſentire, ex illo antecedenti neceſſario ſequi conſequẽtiam; aliamque viam ſuper eſſe ad defendam concluſionem Catholicam contra hæreticos, nempe negando antecedens. Ita enim docent non ſolum omnes Societatis Doctores, ſed etiam omnes Scotiſtæ; quamvis enim non omnes admittant ſcientiam mediam, ſed plerique recurrant ad decreta concomitantia; tamen in neganda qualitate phyſicè prædeterminante, qua paſsivè voluntas noſtra prævie determinetur à Deo, omnes Scotiſtæ conveniunt cum ſubtili Doctore, vt teſtatur nobilis Scotiſta modernus Maſtrius tom. 1. in libros ſentent. diſp. 3. q. 3. art. 1. num. 75. & art. 6. num. 145. & vt teſtatur Hugo Cabellius in Scholijs ad Scotum in 4. diſt. 1. q. 1. §. *Dico etiam*, Scotus vbique reijcit phyſicam prædeterminationem. Idque ſatis conſtat ex ijs, quæ ſupra in

hac

hac sect. diximus à num. 313. vsque ad 358. vnde merito Germanus Philaletes num. 47. pronuntiavit: *Omnes Scotistæ, Thomistarum, nullo (quem sciam, aut sciant doctissimi Scotistæ a me consulti) excepto, physicam, prædeterminationem aversantur.* Ita etiam docent omnes controversistæ, qui contra hæreticos Calvinistas, & Lutheranos pro defenda nostra libertate extra familiam Dominicanam scripserunt; vt constat ex eorum verbis adductis supra.

588 Ita expresse etiam docuit S. Franciscus Salesius, qui tot triumphos ex hæreticis Calvinistis reportavit, vt demonstratum est supra num. 159. ad 194. ita innumeri alij Doctores, & Patres quorum expressa verba dedimus in hac disputatione, à n. 194.

589 Consulatur eruditissimus Henricus de Cerf Sacræ Theologiæ Doctor, & Seminarij Torreani Præses, in præclaro illo tractatu supra laudato num. pag. 149. num. 286: *Controversia inter Angelici Doctoris sectatores de eius mente circa prædeterminationem physicam.* In fine namque huius operis syllabum exhibet virorum illustrium, qui cum D. Thoma vel aperte tuentur sententiam Societatis negantem physicam prædeterminationem, vel in clarè favent, in quibus numerat septem Pontifices; tredecim Cardinales; septem Archiepiscopos, quibus addendus est Illustrissimus D. D. Franciscus de Rois Archiepiscopus Granatensis, quem citavimus supra num. 208. enumerat etiam viginti sex Episcopos: quibus addendi sunt Illustriss. D. D. Fr. Antonius de S. Pedro Episcopus Guamanguēsis à nobis citatus supra num. 208. item illustrissimus Dominus D. Fr. Didacus de Bassanra Episcopus de Puerto Rico, citatus supra num. 205. & Illustrissimus D. D. Fr. Iosephus de Samaniego Episcopus Placentinus, citatus à nobis suprà num. 349. enumerat quoque novem Generales Ordinum, & inter hos quatuor Ordinis Sancti Dominici. Denique quinquaginta octo plurimarum ac præcipuarum Vniversitatum Doctores, ac Professores.

590 Vnde merito Modernus Scriptor satis gravis è Sacra Familia Carmelitana, Fr. Ioannes Zaglagia in cursu Theologico, quē typis mandavit an. 1678. secundum mentem ac Germanam doctrinam Ioannis Bachonij *Ductoris resoluti*, tom. 3. disp. 8. sect. 2. §. 3. n. 42. pronuntiavit doctrinam Societatis de indifferentia auxiliorum & scientia media, *esse communem sententiam neutralium*; id est eorum, qui sine partium affectione extra Familiam Dominicanam, & Iesuiticam scribunt.

Idque ipsum testatur præstantissimus Theologus Petrus à S. Ioseph tract. de gratia disp. 7. in suam concordia, & in defensione S. Thom. quibus in locis docet, longe plures magni nominis Theologos stare pro sententia negante physicas prędeterminationes, quàm pro affirmante. Demum Isaacus Habertus Doctor Sorbonicus, Episcopus & Comes Vvabrensis in *Theologia Græcorum Patrum vindicata*, cap. 17. §. sub finem, expresse affirmat, partem illam, quæ physicæ prędeterminationi bellum indicit, *longe numerosiorem esse, Sorbonica præsertim in cathedra.* De quo vide P. Henao in scientia media historice propugnata num. 1094.

591 Sententia ergo Prędeterminantium opportuna non est ad declinanda hæreticorum tela. Siquidem tot tantique Sapientissimi Doctores Catholici censent, consequentiam eversionis libertatis necessario sequi ex concesso antecedenti physice prædeterminationis. Nec videtur prudenter se gessurū Theologum Catholicum, qui disputans cum hæretico Calvinista contendente hominem operari sine libertate indifferentiæ, illi concedit antecedens, ex quo innumeri Doctores Catholici censent, evidenter inferri conclusionem ab hæretico intentam; quamvis alij oppositum probabiliter censeant. Satius erit, negare antecedens; quod non facile hæreticus probabit. Quod ex antecedenti physicæ prędeterminationis probabiliter indicent gravissimi Authores Catholici, evidenter inferri eversionē libertatis, constabit manifestè legenti impugnatores physicæ prędeterminationis. Vnus pro mille sufficiat Cardinalis Bellarminus, hæreticorum malleus, non minus sanctitate, quam sapientia & purpura clarus. Hic enim in scripto oblato summis Inquisitoribus Romæ ann. 1590. in defensionem doctrinæ P. Lessij, quod scriptum manu ipsius Cardinalis exaratum inter alia manuscripta asseruatur Romæ in Archivo Domus Professæ, id aperte testatur, n. 29. ijs verbis: *Euerti liberum arbitrium* (prædeterminatione) *hac ratiocinatione evidenter concludi videtur. Libera causa est, omnium consensu, quæ impedimentis sublatis, & positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere. Sed prædeterminatio Dei per aduersarios est vnum ex requisitis ad agendum, & ea posita: non potest voluntas non agere, & non est in eius potestate, vt non ponatur eius predeterminatio: ergo voluntas per aduersarios non est causa libera.*

502 Hæc verba & integrum illud scriptum cum authentico testimonio exhibet P. Iacobus Platelius nostræ Societatis in quodam opusculo excusso in quarto ann. 1673. Duaci,

cui

cui titulus: *Authoritas contra phyſicam præterminationem novis ex ipſo Sacro Fratrum Prædicatorũ editis ſuffragijs ſtabilita, ac præſertim ex inſigni opere R. P. Fr. Ioſephi de Vita Siculi de proprio & per ſe principio, vnde provenit peccatum in actionibus voluntarijs, Panormi editi ann. 1665. cuius tractatum de Primo movente prædeterminationis fundamenta omnia diruentem, fideliter excerpſit, & ſtudioſis veritatis propoſuit R. P. Iacobus Platellus Societatis Ieſu.* Ad calcem huius operis apertè demonſtrat hic author, Bellarminum & Typhanum inter aſſertores prædeterminationis perperam referri. Et ad hoc oſtendendum exhibet integrum illud ſcriptum elaboratum Bellarmino in defenſionẽ Patris Leſij à pag. 209. vſque ad 228. inclusivè, & pag. 226. habentur verba tranſcripta num. anteced. exhibet vltimam recognitionem ſuorum librorum, quam Bellarminus fecit ann. 1615. ex qua evidenter conſtat, Bellarminum nunquam fuiſſe phyſicæ prædeterminationis patronum, ſed conſtantem adverſarium, vt oculis cernet, qui hoc opus P. Patelij legerit à pag. 226. ad 245.

§. XXXIX.

Continuatur eadem materia; & oſtenditur, non ſaluari auxilium ſufficiens in eo, qui caret prædeterminante, ſi ſemel hoc ſit neceſſarium ad operandum.

593 EX Quo deducitur prudentiam diſtare, vt qui Calviniſtas expugnare velit, eorumque argumenta omnino enervare, & facile ſolvere, ad ſententiam Societatis confugiat; & per compendium, antecedens argumenti neget. Si enim illud concedat; non facile os hæretici arguentis obſtruet. Ille enim aſſumens argumenta, quibus tot ſapientiſſimi Catholici Doctores coacti ſunt affirmare, phyſicam prædeterminationem evertere libertatem indifferentiæ, in magnas anguſtias Diſputatorem Catholicum rediget. Opponet enim, in homine carente phyſica prædeterminatione non poſſe ſalvari proximã poteſtatem ad operandum, ad idque probandum adducet principium illud, quod Eximius Doctor P. Franciſcus Suarez lib. 5. de grat. cap. 23. manifeſtum appellat, nimirum iſtud: *Impoſſibile eſt me habere in mea poteſtate effectum, niſi habeam, actu, vel in mea poteſtate, quidquid eſt neceſſarium vt effectus fiat.* Conſulatur Eximius Doctor ibi à cap. 10. vbi invictiſsimè probat, non inveniri auxilium ſufficiens in eo, qui caret auxilio prædeterminante, ſi hoc ſit ad operandum prærequiſitum. Et cap. 16. propè finem, poſtquam late examinarat omnia argumenta prædeterminantium confecta à MM. Bañez, & Alvarez, & eorum aſſeclis, fatetur modeſtiſsimus Author, *nihil ſe inveniſſe, quod vel apparenter, vel veroſimiliter ſibi illam repugnantiam componeret.* Idque ipſum docet in opere de vera indifferentia auxilij efficacis c. 44. pag. 341. ijs verbis: *Dicimus nullum auxilium eſſe ſimpliciter ſufficiens etiam ad poſſe, quod indiget ad operandum alio prævenienti auxilio, quod homini non datur; neque eſt in poteſtate eius habere illud, quod credimus ex terminis per ſe notum.*

594 Conſulatur Eximius Doctor etiam in opuſculis lib. 3 de auxilijs cap. 8. vbi affirmat, oſtenſive probari, non manere auxilium ſufficiens in eo, qui caret auxilio prædeterminante, ſi ſemel hoc adſtruatur neceſſarium ad operandum. Aitque Authores aſſerentes, gratiam efficacem conſiſtere in phyſica prædeterminatione *dum nimis exagerant efficaciam gratiæ, ſufficientiam tollere*, & ſtatim ſubiungit Magnus Suarez: *Hanc conſecutionem viderunt hæretici, huius temporis: vnde cum auxilium efficax conſtituant in ſimili motione, ac determinatione voluntatis humanæ à diuina; conſequenter negant relinqui auxilium ſufficiens pro his, quibus non datur auxilium efficax. Nam quomodo* (inquit) *ſufficiens eſſe poteſt, cui aliquid neceſſarium deeſt. Ita referunt Catholici authores, qui his temporibus contra illos ſcripſerunt, qui eos non impugnant, eo quod male inferant, ſed eo quod hæreticum dogma ex falſo principio inferant: neque putant ſe poſſe illis ſatisfacere, illationem inficiando, ſed negando efficax auxilium in ſimili motione conſiſtere.*

595 Hinc Maynam tom. 2. Philoſophiæ Sacræ, propoſitione 28. n. 2. explicans gratiam verè ſufficientem, quam deficere eſt reperiri in homine tranſgrediente præceptum, ac proinde curante gratia efficaci ad illud obſervandum inquit: *Gratia ſufficiens eſt illa, quæ dat poſſe, daret qua de facto agere, ſi homo non renueret illud accipere; vt revera in illius poteſtate eſt non renuere, & non renuendo, ſimulque cooperando accipere.*

596 Similiter præſtantiſsimus Theologus Petrus à S. Ioſeph gratiam ſufficientem definiens tract. de grat. diſp. 6. ſect. 6. n. 52. inquit: *Ea gratia dicitur ſufficiens, quæ non ſufficit tantum, vt homo operari poſsit, ſed etiam vt actu operatur, ſi velit.* Rationem reddit: * *Quia* concipi vix poteſt, dari formã aliquam ſufficientem vt homo operari poſsit,

quæ

quæ tamen non sufficiat, vt actu operetur, si voluerit. Cum enim potentia intrinsecè ordinetur ad operationem, & propter illam detur; imò illa sola dicatur sufficiens, qua homo constituitur in actu primo ad secundum, immeritò dicetur quis habere potentiam sufficientem ad agendum, nisi habeat sufficiens principium, per quod actum eliciat, si voluerit.

Quod validè confirmat: *Nam si gratia est dumtaxat sufficiens, vt homo possit bene operari, non autem vt bene operetur; sequitur, eum qui talem habet gratiam, non teneri ad bene operandum, sed tantum ad posse: ergo si bene non operetur, hoc illi ad culpam imputari non debet, quando quidē auxilium, quod habet, non confert illi vires sufficientes vt bene operetur, sed vt possit benè operari dumtaxat.*

597 Argumentum hoc insolubile putavit M. Ioannes Vienentius insignis Theologus Dominicanus; & illo convictus asseruit, auxilium prædeterminans non esse necessarium ad operandum, quia alioquin homo illo carens nō haberet auxiliū sufficiens ad obseruandum præceptum, quando illud transgreditur, vt refert Ledesma de auxilijs, articul. 11. §. *Inter discipulos.*

598 Posseтque hęreticus hoc principium, quod *per se notum* Suarius appellat, aperte cōfirmare verbis Augustini lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 2. vbi ex eo, quod recta cogitatio sit necessaria ad credendum iuxta Apostolum, deducit contra Pelagianos hominem non potentem habere illam cogitationem non posse habere fidem: *Quis non videt, inquit, prius esse cogitare, quàm credere; nemo enim credit, nisi prius cogitaverit esse credendum. Quod ergo pertinet ad religionem & pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere à nobis, quasi ex nobis, quod sine cogitatione non possumus.* Hæc verba arripiens Calvinista merito contra Theologum Dominicanum admittentem necessitatem prędeterminationis physicæ ad omnem actum contendet hominem carentem tali prędeterminatione ad obseruandum præceptū, non habere sufficientiam ad obseruandū præceptum, ac proinde necessario transgredi prędeterminatione, & operari sine libertate indifferentiæ: & sic arguet: *Quis non videat prius esse prædeterminari ad obseruandum præceptum, quàm præceptum obseruare; nullus enim obseruat præceptū, neque vllo modo operatur, nisi prius prædeterminetur. Quod ergo attinet ad obseruandū præceptū, qui non prædeterminatur, nec habet, in sua potestate præ-*

determinari ad obseruandū præceptum, non habet in sua potestate obseruare præceptū, quod sine prædeterminatione non potest. Addit Augustinus: *Nemo sibi sufficit ad fidē, sed sufficientia nostra ex Deo est; quia fides sine cogitatione nulla est, & nō sumus idonei cogitare;* subiunget hæreticus contra Catholicum Prædeterminantē. *Nemo carens prædeterminatione ad rectè operandum sufficit ad rectè operandum; quia recta operatio sine prædeterminatione nulla est, & nemo carens prædeterminatione sufficit prædeterminari.*

599 Argumentū est vrgentissimum, quia procedit ex terminis: Augustenim ex eo quod prius sit cogitare quàm credere, arguit ex terminis, hominē carentē recta cogitatione, nec potentem illam habere à se, non posse à se habere fidem. Quod argumentum pariter concludit, hominem carentem prædeterminatione & ad operandum, & non potentem prolibito suo illam acquirere, non posse prolibito suo rectè operari, cum prius sit prædeterminari, quam operari iuxta Prædeterminantes, & fundatur in hoc principio, quod Suarius appellavit per se notum, *qui non habet actu vel sub sua potestate id, quod est prius, non habet sub sua potestate, quod est posterius.* Nec video quid respondere valet Theologus Catholicus hæretico sic arguenti, quod intellectum quietare possit. Si enim respondeat, cogitationem constituere actum primum credendi; physicam autem prædeterminationem nō constituere actum primum operandi; solutionem irridebit hæreticus tanquam manifestam principij petitionem: nam ideo sine cogitatione iuxta Augustinum non datur sufficientia ad credendum, quia prius est cogitare, quam credere, & qui caret cogitatione non habet sufficientiam ad illam: sed etiam prius est prædeterminari, quàm operari: & qui caret prædeterminatione nō habet sufficientiam ad ipsam: ergo neque habebit sufficientiam ad operationem, nimirum absolutam, & proximam. Quare P. Suarez disputans, an physica prædeterminatio, si semel sit necessaria ad operandum, constituat actum primum proximum ad operandum; probat ex hoc necessariò sequi, quod constituat actum primum proximum: aliunde verò ex eo quod operemur libere, necessario sequi, quod non constituat; ac proinde concludit, dari bellum iustum ex vtraque parte inter Authores affirmantes complere actum primum, & Authores negantes: & ex argumentis vtriusque partis concludi prædeterminationem illam non esse necessariam ad operandum. Ita docet tom. 2. de grat. lib. 3. cap. 33. n. 6.

600 Videat ergo discretus Lector, an Catholicus Theologus disputaturus cum hæretico Calvinista, prudenter facturus sit concedendo antecedens; quo concesso nõ possit defendere conclusionem Catholicã, nisi negando principiũ, quod DD. sapientissimi per se notũ appellant, & quod ex Augustino desumptũ est.

601 Assumet etiam hæreticus aliud principiũ, quod Cardinalis Bellarminus manifestũ appellat: nimirũ non relinqui in manu consilij sui cum proxima indifferentia ad eligendũ inter extrema opposita hominem illum, qui nihil potest facere, quia præmoveatur alio agente fortiori, cui ipsi resistere nullo pacto potest. Sic enim scribit lib. 4. de grat. & lib. arb. c. 14. §. *Deinde videtur*: *Quomodo relinquitur in manu consilij sui, qui in omnibus actionibus determinatur ab alio, cui resistere nullo modo potest?* Sic non relinqueretur in manu consilij sui homo in bivio constitutus, vt quam vellet carperet viam, vel dexteram vel sinistram, si fieri non posset, vt ingrederetur aliquam ex illis vijs oppositis, nisi impelleretur ab alio, cuius impulsui ipse resistere non posset. Si enim fieri non potest vt carpat nisi illam viam, ad quam impellatur; & impellenti resistere non valet, electio viæ non relinquitur eius arbitrio, sed arbitrio impellentis. At si prædeterminatio physica, sit necessaria ad operandum, nihil homo potest operari, quin præmoveatur ab alio fortiori, cui resistere ipse non potest, nempe à Deo: ergo si prædeterminatio physica sit necessaria, homo non relinquetur in manu consilij sui. At per se est necessaria; & in hoc antecedenti convenis cum hæreticis: ergo homo non relinquitur in manu consilij sui: ac proinde non operatur cum libertate indifferentiæ, sed cum sola libertate à coactione.

§. XXXIX.

Præcluditur evasio Prædeterminantium, & ostenditur, eos principiũ petere, & pugnantia dicere, dum dicunt, Deum prædeterminare physicè ad substantiam actus, & ad modum libertatis, & monstratur, in hoc eos contradicere D. Thom.

602 NEC Doctor Catholicus satisfaceret hæretico argumento, si respõderet, propterea hominẽ prædeterminatum ad agendum, manere liberum ad non agendum, quia prædeterminatur à Deo non solum ad substantiam actus, sed etiam ad modum liberratis, id est, quia prędeterminatur, vt actum ponat cum proxima potentia ad non ponendum: quæ est responsio vulgaris inter prædeterminantes. Non, inquam satisfaciet; quia merito clamabit, & vrgebit hæreticus, hanc esse manifestam principij petitionẽ; & responsionem continere implicationẽ. Nam prædeterminatio physica cum sit essentialiter connexa cum nostra operatione, est necessitas quædam, vt existat nostra operatio; & cum sit omnino antecedens nostram operationem, & sit determinatio prævia virtutis, est necessitas antecedens; vnde pugnat cum libertate. Perindeque esse, Deum prædeterminare voluntatem ad agendum libere, ac necessitare voluntatem ad agendum libere; quarè sicut necessitare ad agendum liberè est implicatio in terminis; ita prædeterminare ad agendum libere. Vnde implicatorium esse, quod Deus moveat voluntatem ad agendum liberè, & quod moveat per prædeterminationem, quæ de necessitate ad vnum determinat virtutem causæ: nam movere ad agendum liberè est movere ad agendum sine necessitate determinante ad vnum: idque possumus validissimè comprobare ex D. Thoma, qui doctrinam oppositam responsioni adhibitæ ab Authoribus Catholicis defendentibus prædeterminationes, sæpe docet. Nimirum 102. quæst. 10. artic. 4. corpore vbi inquit: *Quia Voluntas est principium non determinatum ad Vnum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus eam movet, quod non ex necessitate ad Vnum determinat.* At per prædeterminationem physicam ex necessitate Deus ad vnum determinat: quia cum illa sit necessitas ad vnum extremum præ alio, & sit necessitas determinans voluntatem, per prædeterminationem ad vnum ex necessitate determinatur voluntas. Secundo quæst. 3. de potent. artic. 7. ad 1. vbi ait: *Deus non dicitur hominem reliquisse in manu consilij sui, quin in Voluntate operetur; sed quia Voluntati hominis dedit dominium sui actus, vt non esset obligata ad alteram partem contradictionis*, id est stricta; per prædeterminationem autem physicam voluntas obligatur & adstringitur ad alteram partem contradictionis: ergo iuxta D. Thomam Deus dicitur reliquisse in manu consilij sui, quia licet in voluntate operetur, nimirum per concursum simultaneum, tamen voluntati dedit dominium sui actus, ita vt eam non adstrinxerit per motionem prævium ad vnam partem contradictionis præ alio sentit ergo esse contra dominium voluntatis, quod per motionem prævium adigatur, & adstringatur ad vnam partem contradictionis præ alia.

603 Secundo id ipsum docet ibidem ad 13. inquiens: *Voluntas dicitur habere Dominium sui actus, non per exclusionem cau-*

sæ

ſæ primæ, ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, vt eam ex neceſsitate ad vnũ determinet, ſicut determinat naturam, & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis & voluntatis. Non relinquitur autẽ determinatio actus in poteſtate rationis & voluntatis; ſi ratio & voluntas per phyſicam prædeterminationẽ determinantur & adſtringuntur ad vnã partẽ contradictionis præalia: per illam enim ex neceſsitate ad vnũ determinatur voluntas; cum impoſsibile ſit voluntati prædeterminatæ ad amorẽ vel à ſe à movere illam prædeterminationẽ, vel facere ne à prædeterminatione profluat amor.

604 Quarto idem docet ibidem ad 14. dicens: *Non quælibet cauſa excludit libertatẽ, ſed cauſa cogens,* (id eſt neceſsitans) *ſic autem Deus non eſt cauſa operationis noſtræ.* Deus autem vt prędeterminans eſt cauſa neceſsitans; tum quia non relinquit poteſtatem in voluntate vt ſibi prædeterminanti diſſentiat aut reſiſtat, neque vt ſe à prædeterminando impediat: tum quia cauſa neceſsitans eſt illa, quæ voluntati imprimit neceſsitatem antecedentem, vi cuius adigitur, & determinatur ad vnum: talis autem eſt neceſsitas conſiſtens in prædeterminatione phyſica.

605 Quinto idem tenet q. 9. de malo, art. vnico, argumento *Sed contra*, dum inquit: *Voluntas ſe habet ad oppoſita, & non ex neceſsitate movetur ad vnum.* Dum autẽ movetur per prædeterminationẽ, ex neceſsitate movetur ad vnum; quia movetur per motionem, quæ eſt neceſsitas ita adigens & determinans ad vnam partẽ contradictionis vt nec fruſtrari, neque impediri poſsit.

Denique id docet 3. contrag. cap. 111. n. 2. dum inquit: *Sola creatura rationalis habet dominium ſui actus, libere ſe agens ad operandum: cæteræve creaturæ ad opera propria magis aguntur, quam agant.* At dum voluntas prædeterminatur ad amorem, v. g. non libere ſe agit ad amandum, ſed agitur à Deo prædeterminante: ergo dum prædeterminatur ad agendum non habet dominium ſui actus. Idque magis confirmat ibidem cap. 112. n. 2. dum ait: *Quod dominium ſui actus habet, liberum eſt in agendo, quod autem quadam neceſsitate ab alio igitur ad operandum, ſervituti ſubiectum eſt.* At dum voluntas prædeterminatur à Deo, quadam neceſsitate igitur à Deo ad operandum: ergo dum ſic prædeterminatur ſervitute ſubiecta eſt, ac proinde, nec libera eſt in agendo actum prædeterminatum, nec habet dominium illius.

606 Quod autem implicatio in terminis ſit, prædeterminari ad agendum liberè; probatur; quia quando Deus vult vt voluntas operetur libere; debet illi applicare media neceſſaria, vt voluntas libere ſe determinet; ac proinde debet facere vt operetur libere per motionem præviam proportionatam naturæ liberi arbitrij ſe habetis indifferenter ad plura, & conſequenter per motionem præviam, quæ ſit ſuapte natura indifferens, vt reſpuatur, abijciatur, & ſine effectu relinquatur à libero arbitrio: motio enim prævia determinata ad vnum extremum contradictionis, & cum illo eſſentialiter connexa non eſt proportionata, vt per ipſam moveatur voluntas quatenus indifferens ad vtrumq; & quatenus cum alterutro coniungibilis: ergo Deus debet movere liberum arbitrium vt agat libere, per motionem, cui arbitrium poſsit reſiſtere; vt expreſsè docet D. Thomas quælibet. 1. art. 7. ad 2. ijs verbis: *Propter hoc, quod virtus rationalis ſe habet ad oppoſita, ſic Deus movet mentem rationalem ad bonum, quod tamen poteſt huic motione reſiſtere.* Motioni autem prædeterminanti nequit arbitrium reſiſtere, cum illa ſit eſſentialiter irreſiſtibilis, & inconiungibilis cum reſiſtentia.

607 Quare ſicut eſt implicatio in terminis, quod Deus illuminet per tenebras, & viſum conferat per cæcitatem, & quietem per motũ; ita implicatoriũ eſt, quod moveat ad operandũ libere per motionem prædeterminantem; quia implicatorium eſt movere ad amandum liberè per motionẽ, quæ antecedenter neceſsitat ad agendũ: motio autẽ prædeterminans antecedẽter neceſsitat, vel potius Deus quatenus prædeterminans, neceſsitat antecedenter voluntatẽ, quã *prædeterminat. Vt enim inquit D. Thom.* 1. p. q. 82. art. 2. ad 2. *Movens tunc ex neceſsitate cauſat motum in mobili, quãdo poteſtas moventis excedit, ita quod tota eius poſsibilitas moventi ſubdatur.* Atqui Deo prædeterminãti ad amandũ, ſubditur tota poſsibilitas & poteſtas voluntaris; ſiquidẽ per prædeterminationẽ ita ſibi Deus ſubijcit voluntatẽ noſtrã, vt nulla maneat in voluntate noſtra poteſtas ad reſiſtendum Deo prædeterminanti, omittendo amorẽ ex ſuppoſitione prędeterminationis ad amandũ, ſiquidẽ in operandi exercitio nõ voluntas Deum prædeterminantẽ, ſed Deus prædeterminans, voluntatem determinat ad exercitiũ amandi: ergo Deus prędeterminãs voluntatem ad motum amoris, ex neceſsitate cauſat in voluntate motũ amoris: ergo idem eſt prædeterminare ad agendum ac neceſsitare ad agendũ, ſiquidem idem eſt prædeterminare ac ſubijcere ſibi omnẽ poſsibilitatẽ, ſeu poteſtatẽ voluntatis, nimirum poteſtatem agendi, & nõ agendi; cum impoſsibile ſit, vt voluntas dum eſt prædeterminata ad agendum exerceat poteſtatem non agendi: ergo prædeterminare

ad agendum liberè non minus implicat in terminis, quam neceſsitare ad agendum liberè; & vltimo determinare ad agendum ex determinatione propria & non aliena.

608 Quapropter dum prędeterminantes cum M. Alvarez diſp. 22. de auxilijs n. 39. reſpondent, Deum media prædeterminatione non everrere, ſed cauſare libertatem noſtri actus, principium manifeſtè petunt, & pugnantia dicunt: cum enim prædeterminatio, etiamſi ſit ſuppoſitio conſequens reſpectu divinæ voluntatis, ſit omnino antecedens reſpectu voluntatis creatæ; vtpote ab illa omnino independens; & ſit eſſentialiter connexa cum noſtra operatione, & ab illa inſeparabilis; non poteſt antecedere vt cauſa effectiva libertatis, ſed potius antecedit vt inductiva neceſsitatis antecedentis libertati repugnantis. Vade D. Thomas 1. part. quęſt. 83. art. 1. ad 5. inde deducit: *Qualitates ſuperveniẽtes voluntatis quales ſunt habitus & paſsiones, non tollere libertatem; quia ſubiacent iudicio rationis; in quantũ in nobis eſt, tales qualitates acquirere, vel à nobis excludere.* At qui qualitas prædeterminationis non ſubiacet iudicio rationis humanæ, quia non eſt in nobis illam acquirere, vel à nobis excludere; neque eius impetum cohibere, faciendo ne coniungatur cum operatione: ergo illa libertatem tollit, & neceſsitatem antecedentem inducit; illam nimirum, quam S. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. à prædeſtinatione diſtinguit, & reiicit his verbis: *Dicendum, quod Damaſcenus lib. 2. nominat prædeterminationem neceſsitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad vnum.* Siquidem phyſica prędeterminatio invecta in Scholas à M. Bañez imponit voluntati neceſsitatem actus æquè inſuperabilem & inevitabilem, ac inevitabilis eſt neceſsitas agentium naturalium, atque adeò illi ſimilem, licet non ex eodem principio: quandoquidem agentia naturalia neceſſariò agunt, quia ab intrinſeco ſunt determinata ad vnum. & voluntas verò prædeterminata neceſſariò agit, quia ab extrinſeco eſt determinata ad vnum, nimirum per divitiam præmotionẽ, quæ de ſe non minori neceſsitate movet cauſas liberas, quàm naturales, ſiquidem non minorem connexionem habet cum effectu illorum, quam cum effectu iſtarum. Quapropter contradictoria admittunt prædeterminatores, & reipſa negant quod verbis affirmant, dum ſuæ prędeterminationi phyſicæ ea prędicata tribuunt; ex quibus non poteſt non ſequi neceſsitas inimica libertati, & ſimul afferunt, Deum per illam movere voluntatem noſtram ad agendum liberè.

§. XXXXX.

Præcluditur alia evaſio Prædeterminantium, & oſtenditur non obſtante indifferentia iudicij, voluntatem neceſsitari, ſi phyſicè prædeterminetur: ac proinde, illos non poſſe ſatisfacere hæreticis huius temporis inferentibus carentiam libertatis ex phyſica prædeterminatione.

609 NEC Satisfacient Prędeterminatores, ſi cum M. Bañez 1. p. q. 19. art. 10. docum. 3. §. *Primum eſt*, & cũ M. Alvarez diſp. 116. de auxilijs, concl. 5. n. 9. reſpondeant, idcirco prædeterminationẽ phyſicam mouere voluntatem ad agenendum liberè, quia immittitur à Deo poſt iudicium indifferens; & impoſsibile eſt, vt ſtante iudicio indifferente voluntas neceſsitetur. Non, inquam ſatisfaciunt: vt enim inquit P. Suarez in opuſculis lib. 1. de concurſu Dei, c. 3. n. 65. *Hæc doctrina eſt abſdubio falſa, procediſque ex falſo fundamento*, quia nimirum non diſcernit inter radicem libertatis, ipſamque formalẽ libertatem; nam quamvis indifferentia iudicij ſit ſufficiens argumentũ, & origo facultatis liberæ, & conſequenter ſit argumentum liberi vſus, liberæque operationis, ſi talis facultas modo ſibi proprio operari ſinatur, & aliunde non impediatur, id eſt ſi ſinatur, quod ipſa ſe determinet, & non determinetur ab alio: tamen ſi impediatur; & contra exigentiam iudicij indifferentis vel negetur ipſi concurſus ad eligendum inter extrema oppoſita, vel imprimatur ipſi præmotio ipſam antecedenter alligans ad vnum extremum præ alio, ad vnam operationem præ oppoſita rapiens, non manebit libera, ſicut qui pedes habet habiles ad currendum, non manet liber ad curſum, ſi ipſi ab extrinſeco injiciatur catena incompoſsibilis cum exercitio currendi. Vnde merito dixit D. Thom. in 2. d. 28. q. 1. art. 1. *Hominem non fore liberi arbitrij, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret.* Et q. 22. de verit. art. 9. in fine corporis dixit: *In poteſtate voluntatis eſſe, vt obiectum oblatum ſibi accepter, vel non acceptet, quia non eſt naturaliter determinata.* Quid autem refert, quod ex ſe non ſit naturaliter determinata, ſi ab extrinſeco determinetur, & rapiatur ad vnum exercitiũ præoppoſito? Tunc enim iam non relinquitur in manu conſilij ſui, ſed neceſsitatur ad ſequendum conſilium monentis ipſam.

610 Quod ſtante iudicio indifferenti, poſsit Deus neceſsitare voluntatem noſtrã, latiſsimè oſtendit idem Eximius Doctor Suarez Prologomeno 1. de grat. c. 4. & 5. pro hoc aſſer-

se adducens D. Thomam, Conradum, Capreolum, Gabrielem, Okam, Palacios, Marsilium, Scotum, Almainum, Sotum, Medinam, Valentiam, Bellarminum, Zumelem, Cabreram, & Alexandrum Pesantium dicentem: *contrariam sententiam esse contra omnes Theologos.* Et ipse P. Suarez eo cap. 4. n. 15. affirmat, *nullū Authorem, quem ipse viderit, ante Dominicum Bañez, illam doctrinam tradidisse.* Idque à nobis probatur primo, quia homini habenti cognitionem Dei haustam ex creaturis, sufficientem ad amandum Deum, & ex se ad id non necessitantem, & consequenter sufficientem, ad amandum liberè, potest Deus infundere visionem Beatificam, qua posita, voluntas non solum determinatur, sed etiam necessitatur ad amandum Deum: ergo quemadmodum, vt voluntas nostra libere amet Deum, non sufficit, quod habeat cognitionem de se sufficientem excitare ad amandum, & tamen non necessitantem ad amandum; sed insuper requiritur, quod careat visione beatifica ex se rapiente ad amorem. Ita, vt voluntas nostra liberè amet, non satis erat, quod instructa sit cognitione de se indifferenti, sed insuper requiretur, quod careat motione ipsam rapiente ad vnum extremum contradictionis determinate. Si enim per præmotionem hanc irresistibilem voluntas non necessitatur, sed trahitur ad amandum liberè vi cognitionis indifferentis; non poterit impugnari qui diceret, voluntatem creatam instructam cognitione de se indifferenti v.g. scientiæ infusæ, per visionem beatificam non necessitari, sed infallibiliter trahi ad eliciendum liberè amorem. Sicut enim tu dicis, Deum homini habenti cognitionem indifferentem ad amandum, & non amandum, Deum imprimere prædeterminationem physicam, vt libere amet Deum, & sic impleat præceptum amoris; dicam ego, Deum homini habenti cognitionem illam, imprimere visionem beatificam, vt ipsum determinet ad libere amandum Deum non enim minus fortiter determinatur voluntas per prædeterminationem physicam, quam per visionem beatificam.

612 Secundo probatur, quia stante cognitione indifferenti potest Deus non præparare concursum; iudicium enim indifferens non necessitat Deum ad concurrendum, quid enim prohibet, quod Deus sic statuat: quamvis habeas cognitionē sufficientem ex se ad amandū, & non amandū, nolo tecum concurrere ad amorē? ergo stante indifferentia iudicij potest Deus necessitare voluntatē ad non amandum: ergo similiter stante indifferentia iudicij, potest Deus necessitare ad amandum, nimirū imprimendo talē motionē, quæ voluntatē rapiat ad amorē. Si autem aliqua motione potest Deus voluntati habenti iudicium indifferens necessitatem inferre, vtique hoc faciet per prædeterminationē physicam, cum nulla sit validior, & fortior, magisque connexa cum operatione.

Tertio, quia homini existimanti se non esse alligatum alicui loco, v.g. cubiculo suo, & consequenter habenti iudicium indifferens ad egrediendum, potest Deus injicere vinculū imperceptibile, vi cuius ita loci illi alligetur, vt non sit in eius potestate inde discedere. Tunc autē cum indifferentia iudicij circa discessum & non discessum (vtrumque enim putaret esse in sua potestate) componeretur carentia libertatis ad egrediendū, sicut ergo libertas ad egrediendum è loco vel manendū in loco nō constituitur solū per iudicium indifferens circa discessum, vel non discessum; sed insuper per carentiam omnis vinculi affigentis hominem illi loco independenter ab eius arbitrio. Sic libertas ad amandū & non amandum non solū constituitur per iudicium indifferens, sed insuper per carentiam principij necessitantis ad vnū, seu motionis præviæ affigentis hominem independentèr ab eius arbitrio vni extremo contradictionis.

613 Quia vt docent omnes Theologi cū Augustino lib. 2. de peccat. meritis, c. 18. concordia gratiæ efficacis cum lib. arb. est intellectu difficillima: Hoc autem falsum foret, si vera sit sententia prædeterminantium asserentium, libertatem in actu primo, seu proximam indifferentiam ad vtrumque consistere in indifferētia iudicij, ac proinde stante illa indifferentia non posse voluntatē à Deo necessitari ad agendum: cum sit facillimum intelligere, quod cum motione gratiæ ab intrinseco efficacis & inimpedibilis à voluntate possit stare indifferentia iudicij, quam ratio demonstrat nō pugnare cum allegatione voluntatis ad vnum, & experientia docet non tolli per efficacem divinæ gratiæ motionē, qua de facto operamur bonū, aut vitamus malū. Vnde Patribus fuisset facillimum refellere hæreticos obstinatè asserentes, per infallibilitatē divinæ præscientiæ & prædestinationis & gratiæ efficacem tolli libertatem, nempe dicendo non posse vlla motione, quantumvis efficaci, voluntatis indifferentiam, ac libertatem tolli stante indifferentia iudicij: quod tamen nunquam dixerunt; sed potius, supponentes posse voluntatem necessitari vi alicuius motionis antecedentis non obstante indifferentia iudicij, constanter negarunt, de facto dari motionem illam.

614 Quinto, quia fatum Ethnicorum, Calvini ferreum decretum absolutam necessitatem imponens, dum ad vnum voluntatē

alligat: & Ianseniana delectatio victrix libertatem tollunt, non tamen indifferentiam iudicij, quam ethnicis & hæreticis æquè ac nobis experientia constat homini competere etiam in natura lapsa: ergo stante indifferentia iudicij potest voluntas nostra necessitari.

615 Sexto, quia, vt testantur Penahotus lib. 1. cap. 8. Ruiz de scientia disput. 53. sect. 1. num. 22. & 23. Bellarminus lib. 4. de grat. & lib. arbitrio, cap. 14. ad finem, ethnici fati assertores, Manichæi, Lutherani, Calvinistæ, aliique libertatis hostes iurati nunquam negarunt indifferentiam iudicij, seu cognitionem obiecti sub ratione boni & mali, quam peccantes in se experiebantur: nulli enim Patres aut Scholastici eos impugnantes, illis vnquam opposuerunt, quod tollerent indifferentiam iudicij: damnantur tamen ab Ecclesia vt hæretici, eo quod negent ipsam libertatem; non eo quod eam reipsa admittentes, negent eius appellationem, seu eam pertinaciter nolint nominari libertatem: cum definitiones Tridentini & aliorum Conciliorum contra Zuinglium, Lutherum, & Calvinum: Innocentij & Alexandri Septimi contra Iansenium non sint de vocibus, sed de rebus: ergo libertas est facultas, quæ negari potest non negata iudicij indifferentia, & consequenter tolli hac non consulta.

616 Ex quibus omnibus constat Catholicum non satisfacturum hæretico, si illi responderet, idcirco per prædeterminationem non tolli libertatem voluntatis, quia cum prædeterminetur ad operandum cum iudicio indifferenti, prædeterminatur ad operandum liberè, eo quod impossibile sit, quod voluntas operetur cum indifferentia iudicij, & quod operatur necessario. Vt ergo plenè & planè satisfaciat hæretico contendenti nos operari sine vera libertate indifferentiæ, quia operamur prædeterminati à Deo, debet negare antecedens, nempe, quod operemur physicè prædeterminati: nam admisso antecedenti, non videtur quo pacto salvari possit libertas nisi penes solum nomen.

§. XXXXI.

Ex dictis, & ex iudicio Bellarmini, aliorumque Scriptorum infertur, quam difficile sit per prædeterminationes physicas defendere libertatem contra hæreticos.

617 HINC Cardinalis Bellarminus, qui sententias hæreticorũ, quos impugnat, optime calluit, & satis perspectas habuit, tom. 3. controv. lib. 4. de grat. & lib. arbitrio, cap. 14. colum. 556. impressionis factæ Lugduni apud Ioannem Pillehotte sub signo nominis Iesu, ann. 1596. qua impressione ego vtor, (quæ fuit editio secunda ab ipso Authore recognita, & locupletata, vt probat Paulus Leonardus part. 2. sect. 18. n. 68.) loquens de sententia recenti Patrum Dominicanorũ, qui post Magistrum Alvarez grariam efficacem ponunt in qualitate, vel motione physicè prædeterminante voluntatem, eam, vi argumenti ad inconvenientia deducere conatur, quæ Patres Dominicani putant ex sua sententia non sequi & quam absdubio relinquerent, si sibi persuaderent, ex illa sequi: nempe, quod tollat libertatem; quod Deum faciat Authorem peccati, & quod non videatur posse reipsa à sententia hæreticorum distingui.

618 Quod vltimum his verbis exprimit: * *Denique* sententia, qua ponit prædeterminationem istam in voluntate, non videtur posse distingui à sententia hæreticorum, negantium liberum arbitrium, nisi quoad voces. Nam hæretici non negant, Deum liberè agere, cùm determinat voluntatem nostram, & homines habere plenum, atque perfectum iudicium rationis, cum aliquid eligunt, & spõte ac voluntariè eligere: sed dicunt, decreto Dei, & prædeterminatione omnia fieri, nec posse Deo decernenti, & prædeterminanti resisti; & ideo liberum arbitrium hominis esse titulum sine re, vel rem de solo titulo, id est, nomen inane, & supervacaneum.

619 Quod si nos etiam admittimus, ita determinari à Deo voluntatem nostram, vt non possit agere (scilicet in sensu composito) nisi id, ad quod à Deo determinatur, & tamen quia Deus eam liberè determinat, & ipsæ voluntariè, & cum pleno iudicio rationis agit, contendamus, hominem esse liberi arbitrij, tota controversia inter nos, & hæreticos, erit de nomine, vtrum videlicet homo sit dicendus liberi arbitrij, necne. At profectò labores tot hominum doctissimorum, & ipsius Concilij Oecumenici pro asserenda arbitrij libertate consumpti, aliud nobis persuadent. Neque enim ignorabant viri illi sapientissimi, quod S. Augustinus epistol. 28. ad Hieronymum, & alibi admonuit, cum de re constat, non esse de nomine *litigandum.* * Hucusque Bellarminus. In quibus verbis sententiam prædeterminantium non censuravit, sed vi argumenti declaravit inconvenientia, quæ ex illa videntur non obscurè sequi. Quamvis autem Bellarminus censuraſſet tunc, quando id per sedem Apostolicam id prohibitum non erat; nunc ab omni censura vtriusque partis Authores abstinere debemus.

Qua-

620 Quare si verba illa censuram vllam continẽt; censuram nullâ ratione probo; sed, vt nunc merito prohibitam, differre reijcio, & simpliciter tantum refero, exemplo Ioannis à S. Thoma 1. part. quæst. 14. disp. 20. art. 4. §. *Quapropter*, num. 10. vbi relata Lovanienſium censura, tacita illius reprobatione per Summos Pontifices facta, ad declinandam censoris invidiam, subiungit: *Nos verba referimus, non censuramus, nec ad censurandum referimus, nec censuram acceptamus.* Eoque tantum fine verba Bellarmini refero, vt constet, in quantas angustias redigi possit Doctor Catholicus, qui cum hæreticis huius temporis disputans, ipsis concesserit antecedens illud: *Fieri non potest vt voluntas nostra aliquid operetur, quin à Deo prædeterminetur physicè.* Hoc enim antecedenti concesso, difficillimum est consequentiam illam negare: *Ergo non liberè, sed necessario operamur.*

621 Legatur idem Bellarminus lib. 1. de gratia & lib. arbitr. columna mihi 424. eiusdem impressionis, cap. 12. §. *Hæc opinio*, vbi de sententia asserente, *gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quæ determinat voluntatem ad volendum & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum*, iudicium ferens inquit: *Hæc opinio videtur mihi aut esse omnino eadem cum errore Caluini; & Lutheranorum, aut parum ab illo distare.* Quæ verba nos ad cẽsurandum non referimus, nec censuram accepramus, vt cum Ioanne à S. Thoma, iterum loquar: sed solum eo fine exscribimus, vt constet, quod quamvis sententia prædeterminantium probabilis sit, minus tamen apta est ad defendendam libertatem contra hæreticos Calvinistas: eadẽ verba habentur in editione Ingolstadiensi, ann. 1589. & in plerisque alijs; vt probat Paulus Leonardus vbi supra, quamvis in editionibus factis post decretum Pauli V. qui ann. 1606. peractis disputationibus de divinæ gratiæ auxilijs & libero arbitrio Romæ coram se & prædecessore suo Clemente VIII. potestatem fecit vtrique parti suam sententiam defendendi, severe prohibens, ne quis deinceps alterutrã opinionem, aut damnaret, aut censura notaret, aut verbis iniurijs lacesseret, verba illa, quæ censuram aliquam præseferebant, abrasa sint, modestiæ, & tollendæ offensionis causa, & ne videremur minus obedientes esse erga decreta Pontificia. Quam exactam obedientiã erga decreta Pontificum, & moderationem atque modestiam imitatus non est Xantes Mariales Dominicanus, qui in sua Bibliotheca excusa ann. 1660. passim acerbissima convicia, & acres censuras evomit contra Iesuitarum doctrinam prædeterminationibus contrariam. De quo videndus est Germanus Philaletes n. 115. pag. 165. vbi huius Authoris verba refert, & audaciam retundit.

622 Recolantur argumenta, quæ supra confecimus; & expendantur solutiones, quas eis adhibuit Vincentius Ferre: & iudicet prudens Lector, qui partialis non fuerit, an si hæretico ea argumenta proponenti, illæ dumtaxat solutiones adhiberentur à Doctore Catholico, satis consultum foret veritati nostræ fidei de libertate indifferentiæ: & an auditores Catholici, qui argumenta penetrarent, & solutiones alias non viderent, iudicare merito possent, victoriam mansisse penes Catholicum disputatorem; an vero cum rubore & confusione discederent ab illo Scholastico certamine. O pauperem Christi Ecclesiam, si ad tuendam libertatem nostri arbitrij contra hæreticos huius temporis, non alia tibi supperetarent arma, quàm doctrina de prædeterminatione!

Quare ad exarmanda hæreticorum argumenta, & eos cum confusione & ignominia à disputatione abigendos, negandum est antecedens. Et hanc methodum disputandi cum hæreticis huius temporis sectati sunt Doctores controversistæ, qui cum illis disputarunt, vel de controversijs fidei pro tuenda libertate scripserunt; vt testatur P. Suarez in opusculis lib. 3. de auxilijs, cap. 8. cuius verba dedimus supra, & constat ex Ruardo Taper, Ioanne Driedone, Thoma Stapletonio, Bellarminio, Valentia, S. Francisco Salesio, Ludovico Avelli, Francisco Somnio, Ioanne de Bononia, Richardo Smythæo, & alijs multis supra citati.

623 Idque satis constat ex testimonio R. P. Cosmæ Morelli è Sacra Prædicatorũ Familia, viri doctrina, & pietate insignis, qui diu fuit Inquisitor hæreticæ pravitatis Coloniæ Agripinæ, & palam professus est, se absque doctrina Societatis de indifferentia auxiliorũ non potuisse Calvinistis respondere; & ideo hortatus est Thomam Campanellam eiusdem Sacri Ordinis, vt citò maturaret editionẽ operis, quod ipsi legendum tradiderat, in quo prædeterminationes physicas, vt doctrinæ D. Thomæ contrarias, & Calvinistico errori non parum faventes, acriter impugnabat. Idque ipsum rogavere alij viri graves eiusdem Familiæ multique seculares primariæ authoritatis; præsertim Excellentissimus Dominus Comes de Brassac Orator Christianissimæ Regis Romæ, dicens non posse aliunde sufficienter responderi Hugonotis impugnantibus libertatem arbitrij humani, nisi ex scriptis impugnantibus physicas prædeterminationes, & sine illis ex-

plicantibus efficaciam gratiæ Et tantorum virorum hortatu Thomas Campanella illud opus edidit, in quo id narrat, Campanellæ verba adducit P. Annatus in Apologia pro ſcientia media, diſp. 4. §. 2. n. 104. & nos ea dedimus ſupra num. 295.

§. XXXXII.

Ex dictis commendatur doctrina Societatis in materia auxiliorum, ex multiplici capite: & primo ex victoria quam obtinuit, dum toties accuſata a Patribus Dominicanis apud Inquiſitionis Tribunalia, & apud Sedem Apoſtolicam, poſt tot examina immunis ab omni labe evaſit.

624 HISTORIAM Exactam de ortu & & progreſſu diſputationum de auxilijs inter Patres Dominicanos, & Patres Societatis ſcripſit luculenter P. Ioannes Martinez de Ripalda tom. 2. de ente ſupernaturali diſp. 113. & latius P. Paulus Leonardus Serlogus in Apologijs pro ſcientia media; & P. Annatus, & omnium copioſiſime, & ſumma cum fidelitate P. Gabriel de Henao in tomo integro de ſcientia media hiſtorice propugnata excuſo in hac Salmanticenſi Academia ann. 1665. & hanc hiſtoriam incompendium redit Germanus Philaletes, id eſt P. Iacobus Platelius noſtræ Societatis inſignis Theologus in aureo illo libello, typis mandato Duaci ann. 1669. cui titulus: *Authoritas contra Prædeterminationem phyſicam pro ſcientia media, cum brevi hiſtoria complectente ortum, pugnas, & palmas eiuſdem ſcientiæ mediæ, inter acres viginti annorum impugnationes fœliciter propugnatæ.* Ex quo potiſsimum, an putatis ijs, quæ noſtri inſtituti non ſunt, breviter rem perſtringemus, pauciſſima addendo.

625 Igitur ſcientiam mediam à SS. Auguſtino & Thoma varijs locis ſuppoſitam, (vt ego oſtendi tom. 1. diſp. 16. & diſput. 36. à ſect. 10. & ſæpe in hoc tomo tract. de præd. & etiam in hoc tract. de ſtatu puræ naturæ in præſenti diſp. §. 9. à num. 136. & implicitè, & quoad rem ipſam ab ipſis, & conſequenter ab omnibus antiquis evidenter admiſſam; nunquam tamen (rebus id non exigentibus) ſpeciali tractatu explicatam, nec adeò apertè pro libertate creata cum divinæ prædeſtinationis, & gratiæ efficacitate concilianda ad vſum redactam, primus fusè ac dilucidè explicavit, ſuiſque diſcipulis tradit P. Petrus Fonſeca Societatis Ieſu Luſitanus anno 1566. vt ipſemet teſtatur tom. 3. metaph. lib. 6. cap. 2. q. 4. ſect. 8. §. 1. Primus, inquam, tradidit, non vt novam quoad rem, ſed ſolum quoad ſpeciem, & explicationem fuſiorem ac magis ex profeſſo, vt ipſe notat ibidem §. 4. vnde ſect. 6. poſt medium oſtendit, eam in ſcripturis quoad rem contineri, & à PP. & antiquis Scholaſticis paſsim ſupponi: ità P. Platelius, ſed P. Henao in ſua ſcientia media hiſtoricè propugnata à n. 1236. probat P. Ludovicum Molinam Primarium Theologiæ Profeſſorem in Academia Eborenſi cœpiſſe vt minus ab ann. 1562. in privatis & publicis diſputationibus tradere gratiæ ex ſe ſola non efficacis concordiam cum libero arbitrio beneficio ſcientiæ futurorũ contingentium conditionatorum, vt deducitur *ex Chonchenſi commentarium in primam partem* editione ann. 1592. quæſt. 14. art. 13. diſp. 18. memb. 2. §. *Authores*, column. 663. vbi enim ait, ſe à triginta annis antea eam conciliationem docuiſſe. Et in Antuerpienſi concordiæ editione ann. 1595. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. vltimo, §. *Longior fin.* pag 390. inquit: *Eam conciliationem à nemine, quem vidiſſet, fuiſſe eouſque traditam.* Quod & affirmat in Olyſipponenſi concordiæ editione ann. 1588. pag. 492. Idque affirmat verè Molina, quia licet Patres eam ſcientiam in Deo ſæpe ſupponant, præſertim Auguſtinus; tamen ea vſi non ſunt ad explicandam ex profeſſo concordiam inter infallibilitatem prædeſtinationis, & gratiæ efficaciam, atque libertatem creatam.

626 Vtcumque tamen res ſe habeat, ſive Molina, ſive Fonſeca primus fuerit, qui ſcientiam mediam in Scripturis, & Patribus latentẽ eruit, & ad vſum huius concordiæ fusè & pro dignitate exponendæ curam adhibuerit; certum tamen eſt, vel Molinam hanc explicatiorem de ſcientia media doctrinam primò tradidiſſe, vel à ſuo Magiſtro Fonſeca acceptam ita illuſtraſſe, vt merito eius Author habeatur. Eam primo vulgavit in ſua concordia excuſſa Olyſipone anno 1588. cui poſtmodum anno 1589. appendicem adiecit ad diluendas obiectiones quaſdam contra ipſum factas.

627 Hanc Molinæ concordiã, & doctrinã in eo contentã approbavit, *vt valde dignam, quæ in publicam totius Eccleſiæ vtilitatem excludatur R. P. Fr. Bartholomæus Ferreira Dominicanus, Sanctæ Inquiſitionis Deputatus, & librorum cenſor*, verbis ipſi concordiæ præfixis, quibus Molinam multis extollens laudibus appellat *eruditiſsimum Doctorem & Sancti Thomæ Expoſitorem.*

628 Iſtam porrò Molinæ doctrinam celebrem reddidit, & pluribus victorijs glorioſam pertinaciſsima validiſsimorum adverſa-

sariorum oppugnatio sæpius repetita. Primum enim nedum typis vulgata, sed in publicis dũtaxat prælectionibus discipulis tradita, agente præsertim Dominico Bañez, eiusque Collegio tractata fuit ad Sacrum Tribunal Inquisitionis Lusitaniæ, & de multis erroribus accusata: sed post maturum examen, ab omni erroris suspicione à Sancta Inquisitione absoluta, & per absoluta, & per honorifica approbatione ornata, primam atque nobilem de suis aduersarijs scientia media retulit victoriam: quali videlicet triumphat ciuitas, dum hostiũ impressionibus generosè repulsis, obsidione solvitur.

Quamvis hęc Molinę concordia à Sapientissimo Sanctæ Inquisitionis Senatu, cum illustri commendatione ab omnibus hostium criminationibus absoluta, gloriosam in in Lusitaniæ Regno aduersus acerrimas aduersariorum impugnationes reportavit victoriam: ibi tamen non stetit ardentissimus aduersariorum zelus, sed novo impetu Molinæ oppugnationẽ instaurarunt, eiusque doctrinam ad Theologicas Hispaniæ facultates, & Sanctæ Inquisitionis Tribunalia detuleruot, tanquam erroribus scatentem: Sed irrito, vt priùs, conatu, ac proinde cum nova Molinę palma. Vtriusque facti veritatem comprobat Philaletes autenticis testimonijs à pag. 143. ad 153.

629 Idque convincitur ex eo, quod Clemens VIII. anno 1594. per Supremum Inquisitionis Senatum, & Illustrissimum Nunciũ Camillum Caietanum Provincialibus Religionum S. Dominici,& Societatis Iesu mandavit, vt præcipua controversiæ inter eos agitatæ pũcta brevi scripto explicata supremo Inquisitionis Senatui,Illustrissimoque Nuncio traderent; & interim de illis, donec aliter statueret Sedes Apostolica,in suis scriptis,disputationibus, alijsque actibus publicis silerent. Ac tandem post illa tum in Hispania, tum Romæ (quo à Nuncio missę sunt) per viros doctissimos à Christi Vicario designatos fere quadrienio diligenter discussa, decrevit Sanctissimus Clemens, vt ambarum partium Magistri suam liberè de gratia, pręscientia, & prædestinationis efficacia cum libertate concilianda doctrinam publice traderent ac defenderent; sit tamen, vt nisi graviter plecti vellent, à notanda diversa opinione abstinerent.Quod de mandato Supremi Senatus Fidei, ab Inquisitionibus Toletana, Pintiana, Valentiana, Hispalensi, amborum Ordinum Provincialibus est intimatum an. 1598. vt patet ex litteris ab Inquisitione Toletana destinatis ad P. Ludovicum Guzman Toletanæ Provinciæ Societatis Iesu, tunc Præpositum, quę in eadem Provincia asservantur subscriptę 15. Martij 1598. à D.Antonio Morejon, & D. Quiroga Licenciatis, & D. Iosepho Pantoja Secretario. Huius decreti Vrbani Octavi mentionem facit Petrus Ledesma Dominicanus in præfatione ad tractatum de auxilijs.

630 Sic videbatur concordia Molinę, & doctrina Societatis de indifferentia auxiliorum pacem obtinuisse.Illi tamen non diuturnas concesserunt inducias eius aduersarij, qui ad illam, Pelagianismi (vt non satis considerate censebant) ream, è Scholis Catholicis proscribẽdam nihil intentatum relinquere voluerunt. De quo gloriatur R. P. Thomas de Lemos in sua panoplia gratiæ tom.1.p.1.tract. 6.pag.128. (quod opus post ea scripta,quæ hucusque dicta sunt, videre curtim potui, & de quo forsam,aliquid postea ad notabo)siquidem vbi dicit, se historicis narrandum dimittere: *Quomodo huic doctrinæ nouiter in lucem erumpenti totis viribus se oppõsuerit Prædicatorum familia, præsertim in Hispaniæ Prouincia, & in defensionem diuinæ gratiæ viriliter assurrexerit per insignes,ac doctissimos Magistros, tum publicè disputando, & nouam illam doctrinam fœliciter confutando, tum receptissimam tuendo sententiã Sancti Patris Augustini,* (ideſt, quam ipſi Auguſtini eſſe putabant) *ac denique scriptis multis refellendo: Quomodo etiam insignis illa Prouincia, nullis parcens sumptibus, ad sanæ doctrinæ tu tamen, & nouæ illius doctrinæ refellendæ causa, vnum alterumque Patrem Romam mittendos curarit, atque transmiserit,qui coram Sede Apostolica antiquam defenderent doctrinam, & nouæ illi contradicerent.* Hucusque Lemos, qui vnus fuit è Patribus Dominicanis Romam missis.

631 *Quare assectæ Dominici Bañez,* (inquit Philal.)*non acquiescentes iudicio Hispanorũ, ad supremũ Romanæ Inquisitionis tribunal appellarũt; missoq; in solicitationẽ causæ legato sui Ordinis,qui(celatis in Hispania gestis) prolixum in doctrinam Molinæ scriptum Cardinali Alexandrino dicatum obtulit. Cardinalis pro excutienda Molinæ doctrina Congregatione octo Theologorum à Clemente VIII. obtinuit.*

Cum autem res illa Clandestinè geretur, non solum in auditis, sed & inscijs Iesuitis,censores delationi Dominici Bañez nimium deferentes, primum 60. propositiones Molinæ erroris damnarunt, & temeritatis. Quod cum tandem innotuisset,Iesuitis supplicantibus, vt Molina audiretur, eiusque defensi examinaretur, annuit Pontifex: non tamen concesit, vt prioribus iudicibus (quos meritò recusabant Iesuitæ)alij ab omni partium affectu liberi substituerentur; sed octo prioribus duos adiunxit. Tum decẽ illi

alii iudices cenſuram in Congregationibus priuatis conſilio (vt euentus docuit) late accuratius expendentes ex ſexaginta propoſitionibus antea damnatis, quadraginta nulla reprehenſione dignas pronuntiarunt: adeoque ſtatuerunt, vt ſolum viginti cenſura notatæ producerentur in conuentum à Pontifice proſcriptum.

632 Interim cenſura Molinæ in Lutem data, aduerſarij in vrbe, & per orbem canebant triumphum, & in Hiſpaniam pervenit rumor, quod ſententia Molinę fuiſſet à Clemente VIII. damnata; quem rumorem cum audiſſet P. Molina Matriti, animo tranquillo reſpondit: *Non eſt ita, nec poteſt eſſe, niſi ego non intelligo Concilium Tridentinum.* Et vrgentibus, id per vulgari à viris magna authoritate, & fide pollentibus, conſtanter reſpondit: *Non eſt ita, vosque videbitis inanem eſſe rumorem.* Vt comprobat autentico teſtimonio P. Henao ad finem eventilationis 4. num. 152.

633 Rumor tamen iſte falſo ſparſus compulit P. Antonium de Padilla, virum Societatis noſtræ clariſsimum, qui fuit filius vnicus Comitum *de Baendia & Sancta Gadea*, & hæres maioris Præfecturæ Caſtellæ (ideſt, *Adelantamiento mayor de Caſtilla*) & ſapientia, recuſatoque Acchiepiſcopatu Burgenſi, quam ſanguine illuſtrior: compulit inquam, vt ſcriberet ad Cardinalem Bellarminum, vt de veritate rei ipſum admoneret. Sanctus autem Cardinalis ad detegendam falſitatem rumoris à Prædeterminatoribus per Hiſpaniam temere ſparſi, anno 1599. die 18. Auguſti hoc verborum tenore reſpondit P. Padilla: *Non ſatis ſtupere deſino eorum temeritatem, qui tam ſpiſſa mendacia vulgant. Dicat Reverentia veſtra fideiter quibuſcumque, Sanctiſsimũ Dominũ nihil penitus decreuiſſe circa phyſicam prædeterminationem, vel alium articulum ex ijs, qui ad controuerſiam de auxiliis diuinæ gratiæ ſpectant; ſitque certus, ſi aliquid ſtatuendum ſit, oppoſitum futurum eorum, quæ per rumorem illum ſparſa ſunt: & ego optime conſcius ſum de ijs, quæ tam conſtanter affirmo.* Hanc Epiſtolam Bellarmini adducit P. Henao num. 296. de ſcientia media hiſtorice propugnata, & iterum de veritate ipſius teſtificatur tom. 1. de ſcientia media Theologicè defenſata pag. 423. n. 1864.

634 Aduerſarij ergo Molinæ triumphum cecinerunt ante victoriam, quam nunquam conſeruti ſunt. *Cum enim Ieſuitæ Varijs Suarij, Vazquezij, Valentiæ, aliorumque Doctorum Theologorum ſcriptis Pontifici oblatis efficaciter probaſſent, ſenſum, in quo viginti propoſitiones à cenſoribus fuerunt notatæ, eſſe prorſus alienum à mente & verbis Molinæ, eaſque, prout extant in Molina, poſt longum, & maturum examen declaratas fuiſſe probabiles, Catholicas, & omnis cenſuræ expertes à doctiſsimis Cenſoribus, ab inclyta Luſitaniæ, & Hiſpaniæ Inquiſitione deputatis, & nominatim à celeberrima Complutenſi Academia: cumque illa ſcripta decem illi Cenſores deſignati ſuæ ſanctitatis iuſſu attentiùs expendiſſent, omnes cenſuerunt, ex ellis viginti propoſitionibus cenſura notatis eas eſſe eximendas, quæ voluntatis vim tribuant abſque auxilio gratiæ eliciendi actus naturales moraliter bonos. Quoad alias vero pertinentes ad præſcientiam conditionatam, & efficaciam gratiæ extrinſecæ, variæ fuerunt cenſorum ſententiæ; tribus etiam illas ab omni cenſuræ eximentibus, cæteris ſeptem (fortaſis metu notæ leuitatis & inconſtantiæ) in cenſura prius lata perſiſtentibus.*

Cernens itaque Pontifex cenſores in dies variare, lenireque cenſuram, primoque ſexaginta, deinde ſolum viginti, poſtremo ſex, aut ſeptem ſolum notaſſe, volenſque via certiore controuerſiæ veritatem explorare, finem imponere, ſuppreſsis, aut certe ſuſpenſis omnibus cenſuris in priuatis conuentibus eo vſque latis, tandem ſtatuit, vt coram ſe, & Cardinalibus ac iudicibus à ſe deſignatis, de ſingulis quæſtionis iam diu agitatæ articulis inſtituerentur diſputationes, quibus cum ſelectis ordinis ſui Doctoribus de re tota diſputaturis inter eſſent P. Generalis Dominicanorum, & P. Generalis Ieſuitarum.

635 Hæ autem celebertimæ diſputationes num. 47. (poſt aliquot conventus an. 1599. nullo ferè operę pretio coram Cardinali Madrutio ea de re celebratos) magna orbis expectatione inchoatæ ſunt die 28. Martij an. 1602. & continuatæ vſque ad diem 22. Februarij an. 1606. quo poſtrema fuit habita. Ex parte Dominicanorum diſputare cæpit, P. Didacus Alvarez, in cuius locum ſuffectus eſt P. Lemos. Ipſe autem Lemos in ſua panoplia gratiæ tom. 1. parte 1. lib. 6. in fine pag. 160. teſtatur ſe ijs omnibus diſputationibus interfuiſſe præter duas: *In quibus omnibus* (inquit) *præter quam in prima, & in altera, qui a tunc infirmitate detinebamur, nos pro diuinæ gratiæ efficacitate ſemper pugnauimus.* Vt autem narrat P. Henao num. 381. congregatio illa, à qua ab fuit P. Lemos, fuit vigeſsima quinta, cui pro eo ſuffectus eſt Didacus Alvarez.

636 * Ex parte Ieſuitarum primas novem diſputationes ſuſtinuit Pat. Gregorius

de

de Valentia, cui in morbum lapso, quo Neopoli extinctus est, successit P. Petrus de Arrubal, vsque ad disputationem 19. quo etiam gravi invaletudine correpto, cæteras absolvit P. Ferdinandus de la Bastida. Disputationes 37. habitæ sunt coram Clemente VIII. vsque ad diem primam Ianuarij ann. 1605. quo è vivis sublato sub initium Martij, decem sequentes habitæ sunt coram Paulo V. à mense Septembri eiusdem anni vsque ad Februarium sequentis. *

637 His peractis, completa omniũ, quæ disputa fuerunt censura tradita est Pontifici. Qui conveniens cum solis Cardinalibus eam expendit, & de sententia iuxta merita causæ ferenda consulvit; ac tandem die 28. Augusti D. Augustino sacra anno 1606. maiori, meliorique censorum parti, vt secundum prudentię leges omnino debuit, adhærens, cum eisdē Cardinalibus pronuntiavit, vt omnis doctrina Molinæ, ne vno quidem eius concordiæ ablato, additovè iota, indemnis conservere, & vtriusque familiæ sententia in Scholis Catholicis, tutè, & impunè doceretur, donec aliud à Sancta Sede decernatur: eá tamen lege, vt neutra pars alteram censuris carpat, iniurisvè lacessat. Quæ Pontificis Sanctio vtrique parti intimata est, & vlterior huius causæ processio interdicta.

638 De hoc decreto sic Spondanus ad annum 1606. *Anno Christi 1606. indictione 4. Paulus V. Pontifex Maximus disputationes de graui illa, ac molesta controuersia de diuinæ gratiæ auxilijs, & libero arbitrio, quam inter Religiosos Prædicatores, & Societatem Iesu, sub Clemente VIII. agitatam innuimus, quibus ipse Paulus cum cæteris Cardinalibus illius Congregationis semper interfuerat, conticescere iussit; sanxitque postmodum, vt vtrisque, dum aliud decerneretur, liberum esset suam sententiam tueri, sed sine damnatione alterius partis.*

Huius decreti Pauli V. mentionem faciunt Silvius in præfatione ad 1. p. S. Thomæ, Andreas Duvallius Doctor Sorbonibus, & Regius in Academia Parisiensi Professor tom. 1. *in* 1. 2. tract. de divina gratia sub initium: Ioannes à S. Thoma in 1. p. disp. 20. art. 6. n. 1. & alij passim. Et V. P. Ludovicus à Ponte in vita admirabilis Virginis D. Marinæ de Escobar lib. 4. cap. 18. §. 1. testatur, hoc decretum publicatum fuisse in omnibus Hispaniæ Academijs an. 1608.

639 Hęc est vera, & narratio huius celebris controversiæ de his plura scitu digna habent P. Anatus de scientia media disp. 4. cap. 1. & in responsione ad fabulas Quęstionarij Tolosani. Paulus Leonardus p. 1. sect. 1. 2. 3. & sequentibus. P. Ripalda tom. 2. disp. 113. sect. 9. 10. 11. 12. & 13. P. Gabriel de Henao de scientia media historicè propugnata event. 1. 2. 3. & 4. apud quos solidè refutatas, & tanquam omnis expertes veritatis valide reiectas videbis narrationes Salmanticensium Discalceatorum, Ioannis à S. Thoma, Francisci Felicis, Vincentij Lenis, hoc est Fromondi, & P. Xantis Mariales Dominicani.

640 Ex dictis constat, quam meritò Sylvester Maurolicus lib. 5. Occeani Religionum. Molinam eiusque doctrinam ornet hoc elogio: *Ludouici Molinæ eruditus de auxilijs partus, positus in fornace examinis Pontificij, & sæpius igne probatus, deprehensum est aurum omnibus numeris purgatissimum. Ipse verò Molina in Theologia Morali tantæ est authoritatis, tantæque æstimationis in tribunalibus, & apud Iuristas, vt sine vllo adminiculo, aut copia aliarum authorum, adferat lumen veritati, decisionem causis, terminum litigijs.*

641 * Iactent igitur quantum libuerit adversarij (vt cum Par. Platelio loquar) quod Molinam, eiusque concordiam: *Sæpe impugnauerint a iuuentute sua*, ei in honorem abundat Regij Vatis Hemestichium, *etenim non potuerunt mihi.*

Certè non puto vllum extare in Ecclesia librum, qui vrgentibus adversarijs tanta authoritate, & doctrina pollentibus, tot & adeo severa Vniversitatum, Inquisitionum, & Summorum Pontificum examina indemnis subierit, nulla, vel minima eius propositione non approbata, vt irreprehensibili, & sana, & in Scholis Catholicis secure permittenda. De hoc sanè congratulari potest Molina, & vniversa Societatis Schola.

642 Sanè qui attentè perpenderit, quam propensus fuerit Clemens Octavus initio huius controversię tanquam Doctor particularis in sententiam Patrum Dominicanorum, & quid postea decrevit tanquam Summus Ecclesiæ Pastor; & consideraverit potentiam Patrũ Dominicanorum, tum ob maximam, quã merito apud omnes habebant sapientiæ & doctrinæ existimationem; tum ob authoritatem, quã Romæ obtinebant ratione Magisterij Sacri Palacij, & aliorum munerum, quæ hæc Sacra Familia in Inquisitione Romana, & alijs Congregationibus exercebat: tum ob gratiam Catholici Regis Philippi Tertij, quam Regius Confessarius eiusdem Sactæ Familiæ, & præcipue Lermensis Dux, primus & maximus Administer apud Regem potentissimus, PP. Dominicanis maximam conciliarat. Scribit enim P. Henao num. 397. *Sibi exploratissimum esse: Oratores Regis Catholici aduersos fuisse*

ſe cauſæ Societatis, tamque inſtanter ſupplicaſſe pro Patribus Dominicanis ad Papam, adductis ſæpius litteris Regijs, & frequentatis pedum oſculis, vt Papa Regi reſcripſerit: Fili, hoc non eſt negotium favoris humani, ſed revelationis Spiritus Sancti. Qui hæc omnia attente conſideraverit, aperte perſpicier, victoriam hanc ſcientiæ mediæ, è cœlo Societati datam vt nimirum poſsit hæc ſuam concordia prædeſtinationis, & gratiæ cum noſtra libertate facilius de hæreticis huius temporis triumphare.

643 Idque confirmare poſſumus teſtimonio Venerabilis Virginis D. Marinæ de Eſcobar, Fundatricis Brigitenſium Hiſpaniæ, de quo mentionem fecit P. Henao de ſcientia media hiſtoricè propugnata n. 151. ex manuſcriptis, & ex ipſo Philaletes num. 121. & quod poſtea ex impreſsis latinitate donavit tom. 1. de ſcientia media Theologicè defenſata pag. 419. num. 1849. Nam V.P. Ludovicus à Ponte, vitæ ſanctitate ſcriptis toto orbe Chriſtiano notiſsimus, in vita huius admirabilis Virginis, quam manu ſua ſcriptam reliquit lingua Caſtellana, & typis primo excuſſa eſt an. 1665. ſic adverbum ſcribit lib. 4. cap. 18.

644 Bien ſabida es en toda la Chriſtiandad, la diferencia que ha avido entre la Sagrada Religion de Santo Domingo, y la Compañia, ſobre ciertas opiniones, del modo como ſe dan los Auxilios de la Gracia, pretendiendo cada Religion, con buen zelo, que ſu opinion era mas verdadera, y mas conveniente para ſalvar lo que la Fè Catholica nos enſeña de la eficacia de la Divina Gracia, y de la libertad de nueſtro libre alvedrio; pero la Compañia, como fue la acuſada, ò denunciada de ſu opiniõ ante la Sede Apoſtolica, aſsi padeciò mayores aprietos. En eſte tiempo Doña Marina de Eſcobar, parte por inſtancia de los de la Compañia, y parte por la pena que ella recibia con eſtos aprietos, acudia à nueſtro Señor con muchas veras para que lo remedialſe.

645 Vna vez (dize) ſe me aparecierõ los dos Glorioſos Patriarcas Santo Domingo, y San Ignacio: y el Glorioſo Santo Domingo me dixo, que rogaſſe à nueſtro Señor por los buenos ſuceſſos, porque andaba la Compañia apretada. Admirada yo de la caridad del Santo, le dixe: Pues como Santo Padre la caridad no comiença de ſi? Pues porquè no me dizes, que ore por los tuyos, ſino por la Compañia? Reſpondiò el Santo: porque eſto conviene à la Gloria de nueſtro Señor. Y hablando yo à nueſtro Padre San Ignacio, ſobre eſto, ſolamente me reſpondiò con ſerenidad: Hagaſe en todo, y por todo la voluntad de nueſtro Señor. Yo deſpues de eſto ſupliquè inſtantemente à nueſtro Señor por eſte negocio, y quedè con grandes eſperanças, de que tendria buen ſuceſſo. Y otra vez tuve mas claramente reſpueſta, de que no quedaria confundida la Compañia en eſtas diferencias; y que la verdad tendria ſu lugar. *Hucuſque reuelatio huic Virgini facta. Poſtquam ſubiungit Venerabilis P. Ludouicus à Ponte.*

646 Eſto paſsò el año de 1600. y el de 1603. y el ſuceſſo haſta aora ha deſcubierto aver ſido verdadera la reſpueſta: porque el año de 1608. ſe publicò en las Vniverſidades de Eſpaña el decreto de la Santidad del Papa Paulo Quinto, en que mandaba, que cada vna Religion pueda libremente defender ſu opinion, ſin que la vna cenſuraſſe la ſentencia de la otra. En lo por venir todos nos hemos de tendir, y ſujetar à lo que ſu

San-

Santidad determinare; pues su determinacion en estas materias es cierta, por la asistencia que tiene del Espiritu Santo, para no errar en las cosas de Fè, que determina. *Hactenus insignis iste vitæ spiritualis Magister, & Doctor mysticus.*

§. XXXXIII.

Secundum caput commendandi doctrinam Societatis in materia auxiliorum, ex Victoria, quam obtinuit à Michaele Baio, & eius assectis, quorum authoritate commota Vniuersitas Louanienſis, & Duacenſis acrem censuram tulerunt contra indifferentiam auxiliorum; quam censuram Sedes Apostolica damnauit.

647 VT constet, quænam fuerit famosa illa censura Lovanienſis, quam adversus sententiam Societatis adducunt M. Alvarez tract. de origine Pelagianæ hæresis cap. 33. num. 18. M. Ioannes à S. Thom. in 1.p.q.14.disp.20.art. 4. §. *Quapropter*, Gonet tom. 1. cursus Theologici disp.6.de scientia Dei art.5.§.7. & lib. 1. resp onſ. cap.1.n. 3. & Thomas de Lemos in sua panoplia gratiæ tom.1.p.1.lib.6. pag. 126. & 127. Vt, inquam, constet, quæ nam fuerit hæc censura, in medium proferam testem omni exceptione maiorem, qui absque partium affectione huius censuræ Lovanienſis historiam fideliter narravit, nimirum Illustrisimum ac Reverendisimum *D. Isaacium Habert* Episcopum Braccenſem, antea Canonicum, & Theologum Ecclesiæ Parisiensis, ac Doctorem Sorbonicum, quam sic ad verbum habet in defensione fidei cap 14. §. 3.

„ 648 Cum plurimæ propositiones „ Michaelis Baij Doctoris, & Decani Vniver„ sitatis Lobanienſis damnatę fuissent à Pio V. „ & Gregorio VIII. velut hæreticæ, erroneæ, „ suspectæ, schandalosę, & in aures pias offen„ sionem immittentes respective: cępit Vni„ versitas eodem Baio instigante, cui multi „ eiusdem Academię Doctores adhæserant, in„ quirere in scriptis novorum Theologiæ Pro„ fessorum Societatis Iesu, si quid esset, quod „ reprehenderet. Aggressa est igitur Lesium, „ & Hamelium, qui erant inter primos, & ce„ leberrimos Theologos prædictæ Societatis, „ erga quam non obscurum æmulationis affe„ ctum exercebat, eorumque scripta examina„ vit, & triginta propositiones censura nota„ vit, inter quas vna erat de gratia sufficiẽ„ te. Atque hanc censuram subsecuta est altera „ Duacenſis Academiæ, quæ Vniversitatis Lo„ banienſis filia est. Ambę vero coniunctim „ Parisiensem facultatem Theologicam invi„ tarunt ad idem faciendum. Quod ipsa præ„ cisè facturam se negavit. Quin etiam præ„ stantes in Belgio Theologi, & plures Episcopi in censuram illam Lobanienſem, velut „ iniquam, & abusivam insurrexerunt: vt inter „ alios Ioannes Strienus Episcopus Mi'deburgenſis, Lelius Torrentius Episcopus Antuerpienſis, Thomas Stapletonus celeberrimus „ scriptor controversiarum, qui censuram im„ portunam eam nominavit, & Octavius Ca„ latinus Episcopus Nuntius Summi Pontificis „ cum potestate legati à latere pluresque alij „ graviſsimi Theologi.

„ 649 Inter ea vero P. Lesius suas „ illas propositiones à facultate Lobanienſi „ damnatas, mittit ad Summum Pontificem „ Sixtum Quintum cum sua Apologia; omnia„ que eius iudicio submittit. Pontifex autem „ qui doctisimus erat, convocato Cœtu Car„ dinalium post longam, & profundam dis„ cussionem, illas omnes propositiones appro„ bavit, tanquam articulos *sanam doctrinam* „ *continentes*: mandavitque suo Nuntio, & „ legato supra nominato vices, hanc suam sen„ tentiam pronuntiandi, & præcipiendi sub „ pœna excommunicationis, ne quis eosdem „ articulos damnaret, vel censura vlla notaret: „ vt videre est in litteris Sixti V. typis Masij „ anno 1588. Iulij 10. Ab eoque tempore mul„ ti professores, & Doctores Lobanienses scrip„ serunt conformiter doctrinæ Lesij, & com„ muni Theologorum de gratia sufficiente; si„ cut ante Baium multi alij fecerant. Hucusque Habertus, ita demum concludens: *Cu„ ius ergo momenti est, & cuius roboris* „ *Baiana, aut Lobanienſis censura? Vel quid* „ *Baio prodesse potest, cuius errores à tri„ bus Summis Pontificibus damnati sunt?* „ *Cum ab ipsa Sede Apostolica fuerit im„ probata, & vertens in dedecus Authorũ* „ *suorum ad nihil aliud profuerit, nisi vt* „ *articulus de gratia sufficiente recensere„ tur ab ipso Summo Pontifice, cum consi„ lio Cardinalium, inter articulos sanæ do„ ctrinæ.* Hucusque Illustrisimus Episcopus. Cuius narrationi per omnia consonat narratio huius historię facta à Provincia Flandovelgica Societatis Iesu in opere cui titulus, *imago primi sæculi*, lib. 6. capit. 4. quam transcribit

Pau-

Paulus Leonardus parte 3. cap. 9. numer. 42. & 43.

650 Conſulantur alia, quæ circa hãc cenſuram ſcripſi tom. 1. diſp. 36. ſect. 9. à pag. 531. ex quibus conſtabit, non poſſe ſine iniuria Sedis Apoſtolicę, & ſine cenſurarum incurſu, niſi per ignorantiam allegari cenſuram Academiæ Lobanienſis contra doctrinam Societatis, vt monet Antonius Morayues in Anti Ianſenio diſp. 25. ſect. 4. num. 24. eam quidem allegat Ianſenius Iprenſis lib. 3. de gratia Chriſti ſalutaris cap. 1. vt ex illa probet, nullũ dari hominibus in ſtatu naturæ lapſæ adiutorium gratiæ verè ſufficiens ad bene operandum, ſi non datur auxilium quo ab intrinſeco efficax, tribuens vires efficaciſſimas voluntati, & actum primum eſſentialiter cum actu ſecundo connexum conſtituens, ex quo principio per evidentem conſequentiam intulit: *Ad merendum & demerendũ in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem à neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione*: quæ eſt tertia ex quinque damnatis, propoſitio ab Innocentio Decimo. Audiamus ipſum Ianſeniũ loco citato, qui vt probet, nullum dari poſt lapſum adiutorium ſufficiens, quin ſimul efficax ſit, inter alia argumenta ad hunc errorem perſuadendũ adducit cenſuram illam ijs verbis: *Apertiſsimè hoc tanquam S. Auguſtini doctrinam docuerunt duæ celebres facultates Sacræ Theologiæ, Lobanienſis, ad Duacenſis, quando iudicij ſui cenſuram aduerſus propoſitiones quaſdam ſibi oblatas protulerunt: Nam Lobanienſis in cenſura propoſitionis 14. ſic loquitur: Cum certum ſit, &c. Et in Apologia cenſuræ ſuæ multis argumẽtis ex profeſſo improbat, id quod ab aliis dictum fuerat: fieri poſſe, & de facto ſæpe fieri, vt quis auxilium habeat præueniens, omnino ſufficiens in genere auxilij præuenientis ad conuerſionem, & tamen non conuertatur, quia non placet, de qua propoſitione ſubijciunt generaliter: hoc eſt, quod iterum nobis non probari teſtamur, negamuſque doctrinæ Auguſtini conſentaneum.*

651 Hanc cenſuram maximis laudibus extollunt huius temporis hæretici; & Doctores quidam Lobanienſes, qui Ianſenij factionem adhuc ſuſtentant, eiuſque doctrinam ſectantur, quamvis fucum facere velint, vt longe videantur diſtare à doctrina, quam in præcordijs habent, vtrumque demonſtrat recentiſsimus ſcriptor Belga, ſanæ doctrinæ contra novatores acerrimus defenſor, & Ianſeniſtarum flagellum, videlicet Iulicus Ionſon, qui in egregio opuſculo Coloniæ excuſſo anno 1682. apud *Vaillelmum Frieſſen Bibliopolam*, cui titulus: *Doctrina nova ac nona, & an vera? Circa materias varias deprompta ex compendio Eximij Domini Gumari Huygens, cum digreſſione ad doctrinam Eximij Domini Franciſci Vanvianen.* In hoc, inquam, opuſculo politiſsimus hic Theologus, & ſolertiſsimus Anti-Ianſeniſta, ſic pag. 151. poſt verba Ianſenij exſcripta ſubiungit.

652 * Placet audire recentiſsimum cenſuræ Lobanienſis encomium. Accepi theſes *Melchioris Leydekeri* Calviniſtæ celebris, Theologiæ profeſſoris vltraiecti: theſi 52. propugnata 26. Iunij 1680. paucis narrat, quomodo à varijs tum Epiſcopis, tum alijs, Bulla Pontificis contra Ianſenium fuiſſet admiſſa; tum ita ſubdit Calviniſta: *At cordatiores illis Papæ adulatoribus* (qui Bullam admiſerunt) *fuere Lobanienſes, qui in ſua perſiterunt mente, eoque vehementius inuecti ſunt in Ieſuitas omnium perturbationum cauſas: nec defuerunt in hũc hucuſque diem in Vniverſitate Lobanienſi Doctores, qui Ianſenio faverent, quidquid impotens Papa fulminaverit: vtique necdum erant obliti viri docti anteceſſorum ſuorum cenſuræ contra oborientes præcedenti ſæculo anno 1586. Leſſianas, ſeu Ieſuiticas Theſes, iterum confirmatæ an. 1613. quam probauerat Ianſenius, quæque totius adeò Iãſeniani voluminis approbationem continebat, vti Ieſuitarum cõdemnationem.* Poſt pauca laudat Calviniſta hic profeſſor cenſuram hanc Lobanienſem, vt *Neruoſiſsimam, ac dignam omni laude.*

653 Pergit deinde Vlicus Ionſon, & poſt ex ſcripta verba Illuſtriſsimi *Iſaacij Habert* Epiſcopi Bravenſis ſupra appenſa num. 648. & 649. ſubiungit pag. 156. Atque hæc eſt famoſa illa cenſura Lobanienſis, quæ hodie Lobanij Theologorum omnium teritur manibus contra expreſſam, ac ſeveriſsimam Sedis Apoſtolicę prohibitionem: hanc publice in Schola quotidie commendat Eximius *Franciſcus Vanvianen*; hanc ipſe non impudenter, minus qvam confidenter pronuntiat eſſe approbatam Sedis Apoſtolicæ authoritate. Hinc aliqui perſuadere conantur ipſum Auguſtinum Cornelij Ianſenij tuto nunc poſſe legi, ac typis excudi, tanquam qui ſit à Sede Apoſtolica approbatus. Quid enim? Si approbata ſit cenſura Lobanienſis, quę *Ianſeniani voluminis approbationem continet*, vti & *Ieſuitarum condemnationem*, teſte *Melchirre* ipſo *Leydec Kero* Calviniſtæ Theologię profeſſore, quid ni approbatum cenſeri poſsit volumen ipſum Ianſenij; & condemnata contraria *Ieſuitarum* doctrina? Nunc intelligo, quo nitantur fundamento, qui nuper in Hollandia Typographo inter hæreticos Catholico perſuaſerunt, Auguſtinum *Cornelij Ianſenij* Romę eſſe approbatum;

tum; nunc capio, qua authoritate mittantur: qui hoc tempore plenis buccis proclamant, doctrinam Iesuitarum ibidem esse damnatam, audiunt scilicet in dies singulos intrepidè affirmantem suum Magistrum: censura Lobaniensis approbata est Romæ subsumunt discipuli. Atqui censuram hanc probavit Ianſenius, censuræ huius authoritate errores suos stabilivit, imo censura hæc totius Ianseniani voluminis approbationem continet, vti Iesuitarum condemnationem: ergo doctrina Ianſenij est approbata: ergo damnata doctrina Iesuitarum. Ementita hac censuræ Lobaniensis approbatione nixus *Gumarus Huygens* doctrinam suam *in compendio censuræ authoritate confirmare non erubescit.* * Hucusque Vlicus Ionson.

654 Legant hæc Doctores Catholici, & erubescant; quod allegaverint adversus Scholam Societatis censuram Lobaniensem, quę *totius Ianseniani Voluminis approbationem continet*, teste Calvinista professore; & qua ipse Ianſenius vsus est ad confirmanda sua hæretica dogmata, quamque hæretici, & Ianseniste summis extollunt encomijs, & quam Sixtus V. Pontifex Romanus reprobavit, & sub pœna excommunicationis prohibuit, eo quod turpiter notavit, *quosdam sanæ doctrinæ articulos.* Et sciant omnes, neminem posse allegare hanc censuram, quin reus sit violatę Pontificiæ constitutionis, & latę adversus illius violatores excommunicationis, & ex ijs cognoscant, quanta sit commendatio doctrinæ Societatis, quæ non potuit censurari ab Academia Lobaniensi, quin ab eadem approbarentur Ianſenij, & Calvinistarum.

655 Vt autem palam omnibus constet, quam iniqua fuerit censura illa Lobaniensis adversus doctrinam Societatis, latam, & à Baio, eiusque discipulis fabricatam: & quam immerito allegetur à Doctoribus Catholicis; in gratiam Theologorum, qui hoc nostrum opus legerint, libet hic appendere egrium opusculum Cardinalis Bellarmini, quod scripsit ad defendendam doctrinam Societatis contentam in manuscriptis P. Lesij, contra quam emanavit ex odio Baianorum illa acris censura. Vnde legentibus simul constabit, quodnam fuerit iudicium Eminentissimi Bellarmini de physica prædeterminatione, & quam constanter censuerit illam esse contrariam principijs D. Thomæ, & omnium antiquorum Theologorum: opusculum hoc autentica munitum authoritate, vt supra vidimus num. 502. publica luce donavit an. 1673. P. Iacobus Platel nostræ Societatis insignis Theologus, & in Duacensi Collegio Primarius olim professor, satis orbi notus ob præclarã synopsim cursus Theologici, quam in lucem edidit an. 1604. & novis luminibus auctam paucis ab hinc annis iterum excusit, in qua mira claritate atque brevitate difficilimas quasque controversias explicat, atque resolvit.

§. XLIV.

Defensio doctrinæ Societatis Iesu censuratæ ab Vniversitate Lobaniensi, oblata à Cardinali Bellarmino summis Inquisitoribus Romæ an. 1590. ex qua constat sanitas doctrinæ illius; & absurditas doctrinæ contrariæ, quam primò docuit Baius; & postea secutus est Ianſenius. Vbi ex iudicio Bellarmini constat, quantum distet à mente D. Thom. & quam parum consonet Tridentino doctrina prædeterminantium.

656 Controversia Lobaniensium inter facultatem Theologicam, & professorem quendam Societatis Iesu (is erat P. Lesius) *de providentia, de auxilio sufficienti, & efficaci, de prædestinatione, & perseverantia, pendent omnes ab vna radice, videlicet à controversia de cooperatione Dei cum libero arbitrio. Nam facultas Theologica existimat, tam in actionibus naturalibus per auxilium generale, quam in supernaturalibus per auxilium speciale non solum cooperari cum libero arbitrio nostro in omnibus eius operibus; sed & determinare ipsum liberum arbitrium ad hoc, aut illud opus prius natura, quam ipsum liberum arbitrium se determinet.*

657 *Professor autem ille Societatis Iesu existimat, Deum quidem cooperari cum libero arbitrio in omnibus eius operibus, ita vt nihil omnino fiat in actionibus naturalibus sine auxilio generali, in actionibus supernaturalibus sine auxilio speciali eiusdem: tamen non admittit, determinari prius natura liberum arbitrium à Deo, sed determinari, dicit, à se ipso, Deo concurrente, & cooperante.*

658 *Ex hac radice oritur primo controversia de Providentia: facultas enim Theologica, quia existimabat Deum prædeterminare actiones omnes etiam liberas, & contingentes, docet providentiam Dei efficaciter præordinasse omnia, quæ fiunt ante præuisionem determinationis causarum secundarum.*

659 *Professor Societatis, quia existimat Deũ dedisse rebus omnibus vim operatiuam, & illis cooperari, non tamen prædeterminare actiones liberas, & contingen-*

tes;

tes, nisi præcognita prius determinatione causarum secundarum.

660 *Ex eadem radice oritur secundo: controversia de auxilio sufficienti in operibus gratiæ; facultas enim, quia existimat adiutorium gratiæ necessarium ad singulas bonas actiones determinare intrinsece, & actiuè voluntatem ipsam ad actionem prius natura, quam ipsa voluntas se determineti docet nullum auxilium esse verè sufficiens, quod non sit efficax, cum sine isto adiutorio determinante voluntatem homo non possit operari, & isto adiutorio præsente homo nō possit non bene operari.*

661 *Professor autem Societatis, quia existimat adiutorium gratiæ necessarium ad bonum, non prædeterminare actiuè voluntatem nostram, sed eam præparare per inspirationes, & illuminationes internas, & sic præparatam protegere, & dirigere, & cum ea operari, si velit cooperari, docet distingui auxilium vere, & propriè sufficiens ab auxilio efficaci: quia nimirum voluntas præparata per inspirationem, & habens Deum prōptum ad cooperandum, protegendum, & dirigendum, quod alij dicunt habere auxilium adiuvans in actu primo, possit determinare se se ad eligendum bonū, quamvis etiam possit determinare se ad cōtrarium; docet etiam consequenter dari omnibus auxilium sufficiens ad salutem.*

662 *Ex eadem radice oritur tertio: controversia de auxilio efficaci. Facultas enim, quia non distingit auxilium sufficiens ab efficaci, vt supra dictum est, docet auxilium efficax esse illud, quod actiuè determinat voluntatem ad bonum eligendum; & consequenter docet auxilium gratiæ efficax non posse reijci.*

663 *Professor Societatis docet, auxilium efficax esse illud, quo Deus vocat hominem, id est, præuenit illustrando, & inspirando, sicut vidit congruum esse illi, vt sequatur, & consequenter docet auxilium gratiæ efficax posse quidem reijci, & reipsa sæpe reijci*: Quod intellige de efficaci spectato entitativè, & in actu primo.

» 664 Ex eadem radice oritur quarto controversia de prædestinatione. Facultas enim, quia gratiam efficacem ponit in illa determinatione voluntatis, de qua diximus, docet prædestinationem esse præordinationem mediorum, quibus infallibiliter salvantur electi, non præsuppositā præscientia eorum, quę homo faciet, si tali vel tali modo præveniatur.

» 665 Professor autem Societatis, quia gratiam efficacem ponit in eo, quod homo vocatur à Deo sicut congruum est illi, vt vocantem non respuat, docet prædestinationem esse quidem præordinationem mediorum, quibus infallibiliter salvantur electi, sed præsupponendam præscientiam conditionatam, id est, quid homo facturus sit, si hoc, vel illo modo vocetur.

» 666 Ex eadem radice oritur quinta controversia de perseverantia; nam facultas sicut negat auxilium sufficiens, & solum agnoscit efficax: ita etiam docet non dari bonum perseverantiæ, quo vere possint iusti perseverare, si velint, quamvis non perseverent, sed solum dari donum perseverantiæ, quo reipsa perseverent, qui perseverant.

» 667 Professor autem Societatis docet dari omnibus iustis donum, quo perseverare possint, si velint, quamvis multi eorum non perseverent, & rursus dari solis electis donum, quo re ipsa infallibiliter perseverent.

Quid à Sancta Sede Apostolica desideretur.

» 668 Circa has controversias, professor ille Societatis, qui primus iudicium Sedis Apostolicæ appellavit, non petit definiri, vtra pars sit verior (id enim forsasse longiorem discussionem desideraret) sed solum vtra pars sit tutior vel certe, an doctrina ipsius sit libera ab errore, ac temeritate, quandoquidem facultas Theologica, per publicam censuram, eam doctrinam erroris notavit, & non sine schandalo Catholicorum & gaudio hæreticorum, inusta est infamiæ nota professori illi, & per eum vniverso Ordini nostro.

» 669 Hoc autem iudicium de syncritate doctrinę parvo negotio ferri potest. Illa enim doctrina omnium consensu secura censeri solet, quæ est in Ecclesia communior, & quam hactenus multi probati Authores tradiderunt. Quod si hac ratione instituitur examen, vt plane instituendum videtur, facile res tota expediri poterit, nam quod attinet ad radicem omnium controversiarum, authores plurimi tum Scholastici, tum Patres, dissertis verbis docent, non prędeterminari voluntatem in actibus liberis, imo, vt fatear, neminem legi, qui contrarium sentiret, præter hæreticos. (*Non pervenerant adhuc ad manus Bellarmini commentaria Magistri Bañez in* 1. 2. *& in* 1. *partem, quæ paucis annis antequam hæc Bellarminus scriberet, in Hispania impressa fuerant, nempe anno* 1584. *&* 1585. *&* 1588.)

670 Sanctus Thomas in prima secundæ quæstione 9. articulo 6. vbi explicat quemadmodum voluntas moveatur à Deo actiue, dicit: *Voluntatem à solo Deo moueri actiue, quia ipse solus Voluntatem creauit, eique indidit inclinationem ad bonum incommuni, in quâ inclinatione includitur omnis inclinatio ad bonum in particulari.* Et ponit exemplum de gravibus, & levibus, quæ dicuntur moveri à generante, quia ab ipso acceperunt gravitatem, & levitatem, per quam inclinantur ad ascendendum, vel descendendum.

671 Et in responsione ad tertium dicit in particulari voluntatem determinari à seipsa per rationem: ad tertium inquit: *Dicendum, quod Deus movet Voluntatem hominis sicut Vniuersalis motor, ad Vniuersale obiectum Voluntatis.* Quod est bonum, & sine hac vniversali motione, non potest aliquid velle, sed *homo determinat se per rationem ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum,* Vbi particula adversativa (sed) ostendit determinationem particularem referendam esse in ipsam voluntatem, non in Deum prius determinantem, determinationem autem vniversalem in bonum in genere referendam esse in Deum, qui est causa vniversalis.

672 Idem Sanctus Thomas in prima secundæ quæstione 80. articulo 1. ad tertium: *Dicendum,* inquit, *quod Deus est Vniuersale principium omnis interioris motus humani, sed quod determinetur ad malum consilij Voluntas humana, hoc directe quidem est ex Voluntate humana, & à Diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.* Idem in secunda secundæ quæstione 174. articulo 2. docet iuxta Damascenum, Deum quædam præcognoscere, vt à se facienda, & hæc prædefinire, ac prædestinare: quædam præcognoscere, vt à libero nostro arbitrio facienda, & hęc præcognoscere tantum, & non prædefinire: hęc ille.

673 Nec his repugnat, quod Sanctus Thomas in primam partem quæstione 105. articulo 5. quæstione 3. de Potentia articulo 7. & libro 3. contra gentes, capite 20. docet Deum non solum homini dedisse voluntatem, & eam conservare, sed etiam applicare in omni opere ad agendum; hæc, inquam, non repugnant superioribus; quia Sanctus Thomas dicit quidem Deum applicare voluntatem ad operandum, præter loca citata in quæstione 3. de Potentia, articulo 7. ad decimumtertium: *Voluntas,* inquit, *dicitur habere dominium actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in Voluntate, vt eam de necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam; & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & Voluntatis.* Et idem repetit in prima secundæ quæstione 10. artic. 4.

674 Quomodo autem Deus moveat voluntatem, eam applicando, & tamen non determinet, sed relinquat determinationem in potestate voluntatis, explicat idem Sanctus Thomas prima secundæ quæstione 10. articulo 4. vbi dicit, divinam motionem recipi in causis secundis secundum earum dispositionem.

675 Et fusius hæc explicat in quæstione 2. de malo, articulo 2. *Attendendum,* inquit, *est, quod motus primi mouentis non recipitur Vniformiter in omnibus mobilibus, sed in vnoquoque secundum proprium modum.*

676 Et hoc est, quod Capreolus, Caietanus, & Ferrariensis dicunt influxum Dei modificari, & determinari à causa secunda; quia vnumquodque recipitur secundum modum, & dispositionem recipientis, &c. *Hæc amplius ibi explicat, & confirmat authoritate Veterum Theologorum, & Patrum, quæ breuitatis causa non transcribimus.*

677 His accedit, quod hæc sententia, quæ negat prædeterminari voluntatem à Deo, non solum non repugnet vlli parti nostræ fidei, vt etiam multi non capiant (inter quos me esse fateor) quemadmodum non repugnet contraria Concilio Tridentino, & non evertat liberum arbitrium.

678 Concilium enim cum tam accurate tractaverit de gratia iustificationis, nunquam meminit illius auxilij determinantis voluntatem, sed ponit excitationem, qua præparatur voluntas, & cooperationem Dei in omni opere bono, & addit voluntatem posse consentire, & dissentire, reijcere gratiam, & acceptare, quod recte de gratia illa determinante voluntatem dici non potest.

679 *Everti autem liberum arbi-*

trium, hac ratiocinatione videtur concludi videtur. Libera cauſa eſt, omnium cõſenſu, quæ impedimentis ſublatis, & poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere. Sed prædeterminatio Dei per aduerſarios eſt vnum ex requiſitis ad agendum; & ea poſita, non poteſt voluntas non agere, & non eſt in eius poteſtate, vt non ponatur ea prædeterminatio: ergo voluntas per aduerſarios non eſt cauſa libera, ſed neceſſaria.

680 *Nec ab hac ſententia diſſentire videtur Caluinus, vel vllus hæreticus. Caluinus enim lib. 2. contra Pighium anathema dicit his, qui negant liberum arbitrium: ſi per hoc intelligant liberum à coactione, & non à neceſsitate, quam inducit diuina prædeterminatio. Denique hoc loco aduertendum eſt Doctores Lobanienſes Ioannem Heſſel, & Michaelem Baium aperte receſsiſſe à doctrina communi Scholarium, & antiquorum Lobanienſium, Adriani, Driedonis, Taperij, &c. Et ideò Tileranum, & Cunerium, qui ex antiquis erant, necnon Fratrem quem Franciſcanum nomine Theodium, acriter ſe eis oppoſuiſſe, & tamdiu cum Pontifice, & Rege de hac re egiſſe, donec fecerint, vt plurimæ eorum ſententiæ damnarentur, ſed quamuis publicè damnatæ fuerint hæ ſententiæ, tamen ego cum Lobanij iuvenis eſſem, & poſtea multorum relatione cognoui Michaelem, & duos Diſcipulus in eiſdem erroribus perſeverare. Vnus autem ex præcipui erroribus, qui in eorum doctrina communiter notabantur, erat hic de libero arbitrio, quod videlicet docerent diuinum auxilium in actibus liberis ita prærequiri, vt præſente eo non poſsit voluntas non eligere bonum, & eo abſente voluntas non poſsit non eligere malum.*

681 *Ex quo proceſsit articulus ille in Bulla Pij Quinti, & Gregorij XIII. condemnatus:* Quod voluntarie fit, libere fit, & ſi neceſsario fiat. *Quare cum hoc tempore ſumma controverſia in eadem quæſtione verſetur, & qui accuſant, ſint ipſe Michael, & eius Diſcipuli, conſiderandum eſt, & quo ipſi tendant, & quid grauitatem Sedis Apoſtolicæ deceat, quia in lectionibus ſuis opiniones Michaelis à ſede Apoſtolica damnatas refutabat, quamquam, vt ex eius litteris recipi, in ea refutatione neque hominem vnquam nominauerit, neque opinionem eius hæreticam, aut erroneam appellauerit. Primi enim qui errori, & hæreſis nomen in hac controverſia vſurparunt, Theologi illi fuerunt, qui cenſuram contra nos ediderunt. Hæc de radice controverſiarum.*

682 *Quod attinet ad primam controverſiam de Prouidentia. Sententia Profeſſoris Societatis non videtur vllo modo periculoſa, cum tribuat prouidentiæ præcognitionem, & gubernationem omnium rerum, etiam in particulari. Scriptura enim, & Patres ad ſummum requirunt, vt cadere non poſsit folium in terram ſine Patre noſtro, non autem requirunt, vt omnia prædeterminentur abſolute, non præuiſa diſpoſitione ſecundarum cauſarum.*

683 *Contraria vero ſententia multis videtur facere Deum Authorem peccati, & libero arbitrio præiudicare.*

684 *Quod attinet ad ſecundam controverſiam de auxilio ſufficienti, tam eſt communis Doctoribus, & conformis Scripturæ, & Concilio Tridentino ſententia Profeſſoris Societatis noſtræ, vt contraria à quibuſdam cenſeatur hæretica; & (vt audio) in Hiſpania puniantur à Sancta Inquiſitione, qui eam ſequuntur.*

§. XLV.

Tertium caput commendandi doctrinam Societatis in materia auxiliorum, ex victoria, quam obtinuit à Ianſenio, cuius doctrinam dum condemnauit Sedes Apoſtolica, multum fauit doctrinæ Societatis. Vbi, quis fuerit Ianſenius, quam infenſus ille doctrinæ: quænam fuerint prima quaſi elementa ſuæ Theologiæ: & quid de prædeterminationibus phyſicis ſenſerit.

685 QVISNAM fuerit Cornelius Ianſenius, cuius quinque propoſitiones, totius ſuæ doctrinæ baſes, damnavit, vt hæreticas Innocentius X. Pontifex maximus anno 1653. graphycè decrevit liber inſcriptus *Triumphus Catolicæ veritatis aduerſus Nouatores, ſiue Ianſenius damnatus à Conciliis, Pontificibus, Epiſcopis, Vniuerſitatibus, Doctoribus, atque ordinibus Religioſis*, in Prologo ad Catholicos Lectores:

„ Cornelius Ianſenius, gente Hollan-

dus,

„ dus, patria Leerdemensis, inter Hæreticos
„ educatus à puero, tum Lobanij in Ianſonij
„ Baianorum partium antiſtitis diſciplinam
„ traditus, atque in Gallia frequenti Ioannes
„ Vergerij, nondum Sancti Sigyrani Abbatis,
„ conſortio corruptus, adverſum Catholicos
„ Theologiæ Scholaſticæ Profeſſores livore
„ ſuffuſus, atque odio implicabili, ac tandem
„ non bonis, vt Belgæ norunt, artibus ad Iprē-
„ ſem Epiſcopatum promotus, grande volumen
„ vigiuti duobus annis parturivit, quo ſub Au-
„ guſtini Hipponenſis Epiſcopi Sanctiſsimi
„ ſpecioſa larva auxiliares Calvino, Luteroque
„ copias adverſus Romanam Eccleſiam compa-
„ rare, ac ſubmittere non erubuit. Infœlicem
„ partum, quem vna cum parente peſte ſublato
„ enecari, eodemque ſepulchro condi, aut ad
„ æternam nominis infamiam vltricibus flam-
„ mis vſtulari oportuerat, Libertus Fromondus,
„ & Henricus Calenus furtivis typis excuſſum,
„ elogijs, indicibus, atque appendicibus locu-
„ pleratum, vulgarunt in lucem: exceperunt
„ ſummo applauſu, & congeminatis ad ravim
„ vſque acclamationibus diffamarunt Sancyra-
„ nius Abbas alter libri pareus, eiuſque Secta-
„ tores ac diſcipuli, Arnoldus, vterque Magi-
„ ſter, Hellerinus, Labadius, Hamelius, &c. Ac
„ nonnulli alij, ob inſignem audaciam temeri-
„ tatemque Concilij Oecumenicis, ſummo-
„ rumque Pontificum Pij V. Gregorij XIII.
„ Vrbani Octavi, Innocentij X. decretis, Ca-
„ tholicorum Theologiæ Scholaſticę Docto-
„ rum Academijs omnibus imprudentiſsimè re-
„ luctantem, tota Gallia, atque adeò toto iam
„ prope modum orbe Chriſtiano notiſsimi.

686 Vt autem teſtatur Antonius Moraynes in ſuo anti-Ianſenio diſput. 1. ſect. 1. n. 3. Ianſenius *Capitale odium aduerſus Theologos Societatis Ieſu Vbique præſefert*: idem repetit ſect. 5. n. 45. & ſect. 6. n. 57. quod etiam teſtatur P. Dechams de hæreſi Ianſeniana lib. 1. diſput. 2. cap. 8. num. 6. & 7. vt patet ex atrociſsimis convicijs, graviſsimiſque calumnijs, quibus prima Societatis luminaria Bellarminū, Suarium, Vazquium, Molinam, Leſsium, Valentiam paſsim proſcindit. Verba contumelioſa, quę in Bellarminum evomuit lib. 2. de gratia Salvatoris cap. 30. refert idem Author in præfatione Anti-Ianſenij ad orthodoxos pag. 3. Quam vero contumelioſe dilaceret duo illa fulmina Scholaſtici belli Suarium, & Vazquium palam fiet legenti eius verba apud Antoninum Moraynes pag. 4. eiuſdem prætationis. Vix vllus reperietur citatus à Ianſenio Ieſuita in ſuo *Auguſtino*, qui maledicentiam eius vitare poruerit, vt autem maiorem Doctoribus Societatis conflaret invidiam, & apud imperitos Ecclesiæ eos denigraret; ad finem decumānis illius operis de Gratia Salvatoris ſtateram doloſam appoſuit, & in ea noſtrorum Theologorum doctrinam cum Semipelagianorum dogmatibus verè, aut falſo præſumptis appendit, parallelum inſtituens inter Ieſuitas, & Pelagianos. Sed Theologi Lobanienſes Societatis Ieſu in theſibus anni 1641. paulò poſt editum *Auguſtinū Ianſenij* huc doloſæ ſtateræ triplicem oppoſuere Antiſtateram fidelem, quam Antoninus Moraynes, addidit ſuo Anti-Ianſenio à pagin. 683. in qua Antiſtatera Ianſenij doctrinam primo quidem cum definitionibus oppoſitis Concilij Tridentini ex adverſo collatam exhibuerunt. Tum ſecundo, cum propoſitionibus Michaelis Baij damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. eandem compoſuerunt. Ac tertia denique, cum Luteri, & Calvini, & vtriuſque Sectatorum erroribus. Sicut autē ex duplici priori ſtatera manifeſte conſtat, doctrinam Ianſenij ex diametro opponi diffinitionibus Tridētini, & Bullis Pontificum contra Baium editis, ita ex poſteriori conſtat, doctrinam Ianſenij deſumptam fuiſſe ex Calvino, & Lutero; eorumque Diſcipulis, vt evincit Pat. Stephanus Dechams in illuſtri illo opere de hęreſi Ianſeniana in tres libros diviſo, quorum primus eſt: *Ianſenius hæreticorum plagiarius. II. Ianſenius pridem cum hæreticis damnatus. III. Ianſenius poſt hæreticos Sancti Auguſtini corruptor.*

687 Hoc odium Ianſenium compulit extra patriā ſuam peregrinari, in Hiſpaniæ Academias penetrare; & ibi tempeſtatem contra Societatis Scholam commovere, vt eius doctrinā, ſi fieri poſſet, à Chriſti Authorum finibus ex terminaretur. Hac de cauſa an. 1617. Salmanticam venit, vt narrat Pat. Henao, & inſtrumento autentico probat in ſua ſcientia media hiſtorice propugnata numer. 521. vbi refert, quomodo curiam Regiam prius adierit, vt à Rege Catalico Philippo Quarto litteras commendatitias ad Pontificem obtineret pro revocandis privilegijs Societati cōceſsis: quomodo audientiam impetrare non valens, Salmanticam digreſſus fuerit, & ibi vehementer contra Societatis Scholam peroraverit: & litteras ſurreptitias impetrarit nomine Academiæ Salmanticenſis ad alias orbis Vniverſitates deferendas: quomodo Valis-Oletum venerit, & male ibi acceptus, timore Inquiſitionis correptus, dimiſſa profectione complutenſi, quam animo deſtinaverat, fugam adornavit, ne ab Inquiſitionis tribunali comprehenderetur.

688 Ratio autem in promptu eſt, cur Ianſenius præcipuo odio averſatus ſit Ieſuitas,

tum propter cauſas, quas retegi tom. 1. diſput. 36. ſect. 9. num. 51. pag. 533. cum enim educatus fuerit à Iacobo Ianſenio acerrimo Michaelis Baij diſcipulo, & qui contra Bullas Pontificum audaci pertinacia mordicus retinuit, & obſtinate tueri perrexit propoſitiones Baij à Pontificibus damnatas; & qui poſt Baium præcipuus fabricator fuit cenſuræ Lobanienſis adverſus Ieſuitarum doctrinam, à tali præceptore non minus odium contra Societatis Doctores, quam litteras hauſit. Tum quia ſicut Ianſenius ab hæreticis huius temporis ſua dogmata mutuatus eſt (vt enim probat Pat. Dechams lib. 1. cap. 3. nihil prorſus eſt in eius opere alicuius ponderis & momenti, quod in hæreticorum libris non reperiatur) ita ab illis hæreditavit odium contra ſocietatem à Deo deſtinatam ad illorum hæreſes profligandas. Et quamvis Calvini exemplo Catholicos Authores, qui omnes libertatem indifferentiæ tuentur, Pelagianiſmi acuſet, tamen ex omnibus Catholicis, Societatis Ieſu Theologos, perinde ac Chemnitius, præcipue inſectatur; vt probat P. Dechams lib. 1. cap. 8. nimirum, quia Societatis doctrina de indifferentia intrinſeca auxiliorum, quibus Deus facit, vt eliciamus actus ſalutares, & vitæ æternæ meritorios, facilior, & expeditior multo eſt ad protegendam veritatem Catholicam de libertate indifferentiæ. Et hęc eſt præcipua cauſa inteſtini odij contra Societatis Theologos, quo Ianſenius flagravit.

689 Prima quaſi elementa doctrinæ Ianſenianæ de gratia & libertate ob oculos poſuit *Specimen doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis ex Academia Lobanienſi* editum à Theologis Belgis Fidei orthodoxę, & Apoſtolicorum conſtitutionum ſtudioſis ante annum 1681. & recuſum anno 1681. *in obſervatione* præambula ad primam partem ſpecimenis. Cardinem quondam (inquit *Specimen*) totius controverſiæ inter Sanctum Auguſtinum, & Pelagianos *Ianſenius* lib. 2. de Gratia Chriſti Salvatoris cap. 1. colum. 81. appellat diſcrimen illud, quod ipſe ſtatuit inter adiutorium gratiæ, quo indigebat primus homo in ſtatu innocentię, & illud adiutorium, quo indigemus in ſtatu naturæ lapſæ. Hoc nobis conſtat, hunc fuiſſe cardinem, ex quo ſuſpendit ipſe errores omnes ſuos in materia de gratia & libertate.

690 Diſcrimen vtriuſque adiutorij explicat ex profeſſo lib. 2. de Gratia Chriſti Salvatoris cap. 4. col. 97. *In eo* (inquit) *ſita eſt differentia, quod illius primæ integritatis adiutorium ſic adiuuabat voluntatem, vt cum eo operaretur ipſa, ſi vellet, nunc autem ipſum adiutorium facit, vt velit. Hoc eſt adiutorium ante ruinam erat tale, vt influxus adiutorij perinde ac voluntatis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet; adeoque ſalua maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis indifferentia: nunc vero poſt ruinam tale eſt, vt faciat annuere, & influere, & velle voluntatem.* Hæc ipſe dilatat toto illo capite 4. adiutorium primi hominis appellans adiutorium *ſine quo non*; adiutorium lapſi hominis adiutorium *quo*, illud eiuſmodi cogitans *ſine quo non* poſſet bene velle, aut facere primus homo, hoc vero, *quo*, & invictiſſimè vellemus. Ex quo & iſtud patet; adiutorium gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nullum dari, niſi efficax ex mente huius Authoris.

Porrò efficaciam gratiæ in hoc ſtatu naturę lapſæ explicat per exceſſum delectationis cœleſtis ſupra delectationem terrenam: hoc agit lib. 4. de Gratia Chriſti Salvatoris cap. 4. 5. 6. ſic loquitur cap. 4. col. 406. Creberrimè docet Auguſtinus, quandiu in hac vita mortali vivimus, eſſe in homine luctam quandam duarum delectationum, nouæ, & beneficæ, terrenæ, atque cœleſtis, quarum vtralibet vicerit, animum ſecum conſentientem, ac pronum trahit. Rationem reddit cap. 4. col. 412. Quod enim emplius delectaverit, ſecundum id operemur neceſſe eſt. Auguſtini verba in Epiſt. ad Galat. accipiens de delectatione indeliberata. Enim vero delectationes illas, quarum luctam perpetuam in animo conſiderat, ponit indeliberatas, & minimè liberas. Vnde lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 11. col. 435. Delectatio (inquit) iſta, quam ad omnia bona opera S. Auguſtinus exercenda poſtulat, non eſt aliud, quam actus quidam *indeliberatus* cœlitus immiſſus voluntatem. Et col. 438. Delectatio, quæ conſenſum in peccata præcedit, & ſuggeſtionem ſequitur, non eſt aliud, niſi deſiderium illicitum indeliberatum, quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat.

Habet hic lector elementa quædam vniverſæ fabricæ tot errorum de impoſsibilitate præceptorum, de efficacia omni gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, de neceſsitate meritorum, & demeritorum in eodem ſtatu, aliorſique his affinium, quæ ex illis, quæ propoſui, ſua ſponte fluunt, vt quilibet per ſe videt. Hactenus ſpecimen illud.

Itaque Ianſenius gratiam efficacem in ſtatu naturæ lapſę collocat in delectatione cœleſti victrice indeliberata immiſſa à Deo, quę ita valide trahat voluntatem ad conſenſum ſalutarem, vt omnino neceſſe ſit, vt ea poſita conſenſus ſequatur: proindeque aſſerit, gratiam

effi-

efficacem constituere actum primum essentialiter connexum cum actu secundo, atque hanc esse illam gratiam medicinalem, & sanativam, qua natura infirma, & lapsa indiget vt actu operetur, nimirum gratiam tribuentem vires efficacissimas essentialiter connexas cum effectu; & roborantes naturam, quæ post lapsum Adami ita mansit debilis, vt necesse omnino sit, vt pondere concupiscentiæ, & vi terrenæ delectationis trahatur in peccatum; nisi delectatio victrix à Deo immissa, illam traxerit ad consensum salutarem ponendum, imponendo necessitatem antecedentem oppositam libertati indifferentiæ, & relinquendo solam libertatem à coactione, similem illi, qua Beati spontaneè, voluntariè, & delectabiliter Deum amant sine vlla coactione, & cum necessitate antecedenti oppositâ libertati indifferentiæ.

691 Vt autem notat Pater Dechams lib. 1. disputat. in proemio, alijs quidem in rebus Iansenius communem Theologiam aspernatur, atque fastidit: At in materia gratiæ supinam illi ignorantiam, & stupendam cæcitatem exprobat. Hinc superba illa, atque magnifica inscriptio: (quam exhibet lib. 2. de Gratia Christi capit. 3.) *Discrimen gratiæ sanitatis & medicinalis à Recentiorum notitia valdè abstrusum.* Neque vero eo tantum loci istud vsurpat vbique per fas, & nefas, doctrinam suam obtrudit, idque vnum loquitur, hallucinari Recentes Theologi, quod *adiutorium* hominis innocentis cum eiusdem iacentis, atque vulnerati *adiutorio* confundant, nescire illos, quid sit discriminis inter *gratiam medicinalem, & gratiam sanitatis*, atque adeò errare cum Pelagianis, & gratiam Christi ad nudam possibilitatem revocare. Sibi vero gratulatur, quod discrimen illud vtriusque gratiæ à Sanct. Augustino luculenter explicatum, & novis Teologis funditus ignotum eruerit rursus in lucem, & ad profligandam Neopelagianorum hæresim vsurparit. Hanc tamen hominis totius vanitatem, atque audaciam frangit Pater Dechams, aperte in ea disputatione demonstrans, eum pudenda tantum furta, rapinas insignes, & detracta ab hæreticis spolia producere: & ea quasi ingenij sui, atque industriæ fatum venditare: nihil prorsus hac in quæstione scribere, quod à Calvinistarum libris eodem ordine, eidemque fere verbis non occurrat: & se ignotam huic ætati doctrinam, & à multis retro sæculis consepultam proferre, gloriari.

692 Hinc non solum insectatur Theologos Societatis, eo quod asserant gratiam sanativam, & medicinalem, qua Deus facit, vt in hoc statu naturæ lapsæ resistamus concupiscentiæ, & bonum operemur, etsi sit in se maior, atque robustior, quam foret illa, qua in statu naturæ integræ Deus faceret, vt eliceremus actum honestum; ex se tamen talem esse, cui voluntas possit resistere, vel obtemperare, ac proinde esse intrinsecè indifferentem, vt coniungatur cum dissensu. Sed etiam insectatur Theologos Dominicanos, qui asserunt gratiam efficacem in vtroque statu, & naturæ integræ & lapsæ, esse prædeterminantem. Vt enim refert Pater Dechams ea disputat. 3. cap. 1. numer. 1. Iansenius lib. 8. de Gratia Christi cap. 2. sic invehitur in Theologos Catholicos Prædeterminantes: *Qui medicinalem Christi gratiam sic defendere conantur, vt eam in prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum, & innocentium, ex vi causæ primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo eius testimonio probari potest, sed potius vniversam doctrinam eius innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat. Tollit enim differentiam integræ lapsæque voluntatis: tollit differentiam duplicis adiutorij.* Quo & fine quo non: *Cum quorum altero Adamus velle, stareque potuit, & Angeli reipsa voluerunt, steteruntque, lapsi homines velle, aut stare non possunt. Tollit, obseruatque veram radicem gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam eius, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam.* Et paulo post: *Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi funditus euertitur, & scripturæ subneruantur, dum gratiæ necessitas ex naturali voluntatis indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione sub altiore, suspenditur. Quæ duplex ratio necessitatis gratiæ, sicut in vniuersis Augustini operibus inaudita est, & repugnat principijs eius, ita quoque indicat prædeterminationem physicam tãquam gratiam, ab Augustini sensibus esse remotissimam, & potius vi humanæ Philosophiæ, quam Augustinianæ Theologiæ, expressam, & inuentam esse.* Hactenus Iansenius. Qui contra omnes Theologos Catholicos gratiam efficacem propriam naturę lapsæ ponit in quadam inspiratione, delectatione, & suavitate à Deo immissa, quę tribuat vires, & potentiã bene operandi omnino inseparabilem ab operatione, actumque primum constituat essentialiter irresistibilem, ob connexionem infallibilem, quam habet cum actu secundo.

693 Ex hoc principio, bona quidem Logica, ſed peſsima Theologia intulit quinque illas propoſitiones hæreticas, quas vt tales damnavit Innocentius Decimus.

1 *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habẽt vires, ſunt impoſsibilia: deeſt quoque ijs gratia, qua poſsibilia fiant.*

2 *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, nunquam reſiſtitur.*

3 *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſsitate. Sed ſufficit libertas à coactione.*

4 *Semipelagiani admittebant præueniẽtis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erãt hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.*

5 *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe.*

694 Conſideravit Ianſenius argumẽta illa, quibus Doctores Societatis gratiã phyſicè prædeterminantem impugnant, contendentes, eam inferre neceſsitatem antecedentem; & eius carentiam non componi cum auxilio interiori gratiæ verè ſufficienti ad operandum, ſi ſemel gratia prædeterminans ſit prærequiſita ad operandum. Conſideravit, inquam, argumenta illa, & fauces aperiens deglutivit, atque devoravit in commoda hæc, conſequentias illas cõcedens: quas tamen nunquam Patres Dominicani concedunt, quia firmi ſemper fuerunt in concluſione Catholica, quod ſcilicet opera ſalutaria, & opera peccaminoſa libere eliciamus cum libertate indifferentiæ ad illa non eliciẽda; parati ſuas phyſicas prædeterminationes negare, ſi verum cenſerent, ex illis legitimè inferri ablationem libertatis indifferentiæ: aut ſi cenſerent ex illis inferri hominem carentem phyſica prædeterminatione ad obſervandum præceptum, non habere auxilium verè ſufficiens ad obſervandum præceptum.

695 Vnde Ianſenius, & Ianſeniſtæ quãvis magnificis vocibus dicant, voluntatem noſtram libere elicere opera ſalutaria; tamen hic merus fucus eſt libertatis, quia non aliam concedunt, quam libertatem à coactione, quæ idem eſt cum voluntarietate, & ſpontaneitate, quæ eſſentialis eſt actibus voluntatis, & reperitur in amore beatifico. Hinc Gumarus Huingens Doctor Lobanienſis, & factionis Ianſenianę nunc quaſi anteſignanus: * *Tum in Dictatis* publicis, tum in compendio Theologię celebertimã libertatis definitionem novitatis arguit, & velut Auguſtino ipſiuſque Diſcipulis ignotam intrepide reijcit: ſic enim loquitur in dictatis publicis obſervatione 2. Obijcies forte, quod definitio libertatis hæc, nimirum poteſtas ad agendum, & non agendum poſitis, &c. repugnet cũ libertate amoris Beatifici. Verũ intrepide negamus illam definitionem, neque enim tanta, vel authoritate, vel ratione nititur, vt admittee cogamur: etemin nimium propendet in Pelagianorum, & Semipelagianorum erroris. * Ita refert ſtrenuus contra Ianſeniſtas in Belgio pugil, & Ianſenio maxtix, Gerardus Vanviane in egregio opuſculo Coloniæ excuſſo an. 1681. cui titulus: *Doctrina noua de libertate Eximij Domini Gumari Huygens Lyrani, S. Theologiæ Doctoris Lobanij*: pag. 24 vbi demonſtrat, Gumarum hanc doctrinam ex fonte, vel potius lacuna fœtida Iprenſis Ianſenij hauſiſſe. nam Ianſenius in ſuo Auguſtino, lib. 8. de grat. Salvat. cap. 9. col. 866. itr Gumarus prælufit: *Auguſtino, Diſcipulis, & poſteris eius, definitio iſta liberi arbitrij, quam nunc ſcholaſtici quidam id eſſe volunt, quod poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere, ita videlicet, vt, ſicut ipſi intelligunt, tam agere, quam non agere, cum omnibus ad agendum prærequiſitis pro mero beneplacito voluntatis, coniungi, diſiungiuè poſsit, ad multa ſæcula fiunt ignotaſsima.* Item lib. 6. cap. 4. col. 618. *Recentiores imaginantur, illam tantummodo actum eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt in libero noſtræ voluntatis arbitrio, & illius nos tantum eſſe dominos, quem pro libito noſtro poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs poſſumus facere, & non facere. Qua in re iuxtà Auguſtini ſententiam creberrimè nobis explicatam ſine dubitatione falluntur.*

696 Quapropter Ludovicus Carterius in ſua *iuſta expoſtulatione de P. M. Xãtes Mariales Ordin. Prædicatorum authore Bibliothecæ interpretum ad ſummam Diui Thomæ quatuor voluminibus diſtinctæ*, cap. 4. pag. 15. refert, ſe audiviſſe virum doctiſsimum, qui comparans doctrinam Catholicorum prædeterminantium cum doctrina Ianſeniſtarum, & Calviniſtarum, quoad principium, vnde recentes Thomiſtæ concluſionem Catholicam, Ianſeniſtæ vero, & Calviniſtæ hæreticam intulerunt, aiebat: *Thomiſtæ, Ianſeniſtæ, Calviniſtæ, idem prorſus de gratia prædeterminante ſentiunt, illam quippe omnes per ſe intrinſece, ac præcisè efficacem eſſe voluntate vt ea poſita, neceſſario ſequatur effectus & voluntas diſſenſus poni non poſsit*: (in ſenſu compoſito gratiæ prædeterminantis) *In re igitur ipſa conueniunt; in hoc autem differunt, quod Thomiſtæ conſtantiſsimè ne-*

negent, ex hoc necessitatem antecedentem adstrui, aut destrui libertatem; Iansenistæ vero inducì necessitatem vtro admittant, negent tamen destrui libertatem, Caluinistæ vero vtrumque fateantur, inducì necessitatem, tolli libertatem. Hi sane pessime sentiunt, cum hæreticum sit, liberum negare arbitrium; rectè tamen ratiocinari videntur, ac deducere ex causa necessaria necessitatẽ effectus, ac proinde libertatis destructionem: Iansenistæ male sentiunt, & male ratiocinantur; nempe operationem voluntatis necessariam esse, dicunt; liberam tamen esse volunt, quia sola coactio, inquiunt, libertati opponitur: errant igitur, quia necessitatem admittunt, malè autem ratiocinantur, quia negant, sequi ex necessario liberi destructionem. Thomistæ denique optimè sentiũt, quia consensum voluntatis, qui ex gratia prædeterminuante sequitur, cum libertate coniunctum, ab omni necessitate liberum esse dicũt; pessimè autem ratiocinantur, vtpote qui ex causa necessaria sequi effectum necessarium inficiantur. Hucusque Carterius ex Theologo illo.

§. XLVI.

Quantum operæ posuerit Societas, vt damnaretur hæresis Ianseniana.

697 NOvit vniuersus orbis, quantum Societas Iesu laboraverit in detegenda, impugnanda, & exterminanda Iansenianahæresi: quantumque adiuverit illustrissimos Galliæ Præsules, vt à Sancta Sede impetrarint illarum quinque propositionum Iansenij exactissimum examen, & postea iustissimam confixionem. Id testantur egregia volumina contra hæc nova dogmata scripta in Gallia, in Belgio, in Germania, in Hispania, à P. Anato, à P. Ioanne Martinon, sub nomine Antonini Moraynes, à P. Stephano Dechams, prius sub nomine Antonij Richardi, postea sub proprio nomine, à P. Ioanne Martinez de Ripalda, ab Egidio Estrix, à Theologis Lobaniẽsibus, & Duacensibus nostrę Societatis, à P. Dionysio Petavio, & à P. Iacobo Sirmondo, & ab alijs innumeris.

698 Audiamus P. Stephanum Dechams, ad finem præfationis illius illustrissimi operis de hæresi Iansenianade se loquentẽ: *Cum præpostera* (inquit) *nouitas recens emersa furtim serpere, & occultam imperitorum animis pestem inhalare cœpit, libellum per breuem, atque eiusmodi initijs consentaneum deprouerani, qui præsti igiatricẽ laruam detraheret, & ab ea præsentissimum Caluinianæ hæresis venenum, sub ementito S. Augustini nomine, propinari ostenderet. Postquam autem in verecundæ nouitati tantum roboris accessit, vt coiret in sectam, nec iam grassari palam totaque impune Gallia volitare erubesceret: creuit simul opus nostrum, atque vt pares tanto aduersario vires haberet, insigni accessione locupletatum est: At cum nouitas eadem adulta iam ætate, & corroborata audacia, prodire in publicum Christianæ Religionis theatrum, & coram Summo Pontifice vires periclitari suas ansa est, statui postremam manum operi nostro admouere, vt Apostolicæ Sedis iudicium, quod Iansenianis fatale in dies expectabatur, tueri pro dignitate posset, atque defenderet.*

699 Vix furtivis typis in lucem prodierat Pseudo ille *Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis*, cum Theologi Societatis Lobanienſis, probe scientes, coopertam pestem serpere, ac nocere posse; compertam autem, aut apertam evanescere, quia vt inquit Hieronymus Epist. 54. *Errores exposuisse, superasse est*: Statim huius operis venenum omnibus notum fecerunt, in publicam lucem emittentes triplicem Antistateram, in qua Iansenij doctrina cum oppositis Concilij Tridentini definitionibus, & damnatis Michaelis Baij propositionibus, hæreticorumque Retentium erroribus ponderabatur, & ita parallelè comparabatur, vt ipsis oculis cerni posset venenum à Iansenio sub speciosо *Augustinianæ doctrinæ fuco propinatum.*

700 Quantum autem in hac causa laboraverit Pater Franciscus Anatus, fideliter narrat Bibliotheca Scriptorum Societatis pag. 211. postremæ editionis. Vbi vitam huius insignis viri in compendium redigens, inter alia sic scribit:

„ *Gratia* qua valebat apud Christia-
„ nissimum Regem non est vsus, aut ad vtilita-
„ tes suas aut ad promovẽdos, vel ditandos suos
„ consanguineos, adeo vt dixisse aliquando per-
„ hibeatur sua Maiestas, nescire se an P. Anatus
„ haberet aliquos sanguine sibi coniunctos. Ve-
„ rum bene, ac solerter vsus est ea gratia ad au-
„ gendam vbique per Gallias fidelium devotio-
„ nem, ad reprimendas hæreses ebullientes, ad
„ stabiliẽda dogmata Catholica, adeo vt Ortho
„ doxæ fidei Patronus, Ecclesię in Gallia colu-
„ men, D. August. doctrinæque eius propugna-
„ tor egregius, hæresum maleus, & nominatim
„ novæ Iansenistarum hæresis oppugnator fue-
„ rit acerrimus. Illã Romæ Pontificio oraculo
„ dãnari, illã in Frãcia autheritate regia cõpes-
„ ci curavit, illã suis lucubrationibus doctissi-
„ mis tã nervose & sapiẽter exagitavit, vt nihil
„ habuerint Aduersarij, quod solide reponerẽt.

Quantam operam in hac re navaverit Anatus, melius cognoſcemus ex opuſculo ipſius typis excuſſo Pariſijs anno 1653. cui titulus: *Janſenius a Thomiſtis gratiæ per ſe ipſam efficacis defenſaribus condemnatus, circa quinque propoſitiones, quæ Romæ examinantur.* Hoc opuſculo amovit magnum impedimẽtum, quod condemnationi quinque propoſitionum Janſenij Janſeniſtæ apponebant. Quod ipſe Anatus in prologo huius opuſculi teſtatur his verbis.

„ 701 Janſeniani Theologi, ſeu vt „ in eo periculo, in quo verſantur, Patres Do„ minicanos habeant propitios, adulatoria „ quadam ſimulatione fingunt pugnare ſe tan„ tum pro gratia phyſice prædeterminante, „ quam vocant *gratiam per ſe ipſam efficacem*, nec aliud ſpectare, quam, vt ſartatecta „ ſit illa doctrina, pro qua tanta contentione „ diſputatum eſt ſub duobus Pontificibus in „ Congregationibus de Auxilijs. Et quia di„ cuntur id aliquibus perſuaſiſſe, inter eſſe pu„ to, tum communis boni veritatis, quam om„ nes quęrimus, tum privatę Thomiſtarum dig„ nitatis, authoritatiſque, quam non expedit „ in cenſura damnabilium ſententiarum im„ plicari, vt omnes intelligant, præcipuos de„ fenſores gratiæ phyſicę prædeterminantis, & „ qui cauſam illam ardentius egere circa tem„ pora diſputationum, contraria omnino po„ ſuiſſe principia, principijs Janſenianis, quod „ vt ſpero, Lector adeò perſpicue intelliget, ex „ oppoſitione doctrinæ illorum Thomiſtarum, „ ad quinque propoſitiones Janſenij, quæ mo„ do ad examen vocantur, vt non dubitem, „ quin mecum dicturus ſit, eos, qui tam facile „ ſibi patiuntur imponi à Janſeniſtis, alteru„ tram neceſſario Theologiam neſcire, nem„ pe vel Thomiſticam, vel Janſenianam. Hucuſque Anatus, qui ſtatim in medium adductis teſtimonijs Prædeterminantium Thomiſtarum aſſumptum comprobat.

702 Hoc autem ideò dixit Anatus, quia Patres Dominicani contendentes auxilium prædeterminans eſſe neceſſarium ad operandum, nihilominus expreſſe affirmabant, hominem libere, & cum libertate indifferentiæ ponere actum prædeterminatum. Vnde procul eorum mens diſtabat ab aſſerenda tertia propoſitione Janſenij: *Nimirum ad merendum, & demerẽdum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Similiter expreſſe admittebant auxilium internum ſufficiens ad operandum in eo, qui careret auxilio prædeterminante; ac proinde dicebant, admittendam eſſe tanquam Catholicam, & veram diviſionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem. Vnde M. Alvarez diſp. 71. de auxilijs n. 2. inquit: *Si de reipſa loquamur, nullus Catholicus dubitare poteſt de diviſione gratiæ in ſufficientem, & efficacem.* Et ibidem n. 12. *Si non daretur gratia vere ſufficiens, non poſſet eis, qui non convertuntur, imputari ad culpam, quod non converterentur, nec adimplerent divina mandata, & conſequenter Deus irrationabiliter conqueretur de illis, & ſine cauſa eos increparet.*

703 Vnde nos nunquam obiecimus adverſarijs, eos aſſerere primam, vel ſecundam, vel tertiam, vel quintam propoſitionem Janſenij: ſed objiciebamus, & modo objicimus ex antecedenti ab ipſis admiſſo ſequi, veram eſſe primam propoſitionem Janſenij, nimirum quod Deus impoſsibilia præcipuit, quia ex neceſsitate auxilij prædeterminantis ab ipſis aſſerta, exiſtimamus, neceſſario inferri hominem carentem auxilio prędeterminanti non habere auxilium verè ſufficiens ad rectè operandum; ac proinde, Deum illi præcipere impoſsibilia; quia præcipit illi, vt recte operetur, quando nec actu, nec ſub ſua poteſtate habet phyſicam prædeterminationẽ eſſentialiter requiſitam iuxta adverſarios ad actualem operationem. Rurſus obijcimus ex eorum ſententiæ ſequi, veram eſſe tertiam propoſitionem Janſenij: *Nimirum ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem à neceſsitate*: Siquidem cenſemus ex antecedenti phyſicę prædeterminationis legitimè inferri ablationem libertatis. Aliud ergo eſt, quid ipſi aſſerant; aliud, quid ex eorum ſententia nos contendimus ſequi, quamvis ipſi conſequentiam negent.

704 Hinc patet quam iniuſte Ioannes Baptiſta Conet tom. 1. curſus Theologici in præfatione Apologiæ Thomiſtarum conqueratur de Patre Anato, quod poſt ſuſceptam Scholæ Thomiſticæ vindicationem, & navatã præclarè operam, qua eos à Calvini erroribus longiſsimis intervallis decernebat; iterum tamen, atque iterum illis Calviniſmum objiciat, nimirum in Apologia pro ſcientia media diſp. 4. cap. vltimo, vbi ita Anatus ſcribit: * *Juſtæ* adhuc eſt inſignium Catholicorum ſuſpicio, qua nimiam ſententiæ Thomiſtarum cum ſententia Novatorum affinitatem timet. Iuſta adhuc defenſorum ſcientiæ mediæ petitio, qui poſt tam longam tot annorum altercationem, adhuc quęrunt, quę ſit reipſa differentia inter Adverſariorum, & Calvini doctrinam, in ea præciſè dubitatione, qua petitur, ſit ne, aut nõ ſit in homine liberi arbitrij vſus aliquis. * Patet etiam quam immerito in illa Apologia art. 9. conetur probare teſtimonijs P. Anati, & aliorũ Ieſuitarum, doctrinam Thomiſtarum de neceſſi-

sitate gratiæ prædeterminantis nihil habere cum Ianseniana comercij. Patet, inquam, hinc, quàm iniusta sit hæc expostulatio. Iesuitæ enim non objicimus illis Calvinismum, & Ianseniſmum, affirmantes, eos asserere cum Calvino, & Ianſenio, Deum impossibilia præcipere, & nos non operari libere cum libertate indifferentiæ, quando meremur, vel demeremur: sed solum ab inconvenienti arguendo, dicimus ex illorum sententia sequi, Deum impossibilia iubere, & non dari auxilium verè sufficiens vbi non datur efficax, & nos sine libertate operari, quæ illationes si rectæ & legitimæ sunt, eorum sententia quoad rem ipsam non differt à sententia Calvini, & Ianseni, & propterea ipsi constanter negant, has illationes legitimas esse. Inanis ergo est quærela Goneti, & solum imperitis placere potens. Nam Illustrissimus Didacus Alvarez, R. M. Ioannes à S. Thomas, & Fr. Antonius à Matre Dei apud P. Henao in sua scientia media historicè propugnata, num. 359. aperte fatentur, sententiam suam in nonnullis antecedentibus convenire cum alijs Calvini. Nos autem contendimus ex ijs antecedentibus rectè inferri conclusiones illas absurdas, quas nullus Catholicus admittit. Quis autem de hoc meritò conqueratur?

705 Quamquam autem P. Anatus recte probaverit in illo tractatu, Thomistas prædeterminantes nunquam concessisse primam, secundam, tertiam, & quintam propositionem Ianseni, sed potius expresse oppositas propositiones habere, & illas tanquam veras Catholicè statuere; tamen non rectè probavit, illos non admisisse quartam propositionem Ianseni, nimirum quod *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad omnes actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Etenim postea ostendemus, multos ex adversarijs asseruisse, Pelagium admisisse veram gratiam internam, & supernaturalem, quæ esset verè sufficiens ex parte intellectus, & voluntatis, solumque negasse gratiam ex se efficacem.

706 Illo igitur tractatu edito satis monstravit P. Annatus, Ianseniſtas artificiosè velle sibi Patres Dominicanos devincire, vt fulmen Vaticanum suis quinque propositionibus iam imminens declinarent. Ideoque hic tractatus non parum profuit ad maturandam Pontificiam definitionem contra dogmata illa Ianseni. Idque ipsum valde promovit *Informatio de quinque propositionibus ex Ianseni Theologia collectis, quas Episcopi Galliæ Romano Pontifici ad censuram obtulere*, quam informationem idem P. Anatus confecit, & inter eius opuscula invenitur. Quapropter notum est indefessos labores Theologorũ Societatis multum profuisse, vt prodiret tandem celeberrimum illud decretum, *quo nullũ diutius meditata est Roma; nullum certiori Spiritus Sancti afflatu conceptum, clarius expressit; in quo Episcopus omnium Ecclesiarum*, (vt Synodus Chanced. act. 6. Romanum Pontificem appellat) *caput Christianæ Religionis*, (vt loquitur edictum Constantini) *profanarum depositor hæreseon*, (vt ait Synodus Alexandrina ad Felicem II.) *iudex de cuius iudicio disceptare nemo audeat* (vt inquit Zosimus Papa epist. 10. Summus Ecclesiæ Pastor Innocentius Papa Decimus die 31. Maij an. 1653. Pontificatus sui anno nono, quinque opiniones Cornelij Ianseni Episcopi Iprensis, & in eius *Pseudo Augustino contentas*, ignominiosis inustas notis toto orbe Catholico exterminavit.

§. XLVII.

Quantum ponderis accesserit doctrinæ Societatis ex damnatione propositionum Ianseni.

707 QVANTVM Autem authoritatis & ponderis, quantum gloriæ & splendoris doctrinæ Societatis in materia de auxilijs accreverit ex condemnatione propositionum Ianseni; probè norunt, quotquot in secretiora Theologiæ penetrarunt; idque satis declarant maximi conatus, quos adversarij nostri adhibuerunt ann. 1652. vt impedirent damnationem illarum quinque propositionum Ianseni, eõtendentes, non posse illas propositiones damnari, quin definiretur doctrina Molinæ; quod quamvis per exaggerationem dictum sit; evincit tamen illos Authores nobis adversantes verè sensisse nõ posse doctrinam in illis quinque propositionibus Ianseni contentam deprimi, nec damnari absque exaltatione & tacita approbatione principiorum Molinæ, huiusque nova ac per illustri de hostibus victoria.

708 Rem fideliter narrat Germanus Philaletes cap. 3. §. 2. n. 118. his verbis:* *Hanc postremam Molinæ victoriam conditionare prævidit Author vndecim Scriptorum anno 1652. factorum pro tuendis, adversus imminẽtia Vaticana fulmina, quinque propositionibus Ianseniſticis, quæ PP. Dominicanis tribuit, & suo Diurnali, de actis Romæ anno 1652. circa quinque propositiones Ianseni, subnectit Dominus *de Saint Amour* Doctor Sorbonicus, qui pag. 61. editionis anni 1662. refert scriptum

tum ſecundum, cuius hic eſt titulus: *Quid intendant, qui petunt quinque propoſitiones damnari?* Cui petitioni à ſcripti Authore ſic reſponderur: *Primum eſt, vt tota doctrina Molinæ definiatur: quia tota Molinæ doctrina ſtabilitur ex damnatione harũ quinque propoſitionum.* His ſimilia refert pag. 64. inſcripto quinto ad hanc primã Ianſenij propoſitionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſunt impoſsibilia ſecundum præſentes vires, quas habent: deeſt quoque illis gratia, qua poſsibilia fiant.* Et §. 1. hæc ſubiungit illius ſcripti Author: *Si damnetur prima propoſitio in hoc ſenſu* (nempe ibi ſuperius explicato) *definietur nullam gratiam de ſe efficacem eſſe neceſſariam, & tota Molinæ doctrina de viribus liberi arbitrij in natura lapſa ſtabilietur de fide.* Quod deinde octo argumentis probat, ex quibus ſic concludit: *Ecce totam Molinæ doctrinam de viribus liberi arbitrij in natura lapſa definitam, ſi damnetur prima propoſitio.*

709 Advertit autem Dominus *de Saint Amour*, pag. 59. in monitione ad Lectorem ſcriptis illis præfixo, primò, ſe primam iſtorum ſcriptorum notitiam per quendam Prælatum accepiſſe in Minerva 25. Februarij 1652. ſecundò fuiſſe à Dominicis compoſita, vt exhiberentur Pontifici. Tertiò, ſingulari beneficio ſe à PP. Dominicanis vnum ex ijs exemplum accepiſſe. Vide plura in Diurnali loco *citato*. * Hactenus Germanus Philaletus, id eſt P. Iacobus Platellius, ea referens, quæ Dominus *de Saint Amour* exſcriptis à ſe viſis hauſit.

His conſonant quæ in brevi ſua Apologia contra P. M. Xantes Mariales Ordinis Prædicatorum ſcribit Ludovicus Cartherius c. 4. pag. 14. de congreſsibus hebdomadarijs apud Minervam cum Ianſenianis Doctoribus habitis, quando diſcutiebantur Ianſenij propoſitiones, & alijs, quæ modeſtiæ & vitandæ offenſionis cauſa ego omitto.

§. XLVIII.

Quantum contra ſe odium concitaverint Theologi Societatis, non ſolum ab hæreticis, ſed à nonnullis Catholicis Ianſenianæ doctrinæ ſtudioſis, ob obtentam victoriam de doctrina Ianſenij.

710 SICVT Condemnatio propoſitionum Michaelis Baij contra Societatem Ieſu armavit Baij diſcipulos, & inter eos præcipue Cornelium, Ianſenium, quia exiſtimabant Ieſuitas in cauſa fuiſſe, vt condemnarentur Baij opiniones: ita condemnatio quinque opinionem Ianſenij, vehementer accendit Ianſeniſtarum animos contra Societatis Scholam, cui imputabant illarum quinque Magiſtri ſui propoſitionum confixionem.

711 Nec nimirum quod Ianſeniſtæ infligtum ſibi vulnus in condemnatione quinque propoſitionum Ianſenij tribuerint Ieſuitarum libris, laboribus, & induſtriæ; quando quidem anteà publicarunt, ſubreptium, & à Ieſuitis Romæ extortum fuiſſe decretum editum die 1. Auguſti an. 1641. in Generali Congregatine Sanctæ Romanæ & vniverſalis Inquiſitionis ab Vrbano VIII. quo *Auguſtinum Cornelij Ianſenij* proſcripſit, & ſub gravibus pœnis prohibuit, vt conſtat ex epiſtola memorabili, quam Academia Lovanienſis ad Pariſienſem dedit die 10. Martij an. 1644. cuius exordium hoc eſt: *Magnifice, & per illuſtris, Domine, eximij & clariſsimi viri. Non ſine magna admiratione & animi noſtri dolore ex litteris quorundam apud vos Religioſorum nuper audimus, Bullam à Theologis Societatis aduerſus Reverendiſsimum D. Epiſcopum Iprenſem Romæ extortam, & tot dominibus ſubreptitiæ & doloſæ impetrationis ſuſpectam, non ſolam vos accepiſſe, ſed etiam ad damnationem quorundam articulorum, qui in Auguſtino illius Reverendiſsimi explicantur, inclinare, aut iam damnaviſſe, quod tamen poſtremum, vbi ingenium, ſolertiam, doctrinam, prudentiam tot illuſtrium virorum, ex quibus Academiæ veſtræ cœtus componitur, cogitamus, credere non poſſumus: ergo ne poſt tot veterum temporum pugnas & victorias ſacroſanctæ S. Auguſtini tandem victa ſuccumbet, & quæ aſſultu toties deijci non potuit, iam ſuffodietur cuniculis? Non ſinat Deus Perilluſtres & Eximij Domini, vt ſic diſſipetur hæreditas Verbi incarnati, & patrimonium Crucifixi. Nos certè hic nequidem Bullam illam recepimus, &c.* Hactenus exordium illius epiſtolæ, quod exhibet *ſpecimen doctrinæ Theologicæ*, part. 2. cap. 1. §. 1. pag. 5. illius ſpeciminis ſecundum primam editionem; & pag. 84. totius operis ſecundum poſtremam editionem. Hanc autem epiſtolam ſcripſit Academia Lovanienſis, quia tunc in illa dominabatur factio Ianſeniana. Vt enim ibidem refert *ſpecimen Theologor.* pag. 84. *Illo tempore & ſi vniverſum Academiæ corpus nondum occupaſſet Ianſeniana contagio, imò dignior, meliorque pars Romano Pontifici faveret: tamen & inter Theologos ex octo Recentibus quinque erant Ianſeniani, & ex alijs Academiæ membris, qui*

rectè sentiebant, alij Iansenianos metuebant; alij priuatis ducti rationibus inimicos habere nolebant: alij denique non causam bonorum, sed personas oderant. Denique Iansenistæ dominabantur, Rectorem instituebant, cœtum cogebant, decernebant, mãdabant, publicabant pro libitu omnia, partesque suas augebant quotidie magno sanæ doctrinæ, & Religionis detrimento. Hoc ad notare placuit ob honorem tàm insigni Academiæ debitum, ne Lector putaret, omnes Professores illius Academiæ in illam epistolam conspirasse.

712 Consulatur eruditissimum opusculum præclari viri Francisci Simonis de fraudibus hæreticorum editum Moguntiæ anno 1681. part. 3. à pag. 58. vbi hanc fraudem hæreticorum vivis coloribus depingit, & varijs exemplis comprobat, *Apostolicas sententias errorum condemnatorias fugillare, vt surreptitias, suppositias, extortas*, quod opusculum tribus partibus distinctum, & diversis annis integrè excusum, eo artificio cõpositum est, vt Iansenistas indigitare videatur, quamvis illos non nominet, sed solos hæreticos Arrianos, Macedonianos, Nestorianos, Pelagianos, Lutheranos, & Calvinistas & alios, huiusmodi exprimat * *Canes videre est rabido morsu in saxum sæuire, quo sunt petiti. Caninum hoc habent hæretici, vt alia pleraque, victum, dentes, latratum, rabiem*: ea gratia, vt opinor, à Ioanne Apostolo *Apocalyp.* 22. inter *canes foris residere* iussi. Si decretum fidei exierit missum, dictatumque divinitus, involant in decretum, ipsumque dente maligno proscindunt furentes, inquit prælaudatus Auctor, rem comprobans exemplo Arrianorum, Pelagianorum, & Lutheranorum.

713 Quid de damnatione doctrinæ Baianæ, & de eius patrocinio susceptо à Iansenio senserint hæretici, explicat benè *Samuel Maresius* Professor Graningenses Calvinista *in synopsi veræ Catholicæ doctrinæ expressæ in Iansenianо Catheciſmo gratiæ*, cuius verba exscribit P. Anatus *in informatione de quinque propositionibus ex Iansenij Theologia collectis*, pag. 9. igitur Calvinista iste in cap. 4. illius Synopsis apostrophem exhibet ad Iansenianos, & sic illis gratulatur. *Macte illa vestra virtute viri docti, quod audeatis in os resistere illi Pontifici*, (scilicet Sanctissimo Pio V.) *qui in suorum Iesuitarum gratiam damnata Orthodoxissima sententia, puri puti Pelagianismi putidam & impiam protectionem susceperat; amicus vobis, Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. Agnoscitis enim, quòd homini per gratiam Christi nondum liberato, loco libertatis abstinendi a peccato, inducta est peccandi necessitas, vt probat multis Iansenius ex suo & vestro Augustino lib. 3. de statu naturæ lapsæ.* Hoc, & alia multa Calvinistarum testimonia adducit P. Anatus circà primam propositionem Iansenij, vt probat, eam propositionem defendi, approbari à Calvinistis, & eos apertè fateri, Iansenianam doctrinam contrariam esse Romanorum Pontificum decretis.

714 Immanem Iansenistarum contra Iesuitas persecutionem describit optimè Antonius Moraynes in suo Antijansenio disput. 1. sect. 6. num. 45. ijs verbis: *Quid autem Iansenius & alij novi Dogmatistæ, eorumque fautores? Quibus non Calumnijs, Christiano pectore indignis obruere conantur errorum suorum aduersarios, & imprimis Societatem Iesu, quam sibi forti & constanti animo obsistere experiuntur? Hinc illa plaustra conuitiorum, & calumniarum, quæ tùm in toto Iansenij opere, tùm in veritatibus (seu verius mendacijs) Academicis; & in Codice Aureliano, Moralique Theologia, non Iesuitarum, sed Epicureorum aut Atheorum, contra illos innexerunt, sed eos satis superque consolatur illa Christi Ducis & Saluatoris nostri sententia: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerunt omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Et illis glorioſum est, neminem Ecclesiæ, Fideique Catholicæ bellum indicere hoc tempore, qui non simul infensum ipsis & aduersarium se profiteatur, scimus etiam non minus verè quàm sapienter à B. Cypriano scriptũ fuisse epist. 52. ad Antonianum, hoc esse opus semper Diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis glorioſum nomen infamet, vt qui conscientiæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.*

715 Quando imminebat proximè condemnatio quinque propositionum Iansenij, vltimum conatum adhibuerunt Iansenistæ, vt hoc malum sibi impendens evitarent. Tunc, nempe anno 1652. quidam Iansenista librum edidit triplici titulo glorioſum, vt refert P. Anatus in præfatione ad primam informationem de quinque propositionibus Iansenij, quæ secundum locum occupat inter eius opuscula. Inscribitur enim primo liber ille, *Gratia victrix Iesu Christi.** Victricem autem vocat (inquit Anatus) illam, quæ de oppressa hominum

num libertate triumphat : rurſus titulum illum hoc altero reddit : *Molina & eius diſcipuli de Pelagianorum & Semipelagianorũ errore convicti, circa controverſiam de gratia ſufficiente libero arbitrio ſubiecta, ex actis Congregationis de auxiliis.* Addit tertiò inſcribi quoque potuiſſe, *Apologiam pro Pontificibus Clemente & Paulo & pro Congregatione de auxiliis contra diſcipulos Molinæ.* Sed omiſit titulum, inquit Anatus, qui maximè conveniebat huic operi. Debuit enim, ſi voluiſſet fœtum hunc proprio inſignire nomine, vocare, *Vltimum Ianſeniſmi animam agentis conatum, quo præcipui errores, fabulæ, mendacia, impoſturæ, calumniæ, thraſoniſmi, & ventoſæ oſtentationes, quibus illa ſecta ſe ſe hactenus ſuſtentavit sibre-vi compendio colliguntur, ad evertendam quinque propoſitionum cenſuram, & imminentem Ianſenianæ factioni ruinam evitandam.* Germana hæc eſt, & vt ita dicam, *quid-ditatiua* operis nuncupatio. Nimirum hunc conatum expreſsit dolor & deſperatio, ex quo intellectum eſt, Epiſcoporum Galliæ partem longè maximam concurrere ad promovenda Sorbona conſilia, & vrgendam apud Sedem Apoſtolicam quinque propoſitionum cenſurã. Intellexerunt enim Ianſeniani ea ratione diſſipandum quidquid hactenus nebularum offundere conati erant ſimplicium oculis, cum occinere non ceſſarent, & Sorbonam à Ianſenio ſtare, & Clerum Gallicanum illi ſubſcribere, & præter mentem Pontificis eſſe quidquid hactenus in illum fuerat iactatum ex Vrbani Bulla. Ne igitur multi occumberent, prodijt ex eorum caſtris laureatus hic campio, &c. *

716 Qui ſcribunt contra Ianſenij nova dogmata tertio quoque verbo (inquit P. Henao num. 529. Scient. Med. hiſtori propugnatæ) teſtantur de implacabili inimicitiæ Ianſeniſtarum cum Noſtris, quos vocant Moliniſtas, de què mille ſparſis fabellis circa controverſiam Romæ agitatam in materia auxiliorum, vt exoram facerent ſententiam noſtram, quam è diametro videbant ſuis dogmatibus oppoſitam. Quæ cauſa movit Innocentium X. Papam, vt illarum fabellarum aditum interciperet.

(?)

§. XLIX.

Continuatur materia præcedens. Vbi de fraudibus, quibus in Belgio vtuntur Ianſeniſtæ ad ſua dogmata propaganda.

717 DVRAT Adhuc in Academia Lovanienſi inter aliquos Doctores affectos nimius erga Ianſenij dogmata, & inde contra Societatis Theologos averſos animos. Et licet intra & extra Religioſas Familias modo ſint inſignes Theologi ſanæ doctrinæ ſtudioſiſsimi, & erroribus Ianſenij infeſtiſsimi, tamen factio Ianſeniana eas vires habet, vt non habeant ſcriptores Antejanſeniani ſuis opuſculis contra Ianſeniſtas editos propria nomina præfigere, ſed ea ſub larva conficti nominis edunt, vt contumelias, irriſiones, & perſecutionem Ianſeniſtarum declinent. Id mihi perſuadent egregia opuſcula contra Ianſeniſtas recentèr excuſſa *à Chriſtiano Alethino, à Gerardo Vanviane, à Cornelio Zegers, à Franciſco Simonis, & à Vlico Ionſon*; quæ nomina ſuppoſitia mihi videntur. Idque colligo ex hoc poſtremo Authore, qui in epilogo illius opuſcula, cui titulus, *Doctrina mira ac nova circa varias materias*, pag. 162. ita ſcribit.

718 * Miraberis, quid rei ſit, quod ego, peregrinus homo, Belgarum quorundam me immiſceam doctrinæ, cum in Belgio, & in ipſo Lovanienſi oppido tot ſint viri præſtantes zelo, ac doctrina longe me ſuperiores, quibus comparatus infans ſum ego. Dicam : hæreſis contagioſum eſt malum, vehementer metuo, vt ſe Belgij finibus contineat, vereor ne ſerpens malum meam invadat patriam : deinde hæreſis ingens malum minatur Eccleſiæ vniverſæ, quæ mea eſt mater, meque proindè merito habet ſolicitum : Denique viri Ortodoxi in Belgio ſilent, quo conſilio, neſcio, ſilent tamen; quorum ſilentio *iniquitatis Filij* (ita appellavit Alexander VII. in ſua conſtitutione *ad ſacram*, quoſdam Doctores Lovanienſes, qui Bullam Innocentij X. contra Ianſenium cavillis eludere conati ſunt) abutuntur ad pernicioſa ſua dogmata propaganda amplius, impudenter ac impugne mentientes, ea ipſa dogmata, toties Sedis Apoſtolicæ fulmine percuſſa, nunc eſſe eiuſdem Sedis authoritate approbata. Siquis autem Ortodoxus, indignitatem rei amplius non ferens graſſanti hæreſi ſe opponat fortiter, aut è ſuggeſtu ad concionem, aut in diſputationibus publicis, aut ſcripto libro, illicò confœderati Eccleſiæ perduelles virum optimum eouſque perſequuntur, donec Eccleſiam amplius defendere, aut non liceat,

aut

aut non ſubeat. Famoſum Lovanij eſt Theatrum in Gymnaſio SS. Trinitatis. Theatrum dico? imò infame pegma, in quo viri integerrimi mallent ſua membra, quàm famam dilacerari; puderet referri, quas ibi tragœdias contra viros Orthodoxos exhibuerint petulantes comœdi, ſummo fidelium ſcandalo, ac vicinorum hæreticorum applauſu. Nunquam ego audivi *Societatis Jeſu* Religioſos deploraſſe Fratrum ſuorum nuper effuſum ſanguinem in Anglia; deploraſſe tamen audivi, ſuorum in iſto theatro famam denigrari tàm ſæpè, tàm publicè: ſcilicet profuſus ſanguis prodeſt Eccleſiæ, fama dilacerata nocet plurimum. Hinc ego ſuſpicor oriri, quod tàm pauci in Belgio Janſenianæ hæreſi ſe opponant aperte; horrent illud theatrum, in quo non vita, ſed fama, quæ vita ipſis eſt charior, amittitur nullo fructu, ſed magno damno Eccleſiæ. Ego animum ob firmavi meum, non timebo iſtud theatrum: non dubito, quin brevi meus hic libellus in iſto theatro ſit lacerandus publicè, ac comburendus, aut in Scenam ſit introducendus laureatus aliquis Caco dæmon fronte gerens nomen *Vlici*: huiuſmodi tamen petulantiæ me non deterrebunt, quominus rem agam Eccleſiæ ac *Dei*. Hæc ſcripſit Vlicus Ionſon ann. 1682. qui, vt ſuſpicor, relationem hanc non ab alienis ſcriptis, ſed ab ipſa experientia didicit.

719 Idem Author in prolusione ad aliud opuſculum editum eodem anno, cui titulus, *Doctrina nova ac mira de ignorantia Eximij Domini Gummari Huygens, &c.* Artes & dolos Janſeniſtarum detegit, & conceptum odium contra Societatem, eo quod fortiter ſe opponat illorum novis doctrinis: ſic autem ad verbum habet:

* *Nihil* tàm habet cordi pars adverſa (nempe Janſeniſtæ) quàm vt imperitæ plebi in Belgio perſuadeat, doctrinam factionis eſſe approbatam, etiam Romæ apud Sedem Apoſtolicam; aſtutũ profecto conſilium! hoc namque præiudicio ſemel præoccupata mens non facile admittit, imò averſatur magnopere, neque ſuſtinet audire quidquid doctrinæ illi videtur eſſe contrarium: hoc enim ſibi perſuadent omnes in Belgio Orthodoxi, Sedem Apoſtolicam veritatis eſſe Magiſtram, nulli errori obnoxiam; hinc quidquid illa damnat, damnant illicò, quidquid probat, probant, ac amplectuntur, nihil hęſitantes: hanc fidelium perſuaſionem, damnatis ſuis erroribus proſeminandis obſtaculum rati Janſenij ſectatores, ſæpe ex illorum animis evellere ſunt conati, dicentes Pontificem Romanum hominem eſſe errori, vt reliquos, obnoxium, ſaltem errare poſſe, quando ſine Concilio Oecumenico definit quidpiam, erraſſe ſæpius; ſi quis reponebat, Pontificem Romanum verum Jeſu Chriſti Vicarium falli, aut fallere non poſſe definientem è Cathedra, ridebant tanquam nænias pueris decentatas. Sed perſiſtunt in ſua perſuaſione fideles, nihil dubitantes de authoritate Pontificis infallibili, nullum etiam diſcrimen facientes inter quæſtionem iuris & quæſtionem de ſenſu libri hæretico, vel Catholico, quam hoc tempore adverſarijs nominari placuit *Quæſtionem facti*, ad eluendam cenſuram *Alexandri VII.* Hæreſi damnatis quinque propoſitiones *Janſenij*. Quarè novæ factionis Patriarij, videntes firmam hærere, atque immotam Fidelium animis perſuaſionem de authoritate Romani Pontificis falli neſcia, ſeque nihil admodum proficere fraudulentis ſuis argutijs, aliam cœperunt machinari fraudem antiquis hæreticis vſitatam, ac familiarem, ſtatuerunt itaque ſancta hac Fidelium perſuaſione abuti ad erronea ſua dogmata latius propaganda: libris igitur ac libellis, quos *Bajj ac Janſenij* erroribus faciunt, authoritatem conciliant mentita Approbatione Sedis Apoſtolicæ, hos Fidelibus commendat, ſinceriſſimè ore ad pietatem compoſito affirmantes, Sedis Apoſtolicæ authoritate iam eſſe probatos, tanquam maximè Orthodoxos: Pij Fideles libros emunt, legunt avidè, ac venenum hauriunt incautè, nihil mali ſuſpicantes; approbationis huius rumor ac fama vbique perſonat, teſtes etiam appellantur Viri Illuſtriſſimi, de quorum fide nefas videatur dubitare. Hac fraude capiuntur multi; hac fraude captus nuper videri poſsit inſignis etiam Theologus *Cornelius Zegers*, qui aperte impugnare non eſt auſus *Specimina moralia R. P. Fr. Ægidij Gabrielis*, quæ tamen ſibi, alijſque ſanioris doctrinæ Theologis videbantur maximè perniciosa; impugnare tamen non eſt auſus apertè, quia illorum Approbatio Romana toto Belgio perſonabat: quarè ſcrupulos tantum aliquos circa illa propoſuit, plus aliquid non auſus; ſed ſcrupulos ipſi tandem exemptos arbitror, poſtquam detecta eſt fraus Approbationis ſubrepticiæ. Hodie etiam toto Belgis circumfertur impreſſo folio Approbatio Romana quorundam Articulorum Theologorum Facultatis Lovanienſis; ſed huic approbationi parum fiditur in Belgio, nemo non palpat fraudem. Vix aliud audias Lovanij, quàm Romæ probatam eſſe doctrinam, quam continet Cenſura Lovanienſis, eiuſque iuſtificatio: ego vtramque legi haud ſegniter, mihi apparet manifeſtum, omnes quinque propoſitiones, hæreſæos damnatas in ſenſu *Janſenij*, cenſura illa, atque iuſtificatione contineri minimè obſcurè: vndè dixi non ſemel, haud dubitare me, quin ipſi *Auguſtino, Cornelij Janſenij* prætexenda ſit aliquando Approba-

tio

tio Romanâ? non vanum me hac in re fuisse vatem, eventus probavit: nam binas vidi litteras, quas amico scripserunt viri duo, de quorum fide dubitare non possum: alter ita scribit Amsterodamo 27. Novemb. anno 1681. *Dixit Typographus NN. se impressurum brevi Augustinum Cornelij Iansenij.* Reposui ego librum esse *hæreticum*, *ac proinde imprimi non posse*; *reposuit*, *Sacerdotes Sæculares sibi dicere, illius doctrinam esse iam Romæ approbatam.* Ita scribit qui habet ex ore ipsius Typographi. Sic per fraudem hæreticam *Augustinum Iansenij* brevi videbimus quasi è cineribus redivivum. Quid non audent *Filij iniquitatis*! Quis credidisset tantam fore ipsorum impudentia, ac procacia, vt ipsi *Augustini Cornelij Iansenij* Romano etiam nunc fulmine fumanti Romanam auderent obtendere approbationem? Atque ita imponere male credulo Tyrographo inter hæreticos Catholico? Ego hinc didici, firmiterque statui Approbationibus huiusmodi, quas hoc tempore fert popularis rumor, sine instrumento legitimo non credere tàm citò: quare & si in Belgio toto circumsoner fama, quòd doctrina Eximij Domini *Gumari Huygens* Sedi Apostolicæ sit probata, nisi mihi exhibeant instrumentum legitimum, quod fidem possit facere, non credam faciliùs, quam si idem fama ferret de doctrina *Caluini*, *Lutheri*, aliorumve hæreticorum, aqua discrepare doctrinam Gumarianam de Libertate, nemo facile ostenderit, sicut revera non discrepare, ostendisse videtur *Gerardus Vanviane*, quem ementita isthæc Gumarianæ doctrinæ approbatio nõ deterruit à scribendo, sed nec terrebit me, quominus de doctrina illa scribam liberè quod sentio; charitas tamen cohibebit, ne virum vel verbulo offendam vspiam; nam virum amo, cuius *doctrinam odij*. * Hucusque *Vlicus Ianson* in prolusione ad suum opusculum de ignorantia.

720 Legi ego attentè opusculum illud præclarum Gerardi Vanviane cui titulus, *Doctrina noua de Libertate*, *Eximij Domini Gummari Huygens Lyrani S. Theologiæ Doctoris Louanij, expensa à Gerardo Vanviane.* quod typis mandatum est Coloniæ anno 1681. & postquam attentè meditatus sum verba formalia, & sententia, quæ Gerardus ex operibus Gummari extorpsit, dubitare non possum, vera esse, quæ scribit *Vlicus* Ianson initio sui libelli, *Doctrina noua ac mira de ignorantia Eximij Domini Huygens*, vbi ipsum *Gummarum* alloquens, ita scribit.

721 * *Eximie* Domine, prodijt nuper libellus, cui titulus, *Doctrina noua de libertate, &c.* Libello hoc inuictissimè, & mihi quidem apparet, demonstratur, doctrinã tuam de libertate à doctriona Iansenij, Calvini, Lutheri, aliorumque hæreticorum nihil admodũ discrepare, nisi forte verbo tenus, reverò ipsa esse eandem, nisi quod in quibusdam illos ipsos superaueris, ea docens, quæ ipsi docere non sunt ausi. Discipuli tui, de fama Magistri sui merito solliciti, expectarunt responsi quidpiam; vsque hodie responsi visum est nihil; sapientiores iudicant, te argumentorum ponderi succumbentem, responderi non posse aliter, quàm apertè doctrinam tuam retractando, vt decet Doctorem, qui mauul ab opinione sua, quam à vera *Iesu Christi* doctrina *discedere*, scripsit autem hoc Vlicus anno post excussum opusculum Gerardi Vanviane, nempe anno 1682. in eo autem opusculo de libertate Gerardus proponit doctrinam Gummari, eiusque fontem aperit, planè demonstrans eam esse desumptam ex *Augustini Cornelij Iansenij*, parallelum enim subijcit inter dogma Iansenij de libertate damnatum ab Ecclesia & dogma Gummari, & planè euincit non esse differentiam inter vnum & aliud. Et ad finem opusculi §. XI. XII. & XIII. expendit tres propositiones Gummari. Prima: *Amor beatificus est actus humanus.* Secunda: *Nulla actio hominis in statu naturæ lapsæ ita est in nostra potestate, quam amor beatificus.* Tertia: *Amor beatificus magis est liber à necessitate, quàm vlla actio naturæ lapsæ, hominis in statu innocentiæ, aut Angelorũ viatorum.* Et rectè ponderat Gerardus corollaria absurdissima, quæ ex ijs assertionibus Gummari sponte fluunt. Ego censurare non intendo doctrinam alicuius Doctoris Catholici; hanc censuram Sedi Apostolicæ, ad quam vnicè spectat, reliquo: solum differre pronuntio, mihi non apparere, discrimen inter doctrinã Gummari & doctrinam Iansenij in materia libertatis.

722 Quod autem Vlicus scripsit de impudentia & audacia Iansenistarum, confirmatur ex ijs quæ narrat Author *Speciminis doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis ex Academia Louanienſi*, part. 2. cap. 1. §. 3. pag. 92. secundæ editionis, vbi sic ait: * *Referre* hic libet rem, cuius memoria Louanij est recentissima: Die 12. Maij anno 1677. in actu publico, vbi frequentissimo auditorio *Theses* propugnabantur *prologomenæ ad Vetus & Nouum testamentum*, eò delapsa est disputatio, vt de celebri censura Louaniensi sermo fieret: cumque is, qui disputationi præerat, affirmaret, censuram illam esse interdictam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & reseruatæ Summo Pontifici, cachinnis ex-

exceptus est indignis ab Academicis Theologiæ studiosis, qui frequentes aderant. Cùm ad hæc ille Gaud imparatus proferret mandatum Apostolicum iussu Sexti V. Lovanij publicatum ab *Octavio* Episcopo Calatino & Nuncio Apostolico, affirmare pergens, censuram illam Lovanienſium Doctorum esse & manere interdictam sub pœna excommunicationis, chachinum tulit, atque exsibilationem nihilo minorem iterum iterumque, Apostolicam authoritatem contestans, dolensque rei indignitatem in Academia Catholica. Nec deerat S. Theologiæ Professor & Licenciatus, qui argumentatione sua viam sterneret scandalosæ insolentiæ, hoc agens, vt ostenderet exercitij causa, vt aiebat, mandato illo Apostolico non prohiberi censuram quandam particularem ex illa multiplici censura Lovanienſium Doctorum. Atque hæc illi Theologiæ studiosi Academici fortasse nonnulla excusatione, vel quod putarent prohibitum dici librum, in quem esset relata censura, vel quod demandato Apostolico tum primum audirent, nihil hactenus mali suspicantes in censuris illis, quas non vanis argumentis intelligerent à suis Doctoribus valdè *probari*. * Hactenus Auctor ille.

§. L.

Quàm sit dolendum, insignem Academiam Lovanienſem non parum denigratam, & fœdatam esse, propter errores Baij & Ianſenij à quibuſdam eius alumnis, vſque hodie defenſatos. Vbi ex Cardinali Pallavecino narratur Baij hiſtoria.

723 NOTVM est toto Orbi Christiano Academiam Lovanienſem fœcundam semper fuisse matrem insignium Doctorum, qui strenuè Fidem Catholicam illustrarunt, & ab hæreticis defenderunt; vt testantur præclara opera Iacobi Latomi, Ruardi Tapperi, Adriani Florentini, postea Pontificis eius nominis VI. Ioannis Driedonis, Cuneri, & plurium aliorũ. Elogium huius inclytæ Academiæ habet insigne Cardinalis Pallavecinus in hiſtoria Concilij Tridentini lib. 15. cap. 7. num. 6. *Summo* (inquit) *habebatur in honore Lovanienſis Academia, non ſolum à Belgicis regionibus, ſed ab vniuerſa Germania Galliaque, Belgio finitimis, propter Magiſtrorum excellentiam, conſluentium frequentiã, alumnorum nobilitatem, & præcæteris propter ſanitatem doctrinæ, vnde hoc decus obtinuerat, vt haberetur tanquam armorum Sedes in illis regionibus aduerſus Lutheri vires, damnatis eius erroribus, eiuſque aſſeclis confutatis: & quo ibi tutius firmaretur integritas inter tot propinqua contagia, ius iurandum eò inductum fuerat, quo ſe quiſque obſtringeret, qui vellet in Academia locum obtinere, ſe perpetuò perſtiturum in Eccleſia, cuius caput Romanus Pontifex est.*

724 Sed proh dolor! hoc gloria non parum postmodum diminuta est. Nam vt statim subiungit Pallavicinus: * *In ſinu* tàm insignis Academia comperit Nuncius, (is erat Ioannes Franciſcus Commendonus, Episcopus tunc Zacyntinus) hæsisse paucos ante annos nova quædam opinamenta de libero arbitrio, de operibus ac de alijs articulis, excitata à Michaele Baio, illius Academiæ Doctore, quem secutus fuerat Ioannes Heſſelius; erant ambo & scientia & exemplo vitæ conspicui: & quãvis hi admoniti, se annos aliquot ab his tradendis abstinuissent, vt proinde novitas vix enata aruisse videretur; tamen contigerat postea, vt inter quosdam eorum discipulos ex Ordine Franciscano aliosque eiusdem familiæ, illarum opinionum causa orta esset contentio; quapropter vti æmulatio inter magis Domesticos acrius fervet, ij qui veteres sententias tuebantur, recentiores ab Academia Sorbonẽ si improbandas curaverant tunc in octo decem capita: quod sanè ad illas interimendas præstitum, easdem revocaverat in vitam, cum extimularentur æmuli ad suos Magistros pro illarum tutela consulendos. Hi vero, qui prius silentio se continuerant, tunc solicitati discipulorum precibus, ac Parisiensium aculeo, in eos scripserant, ad responsa provocantes, multaque volumina in promptu habentes, velut arma ad hanc suam impetitam sobolem defendenda m:

Novit Commentionus, duos hosce quos diximus Doctores libenti anno adituros esse Concilium, atque, quod hi plurimi fierent à Collegio Theologorum, eò iam esse destinatos. Quare is ad Mantuanum Cardinalem rem præscripsit, eique expendendum proposuit id vbi contingeret, grave periculum esse adeundum. Etenim si permitteretur illis pro sua libidine ibi loqui, posse magnas excitari turbas, præsertim in Germania: si vitarentur, Protestantes accepturos inde fuisse contumaciæ suæ regumentum, causatos, nolle se interesse Concilio, in quo Doctorum hominum linguis vinculum injiceretur. Præterea, si Theologi, quos memoravimus, Tridentum non adirent, eorundem voce styloque adeò disseminandas novas doctrinas, adeòque copiosiorem illarum sementem per typos parari, vt necesse foret severa aliqua ratione eos cohiberi; ex quo timendum esse, ne ab Eccleſia seiungerentur:

id

Id autem euenturum cum ingenti animarum pernicie in illis prouincijs, tum quod ambo magna eſſent in exiſtimatione ſcientiæ, tum quòd Populi in fide nutarent; ſed cum pari hæreticorum voluptate, qui tametſi contemptum Scholaſticę diſciplinę prę ſeferrent, id agebant, vt vileſceret illa mers, cuius apud Eccleſiam abundantia, apud ipſos penuria. Quod ſiquis ea ſcientia inſtructus, ad eorum ſigna infœliciter transfugiſſet, eum præcipuo in pretio habebant, eiuſque opera ſtrenuè vtebantur.

725 Adiecit Nuncius: Nolle ſe infauſtum prę ſagium de huiuſmodi viris præcinere; ſed peſtilentia graſſante omnem morbum in peſtilentiam facile commigrare. Compertum ſibi eſſe, Ruardum, in Theologicis diſciplinis præclarum, dum is in illa Academia docens, in his duobus adhuc ætate iuvenili obſervaret infauſtam coniunctionem ingenij & audaciæ, ſolitum eſſe dicere, ſe non niſi ſchiſma ab illis expectare, & Theologicam lauream diu illis diſtuliſſe: eos profectò videri ſcientiæ ſuæ nimis amantes, quamvis alioqui probos & modeſtos: & hęc ille verba ſapienter vſurpavit, digna, quæ à nobis repetantur: *Sed cuiuſque ſuperbia in ea arte quam profitetur ſita eſt; cætera facile ſuffert.* Illis favere pleroſque ex ijs, qui Theologiæ ſtudium abſolverant, & Baccalaureos, vt vocant, & dimidium ferè Doctorum, quorum aliqui contraria imbuti doctrina, ad novos Epiſcopatus, in illis Provincijs erectos, recens admoti erant. Remanſerat ideirco Lovanij eorum factio & validior, quòd numero præſtans, & fortaſſe infenſa, quaſi poſthabita. Baium profiteri quidem ſe Apoſtolicæ Sedi admodum obſequentem, ſed ab aliqua ipſius voce ſuſpectum reddi, &c. Hæc & alia, quæ præcido, ibi refert Pallavicinus, qui poſtea num. 12. ſubijcit.

726 Poſt aliquot annos vaneſcente ſuſpicionum cauſa in duobus memoratis Doctoribus, ſed gliſcente in dies neceſsitate remedij, quo doctrinæ novitati mederetur, à Belgij Gubernatrice ijdem miſsi ſunt ad Concilium tanquá Regis Theologi (an. 1561.) vna cum aliquibus illarum Provinciarum Epiſcopis. Verùm cùm in Synodo quæſtiones tunc ad propria eorum opinamenta ſpectantes non agitarentur, haud incidit opportunitas illos de ſententia dimovendi communis conſenſus authoritate; privata vero ſtudia prudenter, ac leniter erga ipſos adhibita, non ſatisfuere. Quapropter, quemadmodum prudentiæ vertitur, bellorum extornorum tempore domeſticos pacatos cõtentoſque continere, Baij opinationes diſsimulantæ ſunt, donec Synodus abſolveretur. Poſteà cùm illæ in pluribus illius libris eſſent diſperſæ, & errores, vt aſſolent, ex erroribus pullulaſſent, adeoque conſcientiarum offenſio, diſsidiorumque tumultus ſemper ſuccreviſſent, Pius V. cauſæ manum admovit; eaque maturè diſcuſſa in Romanæ Sanctæ Inquiſitionis iudicio, diploma confecit (an. 1567.) in quo damnabantur ſeptuaginta novem Baij propoſitiones, ſed abſque declaratione, quænam cuique cenſura conveniret; ſecutus in hoc conſuetudinem tum Concilij Conſtantienſis contra errores Vvicleffi, tum Leonis X. Pontificis Maximi contra errores Lutheri. Hoc diploma, dum Pius vixit, maioris lenitatis gratia privatim Lovanienſi Academiæ ab Archiepiſcopo Melchinenſi iuſſu Apoſtolico denuntiatum. Haud tamen deficientibus ſententiarũ aſſectis, nec illarum cauſa diſcordijs, & interim Pio vita functo, promulgatum ſolemniter eſt à Gregorio XIII. Pij ſucceſſore, atque ad memoratam Academiam delatum à Franciſco Toleto Societatis Ieſu (an. 1580.) tunc Pontificio Concionatore, viro ſapiente æquè ac prudente, qui poſtmodum ad Purpurã aſſumptus eſt à Clemente VIII. Hic ſtuduit Baium removere ab illis pravis opinionibus, cohortatus, vt Sedis Apoſtolicæ iudicio requieſceret; & per paucis colloquijs id obtinuit, privata illius retractatione contentus: atque hoc pacto Baius non ſolum illæſus perſtitit, ſed ipſius etiã nomini verba diplomatis pepercere; quin per illud eius errores manum tàm mitem experti ſunt, vt vix viderentur errores, cùm aliquæ ex proſcriptis propoſitionib⁹, nullis certis in hac exceptione ad notatis, dicerentur poſſe ſubſtineri in aliqua minus propria ſignificatione. Hoc diploma acceptum eſt à Lovanienſi Academia, cum adiecta ſponſione, vt quiſquis in eam adſcribi vellet, perpetuam prius eius obſervationem iure iurando paciſceretur. Verum, quemadmodum, vt vſu venit, curationes leneſ quò minus periculoſæ, eò pariter minùs evadunt efficaces quàm acriores; ita eo diplomate non avulſa radicitus cancræna eſt, ſed denuò diſtortæ interpretationes, tum prius à Baio, tùm dein à diſcipulis illatæ ſunt in benignam diplomatis *ſententiam.* * Hactenus Cardinalis Pallavecinus.

727 Formulam retractationis ſuarum opinionum, quam Baius ſuadente Toleto, concinnavit, exhibet *Fr. Franciſcus Frourmeſtraux* in ſua *iuſta defenſione aduerſus convicia & impoſturas Pſeudophilaletis*, cap. 1. pag. 25. & ita habet: *Ego Michael Baj Cancellarius Vniuerſitatis Lovanienſis agnoſco, & profiteor, me ex variis colloquijs & communicationibus habitis cum R. P. Franciſco Toleto concionatore ſuæ ſanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo, ſuper di-*

diuersis sententijs & propositionibus iam olim à Sanctissimo Domino nostro Pio V. fœlicis recordationis sub data Kalendarum *Octobris ann.* 1567. *& insuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo sub data* 4. Kalendas *Februarij an.* 1579. *iterato damnatis & prohibitis, ita motum, & eo perductum esse, vt planè mihi habeam persuasum, earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem iure meritoque, ac non nisi maturo iudicio, & diligentissima excusione præmissis factam, atque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex eisdem sententijs in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super his censuram, conscriptis & in lucem editis contineri & defendi, etiam in eo sensu, in quo reprobantur. Denique declaro me in præsentiarum ab his omnibus recedere, & damnationi à sancta Sede factæ acquiescere, neque post hac vllas docere, asserere, aut defendere velle. Actum die* 24. *anno* 1580.

728 Antequam autem referam interpretationes sinistras, quas discipuli Baij Diplomati Pontificio adhibuerunt, placet hic apponere egregium testimonium de statu Academiæ Lovanienſis postquã eam suis erroribus ĩnfecit Baius. Audiendus igitur hoc loco est Reverendissimus Dominus *Ioannes Strijen* Middelburgensis in Belgio Episcopus & Sacræ Theologiæ Doctor Lovanienſis, in egregia de Lovanienſibus Novatoribus epistola ad Archiepiscopum Mechlinienſem, quam adducit, *Examen Theologiæ per Belgium manentis ex Academia Lovanienſi*, part. 4. cap. 1. §. 5. pag. 261. ex qua delibamus hæc pauca: *Post mortem meorũ præceptorum Ruardi Tapperi, & Iudoci Tilitani, & discessim ex hac Academia ad Episcopalem residentiam Martini Rithovij Iprensis, & Cuneri Leovardiensis Antistitum, vt Africa semper aliquid monstri: ita hæc Facultas novæ doctrinæ aliquid gigniti adeò vt liberas opiniones affligat prætextu fictæ hæreseos. Horum autem Michaelis Baij, & Ioannes à Lovanio (seu Hesselij) discipuli sunt, quicumque nunc temporis Lovanij, & in recentiore Vniuersitate Duacensi, Theologi nominantur.* Hæc ille Doctor Episcopus die 29. Februarij an. 1588. opiniones autem liberas, seu probabiles, quas prætextu hæresis affligebant, Lovanienſes, erant opiniones Societatis de indifferentia auxiliorum, de gratia vere sufficiente reperta in eo, qui transgreditur præceptum, quas acri censura notaverat Academia Lovanienſis anno 1587. alludit enim ad illam censuram celebrem, quæ approbari non potest, quin approbentur doctrina Iansenij de libertate & gratia, damnata à Sede Apostolica; vt supra ostendimus. Vt enim loquitur *Specimen Theologiæ* part. 2. c. 1. §. 3. pag. 91. * Ann. 1587. cum diem suum obijsset Illustrissimus Nuntius Apostolicus Vessellensis, quo vivente nihil attentare ausi sunt, exarserunt contra varias sententias Theologicas Professorum Iesuitarum, quidã Doctores Facultatis Theologicæ Lovanienſis, & cõtra eas celebrem tulerunt *censuram*. * Nimirũ discipuli Michaelis Baij, & Ioannis Hesselij, simul cum suis Magistris illam censurã cuderunt ex odio in Iesuitas, quos credebant apud Pium V. institisse pro condemnatione propositionum Baij, quod odium auxit hæc legatio Frãcisci Toleti, & expressa à Baio palinodia suorum dogmatum, illorumque abiuratio; vt probat *P. Fourmentaux* vbi suprà.

729 Concordat cum iudicio Episcopi *Middelburgenſis Ioannis Strijen* iam laudati iudicium Cardinalis Bellarmini in libello oblato Supremæ Inquisitioni Romanæ pro defensione P. Leonardi Lessij, quem supra exhibuimus à num. in eo namque libello prope finem sic scribit: * *Denique* hoc loco advertendum est, Doctores Lovanienſes *Ioannem Hessels*, & Michaelem Baium aperte discessisse à doctrina communi Scholarium & antiquorum Lovanienſium, Adriani, Driedonis, Tapari, &c. & ideo Tiletanum, & Cunerum, qui ex antiquis erant, necnon Fratrem quendam Franciscanum nomine Theodium, acriter se eis opposuisse, & tandiu cum Pontifice & Rege de hac re egisse, donec efficerent, vt plurimæ eorum sententiæ damnarentur: sed quamvis publicæ damnatæ fuerint hæc sententiæ, tamen ego cum Lovanij iuvenis essem, & postea multorum relatione cognovi, Michaelem & duos discipulos in eisdem erroribus *perseverare*.* Hoc autem scripsit Bellarminus anno 1590.

§. LI.

Qua arte discipuli Baij, præsertim Iansenius Bullam Pij V. & Gregorij XIII. eludere conati sunt, quia in exemplari Lovanium missio, scribæ incuria prætermissum fuerat quoddam Comma, *seu Virgula disiunctiua.*

730 B. Pius V. in sua Bulla, qua 79. propositiones Baij damnavit, & quam postea Gregorius XIII. & Vrbanus VII. innovarunt; post enumeratas propositiones illas, sub hac verborum forma eas censuravit: *Quas quidem*

dem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectiuè, ad quæcumque ſuper his verba ſcriptoque emiſſa, præſentium authoritate damnamus, circumſcribimus, & delemus, &c. Quorum verborũ ſenſus planus & litteralis eſt, quamvis aliquæ earum aliquo pacto ſuſtineri poſſent; tamen in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, ſingulas earum, vel hæreticas, vel erroneas, vel temerarias, vel ſaltem ſcandaloſas & piarum aurium offenſivas eſſe.

731 Rogatus fuerat à *Baio Toletus*, (inquit Author *ſpeciminis Theolog.* part. 2. cap. 1. §. 4.) vt Bullæ Apoſtolicæ exemplar Lovanij relinqueretur: *Sed abſque mandato Pontificis id fieri non debere ratus, acturum promiſſerat cum ſua ſanctitate, vbi Romam rediiſſet, vt inde tranſmitteretur. Miſſum itaque Roma eſt exemplar manuſcriptum, quod hucuſque in tabulario Facultatis Theologicæ Lovanij aſſervatur, & nonnullas vſpiam habet interpunctiones; quæ in Romana Curia, cum quidpiam manu deſcribitur, omitti ſunt ſolitæ. Ad huius exemplaris normam Bulla iſta Gregoriana typis excuſſa eſt Lovanij ann. 1641. aduerſus librum Ianſenij tum primum editum.*

732 Ex illo exemplari Bullæ tranſcripto ſine commatibus & interpunctionibus, & Lovaniũ miſſo anſam arripuere Baius, eiuſque diſcipuli, ad ſtudendã vim Bullæ; ita enim Bullam intelligendam eſſe dicebant, vt verba illa *in rigore & proprio ſenſu* coniungenda ſint cum antecedentibus abſque vllo commate, & virgula diſiunctiva; proindeq; ſenſum Pontificis eſſe hunc: *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborũ ſenſu ab aſſertoribus intento; hæreticas, erroneas, &c.* Hinc̃q; eliciebant, aliquas ex propoſitionibus condemnatis à Pio V. & Gregorio XIII. in rigore & proprio verborũ ſenſu ab aſſertoribus intento veras eſſe; & ſolũ proſcriptas fuiſſe, quia offenſionem cauſabant, eo quod opiniones contrariæ eſſent in Scholis cõmunes.

733 Huius diſtortæ expoſitionis teſtis eſt ipſe Ianſenius, qui lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 27. column. 673. ſic ſcripſit: *Ianſonius* (fuit is Doctor Baij diſcipulus, & Ianſenij præceptor, atque educator) *palam conteſtatus eſt, Pontificis Bullam adulteratam eſſe ab ijs, qui diſtinctione ponerent poſt illa verba ſuſtineri poſſent.... nullius enim diſtinctionis in originali Bulla, quam tenebat manibus, & legebat, veſtigium eſſe aſſerebat: & reverà nullum eſſe diſtinctionis veſtigium, ego ipſe ſæpe meis oculis vidi.* Hæc Iãſenius; qui Bullam originalem vocat exemplar illud manuſcribæ ſine cõmatibus tranſcriptũ, & Roma Lovanium miſſum. Ideo autem contendebat, Bullam ſine commate & interpunctione diſiunctiva legendam, & accipiendam, vt ſibi impunè liceret quaſcumq; ex propoſitionibus Baij damnatis à Pontificibus, in proprio verborum ſenſu tanquam veras & Auguſtinianas defendere, poſtquam ipſe iudicavit, tam clarè à ſe monſtratum, illas eſſe ſententias Auguſtini, ac proinde veras, vt nemini iam poſſent ſcandalũ generare, vel pias aures amplius offendere. Id patet ex ijs, quę addit vbi nuper col. 674. ſic enim ſibi obijcit, & reſpondet.

734 *Cur ergo, inquies, proſcriptæ ſunt? Idcirco, inquam, quod altera ſententia Scholaſticorum ſtudijs, humanas magis rationes quam Eccleſiaſticam traditionem attendentes* (attendentium) *in Scholis eſſet receptior, atque tritior.* Poſt multa concludit columna 676. *Qua in re ſicut prudentiſſima fuit Summorum Pontificum prouidentia, quæ nec veritatem nudam importuna damnandi quoslibet acrimonia proferri ſinit: ſed vel minus proponi, vel prorſus ad tempus ſupprimi propter infirmos iubet: ita eadem veritatem ex Eccleſiaſticis monumentis erutam, ſuis cardinibus nixam, ſuo ornatu veſtitam, ſuis armis, quibus à Patribus eſt defenſa, munitam, in publicum prodire non vetat.* Hæc Ianſenius, qui hoc fuco inobedientiam ſuam erga Bullam duorum Pontificum regens, ſuſcitare auſus eſt plures ex propoſitionibus erroneis, & hæreticis Baij, & illas defendere tanquam veras, & à Sancto Auguſtino expreſsè traditas, & tanquam baſim firmam doctrinæ ſuæ adverſus Pelagium ſtabilitas; vt inter alias conſtat de propoſitione 55. Baij, *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, de qua aſſerit eſſe præcipuam baſim doctrinæ Auguſtinæ contra Pelagium approbatæ à novem Pontificibus; vt vidimus diſput. 2. huius tractatus num. 21. 22. & 23. vbi oſtendimus huius aſſerti falſitatem.

735 Verùm enim vero Ionſonium, & Ianſenium non bona fide proceſſiſſe in hac Bullæ contra Baium explicatione, facile eſt probare; etenim in exemplari Bullæ Lovaniũ miſſo nullum omnino comma, nulla interpunctio cernitur, vt conſtat tum ex ipſo exemplari

plari manuscripto, quod in Archivo Facultatis Theologiæ Lovaniensis servatur, tum ex copia eius impressa, & per eiusdem Facultatis Theologos accuratissimè collata, quæ etiam commatibus caret, vt testatur R. P. Patricius Duffy, olim in Collegio FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Hiberniæ Lovanij Sacræ Theologiæ Lector, & nunc in Curia Romana Theologus Catholici Regis Caroli Secundi in causa contra Iansenistas, in opusculo, cui titulus, *Tria prima ad hodiernas controversias prodroma*, §. 6. n. 24. pag. 15. & testatur etiam *specimen Theolog.* vbi super. Si autem in exemplari illo Bullæ apud ipsos servato nullum comma extat; quo fundamento dicere potuerunt, verba Bullæ esse connectenda hoc modo, *quamvis nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*? An ipsis privilegium est connectendi verba Bullæ, prout ipsis magis expediens fuerit ad sua opinamenta, vel potius figmenta tuenda?

736 Et sanè illam explicationem esse violentã, & contrariã contextui Bullæ, manifestè constat: quia si *nonnullæ* ex illis propositionibus *in rigore, & proprio verborũ sensu sustineri possent*; profectò absolutè & simpliciter, & sine addito restringenti sustineri possent, & non solũ *aliquo pacto*, & cũ addito restringente, & distrahente propriã & germanã vocũ significationẽ: ergo dum Pontifex in sua Bulla dicit, quod *quamquam nonnullæ, aliquo pacto sustineri possent*, & immediate subiungit, *in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas erroneas, suspectas .... damnamus*, ly *in rigore* non est referendũ ad antecedentia, sed ad sequentia; redditque planum & dignum Pontificia maiestate sensum, quod, nimirum illæ propositiones in sensu proprio & rigoroso & communi acceptioni cõformi acceptæ, vel hæreticæ, vel erroneæ, vel suspectæ sunt: licet aliquæ earũ aliquo pacto sustineri possent, si acciperentur in sensu alio non adeò proprio, aut vocibus nativo, vel communi acceptioni conformi.

737 Deinde hoc ipsum probatur, quia Baij discipuli, & Iansenius ignorare non poterant, eodem anno, quo Lovanium missum est exemplar manuscriptũ sine commatibus vllis, & interpunctionibus, nempe anno 1580. excussam esse Romæ typis Cameræ Apostolicæ Bullam illam, & in illa Bulla sic impressa apponi virgulam distinctivam, seu comma post verba, *quamvis nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*; ac proinde verba immediate sequentia, *in rigore & proprio verborum sensu* referri ad ly *hæreticas, erroneas, suspectas damnamus*.

738 Quod autem in Bulla originali, primoque autographo reperiatur virgula distinctiva, seu comma, est certissimum; primo quia Eminentissimus Cardinalis de Lugo die 2. Octob. an. 1644. testatus est, se vidisse Bullam illam, non in Regesto, in quo à Scriptoribus Apostolicis Bullæ distribuuntur, & in quo nullæ solent interpunctiones adhiberi, sed in ipsomet autographo illius Cardinalis, qui iussu Pij V. Bullam concepit, & extendit secundum mentem Pontificis, & notasse diligenter interpunctiones, & comperisse, quod post illa verba, *sustineri possent*, atque ante illa, *in rigore, &c.* positum esse comma, seu virgula distinctiva. Hæc se tunc ex Eminentissimo Cardinali audivisse affirmavit in verbo Sacerdotis *Pater Philipus* Alegambe, nostræ Societatis, Sacræ Theologiæ Doctor, & nobilis scriptor, litteris datis die 8. Octob. ann. 1644. prout affirmat Author *speciminis Theolog.* part. 2. cap. 1. §. 4. pag. 97.

739 Secundæ id esse certum probatur, quia vt refert idem Author ibidem, constat, anno 1643. valde vulgarem fuisse criminationem Bullæ, vt vitiatę additione commatis post illa verba, *sustineri possent*, adeoque tunc vires sumpsisse doctrinam *Michaelis Baij, Iacobi Iansonij, & Cornelij Iansenij* asserentium, ex sententijs à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* condemnatis, *nonnullas aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.*

740 Hanc autem doctrinam & cavillationem de commate, à Lovaniensi potissimum Academia dimanasse, duplici argumento evincit Author *speciminis Theologiæ per Belgium manantis ex Academia Lovaniensi*, parte 2. cap. 1. §. 4. Primum eius argumentum est, quod Vrbanus VIII. die 24. Octob. ann. 1643. sex Brevia expediens, ad Belgij Gubernatorem, Archiepiscopos Mechelenienesem, & Caracensem, Episcopum Antuerpiensem, Academias Lovaniensem, Duacenam, in nullo illorum Brevium mentionem faciat de cavillatione commatis, nisi in eo, quod ad Lovaniensem direxit, sic scribens: *Ingenti tamen animi ægritudine audiuimus, aliquos non defuisse, quorum temeritas eò prolapsa est, vt prædictam Constitutionem tum ob prorogatum publicationis tempus, ac etiam quorundam interpunctionem ..... in dubium vocare, & falsitatis arguere non sint veriti.*

742 Secundum argumentum, quo laudatus Author probat, prædictam cavillationem ab Vniversitate Lovaniensi, dimanasse, est,

quod an. 1643. publico Lovanienſis Academiæ nomine inſtituta eſt legatio ad Apoſtolicam Sedem, in quam & pars magna anni 1644. in ſumpta eſt: *Cauſa legationis* (inquit Author *ſpecimini* part. 2. cap 1. §. 2.) *non tam, vt de veritate Bullæ Vrbani Pontificis* (qua *Auguſtinum Cornelij Ianſenij* an. 1641. damnavit) *eiuſque veritate inquirerent ipſi, quam vt obiecta S. Auguſtini authoritate, ad reuocandam cenſuram, aut certè mitigandam Pontificem permoverent, quod veriti non ſunt palã profiteri, & reipſa Romæ egerunt. Caput legationis erat Ioannes Sinnichius S. T. Doctor Ianſeniſtarum Coryphæus.* Sed cùm iure meritiſsimo non fuerint auditi de hoc puncto, ſeu quatenus poſtulabant novum examen libri Ianſenij. & eius collationẽ cum doctrina S. Auguſtini, auditi ſunt de ijs, quibus Bulla in Belgio tam multis erat ſuſpecta, adeoque imprimis de commate illo poſt verba *ſuſtineri poſſent*, quod illi contendebant additũ eſſe Bullæ Pontificis ab adverſarijs Baij. Reſpõſum autẽ tulerunt non quale deſiderabant, & tanto molimine quærebant, ſed quale eorum auſus promerebat. Quod nam autem fuerit hoc reſponſum, conſtat ex decreto S. Congregationis Romanæ & vniverſalis Inquiſitionis edito die 6. Iunij an. 1644. hoc decretum authenticatum fide notarij publici exhibet libellus Coloniæ Agrippinæ excuſſus an. 1679 cui titulus, *Conſtitutiones & decreta Apoſtolica præcipuè vtilia hoc tempore aduerſus quoſdam abuſus in materia fidei & morum*; & inſuper illud adducit *ſpecimen* ſæpè citatum p. 2. c. 1. §. 4. p. 98. & eſt tenoris ſequentis.

742 * *Cum poſt* publicatam Bullam Sanctiſsimi Domini noſtri contra librũ Cornelij Ianſenij, olim Epiſcopi Iprenſis, cui titulus *Auguſtinus*, excitatę fuerint varię difficultates occaſione diverſitatis exemplarium Bullę præfatæ, & aliorum, de quibus in nonnullis libellis divulgatis: cumque per Ioannem Sinichium, & Cornelium Papium Doctores Vniverſitatis Lovanienſis fuerint præſentatæ litteræ eiuſdem Vniverſitatis, necnon porrectus ſupplex libellus Sanctiſsimo Domino noſtro pro dictæ Bullæ veritate, & intentione ſanctitatis ſuæ circa illam indaganda: idem ſanctiſſimus litteras, & libellum præfatum ſacræ Cõgregationi ſupremæ, & vniverſalis Inquiſitionis remiſit, vt per eam de contentis in illis informaretur, prout ſucceſsive informatus mandavit per Eminentiſsimos, ac Reverendiſsimos Doctores Cardinales Bernardinum Spadam, Ioannem Baptiſtam Pamphilium, & Lælium Falconerium, tres ex Supremis Inquiſitoribus, antedictos Sinichium, & Papium audiri, & deinde ſanctitati ſuæ ab eis deducta referri. Qui quidem Domini Cardinales, in executionem dicti mandati, præfatos Doctores verbo, & ſcripto, multa deducentes, tum congregatim, tum privatim audiverunt, eaque omnia in præfata ſuprema, & vniverſali Congregatione prius communicata, ac ibi pluries diſcuſſa, vna cum voto ipſius Congregationis Sanctiſsimo Domino noſtro diligentiſsime retulerunt. Sanctitas vero ſua, audita relatione, & voto præfatis, necnon omnibus mature perpenſis, & conſideratis; mandavit ex Archivio eiuſdem Congregationis, & ex matrice actorum, quæ in eodem Archivio conſervantur, extrahi, ſive tranſcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ, illudque ſic extractum, collationatum, & impreſſum, eiſdem Sinichio, & Papio, per ſupra dictos Doctores Cardinales Spadam, Pamphilium, & Falconerium conſignari ipſiſque inſuper Sinichio, & Papio intimari, & ſignificari ſuæ ſanctitatis mentem & voluntatem eſſe, vt eidem exemplari ſic conſignato fides adhibeatur, & ab omnibus Chriſti fidelibus Bullæ huiuſmodi omnino pareatur, ſub pœnis, & cenſuris in ea contentis: & demum ſuper dubitationibus, difficultatibus, ac querelis occaſione præfatæ Bullæ quoquo modo excitatis, vel excitandis, perpetuum ſilentium imponi, prout impoſuit, & ita, &c. Non obſtantibus omnibus, & quibuſcumque in contrarium adductis, & deductis, &c. Inſuper ſanctitas ſua mandavit iuxta ſenſum præfatum ſcribi per eandem ſacram Congregationem Nuntijs Apoſtolicis, ac locorum Ordinarijs, & expediri etiam litteras ad Gubernatorem Flandriæ, & Vniverſitatem Lovanienſem, & ad alios, &c.*

§. LII.

Quàm ſint reprehenſibiles Lovaniẽſis Academiæ alumni aliqui, adhuc contendentes, ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. conſtare, nonnullas ex propoſitionibus Baij in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento ſuſtineri poſſe. Vbi quid in hac cauſa ſcripſerit Macarius Havermans.

743 STVPEO Eò productos eſſe aliquos Lovanienſes, vt cum manifeſtiſsimum ſit, in Bulla Pontificum appoſitam eſſe virgulam diſiunctivam poſt illam particulam *ſuſtineri poſſent*, & ante illam, *in rigore & proprio verborum ſenſu*; ac proinde litteralem & genuinum ſenſum Bullæ eſſe, quamvis non-

non nullæ illarum propoſitionum *aliquo pacto ſuſtinere poſſent*; nihilominus *in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*, omnes vel tamquam *hæreticas*, vel tamquam *erroneas*, vel tamquam *ſuſpectas*, vel tamquam *piarum aurium offenſiuas*, damnari: adhuc veritatem apertam negare audeant: *Exrant adhuc* (inquit Author *ſpeciminis* vbi ſuprà pag. 99.) *exemplaria Bullæ in gratiam Legatorum Lovanienſium Romæ recuſſa illo ann.* 1644. *in quibus videre eſt valdè diſtinctè comma, ſeu virgula diſiunctiua*, poſt illa verba, *ſuſtineri poſſent*, & ante illa, *in rigore*, &c. non ſine atteſtatione authentica Notarij Supremæ, & vniverſalis Inquiſitionis Romanæ: quam atteſtationem ibi tranſcribit.

744 Quis non crederet tàm apertis argumentis finè imponendũ illi cavillationi à Ianſenio adinventæ ad eludendã vim Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. & ab Vrbano VIII. confirmatæ, ac proinde nullũ iam deinceps futurum D. Catholicum, qui aſſerere auderet, ex 79. ſentẽtijs à tribus Summis Pontific. damnatis *nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*? Et tamen non ita evenit: adhuc perſiſtunt in illa cavillatione, & diſtorta Bullæ interpretatione; maiorem, vt videtur, fidem habentes doctrinæ Ianſenij, quam falſo credunt eſſe doctrinã S. Auguſtini, quam Pontificijs Decretis. Quod res ita ſe habeat, multis exemplis probat Author *ſpeciminis* in Belgio ſcribens, qui ſumma cũ fidelitate refert doctrinã quæ ab an. 1644. ad an. 1677. ab Vniverſitate Lovaniẽſi per Belgiũ manat, & ſapientiſ. *Nicolaus du Bois* Theologus, ac I. C. eruditiſsimus, ac Sacrarum litterarum in Vniverſitate Lovanienſi Regius & Primarius Profeſſor, tanquam Notarius Apoſtolicus die 22. Martij an. 1678. teſtatur ad finem illorum ſpeciminum *collatione facta cum theſibus, libris, ſcriptis*, quæ citantur in his *ſpeciminibus*, *ſe invenisſe extracta* ſingula, quibus exponitur *doctrina Lovanienſium*, cum eiſdẽ Theſibus, libris, & *ſcriptis concordare*. Appendam hic illius Authoris verba.

745 Anno 1619. prodijt in Belgio liber, cui titulus; rationes ob quas Illuſt. D. Archiep. Mechliniẽſis à promulgatione Bullæ, qua proſcribitur liber, cui titulus *Cornelij Ianſenij Auguſtinus*, &c. Author, vel Authores libelli (conſiliarijs Archiepiſcopus vtebatur Lovaniẽſibus Doctoribus, & inter illos domeſticũ habebat Franciſcum Vanvianem iam tum S. T. Doctorem) ſic ibi expreſſerunt pag. 22. 25.

Qui enim librum Ianſenij probant (hi vero alijs, & numero, & authoritate longe ſunt ſuperiores, in mea ſaltem diœceſi) eam (Bullã) nullam eſſe, & invalidam prorſus non dubitãt ..... An vero quaſdã propoſitiones à Pio V. & Gregorio XIII. damnatas in contemptũ Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ pernicie renovet, & defendat Ianſenius, facti quæſtionẽ eſſe ..... vt ex eo oſtenderet, conſtitutionibus Pij V. & Greg. XIII. (quæ ipſæ declarant expreſsè quaſdam propoſitiones ibidẽ expreſſas, *in rigore, & proprio ſenſu ab Authoribus intento ſuſtineri poſſe*) veram, & genuinam *S. Auguſtini* doctrinam nullo pacto lædi.

746 Ecce conſtitutionibus Pij V. & Greg. XIII. non læditur doctrina S. Auguſtini: quia conſtitutiones illæ declarant, quaſdam propoſitiones à ſe damnatas, veras eſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu. Atque hæc illi nomine Illuſtriſ. Archiepiſcopi Mechlinienſis anno 1649. poſtquam & auditi eſſent Romæ de hac controverſia Lovanienſes legati, & ſententiam accepiſſent tàm diſſertam (*vt ſupra breviter expoſuimus num.* 742. *& latiùs infrà exponemus.*

Valerius Andreas I. V. Doctor Lovanij anno 1650. iterata editione in lucem edidit librum, cui titulus Faſti Academici ſtudij generalis Lovanienſis, cui noluit deeſſe eandem doctrinam. Ad annum 1667. pag. 365. narrat his verbis: *Pius V. Pontifex Bullam edidit ..... qua damnantur certæ ſententiæ, ſeu propoſitiones ..... quamquam nonnullæ* (vt eadem loquitur Bulla) *aliquo pacto ſubſtineri poſſent in rigore & propio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento.*

747 *Macharius Havermans* S. T. Profeſſor Antuerpiæ, ſed Lovanij laudatiſsimus, vbi & Theologicæ licentiæ gradu nuper eſt actus, cauſam illam ſuſcepit præcipuè, cùm in theſibus ad diſputationem propoſitis, tum in lucubrationibus typo editis: primum quidem anno 1674. in ſuo *Tyrocinio*, in cuius libri præfatione fatetur, ſe liberaliter vſum eſſe ſcriptis Franciſci Vanvianem S. T. Doctoris Lovanienſis, & aliorum. Sic vero Profeſſor ille Tyrones ſuos inſtruit tract. 2. c. 6. §. 3. num. 74. pag. 451.

Semel generaliter Tyro Theologus notare debet circa illam Bullam Pij V. Gregorij XIII. proſcribentem illas propoſitiones vulgò Baio adſcriptas, quod vi iſtius Bullæ nulla propoſitio in particulari poſsit dici condemnata tanquam hæretica, & falſa; licet aliundè certum ſit, multas inter illas tales inveniri, cùm quædam ex propoſitionibus ibidem proſcriptis *in rigore ſint veræ*, &, vt aiunt Pontifices in illa Bulla, *nonnullæ aliquo pacto ſubſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Authoribus intento*. Quas tamen

tanquam tunc ſcandali occaſionem dantes, & conſequenter offenſivas proſcripſerunt.

748 De hoc loco ſui Tyrocinij cum eſſet mota difficultas, Macarius Havermans cauſam reſumpſit, & pleniſsimè inſtruxit anno 1676. in defenſione Tyrocinij cap. 1. §. 3. à pag. 72. vſque ad pag. 90. quædam videamus ſpeciminis loco. Sic locum orditur pag. 72.

Ex quibus *invictiſsimo* argumento à poſteriori deduco, *Pontifices* non proſcripſiſſe illas propoſitiones *in ſenſu* ab Authoribus intento, quia ſi hoc feciſſent, ipſorum FVISSET DECLARARE quinam fuerint Authores, qui condemnatas illas propoſitiones docuerunt, vt ſic ſcire poſſemus, *in quo ſenſu* ſint condemnatæ: cum autẽ hoc facere ex profeſſo noluerint, COLLIGITVR CLARE ipſorum mentẽ non eſſe illis propoſitiones proſcribere *in ſenſu* ab Authoribus intento; ſed è contra declarare *Nonnullas ex illis propoſitionibus condemnatis, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Authoribus intento ſubſtineri poſſe.*

Vnde & adhuc aſſeveramus in Bulla non eſſe ponendũ comma inter *ſubſtineri poſſent, & in rigore, &c.* ſic vt legi deberet: * *Quas* quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ, aliquo pacto ſubſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas ..... damnamus, &c. Sed comma ponendum eſſe poſt verba; *ab Authoribus intento*: ſic vt legi debeat: quamquam non nullæ aliquo pacto ſubſtineri poſſent in rigore, ac proprio verborum ſenſu ab Authoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. * Et ſic expreſsè habetur *in Bulla* Vrbaniana hic in Belgio publicata, quę in dubiè accuratè cum originali Romana concordat.

749 Mira res eſt, quam narrat hic Profeſſor, ſic expreſsè haberi in Bulla Vrbaniana hic in Belgio publicata. Loqui debet de legitima publicatione Bullæ: exemplaria, quæ ſervire poſſent huic publicationi, acceperũt Epiſcopi inBelgio ab Illuſtriſsimo Internuntio, hic vero ab Illuſtriſsimo Neritonenſi Fabio Chiſio vt ſupra narratum eſt: conſtat autem exemplaria illa habuiſſe comma poſt verba; ſubſtineri poſſent: hac enim occaſione Lovanienſes Academici criminati ſunt Bullam, vt vidimus. Similiter legitimæ publicationi ſervire poterat exemplar iuſſu Vrbani VIII. Romæ recuſum, datumque in manus Lovanienſibus legatis ab Emin. DD. Cardinalibus Spada, Pamphilio, Falconerio, vt vidimus ex decreto S. Congregationis. Atquí & illud habebat; ſervatque in hodiernum diem comma illud. Præter hęc exemplaria nullum eſt legitimè miſſum in Belgium, legitimæ publicationi vtile, quod commate illo caruerit: nam exemplar manuſcriptum agente Toleto miſſum, & Lovanij aſſervatum caret interpunctionibus omnibus.

Pergit vero Profeſſor Macarius Havermans pag 73.

Quantum ad originalem copiam Bullæ Roma Lovanium tranſmiſſam, illa nulla habet commata; quod ſignum eſt, in Bulla originali Romana nulla etiam fuiſſe commata.

Ad hanc imperitiam ſtyli curię Romanę nihil libet adnotare. Notavimus quædã ſuprà.

Poſtquam pag. 74. dixiſſet Lovanienſes Doctores, præſertim Baium, & Ianſenium Bullam explicaſſe, vt ipſe explicat, mor pag. 75. argumentatur his verbis.

Ianſenius Baij, & *Ianſonij* ſententiæ ſubſcripſit: tamen expreſsè ideo non fuit condemnatus. Vnde paſsim iam adhuc ita Bulla explicatur, imprimitur, &c. nec ſunt, niſi adverſarij, qui huic contradicant.

Nota: *Paſsim adhuc ita Bulla explicatur.* Certè nuper admodum in Schola publicæ Lovanij dicitur explicatio illa diſcipulis inculcata eſſe à *Ioanne Recht* S.T. Doctore. Sed iterum argumentatur Macharius Havermans confidenter his verbis, pag. 76.

750 Quod autem Bulla ita explicari debeat, convincitur manifeſtè ex eo, quod quędã propoſitiones ex proſcriptis in rigore ſint vera, & aliquo pacto ſubſtineri poſsint in ſenſu ab Authoribus intento. Vt nihil non moveat, pag. 78. locũ bene prolixum deſcribit ex Auguſtino Concilij Ianſenij narrantis, ad Baij ſolatium Bullæ oppoſitum fuiſſe, nonnullas ſententias aliquo pacto ſubſtineri poſſe in rigore, & proprio verborũ ſenſu ab aſſertoribus intento. Hæc profeſſor ille vult nos credere Concilio Ianſenio, Baianiſmi inſtauratori, & Iacobo Ianſenio Bati diſcipulo, & Baianorũ Coriphæo.

Hæc ipſa vero tam ſplendida poſtquam dederat, ſic ſegerere auſus eſt in Epiſtola Apoſtolica ad Summum Pontificem C.I.n. 19. pag. 29. ac ſi hoc vnum docuiſſet, quaſdã ex propoſitionibus Baianis, quæ ob involutam cenſurã condemnatæ ſatis communiter creduntur, aliquo pacto ſubſtineri poſſe, &c. Dempta nimirũ cenſuræ acerbitate, quam Baius adhibuit. Vndẽ in Tyrocinio pag. 450. poſtquam à ſe conatus erat amoliri invidiam propoſitionis Baianæ, *Omnia opera infidelium ſunt peccata*, videns vt opinor, rem non ſatis belle ſuccedere, monet denique Tyronem Theologum, ex propoſitionibus Baianis *nonnullas aliquo pacto ſubſtineri poſſe in rigore & proprio verborum ſenſu*, quas olim vt offenſivas Pontifices proſcripſerint. In quo mihi videtur Macarius veſtigia præſiſſe Ianſenij, cuius verba dedi ſupra num. 734.

Quan-

§. LIII.

Quantum obscurata sit gloria Academiæ Lovanienſis, eo quod approbaverit, & defendendum ſuſceperit librum Ianſenij, obſiſtendo publicationi Decreti, quo Vrbanus VIII. illum confixerat. Vbi quid in hoc negotio egerit Ioannes Sinnichius.

751 VT Vidimus ſupra mortuo Ianſenio (pridie Nonas Maij an. 1638. eius teſtamentarij libertus Fromondus S. Theologiæ Doctor, & S. Scripturæ Lovanij Profeſſor Regius, & Henricus Calenus, S. Th. Licentiatus, Archipræsbyter Bruxell. & Canonicus Metropolitanus, typis mandarunt Lovanij ann. 1640. famoſum illud opus eiuſdem, cui titulus *Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis Auguſtinus*, tribus tomis diſtinctum. Huius operis cenſores, & Panygiriſtæ fuerunt præfatus Henricus Calenus, & Iacobus Pontanus S. Theolog. Doctor, Pontificius ac Regius Cenſor, qui opus illud magnificè commendarunt. Vt autem refert *Guillelmus Le Maire* in ſua ſtatera Saulis ex Regis Ioannis Sinichij S. Theologiæ in Academia Lovanienſi Doctoris, ſect. 2. cap. 3. §. 1. pag. 144. Doctor Ioannes Sinnichius, * *vna cũ ſuis Collegis quibuſdam* approbavit, & magnificè extulit *Auguſtinum Ianſenij die* 24. Decemb. ann. 1641. & vt addit idem Author ibidem §. 2. pag. 146. de *Auguſtino* Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis *Sinnichius* cum reliqua Facultate ſolemni decreto ſic pronuntiavit die 24. Decemb. ann. 1641. *Videtur nobis* (inquit Facultas Lovanienſis) *in pleriſque, & quidem capitalibus dogmatibus S. Auguſtino, & veteri illi Facultati noſtræ Theologicæ doctrinæ conformis, quæ à Maioribus noſtris in Cenſura anni* 1586. *aduerſus P. Leſſij Articulos breviter delineata* (ſed cenſura caſſata, & irritata iuſſu Sixti V. die 10. Iulij 1588.) *ac deinde in iuſtificatione Cenſuræ anno* 1591. *latius explicata, & ad Sedem Apoſtolicam miſſa fuit* (ſi miſſa fuit, non fecit magna miracula: quia non licuit illã edere in lucem) *Ac denique ann.* 1613. *die* 30. *Iulij ab vniuerſa Facultate, nemine Magiſtrorum contradicente, approbata.* Si Facultas vniverſa approbavit *Iuſtificationem Cenſuræ*, vniverſa, *nemine Magiſtrorum excepto*, peccavit contra mandatum Apoſtolicum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quo caſſata erat Cenſura. *

752 Sed *Auguſtinum Cornelij Ianſenij* Vrbanus VIII. pridie Nonas Martij ann. 1641. ſeverè prohibuit, & dogmata Iáſenij vnà cum Baianis damnavit, Bulla, quæ incipit *in eminenti*, in qua ſummus Eccleſiæ Paſtor motivum damnandi librum illum manifeſtans, inquit: *Cum ex diligenti & matura libri, cui titulus*, Auguſtinus, *lectione poſtmodum compertum fuerit in eodem libro multas ex propoſitionibus à Prædeceſſoribus noſtris olim damnatas contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi. Nos huic malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & Fidei Catholicæ vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, &c. librum prædictum, opiniones, & ſententias in dictis conſtitutionibus reprobatas, atque damnatas, vt à nobis compertum eſt, continentem, & renovantem per præſentes omninò prohibemus, &c.*

753 Quomodo in Academia Lovaniensi ſuſceptum fuerit illud decretum, intelligetur ex litteris Apoſtolicis, quas ad illam Academiam dedit Pontifex die 11. Iunij an. 1642. cuius partem aliquam deſcribit Author ſpeciminis Theologici, part. 2. c. 1. §. 1. & nos hic appendemus cum alijs quæ ibi narrat; idque facimus, quia liber ille ad paucorum manus in Academijs Hiſpanicis venit, & operæ pretium iudicamus Hiſpanis Theologis doctrinæ Lovanienſium notitiam exhibere, vt illi validè obſiſtant, & ſuis ſcriptis eam impugnent, & expugnent.

754 * *Dilecti* filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum admiratione audivimus in vobis, qui religioſæ fidei defenſionem profitemini, non eam inveniri à ſacritatem ad iuſſa Apoſtolica capeſenda, quæ tum Eccleſiæ authoritati, tum integritati, ac pietati veſtræ par eſſet, dum decreta ad coercenda circa materiam de Auxilijs ingeniorum diſſidia à nobis publicatum, debitæ executioni demandari minime curaſtis, ſed ad illius editionem impediendam, neſcimus quo malo affectu ducti, inani corde ſpecie, & prætextu, quemadmodum ad nos perlatum eſt, laicos Magiſtratus inducere non dubitaſtis. Paret quantum hoc ab ijs, qui Eccleſiæ militant, abhorreat, quod offendiculum hinc puſillis, quantum hoſtibus ſcandalum exoriatur Sedi quidem Apoſtolicæ non eadem ſuggerit conſilia, quæ fuere, & opera, & votis vniverſitatem iſtam beneficijs cumulandi. Speramus tamen fore, &c. * Ad hæc nomine Academicorum ſic eſt concepta reſponſio, vt nunquam à ſe inductos eſſe Magiſtratus laicos, *Veritate ipſa teſte teſtarentur*, affirmarentque nullum à ſe obiectum impedimentum, quo minus

à Sanctitate ſua publicarum nuper decretum exequutioni mandaretur. Hoc vero, quia erat alieniſsimum à vero, non ſolum Theologiæ Doctores rectius ſentientes; ſed etiam vtraque Iuris Facultas, decreverunt, ſeorſum ſibi ſcribendum eſſe ad Sanctitatem ſuam, declarandúque, ſe in reſponſum iſtud Academiç minimè conſenſiſſe.

755 Interea ab Illuſtriſsimis viris *Richardo Strauio* Dionyſienſi Epiſcopo, &, qui ſub illud tempus ſucceſsit in Apoſtolicæ iuriſdictionis per Belgium adminiſtratione, *Antonio Bichio Abbate S. Anaſtaſiæ*, & *Fabio Chiſio* Neritonenſi Epiſcopo S. Sedis Nuntio ad partes Rheni, nihil non actum, vt ſaniora conſilia capeſſerent Academici: ſed fruſtra, vt patebit ex Epiſtola eiuſdem Illuſtriſsimi *Fabij Chiſij* ad Emin. Cardin. *Franciſcum Barberinum*, cuius fragmentum ſubijcio.

756 * Parmi havere e col Framondo, e col Calino provati i più dolci e più caritativi modi, che ſi poteſſero provare, perche diſingannati dalla propria paſsione ſi rendeſſero oſſequenti al Decreto fatto ſopra il *Ianſenio* ſenza che N. S. doverà paſſar avanti à publicar la Bolla ſopra la mala qualità della dottrina. Ma perche eglinotanto piu ſi ſono moſtrari pertinati con abuſare gli atti delle mie corteſi rimoſtranze lo meſſa da parte ogni ſperanza di loro miglior riſoluzione attenderò quel tanto che N. S. ordinarà di ventagio per eſeguire dentro à confini diqueſta Nunciatura, ſi come ſpero chi fara el S. Abbate di S. Anaſtaſia in Bruſelles, &c. *

757 Tantorum ergo virorum pia ſtudia, & conatus cum eluſiſſent annum integrum, atque interim liber *Ianſenij* palam venderetur, & eius doctrina defenderetur aſsidue: *Magno*, vt ait Pontifex in Bulla, *cum Catholicorum ſcbandalo*, & *authoritatis S. Sedis contemptu*, tandem ſua Sanctitas, *huic malo in ſcbandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertẽti oportunum remedium adhibere volens*, conſtitutionem, quæ incipit *in eminenti*; Romæ publicavit die 19. Iunij 1643. quindecim circiter menſium intervallo, ex quo data erat pridie nonas Martij anno Incarnationis Dominicæ 1641. qui eſt à Nativitate, vt vulgo numeramus 1642. cauſam dilatæ publicationis ad tantum tempus explicuit ipſe Pontifex in brevi ad Guvernatorem Belgij *Franciſcum de Melio* die 24. Octobris anno 1643. his verbis: *Eiuſmodi publicationi per id temporis ſpatium ſuperſederi mãdauimus ea ſpe freti, vt ianſeniani Apoſtolicis decretis, quæ antea vulgata fuerant, tandem acquieſcerent.*

758 Porro ſub initium Iulij ãnĩ 1642. pervenit Conſtitutio ad Illuſtriſsimum Nerinorenſem, cum mandato, vt eam recudi curaret, notamque faceret: nova enim publicatione haud erat opus, vt in ipſa conſtitutione declaratur. Iuſſus itidem eſt tollere quædam menda typographica; idque in primis additione commatis, ſeu virgulæ diſiunctivæ præcipui momenti ante hęc verba: *In rigore*, & *proprio verborum ſenſu*, &c. Quoniam etiã Belgis, Germaniſque parum notus erat ſtylus Rom. Curiæ numerandi annos Incarnationis à die 25. Martij, diem Nativitatis, ſeu Circũcisionis Domini, vulgaris calculi initium, ſubſequente, pro anno quadrageſsimo primo poſuit quadrageſsimum ſecundum, non tempus datæ Bullæ, ſed computandi modum immutans. Atque hæc quidem Academicis noſtris tricandi, & cavillandi occaſionem præbuerunt.

759 Exemplaria Bullæ hoc modo recuſſæ Nerinotenſis Epiſcopus Colonia miſit ad nepotem ſuum Abbatem Sanct. Anaſtaſiæ Pronuntium Apoſtolicum in Belgio, hic vero ad Belgij Guvernatorẽ, Archiepiſcopos, Epiſcopos alioſque. Conſtat à Guvernatore in primis, & Archiepiſcopo Mechlinienſi, & alijs pleriſque, Bullam tunc quidem ea, qua parerat, reverentia acceptam fuiſſe.

760 Lovanij vero poſtquam ex mandato Illuſtriſsimi internuntij, & *Ioannes Schinkelius* S. T. Doctor Collegis ſuis Doctoribus, & Licenciatis Bullam prælegiſſet die 13. Iulij 1643. & *Guillelmus ab Angelis* itidem Doctor eandem Diſcipulis in Schola Theologica, & prælegiſſet, & ſedulo commẽdaſſet, dici non poteſt, quantam invidiam incurrerint. Rei acti ſunt apud Academiæ Rectorem *Ioannem Sinnichium* S. T. Doctorem Ianſenianum, & accuſati de crimine falſi in vſurpatione Bullæ vitiatę, ac ſuſpectæ. Re intellecta Illuſtriſsimus Pronuntius Apoſtolicus *Antonius Bichius* litteras dedit inhibitorias, quibus à cauſa perſequenda coram alio tribunali, quam ſuo, aut iudicis à ſe delegandi, deſiſtere iubebatur Actor, qui erat Academiæ Promotor, ſic appellant fiſci curatorem.

761 Hoc mandatum ita contempſere hi noſtri, vt auſi ſint ad Illuſtriſsimum Pronuncium allegare duos iuris Doctores, qui poſtularent, vt ſuas haſce litteras privilegijs Academiæ contrarias, revocaret: ni faceret, ad alia remedia, ſæcularem ſcilicet potentiam, ſe recurſuros. Non ſegnius fecerunt, quam minati erant. Conſtante ſibi Illuſtriſsimo Pronuntio Senatus Bravantiæ authoritatem imploraruut poſtulantes per Advocatum Fiſcalem Academiæ, inhibitionem illam à Pronuntio factam abrogari, gravemque eidem intentari penã, ſi in poſterum tale quid auderet. Sed

762 Sed studio, & pietate Cancellarij Bravantiæ factum est, vt irritus caderet hic conatus. Interea Academiæ Rector *Ioannes Sinnichius* S. Th. Doctor, spreto mandato Apostolico iudicem in hac causa sibi substituit suæ factionis hominem *Henricum Haulthomme*. Appellarunt Rei ad quinque iudices, ad quos pertinet suprema in Academia iurisdictio, etiam supra Rectorem. Hi vero, & iudici delegato, & actori interdixere vlteriorem cognitionem, & prosequtionem causæ, intentata Actori ni obediret centum aureorum pœna.

763 His nihil moti eo progressi sunt, vt per dictum *Haulthomme* sententia lata, & publicata sit 13. Augusti, qua declarabatur *Ioannem Schinchielium incidisse in pœnam vtentium litteris, seu Bullis Sedis Apostolicæ viciatis in partibus earum substantialibus, &c.* Hanc sententiam quinque Iudices postridie irritam declaraverunt, & actorem pœna intentata 100. aureorum, multarunt: hic vero ad Senatum Bravantiæ confugit, à quo ei impetratum est, ne quinque Iudices, qui processuri videbantur ad declarandam Reorum innocentiam, procederent in causæ istius cognitione. Atque huic mandato obediri à suis Academia voluit, quæ paulo ante mandata Apostolica spreverat.

764 Omittamus permulta, ac in primis mendacia, quibus Bullam aiebant esse quidem Romæ conceptam, sed à sua Sanctitate improbatam, iussamque supprimi, fallacia vero Iesuitæ Angli à Secretarijs acceptam, excussamque. Hæc & his similia litteris Romæ datis certissimò constabant etiam S. Th. Doribus: nominabantur viri illustres, qui litteras Romæ dederant, quique in Belgio acceptas ostenderant.

Argumenta vero contra Bullam hæc inter alia etiam libellis publicis ferebantur.

765 Primum, quod, quæ Romæ excusa erat Bulla annum præferret Incarnationis 1641. quæ vero Coloniæ, & in Belgio annum 1642. Argumentum hoc oriebatur ex imperitia styli Curiæ Romanæ saltem simulata, vt intelligitur ex ijs, quæ supra annotavi.

Secundum, quod nequidem anno 1642. eo mense, ac die, qui Bullæ inscribitur, haberi, aut videri Romæ potuerit libellus supplex *Ioannis Iansenij*, illo ipso fere tempore sub prælo sudans; qui tamen inter alios Bulla ista est prohibitus. Parum considerabant inter datam Bullæ & publicationem intercessisse menses circiter quindecim; causam tanti intervalli supra explicuimus verbis ipsius Pontificis. Interea vero facta est accessio quorundã libellorum prohibendorum, quod impedire haud debebat, quo minus sub eadem data anni Incarnationis 1641. (hoc est vulgari calculo anno 1642.) pridie non. Martij publicaretur.

Tertium, quod à die 24. Iunij visa Bulla in Belgio fuisset, quinque scilicet diebus, postquam esset Romæ publicata. Hinc verò poterant consequentiam facere, Bullam Romæ fuisse quibusdam communicatam, priusquam publicaretur: quod nulla admiratione dignum.

766 Quartum, quod Colonienſis editionis Bulla ante hæc verba *in rigore, &c.* haberet comma, quod aberat à Bulla Romæ edita. De hoc commate dictum supra, & infra agetur vberius.

Quintum, quod in Bulla falso diceretur doctrina *Cornelij Iansenij* scandalum peperisse.

Sextum, quod doctrina eiusdem *Cornelij Iansenij* esset prorsus Augustiniana, quam ab Ecclesia damnatam esse nemo Catholicus sine errore sustineat audire.

767 Nihil non egere, & Neritonensis Episcopus *Fabius Chisius*, & Pronuntius Apostolicus *Antonius Bichius*, & S. Congregatio vniversalis Inquisitionis Romanæ, vt persuaderent legitimam esse Bullam. Quæ cum frustra essent omnia, necesse habuit Summus ipse Pontifex *Vrbanus VIII.* Bullæ suæ testimonium dare, datis litteris Apostolicis die 24. Octobris 1643. ad Belgij Gubernatorem, ad duos Archiepiscopos Belgij, ad Episcopum Antuerpiensem, ad Academiam Lovaniensem, ac Duacenam, ad singulos in eandem scribens sententiam, etsi verbis diversis. In ijs vero litteris, quas ad Academiam Lovaniensem dedit Pontifex, postquam collaudasset eos, qui Bullã reverenter accepissent, hæc subiunxit: *Ingenti tamen animi ægritudine audiuimus, aliquos non defuisse, quorum temeritas eo prolapsa est, vt prædictam Constitutionem tum ob prorogatum publicationis tempus ac etiã quorundam interpunctionem, & litterarũ menda, tum ob immutatum in Coloniensi editione annum, inanibus scilicet argumentis, in dubium vocare, & falsitatis arguere non sunt veriti.*

768 Porrò illo tempore etsi vniversum Academiæ corpus nondũ occupasset Ianseniana contagio, imò dignior, meliorque pars Rom. Pontifici faveret: tamen & inter Theologos ex octo Regentibus quinque erant Ianseniani, & ex alijs Academiæ membris, qui recte sentiebant, alij Iansenianos metuebant, alij privatis ducti rationibus inimicos habere nolebant: alij denique non quidem causam bonorum, sed personas oderant. Denique Iansenianí dominabantur, Rectorem instituebant, cætum cogebant, decernebant, mandabant, pu-

publicabant pro libito omnia, parteſque ſuas augebant quotidie magno ſanæ doctrinæ, & Religionis detrimento.

769 Sic dominante factione, cum auditum eſſet Lovanij Pariſienſem Academiam admiſiſſe Bullam Vrbani Pontificis contrà *Auguſtinum Ianſeny* Epiſtolam memorabilem Lovanienſis Academiæ nomine ad Academiã Pariſienſem dederunt die 20. Martij 1644 cuius exordium hoc eſt.

Magnifice, & perilluſtris Domine, Eximij, & clariſſimi Viri. Non ſine magna admiratione, & animi noſtri dolore ex litteris quorundam apud Vos Religioſorum nuper audiuimus, Bullam à Theologis Societatis aduerſus Reuerendiſſimum D. Epiſcopum Iprenſem Romæ exortam, & tot nominibus ſubreptitiæ, & doloſæ impetrationis ſuſpectam, non ſolum Vos recepiſſe, ſed etiam ad damnationem quorundam articulorum, qui in Auguſtino illius Reuerendiſſimi explicantur, inclinare, aut iam damnauiſſe, quod tamen poſtremum, Vbi ingenium, ſolertiam, doctrinam, prudentiam tot illuſtrium Virorum, ex quibus Academiæ Veſtræ cœtus componitur, cogitamus, credere non poſſumus. Ergo ne poſt tot Veterum temporum pugnas, & victorias Sacroſancta S. Auguſtini doctrina tandem victa ſuccumbet, & quæ aſſultu totes deijci, non potuit, iam ſuffodietur cuniculis? Non ſinat Deus perilluſtres, & Eximij Domini, Vt ſic diſsipetur hæreditas Verbi Incarnati, & patrimonium crucifixi. Certe nos hic nequidem Bullam illam recepimus, &c.

770 Magis etiam memorandus eſt Conventus ille, quem Lovanienſis Academię Rector *Ioannes Hauſthomme* ex conſenſu Academiæ ipſius indixit in diem 16. Februarij 1644. in quo diſceptatur, an duæ *Ianſenij* ſententiæ, *gloriam æternam, & claram Dei Viſionem homini ſecundum ſe eſſe debitam, & ſtare in nobis libertatem cum gratia neceſsitante*, aliud quidpiam haberent quam ipſam *Auguſtini* doctrinam. Synodi cuiuſdam ſpeciem habebat Conventus ille conflatus ex Ianſenianis, quotquot alicuius nominis etiam ex Religioſis Ordinibus colligere potuerunt, aſsidentibus etiam honoris cauſa Academiæ Chancellario, & tribus ablatibus. Ibi vero tribus Doctoribus Ianſenianis *Liberto Fromondo*, *Gerardo Van Verm*, *Iacobo Pontano*, contra ſedebant tres Doctores authoritatis Pontificiæ aſſertores *Ioannes Schinkelius*: *Chriſtianus Beuſecom*, *Guillielmus ab Angelis*, qui pridie iuſſi erant à Rectore ſe ſiſtere, vt cum adverſarijs conferrent de duobus articulis Ianſenianis, quos rogatus Rector deractaverat nominare.

771 Facto conſeſſu cauſam convocati cœtus expoſuit Rector. Surrexit *Schinkelius*, & de indignitate rei, quæ attentabatur dixit acriter non pauca. Denique priuſquam de re vlla diſceptetur, ſcire velim, inquit, an Bullam Pontificiam contra librum *Ianſenij* datam, qui hic adſunt, pro ligitima omnes habeant. Non haberi reſpondit Rector. Cum deinde cæteros, idem ne de Bulla cum Rectore ſentirent, rogaſſet *Schinkelius*, & nemo reſponderet, proteſtatione ſcripto concepta tres Pontificij Doctores mentem ſuam declararunt, & conventiculo iſto exceſſerunt.

Tum vero Doctor *Fromondus* lectis ex *S. Auguſtino*, & *pſeudo Auguſtino Ianſenij* loculis quibuſdam, arbitros interrogat, an non eſſet eadem vtriuſque doctrina. Omnes, quod iam ante præconceperant, reſponderunt, eandem eſſe, vno excepto, qui neutram ſententiam *Auguſtini* eſſe, illam vero de gratia neceſsitante non ſatis conformem videri Concilio Tridentino dixit: quamquam denique probabilem eam eſſe, & quomodo ſuſtineri poſſet, diceret. Huius tamen nomen æque, ac reliquorum, & quod magis ridiculum eſt, cuiuſdam etiam Fratris Theologiæ ſtudioſi, qui Socius venerat, Romam illi miſerunt, tanquam qui in hac Synodo decreviſſent, *Auguſtini*, & *Ianſenij* eandem eſſe doctrinam.

772 Finem non inveniemus, ſi perſequamur omnia, quæ vel Lovanij, vel apud Magiſtratus ſæculares, vel apud Belgij Epiſcopos, præcipuè Archiepiſcopum Mechlimenſem, & Epiſcopum Gandavenſem contra Bullam egit Lovanienſis Acadademia, ſatis ſit hęc pauca exhibuiſſe pro ſpecimen eorum foctorũ, quibus doctrinam ſuam de obſervantia debita conſtitutionibus Pontificijs in Belgio declararunt.

§. LIV.

Quantum ſit obſcurata Academiæ Lobanienſis gloria ex legatione quam eius nomine ad Sedem Apoſtolicam inſtituit Ioannes Sinnichius, enixè contendens, vt reuocaretur Decretum Vrbani VIII. contra librum Ianſenij, Vbi quam temerario abuſu hic Doctor conatus eſt oſtendere, doctrinam Ianſenij eandem eſſe cum doctrina S. Auguſtini.

773 Hiſtoriam hanc eiſdem verbis exhibebo, quibus illam narrat Author *Specim.* doct. Theolog. p. 2. cap. 1. §. 2. pag. 86. editionis noviſsimę. Anno 1643. (inquit) publico Lovanienſis Academiæ nomine inſtituta eſt Legatio ad Apoſtolicam Sedẽ, in-

inquam, & pars magna anni 1644. inſumpta eſt. Cauſa Legationis, non tam vt de veritate Bullę *Vrbani* Pontificis, eiusvè integritate inquireret ipſi, quam vt obiecta *S. Auguſtini* authoritate ad revocandam cenſuram, aut certe mitigandam Pontificem permoverent, quod veriti non ſunt palam profiteri, & reipſa Romæ egerunt, vt videbitur. Caput Legationis erat *Ioannes Sinnichius* S. T. Doctor Ianſenianorum Coryphęus.

774 Vt vero plus authoritatis haberet Legatio ſolicitati ſunt Ordines Brabantię, qui cœtus totam Brabantiæ Provinciam repræſentat, ex Præſulibus Dynaſtis, opidorũ Conſulibus, Syndicisque collectus, vt, velut Academiæ Brabantiæ Protectores, Doctoribus ad S. Sedem Legatis ipſi quoque litteras fiduciarias darent, quibus à ſe mitti eos teſtarentur. Perſuaſum Ordinibus erat; de ſolis Academię privilegijs acturos Romam tendere: hic enim ſolus titulus Legationi præterebatur. Quare non gravatè commiſerunt è ſuo cœtu duobus viris Archiepiſcopo Mechlionenſi, & Abbati Parcenſi, vt petitas litteras expediri curarent.

Litteras porrò illi geminas expediri curarunt, alteras generales, quibus & Legati magnificè laudabantur, & mitti eos ad ſuam Sanctitatem ad negotia quædam Ordinum Brabantię nomine pertractanda declarabatur: quid negotiorum id eſſet, non exprimebatur, vt libertas eſſet Legatis alia omnia, quam de privilegijs agendi, contra mentem ipſorum Ordinum.

Alteræ litteræ S.D.N. *Vrbano VIII.* erant inſcriptæ, quibus tum ipſos Legatus Doctores, tum negotium privilegiorum multis verbis ei Ordines commendabant. Ad extremum addita hęc erant.

Et quoniam vt intelligimus quidam æmuli contenderunt non ita pridem, Academiam apud Sanct. ſuam in ſiniſtram fortaſis opinionem adducere occaſione libri cuiuſdam, cui titulus eſt Auguſtinus *à Reuerẽdiſſimo* Cornelio Ianſenio *Iprenſi nuper Epiſcopo, ac quondam Regio Sacrarum litterarum Louanij Profeſſore, S. Theologiæ Doctore doctrina, pietate, & omni virtutum genere inter Doctores, & Epiſcopos Belgij Illuſtriſſimo, compoſiti, præcipimus iiſdem, vt quidquid hac occaſione ab Academia factũ eſt, fideliter Sanctitati veſtræ declarent, eandemque ab omni ſiniſtra ſuſpicione deinceps liberent.*

Hanc vero Ianſeniani negotij mentionem addictam, fuiſſe ſuę epiſtolæ, eo uſque Ordines ignorarunt, donec id Roma eſt ſignificatum: graviterque Collegij ſui ſcribam, quod nomine publico iſtis litteris ſubſcripſiſſet, obiurgarunt: qui cum ad Archiepiſcopum, & Abbatem ſe referret, quorum iuſſu hoc fecerat, reſque diſceptanda proximo conventu eſſet, & fortaſſe declarandum, has litteras, quod attinet ad cauſam *Ianſenij* Ordinum non eſſe; Archiepiſcopus, quamvis non ſine periculo æger, lecto ſurrexit, in ordinum comitia venit, tantumque perfecit authoritate, & gratia, vt decretum nihil fuerit: aucta tamen fuit hæc ordinum offenſio, cum intellexerunt, Regi hanc ipſorum pro *Ianſenio* legationem non probari: qui litteris ad Guvernatorem *Belgij* datis informari de ea voluerat.

776 Sic inſtructi è Belgio Legati diſceſſere ſub Octobris initium, aut finem Septembris anno 1643. inſtituto per Gallias itinere, cum Pariſios perveniſſent illic deliteſcere apud Patres Oratorij, ad quos diverterant, dies duodecim coacti ſunt, quod intellexiſſent in ſe inquiri à Cardinale Nuntio, qui merito timebat, ne ſua cum Ianſenianis, qui illic erãt, conſilia communicarent, & Doctorum Sobornenſium aliquot authoritate ſuam legationem munirent, tanquam qui non ſolum à Lovaniẽſi, ſed etiam à Pariſienſi Academia actum pro Ianſenio eſſent miſſi.

Romæ hoſpitio à Præmonſtratenſibus accepti, vbi primum ad Pontificem ſunt admiſſi, de privilegijs Academiæ, quam præferebant adventus ſui præcipuam cauſam, ſunt auditi: cum ſubinde mentionem de re Ianſeniana inijcerent, reſpondit Pontifex: velle ſe, vt Bullæ à ſe editæ pareatur: idem monuit eos Emin. Card. *Barberinus*, addens non fictam, vt Lovanij iactabatur, ſed legitimam eſſe Bullam, ac legitimè publicatam. De quo reſponſo ijs dato Congregatio Sancti Officij mox in Gallias ad Emin. Card. *Grimaldi*, & Bruſellas ad Illuſtriſſ. Pronuntium ſcripſit die 5. Decemb. 1643. *Vt ſi forſan* (verba ſunt Congregationis) *Doctorem Sinnich. ad fouendas contentiones, alendamque refractariorum, & huic conſtitutioni in obedientium contumaciam, aliter ad Vniuerſitatem Louanienſem, aut ad alios ſcribere contingat, ac ſpem faciat fore, vt Bulla reuocetur, aut mitigetur.* D. V. (ſic habebat epiſtola ad Pronuntiũ) *vnumquemque de veritate rei edocere, deque ea Vniuerſitates Belgij, illiuſque Prælatos, ſecuros facere poſſit, nunquam ne per minimam cogitationem S.D. Noſtro venturum in mentem, vt Bullam hanc quacumque demum ſui parte immutet, verum fore, vt inuigilet, vt ei obtemperetur, atque ea ſeruetur.*

777 Quam non fuerit vana hęc ſolicitudo S. Congregationis, res ipſa deinde docuit, quando ex litteris *Ioannis Sinnichij*

Ro-

Roma datis ſparſa ſunt per Belgium mendacia multa contra Bullam Pontificiam, & Apoſtolicam Sedem probroſiſsima. Horum aliqua continet libellus anno 1649. in lucem ditus, cui titulus: *Rationes, ob quas Illuſtriſsimus Dominus Archiepiſcopus Mechlinienſis Belgij Primas &c. à promulgatione Bullæ, qua proſcribitur liber, cui titulus: CORNELII IANSENII Epiſcopi Iprenſis AVGVSTINVS, abſtinuit &c.* Quorum opera ſit vſus Archiepiſcopus in exponendis illis rationibus non eſt obſcurum: circumſidebatur ab Academijs Lovanienſibus, quos inter numerabatur *FRANCISCVS VANVIANEN* S. T. Doctor Lovanienſis, illo tempore D. Archiepiſcopi Conſiliarius domeſticus; etſi authorem libelli deſignare nominatim non ſit promptum. Erit vero operę pretium ex libello iſto ea deſcribere ex quibus pateat, quæ mẽdacia per Belgium ſparſa fuerint occaſione legationis de qua hactenus. Pag. 13. 14. 15. 16. ſic legimus.

778 *Dumque præterea non leuibus argumentis Bulla hæc in falſi ſuſpicionem adduceretur, Academia Louanienſis binos ad VRBANVM Pontificem, vnum Theologiæ, alterum iuris vtriuſque, Doctores ablegauit, an vera eſſet, Inquiſituros &c. Si vera deprehenderetur, Sanctitati ſuæ cauſas ſub & obreptionis expoſituros.*

Paucis poſtquam Romam appulerant diebus, Cardinalis BARBERINVS (qui tunc illic omnia agebat, & poterat) Abbatem S. ANASTASIÆ, Pontificium in hiſce partibus miniſtrum, aduerſariorum IANSENII egregium fautorem, de illorum aduentu certiorem reddidit, aperteque indicauit, verendum non eſſe, ne quidquam in hoc negotio immutaretur.

Euidens profectò argumentum animi præoccupati, conſtantiſque voluntatis dictam Bullam ſuſtinendi, quidquid tandem contra adduceretur.

In primo nihilominus ad Pontificem acceſſu Sanctitas ſua viuæ vocis oraculo expreſſe eis declarauit, non aliud ſe mandaſſe, quam vt denuo confirmaretur Bulla PII V. à GREGORIO XII. ante confirmata; ſed & diſſerte cauiſſe, ne quis in dicta Bulla, proprio nomine expreſſo ſugillaretur.

De cuius rei veritate ambigi videtur non poſſe, cum id ipſum ijdem Legati, Romæ adhuc exiſtentes, memoriali informatorio Cardinalibus Commiſſarijs cum relatione ad eundem Pontificem exhibito, diſſertis verbis inſeruerint.

Nec enim credibile eſt, auſuros fuiſſe iſtiuſmodi viros, libello, quem Pontifici porrigebant, aſſerere rem tanti momenti ab eo dictam fuiſſe, ſi dicta non fuiſſet, & ea quidem fiducia, vt hoc præterea adderent, mirum ergo videri, vnde in dictam Bullam irrepſerit nomen IANSENII.

Et quamquam ea Pontificis declaratio, bonam futuri ſucceſſus ſpem faceret; in progreſſu tamen nihil aliud, quam conſtantis illius, ne quidquam in eo negotio immutandi, voluntatis, quam Cardinalis BARBERINVS litteris ſuis ad Abbatem S. ANASTASIÆ ſuppra adductis, tam apertè indicarat, perpetua experimẽta ſenſerunt.

Apertè enim teſtatur Legatorum alter (Roma alter obijt) quidquid apud Cardinalem fecerint, quidquid vrſerint, nunquam obtineri potuiſſe, vt liber IANSENII legitimè examinaretur, & cum D. AVGVSTINI ſcriptis conferretur, vnde tamen præcipuè pendet IANSENII defenſio: vt qui nihil aliud intenderit, quam explicare, & fideliſsimè proferre AVGVSTINI ſenſa; nequaquam verò de eorum veritate, aut falſitate quidquam ſtatuere: vti pluribus locis palam eſt, teſtificatur.

Sed nec illud obtineri potuit, vt Bullam falſis extortam fuiſſe ſuggeſtionibus, & argumentis in eam rem paratis, oſtendere liceret.

Id tamen conceſſum eſt, vt remedium aliquot expoſcerent aduerſus eos, qui occaſione dictæ Bullæ D. AVGVSTINI authoritatem in contemptum adducebant.

Valde præterea ſuſpectum eſt, quod idem Legatus affirmat: Aſſeſſorem S. Officij ALBISIVM Bullæ Compilatorẽ (grauiſsimi haud dubiè criminis reum, ſi quid in ea à mente Pontificis alienum, expreſsiſſe deprehenderetur) omnibus deliberationibus, & reſolutionibus ea de re habitis interueniſſe.

„ Quarum hic demum fuit exitus: quod „ etſi Legati (vt nihil committerent in quo offendi Cardinalis *BARBERINVS* poſſet, „ neque ab eo datam ſibi poteſtatem excederent) nihil aliud poſtulaſſent, quam vt obtrectatores *D. AVGVSTINI* compeſcerentur: poſt mortem tamen Pontificis, Decretum ijs inſinuatum fuit, tam longe à precibus, quas porrexerant, alienum, quam his, „ quæ Cardinalis *BARBARINVS* Abbati „ *S. ANASTASIÆ*, litteris paulo ante relatis, addixerat, conſentaneum.

„ Diſſertis enim verbis in eo referuntur „ & ſtatuitur: porrectum à Legatis fuiſſe ſupplicem libellum pro dictę Bullę veritate, & in-

„ intentione suæ Sanctitatis circa illam indaganda: ac vt huic petitioni satisfieret, Pontificem mandasse, vt eius exemplum illis tradderetur exactè cum Autographo collatum, ac simul significaretur eam suæ Sanctitatis mentem esse, vt præcisè Bulla obseruaretur, disputationibus, difficultatibus, ac querelis hac occasione exortis, vel exoriturus, perpetuum silentium imponendo.

INNOCENTIO X. ad Pontificatum erecto, Legatus superstes, *rursus apud eum institit, vt IANSENII liber debito examini subijceretur, & cum D. AVGVSTINI scriptis conferretur.*

779 *Obtulitque, & paratissimũ se exhibuit, euidentissimis argumentis ostendere (quod & ante VRBANO viuente in consensu Cardinalium, aliorumque huius causæ cognitorum obtulerat) controuersiam, quæ nunc inter IANSENIVM, eiusque aduersarios agitatur, nihil omnino ab ea differre, quæ fuit olim inter S. Augustinum, & Pelagianos, ac Semi-Pelagianos, nullisque Ianseniũ hactenus impeti argumentis, quam quibus Pelagiani, & Semi-Pelagiani impugnarunt Augustinum.*

Ea quidem lege, & conditione, vt si vel in vno articulo eum conuinci, vel deficere, contingeret, suis ipse manibus IANSENII librum, vltricibus flammis inacie Campi Floræ tradderet.

At nihil iterum obtinuit: sed nec eo minus honorificè à sua Sanctitate habitus, & dimissus fuit; gratijs certè haud vulgaribus donatum, fidem facit Pontificium breue, quod ipse vidi, ei, postquam Roma excesserat, iubente Pontifice submissum: quo sua Sanctitas, quid de eo censeret, quantoque illum affectu prosequeretur, pro fidelitate, obseruantia, & sinceritate erga Sanctam Sedem exhibitis manifestè ostendit.

780 Mirandum est, non memorati eodem libello mendacium Romę tum acceptum, quo iactabatur toto Belgio, inspectũ esse à *Sinnichio* Codicem, inquem referri solent Bullæ Apostolicę, neque inventam esse illam *Vrbani VIII.* contra librum *Corn. Iansenij*. Quæ omnia ostendunt, quanto periculo famæ Sedis Apostolicę sint obnoxiæ huiusmodi legationes, quamque delicata res sit, & quanta cautione digna, audire, tractareque huiusmodi legatos. Sed nos exitum legationis videamus.

Postquam nonnulla questi essent legati apud S. Sedem demutiatione darę, additione commatis, & mendis typographicis, per quæ Bullæ exemplaria Coloniæ, atque in Belgio edita à Romanis discrepabant, libellum supplicem Pontifici obtulerunt, quo petebant, vt huius causæ cognitionem alicui Congregationi Cardinalium, & Theologorum committere dignaretur; id circo pręcipuè, quod occasione dictæ Bullæ authoritas *S. Augustini* in Belgio violaretur à quibusdam.

Illos vero Pontifex ad Congregationem S. Officij remisit, à qua cum esset discussa eorum petitio, & deinceps de ea Pontifex informatus, mandavit, vt per Eminentissimos Cardinales *Ioannem Bapt. Pamphilium, Bernardinum Spadam, & Lælium Falconerium*, Supremos Inquisitores audirentur Lovanienses Academiæ legati, atque ad se deinde referretur. Quo mandato non hoc voluit sua Sanctitas, vt cognosceretur de doctrina *Iansenij*, iure ne, an iniuria damnata esset; quod & non obscurè illi petebant per libellum, & vnum se petijsse postea iactarunt, vt constat vel ex *Rationibus* Archiepiscopi Mechlinienſi, quas audivimus: sed hoc tantum, an quæ afferebantur contra Bullæ veritatem, aliquid momenti haberent.

781 Exitus hic fuit: iussu Pontificis *Vrbani* ex Archivo Congregationis S. Officij, & ex matrice Actorum, quæ in eodem Archivo servantur, extracta & transcripta est Bulla, & post diligentem collationem recussa, traditaque Legatis non sine severo mandato, vt eidem ab omnibus pareretur sub pœnis, & censuris in ea contentis. Ibi vero Comma illud ante verba, *in rigore, &c.* distinctè visebatur expressum. Sed de celebri commate, ipsoque legationis exitu plura necesse erit infra tangere.

Omnem verò admirationem superat, quod narrantem audivimus Archiepiscopũ Mechlinienſem in suis *Rationibus*, Doctorem *Sinnichiũ* post hæc omnia, sublato è vivis *Vrbano* Pontifice, & *Innocentio X. ad Pontificatum euecto, rursus apud eum institisse, vt Iansenij liber debito examini subiceretur, & cũ S. Augustini* scripris conferretur. Iam saltem constabat, veram, ac legitimam esse Bullam Rom. Pontificis contra *Iansenij* librum, & doctrinam. Et tamen Lovanienſis Doctor, Academię Lovanienſis nomine, petere est ausus vlterius examen libri, eiusque collationem cũ *S. Augustini* scriptis, idque & Romæ, & à Summo Pontifice *Innocentio X.* successori *Vrbani VIII.* qui sententiam tulerat, & ipsius *Innocentij*, seu Cardinalis *Pamphilij* opera erat vsus ad tollendam dubitationem omnem, si quæ hic esse poterat. Quid bonæ spei esse potest à legationibus huius generis?

§. LV.

Proponitur verbis Cardinalis Pallavicini hiſtoria condemnatæ hæreſis Janſenianæ & vanum Janſeniſtarum artificium contendentium, quinque propoſitiones damnatas ab Innocentio X. vel non eſſe Janſenij, vel non eſſe damnatas in ſenſu Janſenij. Vbi quantum hæc cauillatio offenderit Alexandrum VII. qui ob hanc cauſam merito illos appellat iniquitatis filios, in ea Bulla, qua eas propoſitiones iterum damnauit in ſenſu ab authore intento.

782 AVdiamus Cardinalem *Sfortiam* Pallavecinũ, qui in hiſtoria Concilij Tridentini lib. 15. cap. 7. num. 13. & 14. hæc habet: *Vixit hac poſtrema ætate in Belgio Cornelius Janſenius Iprẽſis Epiſcopus, in eadem Louanenſi paleſtra educatus, qui Bay doctrinis imbutus, eaſque amplexatus, ſi minus vt nouas, certe vt ſingulares, pertinax plurimorum annorum ſtudium clam impendit ad eas confirmandas. Quare illarum præcipuas ad lucem reuocauit, ſcribendi forma quo meliore, eo deteriore, hoc eſt ad perſuadendum aptiore; eaſque in quodam ſuo volumine, inſcripto, Auguſtinus, attribuit Sanctiſſimo Maximoque Doctori. Hoc volumen per typos editum, ſparſumque poſt mortem Janſenij, proſcriptum eſt ab Apoſtolica Sede, cuius iudicio auctor in ſuo teſtamento ibidem impreſſo ſubiecerat ſuas omnes ſententias, quãvis adderet, videri ſibi vix quidquam in illis mutari poſſe. Non tamen à Pontificio interdicto effectum eſt, quin opus illud mirificos habuerit progreſſus non ſolùm in Belgio, ſed in Gallia, atque etiam in Polonia: quod ideò accidit, quoniam pluribus in locis Bay doctrina ſopita potius fuerat, quam extincta, tum ob efficaciam copioſæ eruditionis, ſtylique artificioſi, tum quia accedebat ad Caluini errorem, quo regiones illæ conſperſæ ſunt; tum demum, quia huiuſmodi doctrina, auferrens reipſa homini in hoc ſtatu libertatem non peccandi, obtentu humani arbitrij deprimendi, & cuncta Deo tribuendi, lætatus conſcientiæ in ſinu ſceleſtorum ſopit, & criminum pudorem abſtergit, hoc eſt, duo illa ſupplicia, ceteroqui nec ſeparabilia nec tollerabilia, à quouis quantumuis fortunato obduratoque peccatore.*

783 * Conſpicati poſtea complures Galliæ Antiſtites, in eo Regno Janſenianas doctrinas in dies magis dilatari, atque hinc graues tumultus exciri inter aſſeclas & oppugnatores, communem epiſtolam ſcripſerunt ad Innocentium X. Pont. Max. ipſum rogantes, vt de quinque ex præcipuis Janſenij opinionibus reſponderet quid ipſe tanquam Chriſti Vicarius iudicaret. Ille rẽ maturè digeſta, ſelectoque ad cœtum ex quinque Cardinalibus, ac tredecim Theologis, inter quos me quoque cõnumeratum voluit, eas diſtincte, ac exactè ab illis Theologis coram memoratis Cardinalibus frequenter expendi iuſſit, ac poſtea coram ſe, qui decem cœtibus inter fuit, ſingulis intres quatuorvè horas productis; poſtea vero defenſoribus Janſenij, qui ex Gallia ad id venerant, in alio cœtu auſcultatis, ſuo tandem diplomate eas hæreticas declaravit. Pontificis declaratio reuerenter accepta, obedienterque obſervata eſt in Gallia à Ludovico XIV. Mazzarino, ſupremo Regis adminiſtro: quod diploma poſtea corroboratum eſt, ſedente hodie Pontifice Alexandro VII. perilluſtrem damnationem, editam à Sobornenſi Academia contra Antoninum Arnaldum inſignem Doctorem qui per ſuos commentarios proſcriptis illis doctrinis obliquè fauebat. Diplomati Belgiũ pariter eſt obſecutum, ſublata poſtmodum Alexandri iuſſu à Janſenij ſepulchro magnifica inſcriptione, qua ille ex malenatis ſuis opinamentis cõmendabatur: proclivius verò Pontificiæ conſtitutioni ſe conformarunt aliæ Catholicæ regiones, vbi aut nullam aut minorem conſecutæ fuerant fidem illæ ſententiæ. Ita quantum ex effectis hucuſque ſeparare licet, ea conſtitutio poſt vnius ſæculi turbas neceſſariam claritatis ac ſereniratis lucem attulit Eccleſiæ Catholicæ. Nullam ratiocinationem in rebus Religionis velle, ſectæ Mahometicæ baſis eſt; nimium velle, hæreſeos origo eſt. * Hactenus Cardinalis Pallavecinus.

784 Non acquieverunt iudicio infallibili Summi Pontificis Janſeniſtæ, ſed varios cavillos meditari ſunt contra latam à Sede Apoſtolica in ipſos ſententiam, quos ſolide refellit, & falſitatis convicit P. Anatus in ſpeciali opuſculo, cui titulos, *Janſenianorum cauilli*, edito Pariſijs anno 1654. in cuius proemio inquit: *Percuſſus error Janſenij nupera Sedis Apoſtolicæ conſtitutionibus, ſed non extinctus eſt. Janſeniani diſſimulare malunt vulnera, quàm ſanari. Et cum mutata ſententia facile poſſent innocentẽ reddere cenſuram, eligunt incolumes videri potius, quam fieri. Nimirum in illa fulminatione non modo intactam manſiſſe doctrinam ſuam, ſed inſuper, tacitè ſaltem, fuiſſe approbatam præcipuè non verentur. Eſtque inter eos quidam, quantum conijcere poſſumus, legis peritus, qui ſolam Ieſuitarũ do-*

doctrinam Decreto illo Innocentij X. proscriptam contendit authoritate Digestorum, & Codicis. Nihil equidem necesse erat refutandis hisce cauillis immorari, si consiliũ esset, cordatis tantum hominibus facere satis. Vident enim statim has esse artes exarcebati animi, & recalcitrantis: sed subeniẽdum est in cautis atque simplicibus, & prouidendum, ne imperitis illudat ingeniosus error & pertinax, &c.

785 In capite autem primo illius opusculi subdit: *Ianseniauorum solemne est, centies inculcata dissimulare, centies confutata contritaque reponere. A plerisque iam erat demonstratum, damnatis quinque propositionibus præcipua Iansenij dogmata de libero arbitrio, & diuinæ gratiæ abundantia efficaciaque, acque ipsam veluti medullam contineri. Pergunt tamen illi propositiones illas vocare fabricatas, nimirum à Sorbonicis Doctoribus, qui eas ex Ianseuio excerpsere, in eoque notant artificiũ vnius ex partiarijs, vt vocant Molinæ, qui propositiones ambiguas, æquiuocas, captiosas, ad censuram concepit, & exhibuit. Primã tamen excipiunt, quippe quam negare non possint totidem verbis apud Ianseuium hæ-*

bere. Hunc & alios cauillos manifestè dissipat P. Anatus in illo opusculo & ad finem opusculi veluti tabellam appendit tribus columnis distinctam post quamcumque propositionem ex damnatis: in columna media exhibetur sensus germanus, & proprius illius propositionis damnatæ: in columna dextrà exhibetur sensus alienus, in columna verò sinistra exhibetur propositio contraria propositioni damnatæ. Ex hac columnarum dispositione apposita ad repræsentandam Ianseniauorum doctrinam, & censurę Pontificiæ vim intelligendam, clarè constat intuenti, columnas Ianseniauorum esse columnas mendacij, ad fallendos imprudentium hominum oculos dispositas. Sed in his immorari nostri instituti non est.

786 Quantum autem cauillationes istæ, excogitatæ à Ianseniauis ad obscurandam clarissimam lucem Bullæ Innocentij X. offenderint, Paternum Alexandri VII. animum, abundè declarat verba ipsius in Bulla, quam expedivit decimoseptimo Kalendas Novemb. an. 1656. ad confirmandam Bullam Innocentij, & exterminandas cauillationes illas, quæ verba hic appandemus in illa igitur Bulla post exordium sic loquitur Alexander VII.

BVLLA ALEXANDRI VII. CONTRA IANSENISTAS.

787 CVM autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto eiusdem Cornelij Iansenij non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformident; Nos qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, vtpote qui eiusdem Innocentij Prædecessoris iussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica Authoritate eadem causa discussa est ea profectò diligentiâ quâ maior desiderari non posset; quamcumque dubitationẽ super præmissis in posterum auferre volentes, aut omnes Christi fideles in eiusdẽ fidei vnitate se se contineant, ex debito nostri Pastoralis Officij, ac matura deliberatione præinsertam Innocentij Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propositiones ex libro prædicti Cornelij Ianseniij Episcopi Iprensis, cui titulus est Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Ianseuio intento dãnatas fuisse

ſe Definimus, & Declaramus, & vti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prędicta Declaratione, & Definitione vnicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus ac eundem librum ſæpè dicti Cornelij Ianſenij, cui titulus Auguſtinus, omneſque alios tam manuſcriptos, quam typis editos, & ſi quos forſan impoſterum edi contigerit, in quibus prædicta eiuſdem Cornelij Ianſenij doctrina, vt ſupra, damnata defenditur, vel adſtruitur, aut defendetur & adſtruetur, damnamus itidem atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti fidelibus ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel ſcripto exponant, vel interpretentur publicè vel privatim, palam vel occultè, imprimantve ſub pœnis & cenſuris contra Hæreticos iniure expreſsis, ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum Ordinarijs ac Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ac Iudicibus Eccleſiaſticis ad quos pertinet, vt præinſertam eiuſdem Innocentij Prædeceſſoris Conſtitutionem, Declarationem, ac Definitionem iuxta præſentem noſtram determinationem ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, alijſque iuris & facti remedijs, invocato etiam ſi opus fuerit brachij ſæcularis auxilio, omnino coerceant.

§. LVI.

Quo pacto Ioannes Sinnichius, & alij Lovanienſes conati ſunt eludere vim Bullæ Alexandri VII. obtendentes, Romanum Pontificem errare poſſe in quæſtione de hæreſi alicuius libri, quam propterea vocant quæſtionem facti.

788 QVID in hac re acciderit, fideliter narrant Theologi Belgæ Fidei orthodoxæ, & Apoſtolicarum Conſtitutionum ſtudioſi in eo erudito & pervtili opere, ſæpè citato, quod in lucem ediderunt ad informandum Romanum Pontificem de doctrina Theologica per Belgium manante ex Academia Lovanienſi ab anno 1644. vſque ad 1677. ſub titulo *Speciminum*. Siquidem Theologi illi par. 2. cap. 1. §. 5. ſic ad verbum ſcribunt.

Quæſtionem de hæreſi alicuius libri quæſtionem facti vocant hoc tempore (Academi Lovanienſes non pauci) vt æquè veriſimile videatur, Eccleſiam, aut Pontificem errare poſſe in quæſtione de hæreſi alicuius libri, quam in quæſtione deparrato homicidio, & ſimilibus, quarum deciſio ex teſtimonijs humanis peti debet. Doctrina illa hoc tempore eo tendit, vt nulla ſit authoritas Conſtitutionis *Alexandri VII.* contra quinque propoſitiones *Ianſenij*, qua parte: *Quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati CORNELII IANSENII Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt: AVGVSTINVS, exceptas, ac in ſenſu ab eodem CORNELIO IANSENIO intento damnatas fuiſſe definit, & declarat, & vti tales ..... iterum damnat, &c.*

Attamen occaſione Bullæ Innocentianæ contra quinque propoſitiones vires ſumpſiſſe doctrinam de fallibilitate Eccleſiæ, & Pontificis in illa quęſtione facti vulgò dictâ indicat ipſe *Alexander* Pontifex in Bulla citata ſic loquens.

Cum autem ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filij prædictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto eiuſdem CORNELII IANSENII, non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum CHRISTI fidelium ſcbandalo non reformident; nos &c.

789 Imò etiam occaſione Bullę Vrbanianæ contra librum, & doctrinam *CORNELII IANSENII* cœpiſſe audiri in Bel-

Belgio doctrinam illam, conſtat ex libro, cui titulus; *Rationes, ob quas Archiepiſcopus Mechlinienſis &c.* quique eſt editus in lucẽ anno 1649. vbi Auctor vel Auctores libri nomine Archiepiſcopi ſic loquũtur pag. 22. 23. *Qui enim librum IANSENII probant (hi verò aliis & numero, & authoritate longè ſunt ſuperiores, in mea ſaltem diœceſi) eam nullam eſſe, & invalidam prorſus non dubitant, certòque credunt, & intrepidè aſſerunt ..... in ÿs, quæ ſunt facti, haud dubiè Pontificem (ſicut cæteri omnes) decipi poſſe, & circumveniri. An verò quaſdam propoſitiones à PIO V. & GREGORIO XIII. damnatas in contemptũ Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ perniciem renovet, & defendat IANSENIVS, FACTI QVÆSTIONEM ESSE, & quidem iſtius modi, vt veritas ſenſu percipi queat. Inſpicienda tantùm loca, quibus iam dictæ propoſitiones tractantur &c.*

Quis fuerit Author, vel qui Authores harum *Rationum* Archiepiſcopalium, optimè ſciet dicere *FRANCISCVS VANVIANEN*, qui illo anno 1649. quo lucem aſpexerunt, cohabitabat Archiepiſcopo S. Theologiæ Doctor, & eius Cõſiliarius Theologus, cùm optimus Archiepiſcopus Theologus non eſſet.

Sed etiam poſt Alexandri VII. conſtitutionem *ad ſacram*, doctrinam illam audiri magis eſt mirum.

790 *IOANNES SINNICHIVS* S. T. Doctor Lovanij die 13. Ianuarij 1660. Aſſertionem hanc propoſuit Theſi 1.

Certiſſima fide tenendum eſt, veram in terris Eccleſiam, ac ſponſam CHRISTI eſſe, vnicum illum viſibilem Baptizatorum cœtum ..... qui Romanum Pontificem Beati PETRI ſucceſſorem ſibi in his, quæ fidem, & religionem concernunt, ordinatione diuina præfectum, nunquam ex Cathedra errantem agnoſcat. Cum eo tamen benè conſiſtit, eum non ſolùm, vt priuatam, verum etiam vt publicam perſonam, IN QVÆSTIONIBVS FACTI ERRARE POSSE. An autem vt perſona priuata hæreticus fieri poſſit? non implicat.

Dicet quiſpiam, intelligi poſſe huiuſmodi Theſes de quæſtione facti particularis, vt de patrato homicidio, percuſsione Clerici, & ſimilibus, quæ de teſtimoniis hominum decidi debent. Sed nimis celebris illo tempore erat, eſtque etiam hodie controverſia de Infallibilitate Pontificis, & Eccleſiæ, in ea quæſtione facti, qua quæritur de hæreſi, aut ſenſu hæretico libri alicuius, quàm vt intelligi poſſint huiuſmodi Theſes de aliis facti quæſtionibus, de quibus inter Theologos lis magnopere nũquam fuit, & diſputatio eſſet inutilis. Et alioquin ponentes huiuſmodi Theſes neceſſe haberent diſtinguere inter quæſtiones facti, & eam excipere, quæ eſt de libri hæreſi, aut ſenſu hæretico, vel declarare, non ſe eam intelligere, aut vocare quæſtionem facti, cùm dubitare non poſſint, ſine cautione iſta Theſim ſuam eſſe paſsim intelligendam imprimis de illa quoque facti quæſtione, quæ hoc tempore quæſtio facti celeberrimè dicitur.

791 De *Ioanne* quidem *Sinnichio* dubitari non poteſt, quin eam imprimis quæſtionem facti intellexerit: quippe qui iam prídem, hoc eſt, anno 1657. libro ſuo quem *Goliathiſmum profligatum* inſcripſit, inſerverat doctrinam, quam ſubdo eius verbis cap. 37. pag. 308.

Nemo enim Catholicorum ſobriè ſapientium ignorat, aut dubitat, Scriptores Cronicos polleré omnimoda inerrabilitate, etiam in rebus facti, quantumlibet particularibus, quas Spiritu Sancto dictante enunciant, aut ſcribunt. Cùm tamen vniverſi, vt dictum eſt, agnoſcant, tam Romanum Pontificem, quam Oecumenicas quaſque Synodos tali inerrabilitate non pollere. Nõ enim ea ipſis neceſſaria fuit, ad debitè paſcendum gregem CHRISTI. Nam ſicut paſtor ovium materialium non indiget ſcire vbinam, vel quando, vel quo cultore ſata, vel quo inſtrumento demeſſa fuerit herba, quam ovibus comedendam apponit, aut cavendam ſeponit; ſed ſatis eſt, vt noverit, an ea conveniat, an diſconveniat bonæ nutritioni, ac paſtioni earundem ovium: ita Paſtor ovium rationalium: id eſt CHRISTI fidelium, non indiget ſcire, vbinam, aut quando, aut quo authore digeſta, aut explanata fuerit doctrina, quam eiſdem ſuis ovibus amplectendam porrigit, aut devitãdam circumſcribit; ſed ſatis ei eſt, quod noverit vtrùm ſalutaris ſit, an noxia. Sic enim ſufficienter providet ovibus, apponendo ſalutarem, removendo autem noxia.

792 Hunc verò *GOLIATHISMVM SINNICHI* amplè approbavit *IACOBVS PONTANVS* S. T. Doctor Lovanij die 9. Ianuarij 1657. *Vt regulis Chriſtianæ fidei PER OMNIA conſonũ.* Conſtat etiam *IOANNEM SINNICHIVM* in illo Actu diei 13. Ianuarij 1660. illa proclamaſſe, quæ erant doctrinæ *Goliathiſmi* conſentanea. Cùmque ab argumentante obijceretur, ſpectare ad officium boni Paſtoris, noſſe prata, quæ ferunt herbas noxias, vt ab his arceat oves, reſpondiſſe exſibilando; quaſi verò dum Bruxellæ emitur fœnum Lovanio ad-

vectum, debeat Pastor olfacere, equo pra-
to veniat.

His stabiliendis idonea cum dedisset die 13. Februarij eodem anno 1660. Adversarium invenit *Michaelem Van Heck* Sacr. Theol. Doctorem ex ordine Erem. *S. Augustini*, qui animatus ab Illustrissim. Internuntio Apostolico Theses proposuit de Canonizatione Sanctorum & infallibilitate Summi Pontificis propugnandas die 27. eodem anno 1660. vbi hæc legimus in *Sinnichiū* spectantia Thesi 6.

793 „ Certè indiget scire Pastor „ ovium, ad quæ Pascua suas ducat, sicut & sa- „ tagere, ne ad lacunas; sed è fonte aquen- „ tur: indiget scire civilis Magistratus, non „ modò quas pestilentia infectas corporibus „ domos claudat, sed maximè, quos animis „ pestilentiores in Republica libros prohi- „ beat: & non indiget scire *CHRISTI* Vi- „ carius, ac Summus Magistratus, quæ volu- „ mina sint pestilentium Hæresum latibula; „ præsertim si publico incitamento, & præ- „ conio tanquam ad lucem veritatis, & pie- „ tatis aperiantur Christianis? Qua ergo fronte „ & publicè proclamatur, & vsque hodie im- „ punè sustinetur, quod *Pastor ovium ratio- „ nalium, id est CHRISTI fidelium, non „ indiget scire, &c.*

Ibidem Thesi 7. hæc legimus.

794 „ Quo ergo fine nunc demum „ à doctrina sana deviare; nisi vt, si Deo pla- „ cet, huic novissimæ in *Cornelij Iansenij* „ prætensum *Augustinum* à duobus fidei „ oraculis vibratæ Bullæ, in hac materia fa- „ cti, fides negetur, odium concitetur, er- „ ror obtrudatur, & cum *filijs iniquitatis* „ propositiones quinque damnatas in illo non „ contineri, non dumtaxat inter Theologos, „ sed vsque ad cancellos Sanctimonialium „ (pro dolor! nimis ex verò loquor) pervi- „ caciter adstruatur?

Displicuerunt graviter hæ Theses Lovanij. Quare sub meridiē eius diei, quo habenda erat disputatio, adfuit mandatum à Magnifico Rectore Academiæ, quod pariter affixum fuit Valvis Scholæ publicæ, & portis Collegiorum, in quo hæc leguntur.

„ Mandamus Eximio Patri *Michaeli* „ *Van Heck*, ne dictis Thesibus præsideat, aut „ suo præsidio defendi permittat, sub pœna „ rescisionis à privilegijs, & iuribus Univer- „ sitatis in casu contraventionis, & inobe- „ dientiæ. Mandamus etiam R. P. Priori, „ alijsque deputatis Patribus Conventus Au- „ gustinorum .... ne eas defendi sub dicti *Pa- „ tris Van Heck*, aut alterius præsidio, vel „ in Monasterio suo, vel alibi permittant, „ sub ijsdem pœnis, alijsque per nos arbitran- „ dis. Insuper mandamus omnibus, & quibus- „ cumque suppositis huius Academiæ, ne dictæ „ disputationi intersint ..... idque per provi- „ sionem donec, &c.

795 Cum verò nixus authoritate Illust. Internuntij Apostolici Abbatis *Montis Regalis*, spreto Vniversitatis mandato, disputationē habuisset Doct. Augustinianus, & contra eum procederetur ad pœnam, sensit graviter Illust. Internuntius, doloreque suum testatus est gemina epistola ad Vniversitatem, quarum altera data die 29. Februarij 1660. sic incipit.

„ Magno cum animi dolore intelleximus „ difficultates moveri *P. Michaeli Van Heck* „ Ordinis *S. Augustini* S. T. Doct. ac Profes- „ sori, ratione Thesiū, quæ de Canonizatio- „ ne Sanctorum, Summi Pontificis infallibili- „ tate, &c. die 27. Februarij novissimi ipso „ Præside defensæ.... nos considerata animosi- „ tate, quâ impunè & se non opponente Re- „ ctore, impetitur communis Ecclesiæ doctri- „ na, & infallibilitas S. Sedis, à paucis quibus- „ dam, & è contra videntes, inhibitionibus, & „ minis procedi contra eos, qui viam sanę do- „ ctrinæ ingressi.... de tali modo agendi, to- „ tiusque controversiæ serie S. D. Nostrum in- „ tegrè informavimus.

Cum verò nihilominus procedi intelligeret contra eundem Doctorem, alteram dedit Epistolam die 3. Martij 1660. graviter cōminatoriam indignationis Summi Pontificis, Maiestatis Catholicæ, quam & per Illust. Nuntium Matritensem informari curasset. Denique necesse habuit Lovanium excurrere, vbi motus illos composuit ijs modis, qui videbantur pro tempore tutissimi.

Frustra sit post hæc ea persequi omnia, quibus simpliciter affirmant, Rom. Pōtificem, aut Ecclesiam errare posse in quæstione facti. Non est fidendum, ne quidem, cum restringunt ad quæstiones facti particularis. Quale est illud, quod dedit.

796 *Gerardus Van Werm.* S. T. Doct. Lovanij die 14. Aug. 1660. his verbis Thesi 1.

Ne tamen hinc inferas, quod etiā sit infallibilis (Pōtifex) *quoad particulares quasque facti quæstiones: quia talis infallibilitas ne quidem Concilijs Generalibus competit.*

Non est difficile quęstionem facti particularis illam quoque intelligere, qua quęritur, an doctrina contenta in *Augustino Iansenij* hæretica sit. Certè huic Doctori nō potuit hoc esse difficile, si approbavit eas Theses, quæ sunt impressæ Lovanij ad disputationē habendam die 16. Aug. 1670. Præside hoc Doctore. Disputatio non est secuta; sed Theses vagatæ per omnium manus. Sic legebatur Thesi 3.

Gene-

Generatim in factis, sicuti est intellectus cuiusdam Authoris, *Vnumquemque etiam Oecumenicam Synodum, labi posse*, est notorium.

Hæc est illa facti quæstio de intellectu, seu sensu Authoris, & libri, quam libentius appellant quæstionẽ facti nihil addendo aliud, vti in ea assertione, quam dedit idem.

Doctor *Gerardus Vanvuerm.* Lovanij die vigesima septima Aug. an. 1670. Thesi 3.

In factis Oecumenicam etiam Synodum labi posse, est notorium.

Item die 17. Ianuarij 1663. Thesi 5.

Romanus Pontifex, tametsi in determinandis ex Cathedra rebus fidei, & morum, infallibilis sit. Non est tamen infallibilis in quæstionibus facti.

797 *Thomas Leonardi* S.T. Doct. hic similem dedit assertionem Lovanij die 5. Octobris 1666. Thesi 2.

Ecclesiam cum Pontifice, aut Pontificem sine Ecclesia posse errare in meris, & puris quæstionibus facti, rectè sustinetur.

Macarius Havermans. Sacr. Theol. Professor Antuerpiæ die 12.& 13. Iulij 1672. Thesi 6.

Cum tamen iudicium Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli; iudicamus, posse Pontificem non tantum, vt priuatam personam, sed etiam vt publicam, non tantum sine Concilio Generali, sed etiam cum Concilio Generali, posse errare in quibusdã quæstionibus facti, nec contrarium tuendũ, si Ecclesiæ amemus in columitatem. Quasi vero Bellarminus, &c.

Reliqua pars illius theseos tam est contentiosa, & fervida, vt non sit credibile, illum non loqui de quæstione facti celebri hoc tempore, qua quæritur de sensu libri hæretico. Sed quia scabiosus est locus, tutum sibi fore putavit additione vocis *quibusdam.* Citat *Bellarminum*, & citant passim in hac materia *Filij iniquitatis*, quos appellat *Alexander VII.* Sed ille vindicatus est iam sæpe, vti & *Baronius, Turrecremata*, alijque.

798 Missis pluribus hoc loco, duo velim animadverti, ex quibus constet de doctrina Academicorum Lovanienſium in hac materia.

Primum, diligenter vestiganti Theses Academias superiorum annorum nulla penitus occurrit ex ijs, quæ in Hallis (sic vocant publicas Scholas Lovanij) defensæ sunt, qua fiat mentio de *Alexandri VII.* Constitutione ad Sacra, qua condemnantur quinque propositiones, vt excepta ex *Augustino Iansenij* & in sensu à *Ianseniio* intento. Occurrunt, quibus affirmatur, quinque propositiones merito damnatas esse ab *Innocẽtio X.* At verò de damnatis propositionibus ab *Alexãdro VII.* stupendum est silentium. Idem nobis vsu venit, dum scrutaremur Theses aliorum Professorũ, quas exhibuimus aspersas eo odore, qui *Ianſenium* redolet.

Similiter voluenti diligenter celebrem tractatum de gratia *Francisci Vanviannen* Sacr. Theolog. Doctoris Lovanij, cum plausu nuper dictatum in Schola publica, occurrit quidem alicubi mentio de Bulla *Innocentij X.* contra quinque propositiones: at verò de Bulla *Alexandri VII.* contra easdem pertinax silentium. Idem vsuvenit *in libris Laurentij Neesſen, &c.* Quid causæ dicemus esse? Res ipsa loquitur.

799 *Secundum* si quempiam conveneris Academicum Lovanienſem, qui hos Doctores, quorum doctrinam exposuimus in prima parte, habeat, vel habuerit Magistros; eidemve, cum audieris differentem de gratia, de libertate, &c. obieceris, eadem prorsus docuisse *Cornel. Iãsenium* in aliqua de quinque propositionibus damnatis in sensu ab ipso intento, plerumque responsionem feres ex his aliquam. Prim. Omittamus *Ianſenium*; quid nobis cum *Ianſenio*? Secund. Quid ad *Augustinum*? Tert. Concedo totum: Pontifex errare potest in quæstione facti, & erravit *Alexandex VII.* Hæc vsu constat quotidiano. Vbi hæc didicerunt? Non est obscurum.

His non obstantibus dicitur facultas Theologica Lovanienſis nullos admittere ad gradus Academicos, nisi accepto iuramento in constitutionẽ *Alexandri II.* contra quinque propositiones; quod ipsum Facultas an. 1660. Scripta ad *Alexandri VII.* Epistola significavit; vt constat ex Brevi eiudem Pontificis ad Facultatem dato die 7. Augusti eodem anno. Aramen illud iuramentum nobis hactenus est negotium ambulans in tenebris. Formulam sæpius quæsitã assequi non licuit: dicitur hæc promovendis prælegi tam perfunctoriè, vt vix, aut ne vix quidem intelligatur. Nuper in Actu publico Licentiatus quidã Lovanienſis monitus de illo suo iuramẽto, scio, respondebat, quo sensu iuraverim. Denique optãdum esset, Doctores vtu ipso, & doctrina quotidiana præ se ferre magnã æstimationem Constitutionis in quam iurare cogunt eos, quos promovent.

800 Nostri instituti non est, hic probare, Romanum Pontificem habere authoritatem infallibilem ad declarandum, propositionem contentam in aliquo libro esse hæreticã: id in speciali tractatu, Deo dante, ostendemus. Interim legatur Sapientissimus & Eru-

ditiſsimus D. Nicolaus du Bois Primarius in Lovanienſi Vniverſitate Sacrarum Litterarum Profeſſor in Doctiſsimis Commentarijs in 1. cap. Actorum, quorum doctiſsimas reſolutiones Lovanij impreſſas an. 1666. vidi, in quibus à pag. 11. vſque ad 39. validiſsime probat, Romanum Pontificem Alexandrum VII. authoritate infallibili declaraſſe, quinque propoſitiones Ianſenij damnatas fuiſſe in ſenſu ab Authore intento. Idque ipſum poſtea, id eſt an. 1672. efficaciſsime demonſtravit P. Ægidius Eſtrix noſtræ Societatis in ſua Diatriva Theologica de Sapientia Dei ab Affert. 48. vſque ad 59. ſectione 8. in cuius proemio pag. 182. ſic præfatur: *Celebrem ætate noſtra fecere quæſtionem Dogmatiſtæ Novo Auguſtino devoti.* Propoſitiones quinque ſumma damnaverat authoritate Innocentius X. neque iſtud quidem diſsimulaverat conſtitutione ſua, cuius eſſent Scriptoris propoſitiones illæ. At inventi ſunt continuo, quorum alij negarent, extare propoſitiones in in authoris libro; alij cauſarentur, non eſſe damnatas in eum ſenſum, qui Authori placuerat. Hos Alexander VII. *iniiquitatis filios* (ſic enim cenſuit appellãdos) vt comperceret, ſupremo authoritatis decreto ſic ſtatuit: *Quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt, Auguſtinus, excerptas, ac in ſenſu ad eodem Cornelio intento, damnatas fuiſſe, definimus, & declaramus, & vt tales .... Iterum damnamus.* Iſti ergo ingenioſi, quod & prius commenti erant, vnum tenere mordicus cæperunt, *Facti quæſtionem eſſe, quis fuerit ſenſus*, in quem ſpectaſſet Author ille, Pontificem verò errare poſſe in *Quæſtione facti.* Sic illi, quod in ſe fuit, Romani Pontificis, & Generalium Conciliorum auguſtiſsima decreta, ſubiecere ſupercilio cuiuſlibet Legulei, cui ſit libido argutari in diſtinctione quæſtionum *Iuris, Factique.* Hucuſque Egidius Eſtrix.

801 Qui etiam in Apologia pro ſummis Pontificibus Romanis, Generalibus Concilijs, & Eccleſia Catholica, audaciam retundit *Petri Babuſcum S. Theologiæ Licent. Eccleſiæ Cathedral. S. Bibonis, Penitentiarij*, qui in Inſtructione ad Tyronem Theologum negat authoritatem infallibilem Romani Pontificis, *quando ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit.* Et alia multa dicit Concilijs, & Eccleſiæ iniurioſa. Item idem Egidius Eſtrix ibidem impudentiam redarguit Vindicis Anonymi illius inſtructionis, qui ad propoſitionem 8. pag. 3. *auſus eſt* authoritatem Romani Pontificis his verbis protere: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in fidei quæſtionibus decernēdis infallibilitate.* Ex quibus conſtat, celeberrimam illam Vniverſitatem Lovanienſem à quibuſdam eius alumnis non parum denigratam, & fœdatam eſſe, & ex illa in Belgium manare doctrinas periculoſas.

§. LVII.

Iuſta Authoris obſervatio circa opuſculum, quod Author Anonymus, perſonam agens Academiæ Lovanienſis, edidit anno 1682. contra declarationem Cleri Gallicani, in quo ſummis laudibus extollens Ioannem Sinnichium *tanquã Sedis Apoſtolicæ* Cultorem devotiſsimum; *nullam mentionem facit D. Nicolai du Bois Primarij in Lovanienſi Academia Profeſſoris; cum tamen egregiè defenderit authoritatem Pontificiam.*

802 ANNO 1682. excuſus eſt Leodij apud Henricum Hoyoux Libellus, cui titulus: *Doctrina, quam deprimatu, authoritate, ac infallibilitate Romani Põtificis tradiderunt Lovanienſes S. Theolog. Magiſtri ac Profeſſores, tam veteres, quam Recentiores, proprijs ipſorũ verbis, ac probationibus expreſſa, declarationi Cleri Gallicani de Eccleſiaſtica poteſtate nuper editæ oppoſita.* In hoc opuſculo teſtimonia congerit Illuſtrium Virorum, & Doctorum, qui ex illa Vniverſitate prodiere, & authoritatem Romani Pontificis acerrimè propugnarunt, nimirum Iacobus Latomus, Ruardus Tapper, Ioannes Driedo, Adrianus Florentinus, poſtea Pontifex eius nominis VI. Iudocus Raveſteyn Tiletanus, Ioannes Haleſſius, Guillelmus Lindanus, Cornelius Ianſenius Gandavenſis, Ioannes Lanſæus, Thomas Stapletonius, Guillelmus Eſtius, Ioannes Malderus, Ioannes Vvigers, Henricus Lacelotus, Ioannes Sinnichius, & Chriſtianus Luppus: refert horum Doctorum verba, & rationes, quibus authoritatem Romani Pontifais validiſsimè propugnarunt. Hoc opuſculum avidè legi: zelum Academiæ Lovanienſis laudavi, illudque valde oportunum iudicavi huic tempori, in quo Clerus Gallicanus authoritatem Sedis Apoſtolicæ impetivit. Sed cum animadvertiſſem, in hoc opuſculo omnino prætermitti memoriam Eruditiſsimi D. Nicolai du Bois Primarij in Academia Lovaniẽſi Profeſſoris, qui hac tempeſtate egregie ſcripſit

de au-

de authoritate Romani Pontificis, *& præcipuas nonnullas, & huic tempori opportunas quæſtiones de Summi Pontificis in definiendis controverſijs authoritate, ex ſuis in Actus Apoſtolorum lectionibus extractas ſeparatim edidit: vt etiam ijs Theologiæ ſtudioſis (qui per occupationes vel alijs ex cauſis audire ipſum integrè non poterant) materias præſentes, quas magnopere deſiderabant, ſubminiſtraret*, vt ipſe loquitur in præfatione illarum quæſtionum: & qui iterum eodem anno 1666. egregium edidit opuſculũ ad 45. propoſitiones paulo antè damnatas ab Alexandro VII. in duos tractatus diviſum, in quorum primo per vndecim capita validè & eruditè refutavit cenſuram quorũdam Doctorum Gallorum, qui auſi fuerant temeritatis notâ invrere doctrinam Amadæi Guimenei, qui cum P. Caſtro Palao docuerat, ad fidem pertinere, quòd Summus Pontifex non poſsit errare in decidendis fidei & morum controverſijs. Et in eo tractatu eruditiſsimus iſte Theologus & Iuriſconſultus Lovanienſis ſtabilivit hanc Romani Pontificis infallibilem authoritatem validis argumentis. Tantuſque fuit huius eruditiſsimi viri zelus, & obſervantia in Sedem Apoſtolicam; vt cum primum prodijt Declaratio Cleri Gallicani, quatuor continens propoſitiones authoritati Romani Pontificis adverſas, ſtatim calamum ſtrinxerit, & eam Declarationem ſolidè & eruditè impugnaverit, edita in lucem *Diſquiſitione Theologica Iuridica* ſuper Declaratione Cleri Gallicani: quam ita celeriter elaboravit; vt cum Declaratio illa facta ſit Pariſijs 19. Martij an. 1682. iam 12. Septembris eiuſdem anni prælo paratam haberet illam Diſquiſitionem; vt conſtat ex eius approbatione. Et quamquam nomen authoris illi operi non præfigatur, certiſsimũ eſt, hunc eruditum Theologum & Iuriſperitũ eſſe eius authorem. Neque hoc ignorare potuit Anonymus ille, qui hunc virum de Romano Pontifice tam benemeritum ne nominare quidem dignatus eſt; ſiquidem, cùm Dominus Nicolaus du Boiſ edidit hanc Diſquiſitionem, ipſe author ille Anonymus ſuum parabat opuſculum, vt teſtatur ipſe Duvois in illa Diſquiſitione ar. X. n. 131. *his* verbis: *Intelligo, è noſtris quendam, aut quoſdam colligere ſententias Doctorum Lovanienſium ex ipſorum impreſſis libris.* Cùm hoc, inquam, animadvertiſſem, animum meum ſubijt non modica ſuſpicio, an illius opuſculi author ex Iãſenij ſtudioſis eſſet; iudicium ſuſpendo; abſit à me perſonam notare, cuius libellum quoad reliqua valdè probo: tantùm ſcrupulum meum exponam, & lectoribus iudicium relinquam.

803 Igitur author illius libelli pag. 45. in laudes Sinnichij eloquentiæ ſuæ habenas laxat, illum appellat, *celeberrimum orthodoxæ ſapientiæ Domicilium, totius Academiæ, ac Theologicæ facultatis decus & ornamentum. omnigenæ virtutis pariter ac profundiſsimæ doctrinæ Profeſſorem. Sedis Apoſtolicæ nedum cultorem devotiſsimum, verùm etiam vindicem fortiſsimum.*

§. LVIII.

An Ioannes Sinnichius fuerit Sedis Apoſtolicæ cultor devotiſsimus, vt Anonymus prædicat.

804 EGO Tanto viro laudes non invideo, facilè credo quidquid de eius ſubtiliſsimi ingenij acumine, & eruditione, & de alijs viri ornamentis dicitur. Neſcio tamen an fuerit Sedis Apoſtolicæ cultor devotiſsimus: dubitare me cogunt ea, quæ ſuprà num. 762. de illo narravit *ſpecimen Theologiæ*, nimirum, eum, cùm eſſet Academiæ Lovenienſis Rector, *ſprevisſe mandatum Apoſtolicum.* Item quæ de ipſo aſſeruit Guillelmus Le Mayre in ſtatera *Saulis Ex-Regis* ſect. 2. cap. 3. §. 1. & 2. videlicet *ipſum approbaſſe & magnificè extuliſſe* Auguſtinum Cornelij Ianſenij, in quo libro ait Vrbanus VIII. in ſua Bulla *in Eminenti, contineri multas ex propoſitionibus à Prædeceſſoribus ſuis* (Pio V. & Gregorio XIII.) *olim damnatis, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu præfatas propoſitiones defendi.* Nec enim Sinnichius in Academia Lovanienſi educatus ignorare poterat, propoſitiones Michaelis Baij à Summis Pontificibus damnatas; nec item ignorare iure poterat, eas contineri in libro, quem approbat. Tertiò dubitare me faciunt ea, quæ ſuprà §. 54. de Legatione ad Pontificem narrata ſunt; præſertim n. 779. & 781. nam maxima cum fiducia auſus eſt apud Innocentium X. aſſeverare, doctrinam contẽtam in libro Ianſenij ab Vrbano VIII. damnatam, eandem eſſe cum doctrina S. Auguſtini. Quartò dubitare me facit, quòd author *ſpeciminum Theolog.* qui medio in Belgio & coram Ianſeniſtis ſcribens, par. 2. cap. 1. §. 2. initio, Sinnichium palàm appellat *Ianſenianorum Coriphæum.* Quintò, quòd vt vidimus §. 56. n. 790 & 791. Sinnichius præcipuus author fuit illius cavillationis, quâ Ianſeniani Bullam Alexandri Septimi (in qua declaravit, quinque propoſitiones Ianſenij damnatas fuiſſe ab Innocentio X. *in ſenſu ab authore intento.*) omnino eludere conantur, obtendentes *quæſtionem de*

hæreſi in aliquo libro cõtentam, eſſe quæſtionem *facti*, in cuius deciſsione Pontifex errare poteſt; ac proinde Sinnichius minimè obſcurè inſinuavit, Alexandrũ VII. in illa ſua Bulla erraſſe.

805 Et quidem Doctores, atque Profeſſores, qui tanto conatu vſque hodie in Academia Lovanienſi, & in alijs Belgij civitatibus tantorum virorum Lovanienſium exẽplo moti, defendunt dogmata Baij & Ianſenij toties ab Eccleſia proſcripta (vt manifeſtè oſtendunt Gerardus Van Viane, & Vlicus Ionſon locis citatis ſuprà §. 49. præſertim nu. 720.) fundamentum vehemens præbent ad iudicandum, eos ſentire, Pontificem Romanum errare poſſe, dum aliquid extra Concilium Generale definit, ac de facto erraſſe Pium V. Gregorium XIII. Vrbanum VIII. Innocentium X. & Alexandrum VII. dum propoſitiones Michaelis Baij, & Cornelij Ianſenij Iprenſis dãnarunt. Huius rei optimus teſtis eſt Illuſtriſsimus D. Caramuel, qui litteris ad Petrum Gaſſendum celeberrimum huius ævi ſcriptorem, hoc fundamentum manifeſtat his verbis: *Hãc opinionem videntur ſupponere Lovanienſes Doctores, cùm Ianſenij in Baio olim à duobus Pontificibus condemnatas opiniones defendunt: hanc cum Vrbano Octavo Ianſenianam doctrinam condemnanti, hoc vel illo fundamento quæſito, non acquieſcunt*: vt autem conſtat ex reſponſione Gaſſendi ad has litteras, quæ habẽtur to. 6. operum ipſius, eas dedit Caramuel, menſe Iunio ann. 1644. qui probe ſenſa Lovanienſium noverat, inter quos Theologiam docuit, & gradum accepit. Si autem hæc ſcripſit Caramuel antequam Innocentius X damnaret quinque illas Ianſenij propoſitiones; quid nunc diceret, quid nunc ſcriberet, quando Doctores Lovanienſes poſt damnatas illas propoſitiones vt hæreticas, adhuc illas defendunt, & ſuis diſcipulis inſtillant? Quis ſibi perſuadeat, Doctores Catholicos in corde ſuo ſentire, Pontificem Romanum errare non poſſe in decidendis fidei controverſijs; & tamen propoſitiones ab illo notâ hæreſis invſtas adhuc toto conatu protegere vt veras, & vt à S. Auguſtino contra Pelagianos ſtabilitas? Si enim illa duo coniungerent, hæretici formales forent.

806 Cùm ergo hanc notam illis invrere non poſsimus; fundamentum habemus ſuſpicandi, eos in corde ſuo ſentire, Pontifices erraſſe in illarum propoſitionum condemnatione: ac proinde quamvis ad captandum Summi Pontificis benevolentiam venditent, ſe longè à Pariſienſium Gerſoniſtarum ſenſu diſtare; cum Gerſone tamen cenſent, Pontificem definientem è Cathedra extra Concilium Generale errare poſſe in doctrina fidei & mõrum. Etenim in Belgio à pluribus Doctoribus & Profeſſoribus, mordicus etiam nunc defendi quinque propoſitiones in Ianſenio damnatas, palàm faciunt authores *ſpeciminum doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis ex Academia Lovanienſi*, par. 1. per quinque priora capita, vbi verba exſcribunt authorum, qui illas defendunt. Id quodque clarè demonſtrat R. P. Patricius Duffius in ſua *Theologia Baio-Ianſeniana, ſeu in Elencho Propoſitionum, quibus potiſsimum in Belgio offenſiones, ſcandala, perturbationeſque annis ſuperioribus excitatæ ſunt, & excitantur quotidie, quaſque zeloſi, & avitæ Fidei tenaces Catholici, cenſent ab Eccleſia & Summis Pontificibus reſpectivè damnatas, damnatis conſonantes, novas, periculoſas, & ſcandaloſas, ac proinde impugnant, & ad examen requirunt, ne in perniciem animarum latiùs graſſentur*: parte 2. fol. 25.

807 Denique aliquas ex quinque damnatis propoſitionibus Ianſenij, nũc etiam Lovanij tradi à Doctoribus maximi nominis, mihi videntur demonſtraſſe Gerardus Vaniane in opuſculo edito an. 1681. cui titulus, *Doctrina nova de libertate Eximij Domini Gummari Huygens*; & Vlicus Ionſon in opuſculo edito an. 1682. cui titulus, *Doctrina mira ac nova circa varias materias deprompta ex compendio Theologiæ Eximij Domini Gũmari Huygens cum digreſsione ad doctrinã Eximij Domini Franciſci Vanvianen.*

808 Quod ſi verum eſt, à Doctoribus Lovanienſibus defendi vel omnes, vel aliquas ex propoſitionibus damnatis Ianſenij; cùm aliunde certum ſit, eos nec ignorare, quænam ſint propoſitiones in Ianſenio damnatæ; nec dubitare prudẽter poſſe, illas ſuas opiniones in re à doctrina Ianſenij nõ differre: quid dicendum reſtat, niſi quòd illi in corde ſuo ſectantur doctrinam Gerſonis & Almayni aſſerentium, Romanum Pontificem, dum extra Concilium Generale aliquid definit, errare poſſe, & aliquando erraſſe, ac proinde *licitũ eſſe in cauſis fidei à Summo Pontifice appellare, ſeu eius iudicium declinare*, vt apertè docet Gerſon in opuſculo huius tituli, *An liceat in cauſis fidei a Summo Pontifice appellari*, in quarta propoſitione to. 1. columna 436. & Almaynus in libello de authoritate Eccleſiæ cap. 10. quam ſententiam *omnino erroneam & hæreſi proximam* appellat Bellarminus t. 1. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 2. in fine. Stapletonius verò t. 2. controv. 3. q. 3. ar. 5. pag. 825. ait: *Si de fidei iudicio agitur, fal-*

falsum & hæreticum esse dicere, Papam in eo posse errare. Et facultas Lovanienſis anno 1544. ar. 25. decrevit, *Certa fide tenenda esse, nō solùm quæ in scripturis sunt prodita, sed etiā quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei & morum negotijs, per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata.* Vt habetur ad calcem primi tomi Ruardi Tapper ſub hoc titulo, *Confessio Catholica Academiæ Lovanienſis.* Et Eximius Doctor P. Frāciſcus Suarez diſp. 5. de fide ſect. 8. n. 8. fide certam appellat ſententiam aſſerentem, Romanum Pontificem errare non poſſe in controverſijs fidei & morum decidendis. Nulluſque eſt author Catholicus ex ijs, qui ſcripſerunt ante an. 1415. in quo inchoatum eſt Concilium Conſtantienſe, qui hanc authoritatem negaverit Romano Pontifici, vt teſtatur graviſſimus Theologus Ruardus Tapper Doctor & Decanus Lovanienſis orat. 3. Theologica pag. 339. affirmans, opinionem contrariam fuiſſe noviter introductam à quibuſdam Pariſienſibus contra doctrinam veterum omnium ſcriptorum, *qui Romani Pontificis iudicium esse prorsus infallibile concorditer ex scripturis tradunt.* Pauciſsimi ſunt Theologi, etiam ex ipſis Gallis, qui ſententiæ Gerſonis adhæreant; quam nos cenſemus falſitatis convinci ex Scripturijs, Concilijs Generalibus, ex perpetua praxi Eccleſiæ, ex Patribus, ex iure Canonico, & ex communi antiquorum omnium, ex fere omnium Recentium Theologorum: vt in ſpeciali tractatu, Deo dante, probabimus.

808 Quarè, vt eō, vnde digreſsi ſumus revertamur, Doctor Ioannes Sinnichius non videtur fuiſſe tàm devotus Sedis Apoſtolicæ cultor, qualis prędicatur ab authore illius libelli, quē nuper num. 802. citavimus. quandoquidem factis ipſis ingens præbuit fundamentum iudicandi, ipſum apud ſe cenſuiſſe, Alexandrum VII. erraſſe, dum definivit, *quinque propoſitiones Ianſenij hæreticas esse in ſenſu ab authore intento.*

§. LIX.

Immeritò Anonymus Ioannem Sinnichiū orthodoxę ſapientię Domicilium appellavit; cùm conſtet, Ianſeniſtam fuiſſe, & quinque Ianſenij propoſitiones damnatas tradidiſſe.

809 QVOD Ianſeniſta fuerit, teſtantur authores *ſpeciminum Theol.* (vt vidimus §. antecedenti) qui hominem noverunt, eiuſque ſcripta legerunt, Sinnichius vivebat anno 1664. in quo P. Ludovicus Sulderi noſtræ Societatis in Collegio Lovanienſi Theologiæ Profeſſor edidit in lucem egregium opus *De principijs conſcientiæ formandæ*, & vita iam functus erat anno 1666. in quo D. Nicolaus du Boſſ ſuprà laudatus edidit eruditos illos duos tractatus ad 45. propoſitiones damnatas ab Alexandro VII. vt conſtat ex hoc authore tract. 1. cap. XI. circa finem. Sed illum Ianſeniſtam fuiſſe, non ſolùm probant quæ hucuſque produximus, ſed alia, quæ modò ſubiungimus. Nam die 13. Martij an. 1653. nempe eodem anno, quo ab Innocentio X. damnatæ ſunt quinque propoſitiones Ianſenij, quando proximè fulmen Vaticanum imminebat contra illas opiniones, quæ pridie Kalendas Iunij eiuſdem anni eo fulmine percuſſę fumarunt, hanc theſim publicè propugnavit: *Massa humana corrupta, & duplici, scilicet ignorantiæ & infirmitatis, morbo facta est obnoxia: Nec hæc titulo impotentiæ, nec illa, casu quo sit iuris naturæ, excusat. Hæc Sanctis causa est tremendi, atque metuendi, ne ipsis operibus gratiæ elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Quinimo, subtrahitur interdum gratia, siue retrahitur, non pro superbia, quæ iam est, sed quæ futura est, nisi subtrahatur.* Ita refert *ſpecimen Theol.* par. 1. cap. 1. §. 1. circa primam propoſitionem Ianſenij: ex quibus verbis colligitur, Sinnichium docuiſſe, *iuſtis etiam hominibus negari à Deo* gratiam ſufficientem ad implenda quædam prędcepta, idque interdum, non in pœnam ſuperbiæ, quæ iam fuerit à iuſtis commiſſa, ſed, quæ committeretur ab ipſis, niſi gratia illa ſufficiens ſubtraheretur. Sentit ergo Sinnichius, ne quidem *Sanctos excuſſari titulo impotentiæ, eoſdēque in illam conijci interdum, non pro ſuperbia, quæ nunc eſt, ſed quæ futura eſt, niſi ſubtrahatur gratia.* Ergo ſentit Sinnichius veram eſſe primam propoſitionē Ianſenij poſt modum ab Innocentio X. nota hæreſis inuſtā; nempe: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſsibilia fiant.*

Præterea idem Sinnichius die 28. Ianuarij anno 1649. hanc theſim, ordine ſecūdam, poſuit: *Conſequenter libertas non indiget gratia ſufficienti, quia indifferentiā illam, & gratiam meriè ſufficientem, quæ in ſtatu naturæ integræ fuerunt, in ſtatu naturæ lapſæ dari, neque Scriptura ſacra, neque Concilium Tridentinū, neque S. Auguſtinus, neque ratio docet.*

810 Admirabilior eſt altera, quam Lovanij dedit idem D. Ioannes Sinnichius die 16. Octob. an. 1649. Theſi 4. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam vtilis, quam pernicioſa, ſic vt proinde merito poſsimus petere; A GRATIA SVFFICIENTE LIBERA NOS DOMINE.* Quis non videat hanc concluſionem indignam eſſe approbatione, & patrocinio Sacræ Theologiæ Doctoris? Quis hic non palpet doctrinam Ianſenij expoſitam ſupra §. 45. à num. 689? Exſcribit hæc *Specimen Theolog.* par. 1. c. 1. §. 2. pag. 10. & §. 3. pag. 13. aliam eiuſdem doctrinam exhibet, nam die 9. Octob. an. 1652. hanc Theſim poſuit Sinnichius: *Iudæi ſub lege conſtituti, ait Auguſtinus, quædam opera legis ad implebant, quæ in Sacramẽtis ſunt; illa vero, quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant: non enim implet ea, niſi charitas.* Sentit ergo Sinnichius, Deum impoſsibilia præcepiſſe, obligando per legem ad bonos mores, & tamen negando auxilium ſufficiens ad ſatisfaciendum legi.

811 Idem Doctor Sinnichius docuit etiam ſecundam propoſitionem Ianſenij damnatam, nempe: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Nam vt teſtatur, *Specim. Theol.* par. 1. cap. 2. §. 1. die 9. Octob. an. 1652. hanc Theſim poſuit: *Quicumque ſpiritu Dei agũtur, ij filij ſunt Dei. Ac per hoc ait idem Auguſtinus, quicumque aguntur ſpiritu Dei, ipſi facta carnis mortificant ſpiritu. Qui hoc dicit, gratiam purè ſufficientem nunquam agnoſcit.* Et vt teſtatur idem *Specimen Theol.* ibidem §. 2. die 19. Auguſti an. 1652. hanc Theſim poſuit: *Et vocavit per gratiam ſuam: per prædominantem iſtam gratiam, quæ à nullo duro corde reſpuitur; non vero per talem, quæ libero hominis arbitrio ſubiecta eſt, & ab eius determinatione in agendo dependet: huiuſmodi enim ſoli naturæ integræ concedimus, naturæ lapſæ eam prorſus denegantes; cum eidem non modo inutilis, ſed pernicioſa foret, quantum vis illam, quæ primis parentibus data fuit, longè poneretur excedere.*

Hauſit hanc doctrinam Sinnichius à ſuo familiari Magiſtro Ianſenio, qui lib. 3. *de gratia Chriſti* cap. 2. hunc præpoſuit titulum: *Adiutorium merè ſufficiens ... lapſorum reparationi inutile, & perniciоſum.* cap. 3. hunc: *Quam monſtruoſa ſit gratia ſufficiẽs.* Ex his, & ex dictis numero præcedenti apertè cõſtat, Sinnichium non admiſiſſe gratiam internam purè ſufficientem, ſeu cui voluntas reſiſtat, ſed præciſe gratiam internam efficacẽ, quę à nullo duro corde reſpuitur, id eſt gratiã, quæ ita det poſſe operari, vt ſimul det infalliбiliter ipſam operationem: ac proinde conſtat, Sinnichium in ſtatu naturæ lapſæ non aliam agnoviſſe gratiam internam, niſi illam quæ conſtituat actum primum infallibiliter connexum cum actu ſecundo; quæ eſt ipſiſſima Ianſenij doctrina expoſita ſupra pag. 244. num. 690.

812 Docuit etiam Sinnichius tertiam propoſitionem Ianſenij, videlicet, quod *ad merendum, & de merendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſsitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Nam vt teſtatur *Specimen Theol.* par. 1 cap. 3. §. 3. pag. 41. hic Doctor 4. Februarij ann. 1651. hanc poſuit Theſim, quæ doctrinam illius propoſitionis cõtinet: *Propter concupiſcentiam, quæ liberum arbitriũ ita deprimit, vt ad bonum nihil valeat, niſi à gratia Dei, quæ de nolente facit volentem, & voluntatem determinat (non tamen Libertatem evertendo, vt volunt aliqui, eſſentiam eius male ſtatuentes in æquilibrio ad vtrumlibet) præveniatur, & ſuſtentetur.* Quibus verbis clarè docuit concupiſcentiam ita deprimere & trahere arbitrium in peccatũ, vt non habeat potentiam, & ſufficientiam ad bonum, quouſque Deus illi infundat gratiam efficacem, quæ ex nolentibus facit volentes, ſeu delectationem victricem eſſentialiter connexam cum volitione honeſti. Aitque, illam delectationem victricem, non tollere libertatem eſſentialem, quia iuxta ipſum cum Ianſenio libertas eſſentialis non importat indifferentiam ad vtrumque, ſed ſolam ſpontaneitatem & voluntarietatem, vnde ſecutus eſt Ianſenium, qui t. 3. lib. 6. cap. 6. col. 632. ait: *Sola neceſsitas coactionis repugnat libertati.* Et ibidem col. 628. pronuntiavit: *Libertas arbitrij in peccando cum peccandi neceſsitate conſiſtit.* Et hanc doctrinam ſectatus eſt Sinnichius, dum dixit: *Propter concupiſcentiam ita arbitrium deprimi, vt ad bonum nihil valeat, niſi præveniatur & ſuſtentetur per gratiam Dei, quæ de nolente facit volentem*, id eſt per gratiam efficacem; planè ſignificans, hominem carentem gratia illa efficaci, nihil valere ad bonum; ac proinde eſſe neceſsitatum ad peccandum.

813 Doctrinam quoque quintæ propoſitionis Ianſenianæ, nimirum quòd *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, perſpicuè tradidit Sinnichius, cenſuram impingens communi doctrinæ de morte Chriſti pro omnibus, ſeu de voluntate ſalvandi omnes. Vt enim teſtatur *Specimen* Tholog. par. 1 cap. 5. §. 3. pag. 58. hic

Do-

Doctor Lovanij 16. Octob. ann. 1649. hanc Thesim posuit, ad illa verba: *Ipse est propitiatio ... non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi: non pro toto mundo, sed pro his, qui electi erant. Non ergo omnibus sufficientiæ gratiæ auxilia, quibus salui fiat si velint, suppeditantur: hæc verissima Augustini doctrina, illa Pelagij, & Discipulorum eius.*

814 Docuit etiam Sinnichius sæpissime horribile illud dogma Iansenij, nimirum, *Ignorantiã invincibilem iuris naturæ non excusare a peccato*; vt dicemus disputatione sequenti, cum disputemus de ignorantia contra Iansenium. Videat prudens Lector, an iure merito appellari possit *Orthodoxæ sapientiæ Domicilium* Doctor ille, qui dogmata hucusque insinuata tradidit; & iudicet, an vana, & timeraria sit mea suspicio, Anonymum illum fortiam plusquam par erat, erga Iansenium esse affectum; & idcirco tantopere laudare sapientiam Sinnichij, dogmatibus Iansenij refertam.

§. LX.

Quamvis de alijs virtutibus laudari possit Sinnichius, non tamen de modestia, & in proximum charitate: quia convitijs, & cõtumelijs oneravit Authores gravissimos; præsertim Iesuitas, qui Iansenij dogmata apertius impugnabant.

815 *OMNIGENÆ Virtutis professorem* appellavit Anonymus Sinnichium. Sed quamvis hoc elogium alijs virtutibus promeruerit, non tamen modestia, & in scribendo moderatione. Testem imprimis appello P. Martinum de Esparça, Virum sat vrbi, & orbi notum: qui in tractatu Romæ edito anno 1669. cui titulus, *Appendix ad quæstionem de vsu licito opinionis probabilis, continens responsionem ad quædam Recentiorum argumenta*, ar. 14. excussionem facturus adversus Sinnichium, sic scribit: *Ioannes Sinnichius Doctor Lovaniensis, & Præses Maioris inibi Collegij Theologici in libro quodam suo, quem inscripsit*, Saul ex Rex, *scribit multa fuso admodum calamo* à cap. 94. ad 123. inclusivè, *quæ sincero & sapienti Lectori videri possent ac deberent scripta aduersus Schismaticos, Hæreticos, atque Paganos potius, quã aduersus Doctores vllos Catholicos, & quorum pleraque, si non & omnia, nemini in mentem venire potuisse, dirigi aduersus sententiam Doctorum Catholicorum & plurimorum & grauissimorum de vsu licito opinionis probabilis*, si idem *ipse Sinnichius non prælocutus fuisset initio, atque in progressu non identidem commune faceret, intentionem suam dirigi aduersus eos Doctores, quoad illam eorundem doctrinam.*

816 Testem etiam appello Guillelmum Lamaire insignem Theologum, qui indignitatem rei non ferens, & videns librum Sinnichij scatere partim imposturis, partim iniquis censuris contra Theologiam Moralem insignium Theologorum Societatis, vt Lesij, Thomæ Sanchez, Molinæ, Valquezij, Suarij, Valentiæ, Laymani, Castropalai, & aliorum, & aliunde animadvertens, Iesuitas pro se non loqui, vt par erat, scripta apologia, quæ maledicẽtiam Sinnichij, & præsumptuosam censurandi licentiam compesceret; hanc pro nobis causam suscepit, & anno 1673. in lucem emisit præclarũ opus, cui titulus: *Statera Saulis ex Regis Ioannis Sinnichij S. Theologiæ in Academia Lovaniensi Doctoris, quatenus continet Vindicias Decalogicas nuper dictas: Verius farraginem iniuriarum contra Theologos Societatis Iesu.*

817 In præfatione verò illius operis monet hic Author, suæ intentionis non esse contendere, quod nihil vspiam Theologi Societatis scripserint quod meruerit aliquam censuram; homines enim fuerunt, labique potuerunt; sed scopum suum esse, vindicare illos *partim a calumnijs, partim ab iniquis, & imperitis censuris Doctoris Sinnichij.* Vnde inquit: *Vnica intentio mea est, amoliri iniurias ab illis Authoribus. Iniuriam illis facit Doctor Sinnichius multiformem. Primo opiniones illis affingit odiosas, quas illi simpliciter non tradiderunt: hoc ipsum ostendo, vbi est occasio. Secundo illorum doctrinam facit odiosam varia truncatione, dissimulatione, & alijs artificijs: hoc quoque ostendo, vbi est locus. Tertio si quam opinionem tradiderunt, quæ saltem primo aspectu videtur laxior, eam ipse vocat simpliciter laxitatem sui Authoris, aut sic refert, vt Lector solum mediocriter peritus dubitare non possit, quin hæc sit opinio propria illius Authoris, etsi reuera ea sit opinio multorum, & quidem celebrium Virorum. Meum igitur est ostendere, huiusmodi opiniones non esse illis proprias. Quartò opiniones non paucas, quas constat nulla dignas esse censura, ipse mira libertate censurat. Ibi quoque meum est ostendere, illas esse sententias tales, & tam gravium Authorum, vt non debuerint esse expositæ censuris Sinnichij.* Hæc sunt, quæ tractanda promittit; fidem autem suam cumulatissimè exsplevit in prima sectione illius stateræ; vt autem hoc præstaret, diligenter evoluit vniuer-

sum

ſum illum tractatum Sinnichij, & nihil prudens omiſsit, in quo ille reprehendit Ieſuitam quempiam, magnamque diligentiam adhibuit in evoluendis Authoribus Moraliſtis, vt notã faceret omnibus maledicentiam Sinnichij, eiuſque calumnias, & imperitas cenſuras detegeret; vt ipſe advertit pag. 10. ſuæ præfationis. *Quare* (inquit) *etſi triuerim non modicam partem vitæ meæ in ſtudijs Theologiæ Moralis ad directionem meam, & aliorum mihi commiſſarum, fuerimque prius ſatis diligẽs Lector librorum, qui mihi ad illum finem videbantur vtiles, tamen poſtquam cogitare cæpi de concinnando hoc opuſculo, putaui mihi extendendam diligentiam, latiuſque excutiendos libros Morales omnis generis, & non contentus ſupelectili domeſtica librorum, curioſe exquiſiui, quid opis ferre poſſent Bibliothecæ alibi inſtructiores, & corraſi, quod videbatur poſſe ſufficere ad meum intentum.*

818 Hac diligentiâ præmiſſa, diſcurrit Guillelmus le Mayre in prima ſectione illius ſtateræ per ſingulas propoſitiones damnatas ab Alexandro VII. clarè oſtendens, nullã earum ſimpliciter & abſolute ſumptam, & in eo ſenſu, in quo damnata eſt à Pontifice, fuiſſe aſſertam ab vllo Societatis Doctore, prout illis falſo affingit Sinnichius, & quia hic Author præcipue exagitandum ſelegit P. Thomam Tamburinum, illi tribuens non quidem omnes, ſed aliquos articulos laxioris doctrinæ, quos Academia Lovanienſis cenſuit improbãdos; vt fatetur ipſe Sinichius in ſuo Saule ex Rege cap. 123. pag. 585. col. 1. & in Vindicijs cap. 36. pag. 628. ijs verbis: *Non omnes, ſed aliquos dumtaxat Articulos à Tamburino adſtrui video*: quia, inquam, Sinnichius præcipuè exagitat Tamburinum, & illi tribuit aliquos ex Articulis notatis ab Academia Lovanienſi, hoc impugnans le Mayre ſect. 1. cap. 1. §. 1. n. 2. inquit: *Spes mihi eſt illos* Aliquos Articulos *futuros revera* Nullos Articulos, *niſi in imaginatione & voto Doctoris Sinnichij.*

819 In ſecunda autem ſectione illius ſtateræ manifeſtè probat, Sinnichio non defuiſſe materiam reformandi Moralẽ Theologiam in libris; & in Theſibus Doctorum ſuæ Academiæ Lovanienſis. Vnde pag. 11. præfationis ad Lectorem inquit ipſe Guillelmus le Mayre:

Intentio igitur mea in hac ſectione, hæc eſt.
„ Primò, vt appareat, non ſatis æquo animo
„ Sinnichium fuiſſe invectum in Theologos
„ Ieſuitas: ſi enim ſtudio veritatis, & Chri-
„ ſtianæ charitatis fuiſſet impulſus, certè non
„ neglexiſſet ſuos domeſticos, in quibus inve-
„ nire poterat materiam reformationis eandẽ
„ aut valde ſimilem, & non raro ampliorem.
„ Secundò, vt conſideret Lector Lovanienſi
„ Theologiæ addictus, an omnia, quæ tam li-
„ berè cenſurat Sinnichius, ſint digna cenſu-
„ ra; an videlicet etiam illa, quæ docuerunt
„ eadem, vel ampliora, aut ſimilia Doctores
„ Lovanienſes.
„ Tertiò, vt appareat, ſi quid erat dignum
„ reprehẽſione in Authore quopiam extraneo,
„ non illicò debuiſſe illud prædicari tanquam
„ laxitatem, aut maculam propriam illius Au-
„ thoris, nec hoc nomine illum ſpecialiter
„ debuiſſe haberi pro *Laxone*, *Palpone*, *Cæ-*
„ *co*, & neque hoc pacto debuiſſe in cauto
„ Lectori ingenerari opinionẽ, hunc Authorẽ
„ eſſe præ cæteris vitandum, & ſingulari nota
„ deteſtandum.
„ Quartò, vt appareat iudicio Sinnichij
„ innoxios videri Authores Ieſuitas, quos re-
„ prehendit. Ipſe enim *Saulis ex Regis* cap.
„ 123. pag. 584. col. 1. in Vind. cap. 36. pag.
„ 625. non obſcurè inſinuat, in Theologia
„ Morali ſuorum domeſticorum non inveniri
„ ijs ſimilia, quæ reprehendit in extraneis:
„ quia ibi cauſam reddit, cur Caramuelem
„ delegerit præ alijs reprehendendum; *Quod*
„ *cùm ipſe Doctoralem lauream Lovanij*
„ *ſuſceperit, procliue ſit à rerum ignaris*
„ *putari, eum in Schola Lovanienſi eas la-*
„ *xitates didiciſſe.* Vt tumque res habeat, ſatis patet, magnam opinionem habuiſſe Sinnichium de puritate doctrinæ Moralis ſuorum Collegarum, cum nuſpiam verbulo illam perſtringat. Si igitur oſtendero, eadem ferè docuiſſe Lovanienſes Doctores, quæ ille ſugillat in Ieſuitis, magnum his conciliavero teſtem innocẽtiæ ipſum Sinnichiũ. Hucuſque le Mayre, qui percurrendo ſingulas propoſitiones, quas Sinnichius in Ieſuitis ſugillat, oſtendit, eas omnes fuiſſe traditas, & propugnatas à Doctoribus Lovanienſibus.

820 Vnde deducitur, Sinnichium limites modeſtiæ, & charitatis Chriſtianæ tranſgreſſum eſſe, dum Doctores Societatis *Laxones*, *Palpones*, *Cæcos*, & *Duces cæcorum* appellat, propter aliquas opiniones, quas ipſi Lovanienſes, quos nullo modo perſtringit, expreſſe docuerunt; iniuſteque traduxiſſe Authores graviſsimos eo quod in vna vel altera opinione plus forſam fuerunt benigni, quam par erat. Si Sinnichius opiniones laxas dumtaxat reprehendiſſet, reprehendendus ipſe non fuiſſet; ſed laudandus: cæterum quod propter vnam, vel alteram opinionem, quæ tradita eſt à pluribus, ſolos Ieſuitas exagiter; & illos infamet; non charitatis, & modeſtiæ, ſed odij argumentum eſt, quo flagravit in Ieſuitas

suitas, quia dogmata Iansenij infectati præcipuè sunt, quæ ipse Sinnichius amplexus est: & quia librum Iansenij, quem Sinnichius approbavit, & ardenter defendit, opugnarunt, & expugnarunt.

821 Hoc odium Sinnichij in Iesuitas manifestat etiam le Mayre in tertia, & vltima sectione statereæ, in qua pertexit curiosam narrationem de origine. & fortuna Articulorũ reprobatorum à Facultate Lovanienſi, quos toties ostentat Sinnichius, eorum censuram magnificiens. Testaturque le Mayre folio penultimo præfationis *in stateram suam, nihil non egisse Sinnichiũ, vt Iesuitas exhiberet Authores illorum Articulorum; & videri non dubitasse, quin Articuli illi essent conflati præcipuè ex doctrina Iesuitarum.* Ipse verò le Mayre apertè probat in illa sectione tertia suæ stateræ, doctrinam in illis Articulis reprobatam non esse doctrinam Iesuitarum, eosque vindicat ab impostoris Sinnichij.

822 Denique huius maledicentiæ Doctoris Sinnichij in Iesuitas testem appello eruditissimum, & consultissimum Dominum Nicolaum du Bois in Academia Lovanienſi Primarium Professorem, qui in illo erudito opere *ad quadraginta quinque propositiones in praxi perniciosas*, damnatas ab Alexãdro VII. tr. 1. c. 7. in quo examinat, quinam fuerint illarum propositionum Authores, paulò post medium illius capitis inquit: *Quid verò Iesuitæ, qui a quibusdam maledicis & conviciatoribus male doctis, omnium opinionum Authores dicuntur, senserint*, dicã inferius in explicatione *singularum*: *vbi etiam non dissimulabo, duas fuisse à quibusdam è Societatis Authoribus traditas, videlicet duodecimam, & trigesimam tertiam, quas non deprehendit Doctor Sinnichius, licet operosissimè ... in eorum scriptis inquisierit, & conquisita congesserit in Saulem a pag.* 357. *vsque ad* 577. *Quo in loco tractat ille ex damnat s vndecim, &c.* Et post modum subiungit, ex ijs vndecim quinque tribuere Iesuitis, & affert solida fundamenta, quibus probatur, falso illas adscribi Iesuitis. Vt autem ostendit idem Author tract. 2. à n. 129. vsque ad 145. duodecimam propositionem ante Iesuitas omnis generis regulares tradiderant, & vt ostendit num. 594. propositionem tregesimam tertiam præter aliquos Iesuitas docuerãt graves alij Authores. Præterea Cap. XI. illius primi tractatus, fusè ostẽdit, errasse Sinnichiũ tribuendo Iesuitis multas ex propositionibus damnatis; & illi capiti coronidem imponit ijs verbis: *Concludamus nunc aduersus Censores supradictos, si Doctor Sinnichius, qui a multis creditus, & prædicatus est, totius Orthodoxæ Theologiæ partus, & conatus extremus, in paucis paginis, quas post tantum, indefessumque studium, in materia Morali, iam à tot annis in Belgio, Gallia, & penè vbique terrarum agitata, ita aberravit, & cum eo tot præclari Viri, iam plenius referendi, qua fronte se ita ab omni errore immunes putant, vt Sanctæ & Apostolicæ Sedi, cuius solius fuit illa prærogatiua, vt in nullo errasse hactenus demonstretur, suum iudicium præferant?*

823 Quam iniquum autem sit, quod Doctor Sinnichius totam Religionem Societatis de laxitate notaverit cum alijs lãseniſtis, ex eo quod in tanta Scriptorum multitudine aliqui Societatis Doctores aliquas tradiderint opiniones laxas, declarat optimè prælaudatus Doctor Nicolaus du Bois tract. 1. illius operis cap. 9. *Quasi verò* (inquiens) *si quid alicuius Vniuersitatis famosæ, vt Lovanienſis, Parisiensis, Salmantinæ Doctor tradiderit, id sit communis illarum Vniuersitatum opinio & propria earundem.* Et subinde addit: *Displicet mihi hodiernus scribendi modus, longè alius ab eo, quo D. Thomas, alijque præclari Viri vsi sunt. Hodie si quid in alicuius scholæ Authore, vel in speciem reprehensibilè, inveniatur, statim audiuntur, & leguntur verba similia: Cæci, Duces cæcorum, Palpones, Laxones, fautores prætensæ pietatis, novi Ethici, Pharisæi, &c. quibus sine fructu Ecclesia Dei laceratur, charitas læditur, & offenditur graviter ille, qui nobis in Evangelio tradiderat.* Qui dexerit fratri suo, *Racà, reus erit Concilio, &c.* In his verbis D. du Bois perstringit inter alios Ioannem Sinnichium propter immodicas censuras, quibus Scholam Societatis notavit, & propter convitia, & contumelias, quibus graves eius Authores proscidit.

Ex quibus satis constat, etsi Sinnichius ob alias virtutes laudari possit, non tamen ob modestiam, & charitatem in proximum posse sincere commendari, nisi forsan ab homine Iansenismo aflato, vel de Iansenismo suspecto.

§. LXI.

Concluditur ex dictis, ideo forsan illum Authorem Anonymum prætermisisse D. Nicolaum du Bois, & effuse laudasse Sinnihium, quia ille Iansenismo infestus est; iste verò acerrimus fuit Iansenij defensor.

824 NOTVM Est in Belgio D. Nicolaum du Bois verbo & scriptis insectari Iansenianam doctrinam; siquidem

dem inter Sæculares Doctores vnus eſt è præcipuis, qui cum aliquibus Religioſis familijs aperto Marte cõtra Ianſenij fœderatos pugnat; & toris viribus contendit, vt procul ab Academia Luvanienſi, à toto Belgio, & à toto orbe Chriſtiano abigatur Theologia Baiojanſeniana, & fideliter obſervẽtur in illa celebri Academia conſtitutiones Summorum Pontificum, quibus ſeptuaginta novem propoſitiones Michaelis Baij proſcribũtur; & quinque Iãſenianæ vt Hæreticæ condemnantur: & vt cohibeãtur à Sede Apoſtolica doctrinæ periculoſæ, quæ à Ianſenij fœderatis hodie traduntur, & ab Academia Lovanienſi per Belgium ab anno 1644. vſque nunc manant, vt diximus ſupra num. 806. vnde D. du Bois, alijque Theologi Belgæ, Fidei orthodoxæ, & conſtitutionũ Apoſtolicarum ſtudioſi, ſacrum fœdus inierunt, & Cõgregationem inſtituerunt ad defendendam ſanam doctrinam, quam ſemper Academia Lovanienſis tenuit, quouſque ex parte fœdata eſt erroribus Baij, à Ianſenio ſuſcitatis, & quã hodie fœdant aliqui Doctores doctrinam Ianſenij defendentes; vt probatum manet.

825 Hæc Congregatio, quam aliquæ Religioſæ Familiæ, & aliqui Doctores Sæculares componunt, inter quos D. Nicolaus du Bois non poſtremum locum obtinet, ſuis expẽſis an. 1680. Matritum miſit R.P. Patricium Duffium Ordinis S. Franciſci in Vniverſitate Lovanienſi Sacræ Theologiæ Lectorem, ad implorandum auxilium, & patrocinium Regis N. Catholici Caroli Secundi in hac cauſa tanti momenti, & R.P. Duffius Elẽchum edidit propoſitionum Baiojanſenarum, quæ in Belgio offenſiones, & ſcandala cauſant; de quo ſupra num. 806. mentionem fecimus; & Regi obtulit, vt ſua Maieſtas Theologis examinandas commiteret propoſitiones illas, non quidem vt ipſis cenſuram aliquam inurerent; ſed vt dijudicarent, an omnes, vel aliquæ dignæ eſſent, quæ deferrentur ad Romanum Pontificem, vt tanquam ſupremus Eccleſiæ Doctor & controverſiarum fidei infallibilis iudex, quid tenendum, & quid repudiandum foret, è Cathedra Petri doceret. Rex Catholicus negotium hoc cõmiſit Eminentiſsimo D. Cardinali Portocarrero, Archiepiſcopo Toletano, qui cœtum Sapientiſsimorum Theologorũ deſignavit; à quibus ſelectæ ſunt multæ propoſitiones ex contentis in Elencho illo; quas dignas cenſuerunt, vt illarum examen Rex Catholicus coram Sanctiſsimo P. N. Innocentio XI. poſtularet, & ſua Maieſtas prædictum P. Patritium Duffium, vt Theologũ ſuum Romã ad ſuam Sanctitatem adlegavit menſe Maij an. 1681. cum litteris commendatijs ad hanc cauſam neceſſarijs. Sua autem Sanctitas novã Congregationem inſtituit Selectiſsimorum Theologorum, qui de delatis propoſitionibus iudicium ferant, & hæc cauſa nunc Romæ agitur, & agebatur tunc quando Anonymus Lovanienſis ſcripſit contra Declarationẽ Cleri Gallicani; & ſuſcipione tangor, ideirco Anonymum illum ſine vlla mentione prætermiſiſſe D. Nicolaum du Bois, & tam prolixe laudaſſe Sinnichium, quia prior ille apertus eſt Ianſeniſmi hoſtis, iſte vero poſterior acerrimus fuit Ianſeniſmi defenſor, & Ianſeniſtarũ Coriphæus. Forſan fallor, quia forſan Anonymus non conſideravit quid in favorem Ianſenij, & dogmatum ipſius Sinnichius geſiſit; & quid contra reverentiam debitam Pontificum decretis præſtitit; & contra Bullam Alexandri VII. artificioſe ſcripſit, vt eius vim eluderet, per diſtinctionem quæſtionis de *iure*, & quæſtionis de *facto*. Et forſam Scriptorem, qui nunc vivit, laudare noluit. Sed quamquam ſuſpicio mea forſan ſit falſa, videri non poterit multum temeraria, ſi conſiderentur ea, quæ à num. 802. ſcripſimus. Et hoc ſaltem videtur colligi, vel Anonymum illum erga doctrinam Ianſenij affectum eſſe, vel incaute tot laudes Sinnichij decantaſſe, & quin eius pernicioſa dogmata animadverterit, vel in D. Nicolaum du Bois parum affectum eſſe.

§. LXII.

Proponitur ſcrupulus Authoris circa laudes, quibus Lovanienſis Anonymus ſcribẽs contra Declarationem Cleri Gallicani extollit obedientiam, quæ nunc viget in Academia Lovanienſi erga Conſtitutiones Pontificias, & obſervantiam iuramenti, quo candidatos obſtringit, ad non defenſandam vllam ex propoſitionibus Baij, vel Ianſenij, & acquieſcendum Bullis Innocentij X. & Alexandri VII.

826. AVTHOR Anonymus Lovanienſis, de quo nuper mentionem fecimus, in Prologo ad Lectorem Eximium præfefert zelum Authoritatis Romani Pontificis ſupra Concilium Generale, & infallibilitatis ad definiendas fidei controverſias protegendæ, & pro Viribus defenſandæ contra auſum declarationis Cleri Gallicani; & in Paranæſi illius opuſculi pag. 90. & 91. eas profert Academiæ Lovanienſis pro hoc rerum ſtatu laudes, quæ ſi veræ forent, nihil poſſet amplius deſiderari; ſed omnes ſummopere deberemus gaudere de fœlici ſtatu, quo nunc potitur illa celebris Academia poſt condemnatas Ianſenij propoſitiones. Sed quæ hucuſque

cuſque diximus, & poſtmodum dicemus, me ſuſpicari cogunt, dictis facta non reſpondere, & has laudes non tam ex ſincero cordis ſenſu, quam ex fucata adulatione procedere, & artificioſe compoſitas eſſe ad captandam gratiam Romani Pontificis nunc, quando Ianſeniſtarũ cauſa Romæ periclitatur, & in dies ſperatur, damnandum eſſe à Sede Apoſtolica horrendũ illud Ianſenij dogma de ignorantia invincibili iuris naturæ non excuſante à peccato formali, aliaque eſſe proſcribenda nova, exotica, & prodigioſa opinamenta, quæ ex Lovanienſi Academia per Belgium emanarunt ab anno 1664. vſque ad ann. 1685. in quo hæc ſcribo. Quaſi verò Sedes Petri blanditijs flecti poſsit, vt falſa dogmata diſsimulet; aut per ementitas laudes inclinari valeat ad connivendum perniciosis doctrinis. Nos iudicium Romani Pontificis expectamus; ſi ille aliquam ex opinionibus Lovanienſium, quam nos abſurdam cenſemus, ſanam eſſe declaraverit; vt ſanam amplectemur: quas autem damnaverit, toto corde averſabimur, & damnabimus, & ab illis vt à peſtifero veneno fugiemus. Sed ad rem veniamus.

827 Antequam ſuſpicandi fundamentum aperiam, prius exſcribam elogium Academiæ Lovanienſis, & Doctorum, qui nunc in illa florent, quod habet ille author ad finem illius opuſculi pag. 90. Igitur, de ſuis Lovanienſibus Doctoribus, & Profeſſoribus loquens, inquit: *Non ſuſtinent, Monarchicũ illius* (Romani Pontificis) *ſuper omnem fidelium multitudem abſque Vllius prorſus exemptione Principatum à quopiam libari, aut circunſcribi. Suſcipiunt, & ſuſpiciunt Apoſtolicæ Cathedræ Statuta, non ſecus, ac ipſius D. Petri ore (vtpote à Petri Succeſſore) prolata oracula. Quod hic probaverit; Vltrò comprobant. Quidquid ipſe expungi iuſſerit, expungunt & illi. Articulos, quos in Baio dudum proſcripſerunt Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VII. in proſcriptis habent & illi. Paradigmata quinque, ex Cornelij Ianſenij libro decerpta, quæ non ita pridem damnarunt Innocentius X. & Alexander VII. condemnatis accenſeri nõ modo conſentiunt; inſuper & candidatorũ ſingulos præſtito iuramento condemnationi ſuſcribere Volunt. In dubijs exoticiſque quæſtionibus, Apoſtolicæ Sedis iudicium ducunt conſulendum, Magni P. Auguſtini veſtigia legentes, qui lib. 1. ad Bonif. Papã cum ſcriptis ſuis recurrens ait: Hæc, quæ duabus Epiſtolis Pelagianorum iſta diſputatione reſpondeo, ad ſuam potiſsimum dirigere Sanctitatem, non tam diſcenda, quam examinanda, & (vbi forſitan aliquid diſpliceuerit) emẽdada conſtitui.* Quam ob cauſam „ ablegatis nuperrimè Romam verſus duobus „ è ſuo gremio Doctoribus, Innocentij XI. „ moderni Pontificis Maximi ſententiam ſu„ per totis 65. paradoxis exquiſierunt, eorum„ que dignam retulere cenſuram. Simul & „ ſuam tunc, *ſuper quibuſdam articulis de „ Sacra Scriptura, Gratia, & Prædeſtina„ tione, anno Dom.* 1586. *Lovanij, ſcripto „ traditis, cenſuræque iuſtificationem con„ tra Aſſertiones quaſdam Profeſſorum „ ibidem, &c. Iuſſu Reverendiſs. & Illu„ ſtriſs. Belgij Epiſcoporum editam eiuſdẽ „ ſæculi anno* 88. recuſam deinde Pariſijs an„ 1641. vna cum Theologicæ Facultatis Dua„ cenæ cenſura, Apoſtolico iudicio ſubmiſſe„ runt, talibus officijs vrbi & orbi palam pa„ riter probantes, ſe Romanum Pontificem „ ſemper, in Patrem, in Paſtorem, in veritatis, „ morumque Magiſtrum, in Eccleſiæ Caput, „ in omnis doctrinæ iudicem infallibilem ha„ bere, & colere. Hactenus Anonymus Lovanienſis Recentiſsimus (vtpote qui anno 1682. in lucem edidit opuſculum illud. *Doctrinæ Lovanienſium contra Clerum Gallicanum*) in inclytæ illius Academiæ laudem.

828 Ego verò hanc laudem antiquis eius Profeſſoribus, & non paucis ex Modernis perbelle adaptari non dubito; ſuſpicor tamen non convenire nonnullis eius alumnis, qui modo primariam habent authoritatem, ob ingenij, eruditionis, & virtutis exiſtimationem in Lovanienſi Academia; ſicut de D. Sinnichio in præcedentibus notum feci. Meam autem ſuſpicionem vanam non eſſe, apertè oſtendam ſi in medium producam teſtimonia trium Authorum Belgarum, qui vel inter ipſos Lovanienſes modo vivunt, vel propè ipſos, & eorum ſcripta, & facta diligenter diſcuſſerunt; & mentiri non auderent, vel falſas opiniones Ianſenianis affingere; ne apertè convicti, ſibi confuſionem & ignominiam, & adverſarijs triumphum parerent. Nihil igitur de meo ponam; ſed teſtes adducam abſdubio fidedignos, & imprimis exſcribam, quæ habet Author ſpeciminis doctrinæ Theolog. part. 2. cap. 1. §. 3.

§. LXIII.

Ex doctrina Lovanienſium Academicorum de obſervantia debita Sedi Apoſtolicæ in Variis materijs, factis ipſis comprobata Lovanij; oſtenditur primo, non eſſe tam exactam Lovanienſium obedientiam, ac prædicat Anonymus Lovanienſis.

829 ID Conſtabit in medium proferendo verba *Specim. Doctr. Theolog.* loco nuper

nuper citato; vbi ſic ſcribit: Primò. Quanto
„ in honore Lovanij habeatur hoc tempore
„ Mandatum Apoſtolicum, iuſſu *Sixti V.*
„ Pont. Rom. publicatum olim Lovanij, operę
„ pretium eſt memorare. Sed aliquanto altius
„ repetenda eſt hiſtoria.

„ Anno 1587. cum diem ſuum obijſſet
„ Illuſtr. Nuntius Apoſtolicus Vercellenſis,
„ quo vivente, nihil attentare ſunt auſi, exar-
„ ſerunt contra varias ſententias Theologicas
„ profeſſorum Ieſuitarum quidam Doctores
„ Facultatis Theologicę Lovanienſis, & con-
„ tra eas celebrem tulerunt *Cenſuram.*

„ Eodem anno concludit Vniverſitas,
„ *Quærendos eſſe patronos oportunos, vi-*
„ *delicet Reverendiſsimos, ac Illuſtriſsimos*
„ *DD. Archiepiſcopos Cameracenſem, &*
„ *Mechlinienſem, D. Ioannem Baptiſtam*
„ *de Taxis, atque aliquem, vel aliquos mit-*
„ *tendos Bruxelas, qui negotia Vniverſita-*
„ *tis apud ſuam Sanctitatem, & Regiam*
„ *Maieſtatem ſolicitanda præparent.* Ita
„ Acta Vniverſitatis prædicto anno 1587.

„ Eodem anno, vt creſceret authoritas
„ *Cenſuræ*, & præparatio ad ſolicitandā ne-
„ gotia apud ſuam Sanctitatem, inducti ſunt
„ multi Epiſcopi Belgij, Abbates, Capitula,
„ alijque ad ſubſcribendum *Cenſuræ.*

830 Anno 1588, die 10. Iulij, poſtquam Romæ eſſet diſcuſſa cauſa, Illuſtriſsimus *Octavius* Epiſcopus Calatinus Nuntius Apoſtolicus iuſſu *Sixti V.* edidit Lovonij Mandatum Apoſtolicum, quo ad ſedandas diſſenſiones *SVPER QVIBVSDAN SANÆ DOCTRINÆ ARTICVLIS*, vt vocat ex Brevi Pontificio, ſtatuit his verbis.

„ Statuimus, & ordinamus, ac per Apo-
„ ſtolica ſcripta mandamus, vt nemo ... de his
„ aſſertionibus controverſis in alterutrā partē
„ ita diſputare, vel Doctorum authoritate
„ vnius partis aſſertiones confirmare alteriuſ-
„ ve refellere aut impugnare, vel cuiuſvis pie-
„ tatis, aut neceſſitatis prætextu de his loqui,
„ ſcribere, vel dictare in poſterum attentet, vt
„ auſu temerario eas hæreticas, ſuſpectas, of-
„ fenſivas, & periculoſas eſſe .... donec autho-
„ ritate Apoſtolica maturæ definite fuerunt,
„ affirmare præſumat: quod ſiquis contra fe-
„ cerit, ſciat ſe excommunicationis latæ ſen-
„ tentiæ pœnam (à qua niſi in mortis articulo
„ conſtitutus à nullo, præterquā à Rom. Pont.
„ valeat abſolvi) incurriſſe.

831 Permiſſum tamen Doctoribus Lovanienſibus, vt manuſcriptam *Iuſtificationem Cenſuræ* Romam mitterent; quod & fecerunt eodem anno 1588.

Porrò vt eò veniamus, quò hæc ſuperiora tendebant, *Iuſtificatio illa Cenſuræ* typis excuſa prodijt in Belgio anno 1641. Rurſumque alteris typis anno 1675. & quidem typis Lovanienſibus in officina *Adriani de Vuite*; etſi frons libri mentiatur Civitatem Pariſienſem, & annum 1641. Hæc res eſt Lovanij notoria.

Illo anno 1675. excuſa Lovanij *Iuſtificatio Cenſuræ* verſatur hodie Lovanij in manibus ſtudioſorum Theologiæ, vt liber ſummi pretij, hunc terunt, has cenſuras condiſcunt; qui eas neſcit, is nullo in numero eſt. Hæc vident S. Theol. Doctores in Collegijs, quibus præſident, hæc patiuntur; vtinam non foveant, neque animent, ſtimulentque alumnos ſuos, vt damnatas Apoſtolico decreto cenſuras diſcant avidius.

Neſcimus, an eandem excuſationem ſpērare queat *Florentius de Quocq.* S. Theolog. Profeſſor Antuerpiæ, qui die 10. Martij 1677. damnatam cenſuram renovavit Theſi 24.

Ex dictis itidem patet, quam vanæ ſit gloriatio, qua contrarium datæ ſententiæ (de prædeſtinatione ante præviſa merita) *docentes gloriantur, doctrinam ſuam eſſe maximè conſentaneam diuinæ bonitati, ſcripturarum authoritati, Patrum teſtimonijs, & naturalis rationis æquitati, nulla in re favens* Pelagio, *& quam longiſsimè à ſententia* Lutheri, & Calvini, *& reliquorum ſecedens. Cui gloriationi nonne oportunè repoſuit facultas Theologica Lovanienſis cenſura ſua vltima? Immo verò iuſtius fortaſſe alius quiſpiam dixerit: ſententia hæc (ſcil. nobis aduerſa) iuſtitiam evertit, ſcripturis illudit, Patrum teſtimonia in alienos ſenſus detorquet, humanæ rationis corruptioni applaudit, humilitatis fundamentum evertit, precandi neceſsitatem non magnam relinquit, propriarum virium fiduciam ingenerat, in ſalutis negotio, quod præcipuum eſt, homini donat, quod minus Deo; gratiā Dei libero arbitrio ſubijcit, ac eius pediſſe quam facit.*

Item *Libertus Fromondus* S. T. Doct. Lovanij die 4. Decembris 1652. Theſi 1. *Hic patet quomodo Apoſtolo* contradicant Pelagiani *dicentes, Deum eligere aliquem ex prævijſis operibus.*

Similiter *Andræas Laurent.* S. Theol. Doct. Lovanij die 12. Novembris anno 1659. Theſi 3.

Gratiam ex meritis dari Pelagianus error eſt: *in quem quoque impingere videtur, qui prædeſtinationem ad gloriam ex prævijſis humani arbitrij meritis ſtatuit eſſe factam.*

Intelligenda eſt Theſis de meritis ſupernaturalibus; alioqui enim non fuiſſet dicendū

im-

impingere VIDETVR: quia non minus certa esset posterior pars Theseos, quam prior, de qua merito dicebatur absolutè, *Pelagianus error est.*

Accedere potest *Martinus Steyart* Sacræ Theolog. Doct. in Thesibus pro laurea Doctorali die 9. Novembris 1675. Thesi 2.

De fide non erit doctrinam Calvini *de prædestinatione, gratia, libertate, &c. esse erroneam*, Augustini *de ijsdem orthodoxam*? Prorsus id de fide est.

Nemo hæc legens Lovanij dubitare potest, quin pronuntiet hic Doctor, de fide esse doctrinam affirmantium prædestinationem ante prævisa merita (non enim dubitant hi nostri Doctores, quin ea sit doctrina *Augustini*) adeoque contrariam huic doctrinam esse hæreticam.

Hi verò quam reverentes fuerint Mandati Apostolici, de quo hactenus, ipsi viderint.

833 *Secundo.* Anno 1668. die 9. Aprilis *Clemens IX.* Pontifex Romanus singulari decreto omnibus fidelibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ interdixit, lectionem libri Gallici, cui titulus; *Rituel Romã du Pape Paulo V. a l. Vsage du Diocese d. Alet, avec les instructions, & les rubriques in francois*: quippe *in quo*, inquit, *non solum continentur nonnulla ab ipso Rituali Romano, iussu fel. record.* Pauli *Papæ V. Prædecessoris nostri edito aliena, sed etiam doctrinæ quædam, & propositiones falsæ, singulares, in praxi periculosæ, erroneæ, & consuetudini in Ecclesia communiter receptæ, atque Ecclesiasticis Constitutionibus oppositæ, & repugnantes, quarum Vsu, & lectione CHRISTI fideles in iam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus injici possent.*

Hic liber tam solemniter proscriptus & damnatus paucis ab hic annis latinè versus recusus est Lovanij in officina *Adriani de Vuire*, legiturque hodiè ab Academicis S. Theologiæ studiosis, scientibus Collegiorum præsidibus Doctoribus, nec impedientibus.

Tertio. Eodem an. 1668. die 20. Aprilis, idem *Clemens Papa IX.* librum vulgo dictum *Novum Testamentum Montense* cui titulus *le Nouveau Testament de nostre Seigneur IESVS-CHRISTVS traduit in francois Selon l. edition Vulgate, &c.* damnavit *tanquam temerarium, damnosum, à Vulgata editione prædicta difformem, & offendicula simplicium contemnentem...ita vt nemo deinceps....sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, illum legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, vel præsumat, &c.*

Damnatus hic liber Bruxellis recusus anno 1675. Typis *Henrici Eugenij Fricx*, Lovanij versatur in manibus passim. Neque fieri potest vt id ignorent Collegiorum præsides, cum sit notorium Lovanij habitantibus.

835 *Quarto.* Anno 1657. die 6. Septembris *Alexander VII.* Pontifex Romanus proscripsit *Ludovici Montalti litteras Provinciales.* Decretum illud *Alexandri VII.* solemniter publicavit in sua Diœcesi, in qua situm est Lovanium, Illust. Archiepiscopus Mechlinienſis *Andræas Creusen* die 24. Octobris 1657. Immo decretum idem Rector, & Vniversitas Lovanienſis publicari mandavit die 27. Octobris 1657.

Interea hoc tempore litteræ illæ erroribus scatentes Iansenianis, & quidem cum notis *VVillelmij VVendrochij* quibus illæ illustrantur, & acriter defenduntur, Lovanij manibus omnium passim teruntur, tanquam liber vtilissimus: vsque adeo vt, cum die 30. Aprilis 1675. *S. T.* Professor *Reynerus Pax* Ordinis *S. Francisci* Theses ad disputationē proposuisset, in quibus verbo præstringebatur liber ille, numero per magno confluxerint Academici omnis generis, tam disputaturi, & vindicaturi librum, quam audituri, & aclamaturi in favorem libri, vti reipsa factum est mirabili strepitu. Liber ostēbatur palam: è turba æquè ac ex subsellijs vociferatio edebatur, &c.

836 *Quinto.* Ne Romæ quidem putamus inauditum esse de libellis infamibus, & virulentis, qui in Belgio prodierunt tam multi proximè superibus annis contra honorē bonorum Virorum, ac præcipuè Religiosorum, contra instituta ipsa ordinum mendicantium tam amplè confirmata à Sede Apostolica, retractis in lucem pudendis opusculis *Guillelmi à S. Amore*, quem pridem debellatum ab *Angelico & Seraphico* Doctoribus *Alexãder IV.* Summus Pontifex ad Doctores Parisienses scribens reprobavit, vt *ponentem os in cœlũ contra Sedis Apostolicæ potestatem... contra statum, & profectum Religiosorum Virorum.... reprobè dogmatizantem, & quantum in ipso fuit disseminantem in Ecclesia vnitatis nefandi schismatis pestem, &c.*

837 Vbicumque verò, & quibuscumque Auctoribus impressi sint libelli illi, hoc certum est, nusquam alibi in Belgio, quam Lovanij avidius esse distractos, & lectos. Vsque adeo, vt anno 1675. Regium Concilium Brabantiæ socordiam animadvertens eorum, qui Academiam Lovanienſem regunt, putaverit ad suum munus pertinere, tantis scandalis remedium adhibere, ablegato Lovanium Procura-

curatore Generali cum mandato inquirendi authores, impressores, venditoresque dictorū librorum: vti reipsa inquisivit, frustra contestantibus Academicis sua privilegia.

Pridem ante authoritate eiusdem Concilij sequestrata erant apud Lovanienſem Prætorem exemplaria *Ritualis Aletani* damnati libri à Sede Apostolica, recusa Lovanij in officina *Adriani de VVite*, vt suprà expossui.

At verò inquisitionem suam peragente Procuratore Generali Concilij Bravantiæ, cōpertum est, per fraudem esse sublata exemplaria Prætori, & trasiata ad Collegium Bajanum, cuius est præses, eratque illo tempore *Ioannes Recht* Theologicæ Facultatis Doctor. Hinc ergo cum illa vindicare, atque auferre moliretur dictus Procurator Generalis, graviter periclitatus est, concurrentibus magno clamore Collegij alumnis; vt necesse habuerit inclamare opem, & denique re tunc infecta abire, & expectare tenebras, vt magis opportunas isti executioni.

Facta alia atque alia sunt in promptu comprobantia doctrinam Lovanienſium Academicorum de observantia debita Sedi Apostolicæ. Sed hæc sufficiant pro specimine.

§. LXIV.

Ostenditur secundo, non esse tam exactam obedientiam Lovanienſium, ac prædicat Anonymus, ex eo quod Gummarus Huygens celebris Doctor Lovanienſis nunc defendit tertiam propositionem Ianſenij, contra Religiosam observantiam debitam Constitutionibus Innocentij X. & Alexandri VII. quam Academici Lovanienſes iurant.

838 DE Gerardo vanViane iam mentionem feci supra pag. 254. num. 720. hic author in suo opusculo, cui titulus, *Doctrina noVa, ac mira de libertate Eximij Dom. Gummari Huygens*, clare ostendit, *Gummarum*, qui nunc in Academia Lovanienſi est magni nominis Doctor; & simul cum Francisco vanViane Ianſenianæ factionis censetur caput, Doctrinam Ianſenij de libertate, & gratia ab Ecclesia damnatā reipsa tradere. Idque etiam aperte probat Vlicus Ionſon in opusculo suo, *cui tutulus, Doctrina mira ac noVa circa Varias materias*, excusso Coloniæ anno 1682. in cuius epilogo pag. 159. alloquens Franciſcum vanViane, & Gummarum Huygens, inquit: *Non ignoratis, quid Fama ferat de Vobis in Belgio, videlicet doctrinam Vestram esse ipſiſsimam doctrinam Baij ac Ianſenij*, quam semel, iterū, *atque ſæpius damnaVit Apoſtolica Sedes omnis Veritatis Magiſtra: eſtque fama hæc tam conſtans, tam aſsidua, Vt perſuadeat multis. Ego tamen famæ aſſentiri nunquam Volui, priuſquam certiſsimis argumentis confirmaretur: conſideraVi ergo attentè doctrinam, primò Baij, deinde Ianſenij, tum Veſtram; ſtudioſe examinaVi ſingulas, & Vt candidè eloquar, quod ſentio, non Videtur mihi oVum oVo eſſe magis ſimile, quam ſit doctrina Veſtra ſimilis doctrinæ Baij ac Ianſenij.* Hucusque Vlicus Ionſon, cuius iudicium veriſsimum esse deprehendet quicumque attentè legerit hoc eius opusculum, & aliud de ignorantia, quod eodem anno in lucem edidit; item opusculum nuper citatum Gerardi vanViane: nec non ſpecimina Theologiæ per Belgium manantis ex Academia Lovanienſi, in quibus paſsim citantur assertiones Franciſci vanViane & Gummari Huygens circa quinque propoſitiones Ianſenij, & conferuntur cum doctrina eiusdem Ianſenij & mihi eas attentè conſideranti compertum est, hos Doctores nunc cum Ianſenio defendere, *admerendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem à neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione*; Item *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti*: & in eo ſenſu defendere, in quo damnatæ sunt ab Innocentio X. & Alexandro VII. quamvis fucum faciant, & perſuadere velint imperitis, se cum Ianſenio non convenire. Vnde ego non capio, quo pacto illi obediant conſtitutionibus vtriusque, cuius *obſerVantiam* ſancte iuraruntur, cum promoti sunt ad gradus Academicos; si verum est quod Anonymus Lovanienſis in suo tractatu contra Declaeationem Cleri Gallicani pag. 91. vt insignem Academiæ Lovanienſis laudē deprædicat, vt vidimus nuper num. 827. nimirum neminem Candidatorum admitti ad gradus, nisi præstito iuramento de obſervandis conſtitutionibus Innocentij X. & Alexandri VII.

839 Vt autem conſtet verum esse hoc noſtrum iudicium, hic afferam aliqua ex his, quæ Gerardus vanViane in illo suo opusculo contra Gummarum disputat. Igitur, vt vidimus supra pag. 246. num. 695. Gummarus Huygens, vt defendat libertatem indifferentiæ neceſſariam non esse ad merendum, & demetendum in ſtatu naturę lapſæ, intrepidè negat communem illam definitionem libertatis ab omnibus Theologis, Scholaſticis, & Patribus admiſſam, iuxta quam *potentia libera eſt illa, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, & non agere.*

Nam

Nam in Dictatis publicis observ. 2. ita ait: *Intrepide negamus illã definitionẽ*; alia adiungens, quæ eo n. 695. transcripsimus, fontẽ aperientes, vnde eam hausit, nempe ex Iansen. l. 8. de Grat. Salvat. c. 9. col. 866. qui ait, definitionem istam liberi arbitrij, seu potentiæ liberæ *Augustino, discipulis, & posteris eius ad multa sæcula fuisse ignotissimam.* Sed apertissime deceptus est Iansenius, & cum eo Gummarus, quia evidentissimum est, D. Augustinum agnovisse libertatem indifferentiæ in hoc statu naturæ lapsæ, & tãquam quid per se notum supposuisse, eam esse necessariam in omni statu ad peccandum; vt demonstravi supra disp. 4. sect. 3. à pag. 59. Idque ipsum docuere cæteri Patres; cõstatque manifeste ex Scripturis, & Concilijs, & rationibus; vt probat omnes Theologi tam Thomistæ, quam Scotistæ, Nominales, & Iesuitæ; vt post Ripaldam, Antonium Moraynes, Dionysium Petavium, Anatum, & Stephanum Dechams scribentes contra Iansenium; aperte demonstrat Gerardus van Viane in eo opusculo.

840 Et quia Gummarus loco vbi nuper citato post verba ex ipso relata pa. 246. n. 695. addit: *Quoad authoritatem attinet non scimus pro ea* (definitione potentiæ liberæ) *allegari hactenus, vel vnum Ecclesiæ Concilii vel vllius Pontificis decretum, aut vnius ex Sanctis Patribus Sententiam.* Et quia idem Gummarus in Comp. Theolog. pag. 12. addit: *Definitio illa libertatis, potestas ad agendũ, & non agendũ positis omnibus ad agendum prærequisitis, non fuit nota Aristoteli, & cũ etiam SS. August. & Thom. ignota, modo nõ est necessaria Theologiæ.* Quia, inquã, Gum. hæc dixit; ideirco Gerardus van Viane in illo opusculo, postquã §. 1. aperuit fontem, ex quo Gumm. illam doctrinã hausit, nempe *August. Cornelij Iansenij*; & postquam §. 2. ostendit, ideo Gummaro displicuisse illã definitionem, quia cum illa non cõponitur assertio illa Gũmari: *Amor beatificus magis est liber à necessitate, quã vlla actio naturæ lapsæ hominis in statu innocentiæ, aut Angelorũ*, quam ex ipso exscribit Gerar. van Viane §. 13. pag. 97. illius opusculi, & illa alia: *Nulla actio hominis in statu naturæ lapsæ ita est in nostra potestate, quam amor beatificus*; quam ex eodem exscribit idem Gerardus §. 12. pag. 93. & quia semel stabilita illa definitione defendere non poterat cum Iansenio gratiã efficacẽ consistere in delectatione victrice cõstituente potẽtiam essentialiter connexã cum operatione, & incompossibilem cum sufficiẽtia ad oppositũ, qualem ex Iansenio expressimus pag. 244. n. 690. postquã hoc ostendit, postea evidenter probat Gerardus, illã definitionem libertatis, notam fuisse Aristotelis S. Thom. & S. Augustº & sæpe ab ipsis traditã. Deinde illam probat ex Scriptura, ex Concilijs, ex Romanis Pontificibus, ex communi consensu Patrũ, ex Theologis antiquis, & ex Doctoribus Lovaniẽsibus. Deinde evincit, illam definitionem libertatis nihil propendere in Pelagianorum & Semipelagianorũ errores, solidissime confutans illud Gũmari dictum, *illa definitio libertatis*; potestas ad agendum & non agendum &c. *nimiũ propendet in Pelagianorum & Semipelagianorum errores*, & postea §. 9. à pag. 66. expẽdit illud Gummarianum: *Definitio illa libertatis: potestas ad agendum & non agendum & modo non est necessaria.*

841 Nos autem solidissimum & lepidissimũ discursum Gerardi van Viané hic appendemus; vt constet, nunc in Belgio defendi doctrinã Iansenij de libertate damnatã ab Ecclesia, varijs quæsitis fucis, & coloribus ad illã dissimulandam supervacaneum hoc foret, si in Belgio scriberem, vel vbi frequens esset illius opusculi vsus; sed quia in Hispania opusculum illud, & opuscula Vlici Ionson, à paucissimis leruntur; ideo horum Authorum verba exhibebo in gratiam Lectorum, vt Hispanis nostris Theologis constet, quam perversis dogmatibus inficiatur Lovaniensis Academia. Quia forsam aliqui hæc legentes remedium huic malo procurabunt.

§. LXV.

Cur Gummarus Huygens dicat, illam definitionem libertatis: Potestas ad agendum & non agendum, positis omnibus ad agendum prærequisitis: *modò non esse necessariam Theologiæ. Vbi ostenditur hunc Doctorem nunc defendere secundam propositionem Iansenij damnatam ab Ecclesia, contra iuramentum præstitum in susceptione Gradus.*

842 ITA Censet Gummar. in Comp. Theologiæ pag. 12. Quisquis compendium „ concinat (inquit laudatus Gerard.) „ non solet vti verbis otiosis: otiosũ ergo non „ est istud *modo, modo*, inquit, *non est necessaria Theologiæ*. Quorsũ tam studiose adiũgit hanc particulã *modo*, id est, hoc tempore? Opinor Exim. Virum pro candore suo diffiteri noluisse communẽ illam definitionẽ libertatis omnibus retro temporibus maxime fuisse Theologiæ necessariã, sed *modo* hoc tempore, quo plurimum cœpit invalescere Theologia Ianseniana, *non est necessaria Theologiæ*. Ante hæc tẽpora S. T. Professores solebant com-

munem illam libertatis notionem ſuorũ diſcipulorum animis imprimere, inculcare, explanare, nonnulli etiam hanc libertatis definitionem vbique receptiſsimam negare nõ auſi, ſubſidium illi accerſebant à ſenſu diviſo, & compoſito: at vero *modo* hoc tempore rotũdè pronuntiat Exim. Gum. *Definitio illa libertatis: poteſtas ad agendum & non agendum, non eſt neceſſaria Theologiæ.* Si definitionẽ illã objicias, *intrepidè*, inquis, *negamus illã.* Qui ſic? *Quia non adeo bene*, inquit in dictatis publicis, *de Theologia merita eſt, vt eam vel explicare teneamur.... non meretur tantillum operæ.... non meretur etiam ſubſidium ſenſus compoſiti, & diuiſi.* Væh implacabilem odium in definitionem certè innocuam!

843 Definitio illa libertatis eſt tanquã lapis aliquis Lydius, quo faciliimè exploramus, vtrum doctrina aliqua libertatis ſit everſiva, exempli cauſa: ſtatuebat Ianſenius l. 4. de Grat. Chriſti c. 4. col. 406. *Quandiu in hac vita mortali viuimus, eſſe in homine luctam quandã duarum delectationũ, noxæ, & beneficæ, terrenæ, atque cœleſtis; quarũ vtralibet vicerit, animũ ſecum conſentientẽ, ac pronum trahit*, & quidẽ infallibiliter: rationem reddit c. 6. col. 412. *Quod enim amplius delectaverit, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Delectationes autẽ iſtæ, quarũ luctam perpetuam in anima conſiderat, ponit actus quoſdam voluntatis indeliberatos, ac proinde minimè liberos: ſi delectatio cœleſtis ſit victrix, ſive maior delectatione terrena, ait voluntatẽ benè operari infallibiliter, ita vt non poſsit non operari bene; ſi vero delectatio terrena ſuperet cœleſtẽ, ait voluntatẽ infallibiliter operari male, ita vt non poſsit non male operari. Hæc eſt doctrina Ianſenij compẽdio exhibita. Si velim explorare, an in hac ſententia voluntas operetur libere, quando operatur ſeu bene ſeu male, aſſumo communem libertatis definitionem velut Lydium quendã lapidem, & hæc mecum verba facio: in hac ſententia vnum è prærequiſitis ad bene operandum eſt victrix delectatio cœleſtis; poſita cœleſti delectatione victrici voluntas infallibiliter operatur bene, & quandiu manet hæc delectatio victrix non poſsit non operari bene; contra poſita ac manẽte victrice delectatione terrena voluntas infallibiliter operatur male, ita vt non poſsit nõ operari male: concludo: ergo voluntas in hac ſententia non operatur libere ea libertate qua opus eſt ad actus humanos, quibus meremur, aut demeremur: nam hæc libertas definitur: poteſtas ad agẽdum & non agendũ poſitis omnibus ad agendũ prærequiſitis: vt ergo voluntas in hac ſententia operaretur libere, deberet poſitis omnibus ad operandũ prærequiſitis, ac proinde poſita victrici delectatione cœleſti, poſſe non operari bene, poſita victrici delectatione terrena non operari male. Viden Exim. Gumm. quam cõmode per definitionem hanc libertatis velut Lydiũ lapidem Diſcipuli tui poſſent deprehendere, quod doctrina Ianſenij libertati ſit inimica? Et tu definitionem illam tantopere contemnis, tantopere averſaris?

844 Eiuſdem definitionis beneficio Nemeſius c. 35. everſæ libertatis arguit Stoicos, quia ex ipſorũ delirijs ſequebatur hominẽ non habere indifferentem ad agendum & non agendũ arbitrij facultatem, ſed ad vnã partem fatali neceſsitate adſtringi: *Si enim iiſdẽ cauſis impoſitis*, inquit, *vt aiunt ipſi, omnino neceſſe eſt eadem fieri: nec fieri poteſt, vt aliquando ſic, aliquando aliter eveniat, quod illa ex æterno tẽpore præfixa ſtatutaque ſint; neceſſe eſt & animalis appetitũ omnimodo & ex omni parte iiſdem cauſis poſitis ita fieri. Quod ſi vero etiã appetitus neceſſario conſequitur, vbi relinquitur quod in noſtra poteſtate eſt? Debet enim eſſe liberum, eſſet autem liberum ſi iiſdẽ poſitis cauſis in nobis eſſet aliquãdo appetere, aliquando refugere.*

845 Audin Vir Eximie vnde colligat Nemeſius, ex Stoicorũ delirijs ſequi nihil relinqui in poteſtate noſtra, ſive nihil eſſe liberum, quia iiſdem poſitis cauſis, in nobis non eſt aliquando appetere, aliquando refugere: *Eſſet autem liberũ*, inquit, *ſi iiſdem poſitis cauſis, in nobis eſſet aliquando appetere, aliquando refugere.* Quid hoc eſt aliud, quam eſſet nobis liberũ, ſi poſitis iiſdem cauſis, ſeu ad agendum prærequiſitis, poſſemus agere & nõ agere? Agnoſcit, opinor, definitionem illam libertatis à qua tam vehementer abhorres, & palam profiteri non es veritus in Dictatis: Definitio illa non *adeo bene de Theologia merita eſt, vt eam vel explicare teneamur.... non meretur tantillũ operæ.* Et in Comp. tuo pag. 12. *Definitio illa modo non eſt neceſſaria Theol.*

846 Exim. Gumm. in Comp. ſtuduiſti eſſe compendioſus; limites tamen Compendij non exceſsiſſes addendo particulã vnam, nimirum tò *hic*: concipere potuiſſes propoſitionẽ tuã hoc modo: *Definitio illa libertatis, &c. modo hic*, id eſt Lovanij, in Hallis, in Schola Facultatis Theolog. *non eſt neceſſaria Theologiæ*; nam alibi vbivis terrarum definitio illa libertatis eſt recepta etiam hoc tẽpore, vbique cenſetur Theologiæ neceſſaria. Appello Academias orbis vniverſi; immo neſcio an in Facultate ipſa Theol. Lovanij inveniendus ſit alter, qui definitionem illam tam intrepide reijciat præter te; & Eximium fortè *D. Franciſcum Van Viane*, quem in omnibus preſſo ſemper ſequeris veſtigio.

Quam-

847 Quam est dolendum Eximie Gũmare quod Ecclesia te non habuerit Doctorem ante annos centũ & amplius: profecto Ioannes Calvinus nunquã humanum negasset arbitriũ: non enim alia de causa libertatẽ in hoc statu naturæ lapsæ negavit, quã quia certo sibi persuadebat cum Theologis omnibus, libertatem sitam esse in potestate ad agendũ, & non agẽdum. Audi Calvinum in Antid. Concil. Trid. ad Can. 5. sess. 6. *De Verbo ne moveamus rixam: si quia per liberũ arbitriũ intelligũt* (Trident. Patres) *eligendi facultatem, quæ sit in Virumque partem libera & soluta, titulũ sine re esse qui affirmant, Christum habent authorem.* Macte animis Calvini soboles: Tridentini quidẽ PP. per liberum arbitriũ intelligebant *eligendi facultatẽ, quæ sit in Virũque partem libera & soluta*: sed tẽpora sunt mutata; Gummarus post Iansenium intrepide negat definitionem illam; negat *modo* necessariam esse Theologiæ, liberum ergo admitte arbitrium, admisisset certissime Calvinus, si in hæc tẽpora incidisset, si audivisset Exim. Gum. qui intrepide negat definitionẽ illam, quã solã avertebatur Calvinus: sic enim loquitur l. 2. inst. c. 2. §. 6. *Liberi arbitrij hoc modo dicitur homo; non quia liberã habeat boni æquè ac mali electionẽ, sed quia male Voluntate agit non coactione.* Rursus lib. 3. in Pigh. pag. 163. *Semper testatus sum me de nomine pugnare nolle, si hoc semel constitueretur, libertatem non ad facultatẽ boni æquè ac mali eligẽdi, sed ad spontaneum motum, & consensum referri debere.* Et pag. 166. *Semper me dixisse testis est mea institutio, per me non stare quin liberum hominis arbitrium Vocetur, modo sana Verbi definitio nobis constet.*

848 Omittendum non est quod habet Calvin. l. 2. inst. c. 2. n. 7. *Censeo cavendas eas Voces quæ absurdũ aliquid sonãt, præsertim Vbi perniciose erratur, quotus autem, quæso quisque est, qui dum assignari homini liberũ arbitriũ audit, non statim concipit illũ esse mentis suæ & Voluntatis Dominũ, quæ flectere se in Vtrumvis partem à seipso possit?* Mentem suam clarissime exponit ibidem n. 3. *Hoc tamen extra controversiam ponunt, Virtutes & Vitia esse in nostra potestate, nã si nostræ, inquiunt, electionis est, hoc Vel illud agere, ergo & non agere. Rursum si non agere, ergo & agere: libera autem electione agere Videmur quæ agimus, & ab eis abstinere quibus abjiciemus: ergo si quid boni agimus, possumus id omittere: si quid mali perpetramus, possumus id quoque refugere.*

Viden Eximie Gum. quam nullo negotio Calvinus adduci potuerit, vt liberũ admitteret arbitrium? Tantummodo debuissent Trident. PP. negare definitionẽ illam libertatis, quam tu intrepidè negas; fateri tantũ debuissent definitionẽ illam non esse necessariã Theologiæ, quod tu palã profiteris Lovanii, pax illico fuisset summa Calviniũ inter & Ecclesiam, pacem hæreticam non amabant PP. Trident. veritatis Orthodoxæ, quam impie pacis amantiores, si viguisset tum temporis qui viget hodie, pacis illius fuisset proxeneta per commodus, vnus mediator Calvini & Ecclesiæ Exim. Gumm.

§. LXVI.

Quam ob causam Exim. Gumm. tantopere averserur Vulgatam libertatis definitionem.

849 EXIMIVS Gum. communẽ libertatis definitionem negat Theologiæ esse necessariam? (pergit Gerardus) Quia, inquit, non fuit nota Aristoteli, & S. Augustino, ac S. Tho. At vero supra ostendi fuisse notã & Aristoteli, & S. Augustino, & D. Thomæ; nullo ergo fundamento nititur Vir Exim.

850 Vehementer ego suspicor longè aliã fuisse causam Exim. D. negandi definitionẽ Theologiæ esse necessariã, illam ipsam videlicet propter quã Iansenius eandẽ definitionem tãtopere aversabatur, quia videbat libertatẽ ita definitione explicatã non cõsistere cũ illa gratia, quã solam cum Iãsenio admittit in statu hoc naturæ lapsę; hac de causa suspicor negasse definitionẽ illã Theologiæ esse necessariam, nec fundamento existimo carere hanc meam suspicionẽ; etenim postquã Exim. D. in suo Comp. pag. 12. dixisset: *Definitio illa libertatis, &c. modo non est necessaria Theologiæ*, ita mox prosequitur: *Ridiculum proinde est propter illã negare quod gratia huius status Vltra posse det ipsum Velle.* Si Exim. D. sine fuco, admitteret in hoc statu cum Catholicis omnibus, contra Calviniũ, & Iansenĩ gratiã, quã recipiens homo potest abijcere, cui potest dissentire voluntas si velit, cui resistitur aliquando, quæ relinquit voluntati potestatem ad agendũ, & non agendũ, ad volendũ, & non volendum, quæ aliquando dat velle prout voluntas pro bene placito suo aliquãdo cum gratia vult, aliquando cum simili gratia non vult, qua denique ita dat ipsum velle, vt voluntas cum eadem gratia considerata in actu primo possit non velle; si inquam, Eximius Gummarus eiusmodi gratiã admitteret sine fuco, non esset cur vereretur, ne propter definitionem illam libertatis negaretur, *quod gratia huius status Vltra posse det ipsum Velle.* Catholici omnes definitionem illam amplectuntur, non tamen propter illam negant, quod gratia huius status vltra posse sæpissime det ipsum velle, sic tamen vt cum eadem illa gra-

tia potuerit voluntas non velle, negant tamen idem Catholici, quod gratia huius ſtatus vltra poſſe ſemper det ipſum velle: horrent enim Hæreticam hanc in ſenſu Ianſenij propoſitionem: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, quando autem gratiæ reſiſtitur, tum non dat ipſum velle, datura tamen niſi voluntas pervicacia ſua reſtitiſſet. Videor hic audire muſitantem Eximium Gummarum, quod & ipſe admittat gratiæ quodámodo reſiſti, non tãtum aliquando, ſed ſemper. Capio quid velis Vir Eximie, video duo pertinentia, quæ valde impertinenter poſuiſti ad primam ſecundæ in Compendio ante pag. 29. alterũ ordine quintum ita ſonat: *Pone non dari impetum ſine motu, an idcirco corpus graue nulli impetui reſiſtit? qua igitur ratiocinij ſpecie negatur reſiſti gratiæ, etſi ſinguli huius gradus ſemper in nobis obtineant id quod per illos vult Deus?* Alterum ordine ſextum ſic eſt conceptum: *Facilius oſtẽdero quod natura corrupta ſemper gratiæ efficaci quodammodo reſiſtit, quam quod nunquam.*

851 Hæc ego pertinentia conſiderans cogor credere Exim. Gummarum floci facere Alexand. VII. Conſtitutionem: *Ad Sacram*, condemnãtis quinque propoſitiones, no tantũ vt iacẽt, ſed *in ſenſu à Cornel. Ianſen. intẽto*: iuravit tamen *Religioſam Obſervantiã* prædictæ cõſtitutionis: nam Alma Facultas Theologiæ Lovaniẽſis litteris 20. Martij an. 1660. datis ad Alexandr. VII. declaravit ſe quinque propoſitiones tam in conſtitutione Innoc. X. *Cum occaſione*, quam in conſtitutione Alex. VII. *Ad Sacram* damnatas, tantopere deteſtari, vt neminem admittere ad gradus Academicos velit, *niſi prius Religioſã Obſervantiã prædictarũ conſtitutionũ promittat & iuret*. Quæ animi conſtitutionũ Apoſtolicarum obſervãtiſſimi ſignificatio vſque adeo placuit Alex. VII. vt 7. Auguſt. eiuſdem anni reſponſorias miſerit hoc tenore: *Dilecti filij ſalutem & Apoſtolicã benedictionẽ: litteras veſtras 20. Martij datas accepimus, & in eo ſanè, quod quinque propoſitiones illas tam in cõſtitutione Fel. Rec. Innoc. X. prædeceſſoris noſtri, quam in alia noſtra poſtea damnatas tantopere deteſtimini, vt neminẽ admittere ad gradus Academicos velitis, niſi prius Religioſam Obſervantiã prædictarũ conſtitutionum promittat & iuret, obedientiã & zelũ veſtrũ vnicè cõmendamus, atque adeo ſperamus, vos nedum egregiè id, præſtãterque impleturos, verũ etiam omnibus in hãc Sanctam Sedem obſervantiæ, & obedientiæ documentis effecturos, vt omniũ rerũ præteritarũ ex hominũ animis evulſa & penitus abolita memoria, priſtinũ decus exiſtimationi & laudi antiquæ reſtituatur. Ad hanc igitur ſalutaris obſequij gloriam vere, conſtanterque promerendam, quam vis vti credimus, eximie currentes, vos dilecti filij etiam atque etiam, quantum poſſumus hortamur in Domino, &c.*

852 Poſt illas litteras datas, & acceptas Facultas Theologica ad ſupremũ gradum Academicũ admiſit R. A. D. Gummarũ Huygens, fecitque Exim. promiſit ergo hic, & iuravit Religioſam Obſervantiã Conſtitutionũ, tam Innoc. X. quam Alex. VII. Hæreſeos damnantiũ quinque propoſitiones *in ſenſu à Cornelio Ianſen. intento*. Spero non iuraſſe ſine animo iurandi: iuravit ergo, animo ſincero, vt decet hominẽ frugi ac ſincerum; iuravit ergo animo ſincero *Religioſã Obſervantiã* Conſtitutionis Alex. *Ad Sacram* qua contra *aliquos publicæ trãquilitatis perturbatores & nonnullos iniquitatis filios* definivit, & declaravit *quinque propoſitiones ex libro Cornelij Ianſen. Epiſc. Iprenſis, cui titulus eſt Auguſt. excerptas, ac in ſenſu ab eodẽ Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe*. Inter quinque autem illas propoſitiones Hæreſeos damnatas, ſecunda ita ſonat: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Animo igitur ſincero iuravit Religioſam Obſervantiã illius cõſtitutionis, qua ſecunda hæc propoſitio definitur excerpta eſſe ex libro Cornelij Ianſen. cui titulus eſt *Auguſt.* & damnata *in ſenſu ab eodẽ Cornel. Ianſen. intento*, mandaturque *omnibus Chriſti fidelibus*, ac proinde Eximio etiam Gummaro, *ne prædictam doctrinã teneant, prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur publicè vel priuatim, palam vel occultè, imprimantve ſub pœnis & cenſuris contra Hæreticos in iure expreſsis ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis.*

853 Eximie D. ac M. toties laudatæ Conſtitutionis obſervantiã iuraſti religioſam, animo, vt confido, ſincero; ſi nolis eſſe periurus, non potes *publicè vel priuatim palã vel occulte* docere, quod interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtatur eo ſenſu, quo reſiſti nunquam docuit Ianſenius; fatendũ eſt igitur interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ reſiſti aliquando eo ſenſu, quo id negavit Ianſenius: videamus itaque quo id ſenſu negaverit Ianſenius, plurimum namque intereſt hoc non ignorare, ne incauti idẽ doceamus quod Ianſenius. Nolo, inquies, indagare ſenſũ Ianſenij, nec debeo: ita te reſpondiſſe ſcio, ſi neges, probabo. Scio etiã & probabo Vacantiarum quendã Priorẽ, vt vocant, cum interrogaretur an in Schola Facultatis Theologiæ vnquam

pro-

proponeretur hoc vel simile argumentum: hæc vel illa propositio dãnata est in sensu Iansenij, atqui sensus Iansenij est talis, ergo &c. respõdisse, huiusmodi argumentantem risu excipiendum, de sensu Iansenij altum istic esse silẽtium: cumque interrogaretur vlterius, si quis vrgeretur in materia de libertate, aut resistentia gratiæ per sensum Iansenij, qua ratione se expediret, respondisse, recurreret ad quæstionem facti in qua falli possit Christi Vicarius. Decantata pridem hæc est responsio Lovanij: immo assertio de infallibilitate Romani Pontificis, inquit Vindex Anonymus Instructionis ad Propos. 15. cap. 3. *In iudicando, aut definiendo sensu, libro Catholico, vel Hæretico, vix sibilo meretur excipi.* Hinc parum aut nihil Lovanij sunt soliciti, quis sit sensus Iansenij: quinimo *disputatur in hodiernum diem, an Doctrina Iansenij illis propositionibus comprehendatur.* Ita Ioannes Lucas Veronensis S. Theolog. Baccalaureus Lovanij in Strena veritatis anno 1680. pag. 49. iurant tamen Lovanij observantiam Constitutionis Alexandri VII. *Ad Sacram*, in qua Authoritate Apostolica declaratur, ac definitur *quinque propositiones ex libro Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodẽ Cornelio Iansenio intento damnatas fuisse.* Constitutione illa Apostolica ne quidquã obstante disputatur, &c. *Si reponat quispiã*, inquit idem Baccalaur. Lov. *id immerito disputari, scitur quid passim ad hoc respõdeatur*, illã scilicet esse quæstionẽ facti, in qua errare possit, & erraverit Pontifex. Huiusmodi responsum non expecto ab Eximio Gũmaro, hoc tempore dissuadebunt confederati Socij, tẽpus hoc postulat, ne nimis aperte proculcent Authoritatem Apostolicã, tempus postulat, vt fucata tãtisper observantia Sedem Apostolicam demulceant. Sed apage fucum; Sedes Apostolica, quæ spiritu Dei regitur, fucata observantia non demulcetur: fucum suo tempore dissipabit spiritus veritatis, ne sic quidem portæ inferri prævalebunt; à sæculis nota est Hæreticorum hæc machina, sed in casum cecidit, cadetque semper.

854 Eximie Gummare iurasti non semel observantiam Constitutionis Alexandri VII. Hæresos damnantis propositiones quinque in sensu Iansenij; iurasti ergo nunquam te docturũ publicè vel occultè propositionem illã ex quinque eo sensu quo eam docuit Iansenius in suo Pseudo Augustino; scire ergo te oportet sensum Iansenij quando tractas materiam aliquã ad illas propositiones pertinentẽ; tractas autem materiam de libertate, de resistẽtia gratiæ, ni scias sensum Iansenij, qui illum cavebis, quomodo scies quis sit ille sensus, si non inquiras? Cur ergo indagare non vis sensum Iansenij, si ab illo vis esse alienus, si illũ cavendi sincerus tibi sit animus? Mihi res hæc videtur suspicioni obnoxia. Agis de resistentia gratiæ, cavent Pontifices *sub pœnis & censuris cõtra Hæreticos in iure expressis, ipso facto absque alia declaratione incurrẽdis*, ne quis neget resisti aliquando gratiæ eo sensu, quo id negavit Iansenius, nolo, inquis, indagare sensũ Iãsenij, nec debeo: resistit gratiæ professus sum in Compendio: *Imo facilius ostendero quod natura corrupta semper gratiæ efficaci quodammodo resistit, quã quod nunquã.* Nimium professus es in Cõpendio, Exim. Gummare: vt profitearis quod *semper* resistatur gratiæ, & quidem efficaci non postulat Constitutionum Apostolicarũ religiosa observãtia, quã iurasti, postulat vt sine fuco fatearis gratiæ resisti aliquando eo sensu, quo id negavit Iansenius. Tu dicis gratiæ resisti, sed quo sensu? Sicut *corpus grave*, inquis, *resistit impetui* etiam posito quod impetus non detur sine motu. Illone sensu resisti gratiæ negavit vnquam Iãsenius? Resistentia quam cogitas, vir Eximie, in eo, quantum intelligo, est sita, quod sicut corpus grave per innatam sibi gravitatem nititur deorsum, licet per impetum moveatur sursum, ita voluntas per naturam corruptam, per concupiscentiam, per delectationem noxiam ac terrenam inclinetur deorsum ad res terrenas, licet per gratiam cœlestem efficaciter feratur sursum ad res divinas, ipsumque Deum, ita vt semper in nobis obtineat id quod per illam vult Deus; sed huiusmodi resistentiam nunquam, & nuspiam negavit Iansenius. Immo verò libr. 4. de Gratia Christi cap. 4. column. 406. conceptis verbis docet: *Quandiu in hac vita morali viuimus, esse in homine luctam quandam duarum delectationum, noxæ & beneficæ, terrenæ, atque Cœlestis, quarum vtralibet vicerit, animum secum consentientem, ac pronum trahit.* En resistentiam quam statuis inter gratiam efficacem, & naturam corruptam: delectatio noxia, & terrena pertinet ad naturam corruptam, delectatio benefica, & cœlestis ad gratiam, inter vtranque statuit luctam, sive resistentiam perpetuam Iansenius: nondum ergo dissentis à Iansenio, non dum agnoscis gratiæ interiori in statu naturæ laplæ aliquando resisti eo sensu, quo id negavit Iansenius. Resisti vnquam gratiæ hoc sensu negavit Iansenius, quod voluntatis pervicacia fiat aliquando, vt non sequatur ille effectus ad quem gratia à Deo datur; paucis ac nitide mentem suam explicuit lib. 3. de *Gratia Christi* cap. 4. column. 263. his verbis: *Hinc vlterius docet* (Augustinus)

ſtinus) *nullam Chriſti gratiã effectu operis ad quem efficiendum voluntati datur, vlla voluntatis pervicacia fruſtrari.* Hoc ſenſu reſiſti gratiæ, non ſemper, ſed aliquando, quod negavit Ianſenius, tu fatere candidè ac ſine fuco, noli poſt hac dicere quod *ſinguli gradus gratiæ ſemper in nobis obtineant id, quod per illos vult Deus*, prout loqueris in Compendio verbis fere deſumptis ex Ianſenio, qui libr. 2. de Gratia Chriſti cap. 27. monet ne quis *falſum putet gratiam in eo, cui datur, ſemper operari effectum, ob quem datur.* Apage fucum omnem, profitere palam ac apertè, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ reſiſti aliquando illo ipſo ſenſu, quo id negavit Ianſenius, non erubeſce Conſtitutionem Alexandri VII. cuius obſervantiam promiſiſti religioſam, teſtem appellans ipſum Deum, qui ſcrutatur corda & renes, cuius obtutum nulli offuſcant fuci; fatere ergo clare, voluntatis pervicacia fieri quandoque, vt gratia, in eo, cui datur, non operetur illum effectum, ob quem datur.

855 Non ſatisfacies ergo religioſæ obſervantiæ, quam debes Conſtitutioni Alexandri VII. quãque promiſiſti, ac iuraſti, ſi dicas cum Exim. D. *Frãciſco vanViane* in Dictatis de gratia c. 10. *Eſt quidem hæc quarta gratia* (ſcilicet perſeverãtię, quę propria eſt electorũ) *plene victrix, non tamẽ ſine pugna, ſine reſiſtẽtia vincit, & potuit hæc eſſe quoque alia ratio condemnationis ſecundi articuli: interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Hoc ſenſu reſiſti gratię nuſpiam negavit lãſenius, in cuius ſenſu articulus iſte dãnatus eſt: reſiſtentiã illam ſive luctam agnovit Ianſen. l. 4. de Grat. Chriſt. c. 4. col. 406. *Creberrime*, inquit, *docet Auguſtin. quandiu in hac vita mortali vivimus, eſſe in homine luctã quandam duarũ delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cœleſtis, quarum vtralibet vicerit, animum ſecum conſentientem, ac pronum trahit.*

856 Nihilo magis ſatisfacies religioſæ obſervantiæ, quã debes Conſtitutioni Alexandri VII. ſi dicas cum eodẽ Exim. D. *Franciſco vanViane* in Dictatis de grat. cap. 10. propoſitionẽ hanc: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquã reſiſtitur* damnatã eſſe ab Innocent. X. (miror nuſpiam addi, & ab Alex. VII. & quidem in ſenſu à Cornelio Ianſenio intento) quia homo gratiã ſępe abijcit: *Sine dubio enim*, inquit, *ei reſiſtitur, dũ abijcitur. Venit illa abiectio ab hominis mutabilitate, dum alia obiecta per ſenſus exteriores, & interiores in cogitationẽ veniunt, & voluntatem ad amorẽ ſuum couſque provocant vt homo Dei amorem abijciat*: id eſt couſque vt delectatio terrena vincat cœleſtẽ: nitidã enim vero reſiſtentiã gratiæ! Sed quam nuſpiã negavit lãſenius: Nitidũ eſt illud: *Sine dubio enim gratiæ reſiſtitur, dum abijcitur, venit illa abiectio ab hominis mutabilitate.* Cur non dicis Exim. D. illam venire ab hominis libera & prava voluntate? Vſpiã ne negavit Ianſenius eiuſmodi hominis mutabilitatem? Eiuſmodi gratiæ abiectionem & reſiſtentiã! Atqui tamẽ propoſitio illa: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquã reſiſtitur*, Hæreſeos damnata eſt ab Innoc. X. & Alex. VII. non tantum prout iacet, aut eo ſenſu, quem aliquis poteſt fingere, ſed ſenſu à Ianſenio intẽto: poſtulabat ergo religioſa obſervantia erga Conſtitutionẽ Alexand. VII. ſenſum illum indagare; quomodo enim ſenſum vitabis quem ignoras?

§. LXVII.

Non eſſe tam exactam obedientiam Lovanienſiũ ac prædicat Anonymus, oſtenditur tertiò, exhibẽdo ſpecimen Religioſæ obediẽtiæ Franciſci van Vianen & Gummari Huygẽs Doctorum Lovanienſium erga Conſtitutiones Innoc. X. & Alexand. VII. in ſecunda propoſitione Ianſenij: vnde deducitur iramentum factum à Candidatis Lovanienſibus eſſe nunc negotium perambulans in tenebris:

857 SPECIMEN Hoc exhibet ſtrenuus ille Ianſeniſtarum Recentium Antagoniſta, & expugnator Vlicus Ionſon in libello, cui titulus, *Doctrina mira ac nova circa varias materias, deprompta ex compendio Theologiæ Eximij D. Gummari Huygens cum Digreſſione ad Doctrinam Eximij D. Franciſci vanVianen*, cap. 7. à pag. 124. his verbis: * Sacra Facultas Theologica Lovanienſis anno 1660. die 20. Martij litteras ſcripſit ad Alexandrum VII. quibus ſignigeavit, ſe quinque Propoſitiones tam in Conſtitutione *Innocentij X. cum occaſione*, quã in Conſtitutione *Alexandri VII. ad ſacram*, Hæreſeos damnatas in ſenſu *Ianſenij* tantopere deteſtari, vt neminẽ deinceps admittere ad gradus Academicos ſtatuerit, *niſi prius religioſam obſervantiã prædictarũ Conſtitutionũ promittat & iuret.* Sacræ huius Facultatis mẽbrum eſt *Franciſcus vanVianen* Candidatus *Gummarus Huygens*, qui religioſam hanc obſervantiã promiſit ac iuravit, prius quam Doctoris laureã eſt adeptus. Non erit opinor, abſre, ſi religioſæ huius obſervantiæ ſpecimen quoddam exhibeam in vtroque hoc Doctore Lovanij famoſiſsimo.

Innocentius X. in ſua Cõſtitutione *cum occa-*

occaſione. Hæreticas declaravit quinque Propoſitiones *IANSENII. ALEXANDER VII.* in ſua conſtitutione *Ad ſacram, contra aliquos publicæ tranquillitatis perturbatores, & nonnullos iniquitatis filios, definivit, & declaravit, illas quinque propoſitiones ex libro Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprēſis, cui titulus eſt Auguſtinus, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe: mandavitque omnibus Chriſti fidelibus (atque adeò Franciſco etiam Van Vlanen, & Gummaro Huygens) ne prædictam doctrinā teneant, prædicent, doceant, verbo vel ſcripto exponāt, vel interpretentur publicè, vel priuatim, palam vel occultè, imprimantve, ſub pœnis & cenſuris contra hæreticos in iure expreſſis, ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendis.*

858 Secunda inter quinque Propoſitiones illas hæreticas ita ſonat: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Religioſa obſervantia erga prædictas Conſtitutiones poſtulat, ne vnquam, aut vſpiam negemus hanc propoſitionem ex libro Cornelij Ianſenij, cui titulus eſt *Auguſtinus*, excerptam, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatam fuiſſe. Eadem Religioſa obſervātia poſtulabat, nè vnquam, aut vſpiam aſſeramus interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti, eo videlicet ſenſu, quo iſtud aſſeruit *IANSENIVS*.

859 Ego igitur, qui Religioſam hanc obſervantiam erga Conſtitutiones *INNOCENTII X.* & *ALEXANDRI VII.* vti & reliquorum omnium Romanorum Pontificum, profiteor tanquā filius Sedi Apoſtolicæ devotiſsimus, magnopere fui ſollicitus, vt intelligerem, quo ſenſu illas Propoſitiones docuiſſet *IANSEEIVS*, nè incautus inciderem in hæreſim: petij ergo & obtinui facultatem legendi *AVGVSTINVM Cornelij Ianſenij*: ſed volumen erat grande, avidus fui ſciendi, quo præciſè loco famoſas illas quinque Propoſitiones tradidiſſet *IANSENIVS*. Conſului illos ipſos Viros, qui Ianſenium propugnarunt, antequam ipſius doctrina eſſet damnata: illi ipſi in libello ſuo, cui titulus *Propoſitiones de Gratia* pag. 9. mihi monſtrarunt propoſitionem 1. *habetur ea*, inquiunt, *apud hunc auctorem l. 3. de Gratia Salu. c. 13.* audivi citatum caput, ibidemque Propoſitionem inveni. De 2. Propoſitione ita loquuntur ijdem *IANSENII* Propugnatores in ſuo libello pag. 15. *Aſſerit ipſe* (Ianſenius) *& explicat propoſitam theſim l. 3. de Grat. Salu. eamque firmat ſoliditiſsimè l. 2. c. 25. cui titulus, Gratiæ efficacitiſsima natura declaratur ex eo, quòd nulla prorſus effectu caret, ſed eum in omnibus, quibus datur infallibiliter operatur.* Inſpexi caput iſtud 25. & ex ipſo titulo colligebam Propoſitionem 2. ex quinque damnatis. Ita enim mecum arguebam: ſi nulla prorſus Chriſti gratia effectu careat, nulli vnquam reſiſtitur. Caput tamen ipſum incipio legere, quod ita exorditur. *Hæc itaque eſt vera ratio, & radix, cur nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo careat, ſed omnis efficiat, vt voluntas velit, & aliquid operetur.* Concludo iterum: ergo nulli vnquam reſiſtitur.

860 Pergo legere: occurrunt aliqua teſtimonia S. Auguſtini, ex quibus ita colligit *IANSENIVS*: *His igitur & huiuſmodi crebris locutionibus affirmatiuis, ſicut ſignificat Auguſtinus, hoc ipſo quo data eſt homini gratia, mox effectum ſequi, ſic è contrario negatiuè ſubinde ratiocinando docet, hoc ipſo quo effectu homo deſtituitur, nullā ei gratiam collatam eſſe.* Si hoc ipſo, inquiebam, quo data eſt homini gratia, mox ſequebatur effectus: ergo nulli vnquam gratiæ reſiſtitur. Lectionem meam proſequor; ſimilia invenio tum in hoc cap. 25. tum in ſequentibus.

861 Tandem pervenio ad librum tertium citatum à *IANSENII* defenſoribus: capiti hunc invenio præfixum titulum: *Tangitur natura adiutorij ſufficientis, & oſtenditur, nullum dari poſt lapſum, quin ſimul efficax ſit.* Tum ego ita mecum: adiutorio ſeu gratiæ efficaci non reſiſtitur, ſi nullum detur poſt lapſum, quin ſimul efficax ſit; ergo nulli reſiſtitur.

Cap. 2. 3. & 4. traduxit *IANSENIVS* gratiam illam, quam Theologi vocant ſufficientem, prout ſufficiens diſtinguitur ab efficaci, tanquam pernicioſam: per gratiam autē illam ſufficientem intelligunt Theologi eam cui reſiſtitur, quæ voluntatis pervicatiā effectu ſuo fruſtratur. Tum iterùm ego meum: nulla gratia eſt monſtroſa, nulla pernitioſa: atqui gratia purè ſufficiens, ſeu cui reſiſtitur iuxta *IANSENIVM* eſt monſtroſa, eſt pernicioſa: ergo nulla eſt gratia cui reſiſtitur, ſive quæ ita eſt ſufficiens, vt tamen effectu ſuo careat; nam vt loquitur c. 4. *docet* (*AVGVSTINVS*) *nullam Chriſti gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, vlla voluntatis pervicatia fruſtrari.* Proſequor deinde lectionem, atque hæc lego in capite quinto: *Sufficiens gratia iuxta doctrinam eius ſolidiſsimam, non eſt alia, nec vt videtur ſine errore alia dici poteſt, quàm illa, quæ voluntatem facit facere, & in ea operatur reipſa velle & operari. Itaque quā-*

cumque gratiam potentialem homini ſiue iuſto, ſiue iniuſto, ſiue Iudæo, ſiue Pagano adeſſe ſtatuamus, niſi ipſam donaverit voluntatem, & actionem, hoc eſt ipſum velle & operari, non eſt ſufficiens gratia voluntatis & actionis. Amiſſum eſt enim illud priſtinæ integerrimæque voluntatis æquilibrium, per quod ei, non ſine gratia ſufficiente aderat poſſe ſi vellet, ita vt velle & nolle in eius libero (non ſine gratia) relinqueretur arbitrio. Rurſum ita arguebã: illi gratiæ, quæ in voluntate operatur re ipſa velle & operari, non reſiſtitur: atqui non eſt alia, nec ſine errore, vt viſum eſt Ianſenio, alia dici poteſt ſufficiens gratia voluntatis & actionis: ergo gratiæ voluntatis & actionis ſufficienti nunquam reſiſtitur.

862 Hic verò mihi recurrebat in memoriam id quod legeram in l. 2. c. 27. *Non quævis gratia ad quoſuis effectus inferendos ſufficit.* Agnoſcit ergo, inquiebã, *IANSENIVS* diverſas gratias ad diverſos effectus ſufficientes: quælibet tamen ſuum obtinet effectum, & quidem infallibiliter, ſic enim loquitur in titulo capitis 27. *Nulla prorſus effectu caret, ſed eum in omnibus, quibus datur, infallibiliter operatur.*

Denique quidquid lego in *IANSENIO* pertinens ad propoſitionem hanc: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, eò tendit, vt probetur, quòd omnis Chriſti gratia ſit efficax, nullo effectu ſuo careat, omnis ſuum obtineat effectum. Atque ita intelligo quo ſenſo propoſitionem illã tradiderit *IANSENIVS*, quo ſenſu eandem damnaverit *INNOCENTIVS X.* & *ALEXANDER VII.* quidque à me poſtulet Religioſa obſervantia, quam erga ipſorum Conſtitutiones me par eſt profiteri.

Videamus nunc quam Religioſam obſervantiam erga horum Pontificum Conſtitutiones præ ſe tulerint *Franciſcus van Vianẽ & Gummarus Huygens*, ambo ſtrictioris obſervantiæ Magiſtri.

863 *Franciſcus van Vianen* Lovanij die 1. Auguſti 1671. hanc propugnavit theſim plenam obſervantiæ: *Quamvis autem gratiæ reſiſti poſsit, omnis tamen ſuum obtinet effectum.*

Mirare Lector Religioſam Viri obſervantiam: *INNOCENTIVS X.* & *ALEXANDER VII.* ſub pœnis & cenſuris cõtra Hæreticos in iure expreſsis, mandarunt omnibus Chriſti fidelibus, ne publicè vel privatim doceant hanc hæreticam in ſenſu Ianſenij doctrinam: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. IANSENIVS* ſuum ſenſum expreſsit hac phraſi l. 2. de gratia Chriſti cap. 25. *Nulla omninò medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo caret: FRANCISCVS VAN VIANEN* ait, *Omnis gratia ſuum obtinet effectum.* Quid quæſo intereſt, inter tò *nulla gratia effectu ſuo caret*, & tò *omnis gratia ſuum obtinet effectum*? Profectò ſi Magiſter hic ſtatuiſſet exſibilare Conſtitutiones Apoſtolicas, ac iuraſſet publicè propugnare damnatam Ianſenij doctrinam, non potuiſſet aptioribus verbis ſenſum Ianſenij exprimere, quàm his: *Omnis gratia ſuum obtinet effectum.*

Non nego, inquies, gratiæ aliquando reſiſti, quin expreſsè aſſero poſſe reſiſti. Apage fucum fungos aut ſtipites autumas Theologos, quos putas ſic poſſe eludi. Non negas gratiæ reſiſti aliquando, his ipſis vocibus: gratiæ nũquam reſiſtitur: ſed negas ijſdẽ omninò quoad ſenſum, quibus negavit *IANSENIVS*. Fræciſce non damnarunt Pontifices Romani corticem verborum, hic eſt innocuus, damnarũt ſenſum, qui eſt hæreticus. Volve, revolve *Auguſtinum Cornelij Ianſenij*, atque ſcrutare haud ſegniter, vide an vſpiam *Ianſenius* clarioribus verbis expreſſerit hãc ſuam hæreſim: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, quàm his, aut æquivalentibus: *Omnis gratia ſuum obtinet effectum.*

864 Non licet, opinor, ſuſpicari, quòd Vir Conſtitutionum Apoſtolicarum, vt videri amat *Franciſcus van Vianen*, obſervantiſsimus, negare auſit, hæreticam illã Propoſitionem excerpram eſſe ex libro, cui titulus *Auguſtinus Cornelij Ianſenij*: certè recenſeri non vellet inter eos, quos *ALEXANDER VII. Publicæ tranquillitatis perturbatores, & iniquitatis filios appellavit, qui prædictas quinque Propoſitiones vel in libro prædicto eiuſdem CORNELII IANSENII non reperiri, ſed fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe; vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum fidelium ſcandalo reformidant.* Haud ignorat ipſe quid ad huiuſcemodi ſcripſerit *ALEXANDER VII.* 1. Auguſti 1661. Verba ipſius ſunt: *Quod cùm ex falſum patenſque mendacium in re tali aſſerere minimè veriti ſitis, vbique Zizaniorum in agro Dominico Seminatores, Eccleſiæ Catholicæ perturbatores, & quod in vobis eſt authores turpiſsimi ſchiſmatis eſſe deprehendimini.* Cavebit ergo *Franciſcus van Vianen* negare hæreticam hanc Propoſitionẽ, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nũquam reſiſtitur*, eſſe excerptam ex *AVGVSTINO Cornelij Ianſenij*: invenitur iſtic hæc Propoſitio diverſis expreſſa phraſibus: poſtulo proferri vel vnam magis claram, aut nitidam,

quàm

quam sit hæc; *Nulla Christi gratia effectu suo caret*: quæ æquivalet huic; *Omnis gratia suum obtinet effectum.* Si enim omnis Christi gratia suum obtineat effectum, nulla effectu suo careat, certum est quod nulli resistatur: quemadmodum si omne Dei Præceptum in omnibus obtineret effectum, nemo dubitaret asserere, quod nulli Dei Præcepto resistatur. Hinc quia nemo potest impedire effectum, quem absolute vult Deus, dicitur Deuteron. 7. *Nullus poterit resistere tibi.*

865 Eximie Domine pervolvi tractatum tuum de Gratia, quem aliquot ab hinc annis publicè dictasti in schola Theologorum. Tractatus admodum est pius in quantum multum habet ex Thoma à Kępis. Sperabam istinc invenire observatiæ quiddam Religiosæ erga Constitutiones *Innocentij X.* *Alexandri VII.* nihil omnino inveni, nisi silentium perpetuum de Constitutione *Alexandri*, nihil de sensu *Iansenij*, &c. Ignosce candori meo, dico, quod sentio: meministi tamen Constitutionis *Innocentij X.* Sic enim habes c. 10. *Est deinde aliud velle deliberatum quidem, sed imperfectum: quia non eo usque proficitur, ut homo simpliciter, & absolutè velit.....Unde per hanc gratiam solum desideria, velleitatesque habentur; non autem cordis conversio; sed cum ea gratia ipsius cordis duritiei, rebellioque simul potest consistere, & passim consistit: ut propterea hæc una sit ratio, ob quam reprobanda sit propositio, quam reprobavit nuper Innocentius X. interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Hic fateris reprobandam esse Propositionem, quam reprobavit nuper *Innocentius X.* (ô si addisses, & *Alexander VII.* item illud *in sensu Iansenij*: sed Alexandrum mavis perpetuo venerari silētio) fateris gratiæ interiori in statu naturę lapsæ resisti aliquando: at quo sensu? An illo eodē, quo id negavit *IANSENIVS*? Scilicet quod non omnis gratia semper operetur effectum ob quem datur? Religiosa observantia postulat, ut hoc sensu fatearis gratiæ resisti aliquando, vel doce nos, alio id sensu negasse *IANSENIVM*: tu resistētiam gratię ponis in eo, quod *per hanc gratiam solum desideria, velleitatesque habeantur, non autem cordis cōversio*: Vspiam ne illo sensu gratiæ aliquando resisti negavit *IANSENIVS*? Audi ipsum lib. 8. de Gratia Christi cap. 2. *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adiutorium, relativa est: tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desiderijs hærebit animus.* Ecce ipse *IANSENIVS* nos docet quando nam per gratiam solum desideria, velleitatesque habeantur, scilicet quando delectatio terrena ardentior est cœlesti; tunc enim *in solis inefficacibus desiderijs hærebit animus*: Non ergo negavit *IANSENIVS*, quin aliqua sit gratia, per quam solum desideria, velleitatesque habentur. Audi eundē *IANSENIVM* idipsum clare explicantē l. 2. de Gratia Christi cap. 27. vbi agit de illa gratia, quæ est lenis instar auræ tenuis afflatus: *Hæc igitur*, inquit, *gratia quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid, ut istarum, vel alterius cuiusdam Cœlestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates, vel complacentias excitet, quas, nisi diuinitus infundantur, obtinere humana potestate nemo potest. Non enim quævis gratia ad quosuis effectus inferendos sufficit.* Fallis ergo aut falleris, dum ais, hanc veam esse rationem, ob quam reprobanda sit Propositio, quam reprobavit nuper *Innocentius X.*

Veniamus ad alterum strictioris observantiæ Magistrum *Gummarum Huygens*: ipse in suo Compendio ante pag. 29. nitida posuit hæc duo pertinentia: *Pone non dari impetum sine motu, an idcirco corpus grave nulli impetui resistit? Qua igitur ratiocinij specie negatur resistii gratiæ, etsi singuli huius gradus semper in nobis obtineant id, quod per illos vult Deus?* Pertinens aliud hisce concepit verbis: *Facilius ostendero, quod natura corrupta semper gratiæ efficaci quodammodo resistit, quam quod nunquā.* Temerarius profecto sit, qui post hac ausit suspicari, Iansenio adhærere *Gummarum*. *IANSENIVS* negat gratiæ resisti: at vero *qua rationij specie*, inquit *Gummarus*, *negatur resisti gratiæ*? *IANSENIVS* docet gratiæ resisti *nunquam*: Gummarus autē: *Facilius*, inquit, *ostendero quod natura corrupta semper gratiæ efficaci quodammodo resistit, quam quod nunquam.* Nonne quanta est repugnantia inter *semper & nunquam*, tanta videtur esse inter *Gummarum, & Iansenium*?

866 Eximie Domine exercitij gratia sumo partes Iansenij: tu ita me aggrederis: *Pone non dari impetum sine motu*: pono. *An idcirco*, inquis, *corpus grave nulli impetui resistit*? Resp. si non detur impetus sine motu, corpus grave nulli impetui ita resistit, quin cedat, quin moveatur: istud ego non ago, inquies, quæro an corpus grave nulli impetui ita resistit, quin cedat, quin moveatur: istud ego nō ago, inquies, quæro an corpus grave nulli impetui resistat? Resistit enimvero, resistit

ſiſtit hoc ſenſu, quod non moveatur ſine difficultate, moveatur tamē. *Qua igitur*, inquis, *ratiocinij ſpecie negatur reſiſti gratiæ, etſi ſinguli huius gradus ſemper in nobis obtineant id quod per illos vult Deus*? Eximie D. non alio ſenſu docui gratiæ nunquam reſiſti, quam quod *omnis gratia ſuum obtinet effectum*, vti docuit *Franciſcus vanVianen, qui meum ſenſum nitide expreſsit*: Si tu cēſeas *quod ſinguli gradus gratiæ ſemper in nobis obtineant id, quod per illos vult Deus*, iam cenſes illud ipſum, quod mecum docuit *Franciſcus vanVianen*: pervolve meum librum, cui titulus *AVGVSTINVS*, nuſpiam invenies me negaſſe luctam eſſe quandam, ſeu repugnantiam inter gratiam, & naturam corruptam, nunquam negari hominem pati difficultatem aliquam, quando gratia in ipſo ſuum operatur effectum. Quinnimo l. 4. de Gratia Chriſti cap. 4. col. 406. ita ſcribo: *Creberrime docet Auguſtinus, quandiu in hac vita mortali viuimus eſſe in homine luctā quādam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ, atque cœleſtis, quarum vtra libet vicerit, animum ſecum conſentientem ac pronum trahit*. Hæc verba ſi diligenter conſideraveris, facile intelliges, me non negaſſe illam reſiſtentiam gratiæ, quæ conſiſtit in quadam lucta, ſeu repugnantia inter gratiā, & naturam corruptam. Si tu pergas quærere, qua ratiocinij ſpecie negetur reſiſti gratiæ. Reſpondeo; eadem prorſus ratiocinij ſpecie negatur reſiſti, qua tu probas, ſingulos gradus gratiæ ſemper in nobis obtinere id quod per illos vult Deus: eadem ratiocinij ſpecie, qua *Franciſcus vanVianen* docet, quod *omnis gratia ſuum obtinet effectum*: nam gratiæ nunquam reſiſti, & omnem gratiam ſuum obtinere effectum, & ſingulos gradus gratiæ ſemper in nobis obtinere id quod per illos vult Deus, ſunt tantum diverſæ phraſes rem omnino eandem explicantes. Sic ſi dicas: omnis mea admonitio ſuum obtinet effectum, & ſinguli meæ admonitionis gradus, ſive partes, ſemper in meis, quos inſtruo, obtinent id, quod per illas volo, perinde eſt, ac ſi compendioſus dicas: meæ admonitioni nunquam reſiſtitur; vnde vehementer miror, cum meam tam ſtudioſe amplectaris doctrinā, atque ipſa doceas, gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti, miror inquam, quod publicè iſtud propoſueris pertinens: *Qua ratiocinij ſpecie negatur reſiſti gratiæ, etſi ſinguli huius gradus ſemper in nobis obtineant id, quod per illos vult Deus*? Tuum certe hoc pertinens eſt ſimile huic: qua ratiocinij ſpecie negatur reſiſti gratiæ, etſi gratiæ reſiſtatur nunquam? Quod ſane eſt impertinentiſſimum.

867 Hucuſque indui perſonam *IANSENII*. Quid tu reſponderes, Eximie *Gummare*, ſi ita tecum argueret redivivus *IANSENIVS*? Credo ſi *Ianſenium* haberes in quodam Conciliabulo tuorum confederatorum, quale dicitur coactum fuiſſe Bruxellis 26. & 27. Maij hoc ipſo anno: iſtic reſponderes libere quod ſentis, ac diceres: Reverendiſsime Præſul, cuius memoria apud meos confederatos eſt in benedictione Lovanij, te noſtrum agnoſcimus Magiſtrum, doctrinæ tuæ de gratia, de libertate, de ignorantia invincibili, &c. adhæremus tenaciter, illamque animis noſtris evelli non patimur, ſed tempus poſtulat, vt diſsimulemus tantiſper: vrgemur vndique Conſtitutionibus *Innocentij X. & Alexandri VII.* quibus promiſsimus, ac iuravimus Religioſam Obſervantiam, ita tunc tempus poſtulabat: vſum Reſtrictionis mentalis deteſtamur in alijs, vt ea nos vtamur liberius. Porrò quia conſtitutiones Apoſtolicæ ſevere prohibent, ne doceamus, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti, invenimus modum, quo ita defendamus gratiæ, non tantum *aliquando, ſed ſemper* etiam reſiſti, vt ne vel ad latum vnguem declinemus à doctrina, quam tradidiſti in tuo *AVGVSTINO*: ita oportet hoc tempore, vt ſecum faciamus ijs, quos nos appellamus *POTENTES SÆCVLI*, qui doctrinam tuam infectā tur hoſtiliter, illique inſidiantur vndique. Nō auſim ego hoc tempore Doctrinam tuam propugnare apertius; licebit fortaſsis poſtmodum audere plus aliquid. Ita opinor, *GVMMARE* tua iſta pertinentia excuſares apud Ianſenium. Sed quid ſi eodem tempore redivivum ſpectares *ALEXANDRVM VII*? Quis tibi eſſet animus, ſi pauca hæc tecum verba faceret. Hæcine *GVMMABE* eſt Religioſa obſervantia, quam promiſsiſti ac iuraſti erga Conſtitutiones *INNOCENTII X.* ac Meam, quam condidi adverſus nonnullos iniquitatis filios, & publicæ tranquilitatis perturbatores? Hęreticam declaravi Apoſtolica Authoritate hanc Propoſitionem in ſenſu Ianſenij; *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Tu verò, vt ſecum facias, videariſque Conſtitutionis meæ obſervans, verbo aſſeris reſiſti gratiæ, verbis vero alijs negas vnquam reſiſti gratiæ, eodem ſenſu, quo id negavit Ianſenius, in cuius ſenſu declaravi Propoſitionem illam eſſe hęreticam. Hæccine eſt Religioſa obſervantia, an pudenda Hypocryſis? Pauca hæc verba ſi loquentem audires *ALEXANDRVM, Gummare* quid reſponderes? Opinor piſce fores mutior. Nos abſolvamus.

868 Eximij Domini, ac Magiſtri

Fran-

Franciſce VanVianen & Gummare Huygens, ſpecimen exhibui religioſæ veſtræ obſervantiæ erga Conſtitutiones Apoſtolicas in vna Propoſitione Ianſenij, poſſem procedere ad alias, ſed hæc ſpeciminis loco ſufficiant. Interim etiam atque etiam vos rogo atque obteſtor, aperiis calamum contra *Melchiorem Leydecherum* Theologię apud Hæreticos Doctorem, & Profeſſorem Vltraiecti: homo ille 26. Iunij 1680. publice propugnavit hanc Theſim: *Non defuerunt in hunc vſque diem in Vniuerſitate Lovan. Doctores, qui Ianſenio faverent, quidquid impotens Papa fulminaverit.* Videtis, quam probroſa hæc ſit Theſis: mendacij hominem arguite, oſtendite ſaltem vos non eſſe Doctores illos: ego ipſe dum vidi hanc Theſim, indignatus ſum vehementer. Quid enim? In hunc vſque diem in Vniverſitate Lovaniēſi in Belgio tam celebri, quæ tam præclaros aliquando Eccleſiæ Catholicæ peperit Defenſſores, in illa Vniverſitate, in hunc vſque diem non defuiſſe Doctores, qui Ianſenio faverent, poſtquam non impotens Papa, ſed Omnipotentis Vicarius non vnus fulminavit non ſemel? Lovanij ego per plures annos Theologiæ dedi operam, Vniverſitati quidem fidem nunquam iuravi, qui ad gradus Academicos non aſpirabam: tenerrimus tamen mihi erga Vniverſitatem illam adhæſit affectus. Eſt aliquid ſtudiſſe Lovanij: non fero, non patior tantum probrum obijci Vniverſitati Catholicæ ab Hæretico Calviniſta. Veſtram imploro opem Eximij Domini, oſtendite vos non eſſe Doctores illos, qui in hunc vſque diem Ianſenio faverunt; reddite me ſecurum, doctrinam veſtram non eſſe eandem, cum doctrina *IANSENII* Hæreſis damnata à Sede Apoſtolica, proteſtor publice me *Melchiorem* iſtum *Leydecherum* aggreſſurū tanquam impoſtorem: ego namque mihi firmiſſime perſuadeo, ſi vos, & qui eandem vobiſcum Doctrinam amplectuntur, *IANSENIO* non faveatis, meram eſſe calumniam, ac impoſturam, non defuiſſe in hunc vſque diem in Vniverſit. Lovanienſi Doctores, qui *IANSENIO* faverent.

§. LXVIII.

Quam falſo Doctores aliqui Lovanienſes modo iactent, illuſtrem illam Academiam ſemper conſtantem fuiſſe, ſemper tenuiſſe, ſemperque perſtitiſſe in ſua antiqua ſententia de neceſſitate gratiæ per ſe efficacis pro hoc ſtatu naturæ lapſæ.

869 AVTHORES Illi ſunt Gummarus Huygēs, qui id affirmat in Theſibus publicis, quas eo Præſide defendit Iuſtinus Clemp. Gravenſis die 17. Septembris an. 1682. Item Ioannes Libertus Hennebel in Theſibus, quas propoſuit die 17. Auguſt. eiuſdem anni, & in alijs Theſibus hiſtorico Theologicis exhibitis 12. Maij an. 1684. & Franciſcus vanVianen in Theſibus propoſitis 11. Auguſti eiuſdem anni 2682. Quam falſo id dictum ſit, planè demonſtrat P. Philippus de Vos noſtræ Societatis, in Theſibus publicis, quas eo præſide defendit Lovanij eodem anno 1682. P. Carolus Burlen eiuſdem Societatis. Titulus Theſium eſt qui ſequitur: *Doctrina Doctorum Sacræ Facultatis Theologicæ Lovanienſis excerpta ex Theſibus, quibus publice præſederunt poſt mandatum Apoſtolicum iuſſu Sixti V. vſque ad ann.* 1613. Has Theſes diligenter aſſervatas in noſtro Collegio Lovanienſi, in medium produxit P. Philippus de Vos in eodem Collegio nunc Theologiæ Profeſſor magni nominis, qui Ianſeniſtarum conatibus quotidie ſe opponit; quas hic ſubijcere operæ pretium duxi. Sic ergo ad verbum habent.

Ex Theſibus anni 1598. 23. *Iunij Præſide Exim. D. ac Magiſtro noſtro* IACOBO IANSENIO.

870 Concluſ. 2. Gratia efficax cum arbitrij noſtri libertate non pugnat: quia non voluntatem ſic agit, vt phyſice ad opus determinet; ſed ſuavitate ſua, ac efficacia infallibiliter in opus provocet, adeo, vt ex natura rei non implicet, voluntatem hac gratia excitatam, & confortatam non agere.

Concluſ. 3. Subdividitur autem gratia actualis in eam, quæ eſt ſufficiens tantum, & in efficacem. Priorem iuſtificatis omnibus dari, omnino exiſtimamus; non ita poſteriorem.

Ex Theſibus anni 1600. 19. *Ianuarij Præſide Exim. D. ac Magiſt. noſtro* IOANNE CLARIO.

Concluſ. 4. Subdividitur gratia in eam, quæ eſt ſufficiens tantum, qua homo excitatus poteſt conſentire; non tamen conſentit; & efficacem, qua confortans conſentit. Efficaciam ſiquidem gratiæ vt præveniens eſt, non in maiori inclinatione, aut tractione phyſica (fieri quippe poteſt vt duo dentur per omnia æquali Dei motione præventi, quorum alio renuente, alter conſentiat) ſed in eo quod bonus Deus homines ita trahat, qualiter aptum novit vt ſequantur, ponendam ducimus.

Concluſ. 5. Gratiam ſufficientem, & auxilium habet quivis adultus pro loco, ac tempore, quo mediate ſaltem converti, & ſalvari poſſit. Auxilium autem mediate ſufficiēs cum nunquā Deus inſtet præcepto, quin præ-

currat ſimul auxilio ad vitandum novum peccatum, nulli vnquam homini negatur. *Et infra* Gratia efficax minime cum libertate noſtra intelligitur pugnare, ſi attendatur, non ſic agere voluntatem, vt phyſice ad opus prædeterminet; ſed ſuavitate ſua ac efficacia infallibiliter in opus provocare; adeo vt ex natura rei non implicet voluntatem hac gratia excitatam non agere,

Ex Theſibus anni 1607. 24. *Septembris defendente* HENRICO CALENO *Berengenſi.*

Concluſ. 2. Inter prævenientes gratias agnoſcenda eſt quædam vere ſufficiens non ſimul efficax; & hæc dar poſſe facere: quædam efficax, quæ inſuper infallibiliter velle, & facere. Quæ infallibilitas oritur non ex eo quod gratia phyſice prædeterminet voluntatem; ſic enim non ſatis ſalvatur operandi libertas, &c.

Ex Theſibus anni 1607. 6. *Februarij Præſide Exim. D. ac Magiſt. noſtro* IOANNE CLARIO.

871 Concluſ. 2. Quare iuxta Auguſtinum, gratia illa rectè dicitur efficax, qua Deus ex propoſito perſuadendi ita hominem trahit, qualiter aptum novit vt ſequatur. Novit autem per præſcientiam conditionatam: qua poſita, licet effectus gratiæ per neceſſariam conſequentiam ſequatur; non tamen impedibiliter ſequitur, ſed libere: ſicut negatio Petri ex decreto Divino permittendi, poſita præſcientia conditionata. Hinc putamus gratiam efficacem, vt talem, non diſtingui realiter à ſufficienti; ſed dari auxilium vere ſufficiens, quod non ſit efficax. Et quamvis totum meritum auxilio tribuatur; fieri tamen poteſt, vt ſi duo habeant æqualem gratiam ſecundum modos reales, alter diſſentiat; alter verò conſentiat: quãvis in genere gratiæ maior ſit gratia eius, qui conſentit; adeo tamen libere conſentit, vt ſtante illa præventione ex parte principij neceſſaria, diſſentire valeat; hoc enim ad libertatem operis requirimus. Phyſica igitur prædeterminatio (in qua quidã gratiæ efficaciam ponunt) ſi ſit ipſa formatio bonæ voluntatis in nobis, vt eſt à Deo prius natura, quam à nobis; vel aliquod principiũ operativum habens influxum independentem à libero arbitrio, cum quo concurrit, & neceſſariam habitudinem ad opus (vt in Beatis charitas ad amorem Dei clare viſi) quo pacto opus ipſum à libero arbitrio impediri poſsit, non ſatis apparet.

Omnimoda ergo gratiæ efficacia non in phyſica; immo nec præciſè in morali voluntatis prædeterminatione conſiſtit; quamvis hanc in aliqua gratia efficaci, ſalvą libertate, admittamus.

Ex Theſibus anni 1607. 24. *Septembris Præſide Eximio D. ac M. noſtro* SAMVELE LOYAERTS.

Concluſ. 2. Inter prævenientes agnoſcenda eſt quædam vere ſufficiens, non ſimul efficax, & hæc dar poſſe facere; quædam efficax, quæ inſuper infallibiliter velle, & facere, quæ infallibilitas oritur, non ex eo quod gratia phyſice prædeterminet voluntatem; ſic enim non ſatis ſalvatur operandi libertas; ſed ex eo quod Deus ex propoſito ita hominem trahat, vt ſequatur, quod libertati non repugnat.

Ex Theſibus anni 1608. 8. *Auguſti Præſide Exim. D. ac M. noſtro* IOANNE MALDERO.

872 Concluſ. 2. Eam ergo ex Auguſt. recte efficacem dixerimus, qua Deus ex propoſito perſuadendi, ita hominem trahit qualiter aptum novit vt ſequatur, iſtud autem novit ſcientia, quam conditionatam vocant Theologi; ita enim fiet, vt libere conſentire oſtendatur voluntas; libere, inquam; quia poſitis omnibus ex parte principij ad conſenſum prærequiſitis, adhuc poteſt voluntas in ſenſu compoſito non conſentire. Quomodo autem conſentiat libere, quando efficacia gratiæ ponitur in eo, quod ſimul, & ex parte principij prærequiritur, & naturali connexione conſenſum ſecum fert, ſicut ignis calorem, aut viſio Dei amorem, ſatis oſtendi non videtur; quamvis ea phyſica gratiæ efficacia admitti poſſe ſalva libertate videatur, quæ liberum conſenſum ſecum trahat quodammodo infallibiliter. Verum vt hæc infallibilitas omnimoda ſit, qualem in Deo ponere oportet, certum eſt, vt gratię, ita & liberi arbitrij perfectam cognitionem concurrere, vt iam iterum redeat ſcientia conditionata, qua Deus ſciat, ſi hæc, aut alia quævis, ſit, aut ſic ponatur gratia, in quam partem ſuę libertatis voluntas ſit itura.

Concluſ. 3. Fieri poteſt, vt duobus æqualiter, quoad ſupernaturales motiones ſecundũ phyſicam entitatem conſideratas, prævenientes, & quoad reliqua præparatis, & præpeditis, vnus conſentiat divinæ ſuaſioni; non alter. Immo in motionibus fidelium ad perſeverandum facile ita reipſa contingere non dubitamus: quamvis in genere gratiæ maior ſit gratia eius, qui conſentit. *Et infra.* Etiam obdurati habent ſufficiens auxilium ad converſionem, ſaltem mediate ſu tempore, & loco dandum.

Concluſ. 5. Quamvis probabilius ſit, hominẽ lapſũ nunquã facere quod in ſe eſt, quin præveniatur ad hoc auxilio diviniæ gratiæ, ſi tamen facere ponatur, non quod faciendo ſe

dif-

disponat, infallibiliter consequitur gratiam.

Conclus. 6. Est quidem iusto possibile perseverare cum auxilijs iustorum communibus; sed sine dono perseverantiæ reipsa nunquam perseverabit.

Ex thesibus anni 1610. 30. Ianuarij Præside Exim. D. ac M. nostro IOANNE MALDERO.

873 Conclus. 3. Gratia actualis est interna quædam motio ad bonum, quod virtutē naturalem excedit, quam in nobis sine nobis, concurrente tamen potentia nostra, effectivè Deus operatur immediatè; quæ potentiam nostram in ratione principij complet ad cōsensum supernaturalem ponendum: in quem dum influit vna cum potentia, dicitur adiuvans, vel cooperans; dum mentem excitat, & consensum prævenit, excitans, præveniens. Diversa enim hæc nomina eadem res secundùm diversas habitudines sortitur. Et quamvis autem in nostro non sit arbitrio, eam tamen omnibus paratam esse, vt vel à peccatorum cœno emergant, vel ne novis inficiantur, suadet infinita Dei bonitas, & Redemptoris φιλανθρωπια philantropia. *Et infrà.* Quæ quidem semper ad eum, ob quem proximè datur effectum sufficit; sed crebro efficax non est vitio recipientis.

Conclus. 4. Gratiæ .... efficaciam illā infallibilem .... non constituimus in effectu, vt efficax sit, quia efficit; neque in physico aliquo, per quod in physica virtute excitandi à sufficiente differat, & quo voluntas prædeterminetur: sed in eo quòd Deus ex proposito altius miserendi, sic hominem ea præveniat gratia, cui infallibiliter novit obsequuturum. Quia enim scientia, quam vocant conditionatam, prænoscit, ad quam partem, quaque posita hypothesi voluntas nostra se inclinatura sit, ei efficacem gratiam impertitur, cuius ita movet sensum, sicut aptum novit vt homo indeclinabiliter præbeat assensum: cum quo simul asserimus, ex duobus pari motione physica præventis, vnum dissentire posse, assentire alterum, & quamvis hæc gratia infallibiliter assensum secum trahat; tamen ita liberè eum præbet voluntas, vt etiam in sensu composito veritatē habeat quod dissentire possit.

Ex thesibus anni 1608. 16. Maij Præside Exim. D. ac M. nostro IOANNE CLARIO.

874 Conclus. 4. Effectus liberos contingentes absolutè futuros infinito imaginabili tempore priùs quam fiant, necnō etiam eos, qui posita qualibet conditione, & liberi arbitrij determinatione essent, vel fuissent eventuri, certissimè, & evidentissimè cognoscit.

Et conclus. 5. Posteriorem hanc scientiam conditionatam vocamus, quæ in sacris literis, & Patribus est fundata, & aliàs aptissima est ad intelligendam perfectam in Deo rerum omnium providentiam, ad declarandam rationem gratiæ efficacis: facere enim vt infallibiliter consentias (quod est gratiæ efficacis) non temerando libertatem, supra id, quod est dare omnia necessaria prævisa ad consentiendum, non potest esse physicum, neque explicari potest sine certissima præscientia conditionata, qua sciatur quid ita motus sis facturus. Itaque efficax gratia non differt realiter à sufficienti; sed in eo difert quod maiori cōgruitate suadeat, & secundùm infallibile propositum Dei, qui præscit modos, quibus si moveatur voluntas, certissimè ad liberum consensum sit permovenda: præscit autem per hanc præscientiam conditionatam.

Ex thesibus ann. 1610. 24. Aprilis Præside Exim. D. ac M. nostro IACOBO IANSSONIO.

Conclus. 2. Verùm ne celeberrimam huius gratiæ divisionem prætereamus, subiungimus, in sufficientem aliam, & efficacem. Cuius sufficientis definitio talis est; quæ vires subministrat, quibus in actu primo, vel proximè, vel remotè constituamur potentes ad operandum. Hanc omnibus adultis huius sæculi, etiam reprobis, obduratis, & excæcatis (ad quodcumque tandem scelerum pervenerint complementum) quousque sunt in hac vita, non singulis quidem momentis; sed opportuno & loco & tempore, qua saltem & cōverti, & nova peccata vitare simpliciter possint, Deus impertitur,

Et conclus. 3. Efficacem autem eam esse definimus, qua excitatus homo infallibiliter consentit. Verùm in quo sita sit eius efficacia, gravis ex multis partibus oritur difficultas. Omissis itaque aliorum opinionibus, sumimus efficaciam ex vocatione Dei secundùm propositum, quo Deus scilicet voluntate consequente omnino intendens homini operationem, eo modo ipsum vocet, & moveat, quomodo aptum novit per præscientiam, vt sic adiutus sequatur: qui modus cum nec omnipotenti desit, nec omniscientem lateat, patet quomodo semper cor hominis in manu Dei sit, vt quocumque voluerit illud inclinet, ... Vnde consequens esse, vt è duobus æqualiter quoad supernaturales motiones secundùm physicam entitatem præventis, & quoad reliqua præparatis, & præditis, vnus divinæ cōsentiat suasioni, dissentiat alter, quidam sustinent, licet consentientis maius sit beneficium, maiorque gratia.

Conclus. 6. Iusto cum communibus iusto-

ſtorum auxilijs perſeverare eſt poſsibile.

Ex theſibus anni 1610. 20. Aprilis Ponente GABRIELE LEVVENLEODIO.

875 Concluſs. 1. Omne igitur creatum ens ab increatæ providentiæ pendet influxu vt fiat, conſervetur, operetur. Et ad operationem quidem, ſi naturalis ſit, extra ſimultaneum Dei concurſum, prædeterminationem, potentiam ad vnum coarctantem, neceſſariam adeò non agnoſcimus, vt etiam ad ſupernaturales actus (quamquam ad hos excitari, & in ratione principij proximi compleri poſtulet) admittendam negemus: quippe cum vtilitatis, certè neceſsitatis habeat nihil. Et eam ſi adſtruas, præterquamquod peccati radicem in Deum refundas, eius, libertatiſque in creaturis rationem deſtruas.

Concluſs. 2. Gratiam ideo efficacem ſtatuo illam, non quæ ab humano independenter operatur arbitrio, ſed quæ ita movet, vt conjunctam, liberam tamen humanæ voluntatis habeat motionem. Voluntate itaque non omninò abſoluta; ſed quaſi conditionata, concurſúque indeterminato ad actiones liberas concurrit Deus: quo ſtante, actum liberum ante abſolutam eius præſcientiam præfinire poteſt.

Concluſs. 4. Scientiam, qua ex hypotheſi futura cognoſcit, conditionatam appellamus; eam ad divinæ ſcientiæ infinitatem, perfectamque providentiæ rationem, nõ tantùm neceſſariam; ſed etiam ſcripturarum authoritate, Patrum teſtimonijs, rationum pondere apprimè ſtabilitam putamus.

Ex theſibus anni 1610. 9. Octobris Præſide Exim. D. ac M. noſtro IACOBO IANSSONIO.

Concluſs. 1. Libertas, qua voluntas poſſit ſe, omnibus ad actionem prærequiſitis manentibus, iiſdem indifferenter ad exercitium, vel ſpeciem determinare, in hominibus poſt lapſum minimè fuit extincta.

Concluſs. 2. Ex hac (*gratia præveniente*) & libero arbitrio, totius boni operis integram cauſam conſtitui dicimus: cuius principalis pars ſit auxilium præveniens, à quo opus habeat eſſe ſupernaturale; minùs principalis liberum arbitrium, à quo actus habeat quòd ſit liber, & vitalis, non ſeorſim, ſed mixtim, non viciſsim, ſed ſimul natura, ita ſcilicet vt vtralibet cauſa ſit totalis, non quidem ex parte cauſæ, ſed effectus.

Concluſs. 3. Eadem actualis gratia, cum cuncta ex parte principij effectivi requiſita involvit, ſufficiens dicitur, & à gratia efficaci, quam dicit Auguſtinus voluntati præbere poſſe ſi velit, vix diſtinguitur. Cùm verò per eam Deus facit vt velimus, & efficiamus, efficacior dicitur: quæ quamvis non neceſſariò maiora phyſicè, & entitative includat auxilia, quam efficax tantùm; addit tamen ſpeciale beneficium, & moralem quandam rationem. *Et paulò poſt.* Ex quo facilè intelligitur fieri poſſe, vt cum æqualibus auxilijs vnus convertatur, & non alius, ... in quibuſdam etiam phyſicè copioſior eſt, & dicetur efficaciſsima, quia præſtat, non tantùm poſſe ſi velis, ſed vt non niſi velis. Hæc pauciori bus impendi ſolet, vt latroni in cruce, Matthæo, Paulo, &c.

Concluſs. 4. Efficatior verò omnibus, qui actu operantur, & convertuntur, eſt communis: & efficax, ſive ſufficiens omnibus quidem, & ſingulis, quantùm eſt ex parte Dei, ſecundùm propoſitum omnes ſalvos faciendi parata eſt. *Et infrà.* Omnis gratia, quantumvis efficax, ſic ad modum recipientis recipitur, vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, ipſe aliquid (moraliter, & liberè) agat; ita nimirum inſpirationem illã recipiens, vt illam poſsit abijcere ipſo etiam temporis inſtanti, quo ponitur actio.

Ex theſibus anni 1610. 23. Martij Præſide Exim. D. ac M. noſtro IOANNE MALDERO.

876 Concluſs. 1. Invenitur itaque excitans gratia verè ſufficiens, quæ non ſit efficax .... habent *omnes adulti auxilium* ſufficiens ſaltem mediatè *ad converſionem* (intellige de obduratis, & excæcatis, quamvis non in eadem abundantia) tempore, & loco.

Concluſs. 2. Sufficienter etiam infantibus omnibus abſque vlla exceptione media de ſe aliquo modo ſufficientia ad ſalutem æternam Deus antecedenter eo ipſo quo etiã iſtos vult ſalvos fieri, præparavit.

Concluſs. 3. Efficax gratia ex Auguſtino ea rectè dicitur, quæ ex propoſito perſuadendi ita hominem trahit, qualiter aptum novit vt ſequatur. Iſtud autem novit ſcientia, quam conditionatã vocãt Theologi; ita enim fiet, vt liberè conſentire oſtendatur voluntas. Liberè, inquam, quia poſitis omnibus ex parte principij ad conſenſum prærequiſitis, adhuc poteſt voluntas in ſenſu compoſito non conſentire.

Concluſs. 4. Gratia phyſicè voluntarem prædeterminãs omnino tollit eius libertatem in actu, ad quem determinat: ideoque reſpectu conſenſus, qui ſecundùm fidem Catholicam liber eſſe debet, eo modo gratiæ efficacia explicanda non eſt.

Concluſs. 5. Fieri poteſt, vt ex duobus æqualiter quoad ſupernaturalia ſecũdùm phyſicam entitatẽ conſiderata præventis, & quoad reli-

reliqua similiter affectis, & dispositis, vnus convertatur; non alter.

Ex thesibus anni 1612. Præside Exim. D. ac M. nostro SAMVELE LOYARTS.

Conclus. 2. Inter prævenientes, necessariò agnoscēda est quædam quæ verè est sufficiens, non simul efficax: quædam efficax, quæ insuper infallibiliter dat velle, & facere, quæ infallibilitas oritur non ex physica gratiæ prædeterminatione voluntatem necessitante: hæc enim libertati repugnat .... sed ex eo quòd Deus ex proposito efficaci, eo modo hominem trahit, quo præscivit sequuturum: vnde hanc efficaciam præcedit scientia Dei cōditionata, qua novit quid vnusquisque in quolibet eventu, & occasione, & cum quolibet auxilio sit acturus.

Conclus. 3. Ad nova autem peccata vitanda, adeoque vt desinant obdurata corda sua adultis peccatoribus, imò etiam obduratis suo modo gratia datur sufficiens.

Conclus. 5. Quamvis probabilius sit, hominem lapsum nunquam facere quod in se est, quin præveniatur ab hoc auxilio divinæ gratiæ: si tamen facere ponatur (non quod faciendo se disponat) infallibiliter consequitur gratiam.

Ex thesibus anni 1611. 28. Novembris Præside Exim. D. ac M. nostro SAMVELE LOYARTS.

877 Per gratiam sufficientem homo potest facere id, ad quod excitatur .... cui per hanc gratiam commensuratas habet vires.

Ex thesibus anni 1612. 9. Martij Præside Exim. D. ac M. nostro GVILIELMO FABRICIO.

Conclus. 3. Excitans, vel præveniens *gratia* dicitur, dum mentem excitat, consensum prævenit, viresque sequendi tribuit: dum verò vna cum potentia in consensum influit, adiuvans, vel cooperans nuncupatur.

Conclus. 4. Excitans, seu præveniens alia est sufficiens tantùm, *non simul efficax*, quæ dat posse facere: alia etiam efficax, *quæ infallibiliter dat facere.*

Conclus. *Dum gratia sufficiens effectum suum*, ob quem proximè datur, nō producit, eo frustratur vitio recipientis.

Gratiam sufficientem omnibus adultis etiam excæcatis, & obduratis dari, suadet infinita Dei bonitas, & Christi Domini pro omnibus mortui copiosa Redemptio.

Deus congruo tempore, & loco dat singulis auxilium proximè, vel mediatè sufficiēs, quo cōverti, & à peccato consurgere possent.

Ex thesibus anni 1613. 8. Julij, Asserēte IACOBO LE VISSE *a Brania Comitis.*

Conclus. 1. *Ad actiones supernaturales* non requiritur prædeterminatio, vtpotè non satis cum indifferentia constans.

Ad Christi Domini (eadem de Martyribus est sententia) Passionem, & mortem, etiam cum omnibus circunstantijs, divinum se extendit decretum, prævisa tamen propter hoc posterius carnificum immani crudelitate: cùm Deum velle impietatem hanc, impium esset asserere.

Plura huius generis in promptu sunt vsque ad tempora Cornelij Ianseni, qui cū suis cœpit doctrinam censuræ, eiusque iustificationis renovare. Atque adeo verum non est sacrā facultatem in illa doctrina perstitisse.

878 Ex dictis infertur, assertū illud Doctorum Lovanienſium solùm posse verificari de Academia Lovanienſi pro eo tempore quo illa commota à Michaele Baio censuram tulit contra doctrinam Societatis, quam censuram Sixtus V. damnavit ann. 1588. 10. Iulij, alijque posteriores Pontifices, vt vidimus suprà pag. 237. à num. 648. & consequenter pro eo tempore, quo vivente Baio, illa Academia eius erroribus infecta erat: post mortē verò Baij vsque ad Cornelium Ianſenium, qui eius errores suscitavit, Doctores Lovanienſes doctrinam Societatis de indifferentia extrinseca auxiliorum sectati sunt.

Respondent Gūmarus Huygens & Ioannes Libertus Hannabel, Doctores illos non fabricatos fuisse theses illas, neque eis ex proprio sensu præsedisse; sed à discipulis compositas permisisse, & per condescendentiam quandam, eis subscripsisse, ne adolescētes discipulos contristarent. Verùm hæc responsio frivola est. Si enim, vt hi Doctores clamant, semper Academia Lovanienſis constans fuit intuenda censura à Maioribus suis lata contra doctrinam Societatis de Scientia Media, & indifferentia auxiliorum, & doctrinam de gratia per se efficaci tanquam propriam semper professa est, quomodo iuvenes intra Vniversitatem auderent doctrinam publicè deffendere contrariam doctrinæ, & professioni Vniversitatis? Quomodo præcipui illius Academiæ Doctores contra almæ Academiæ sensum, doctrinam sibi, & Academiæ contrariam defenderent, & sua Præsidentia decorarent? Si his Doctoribus habenda sit fides, non minùs illa Academia doctrinam censuræ contrariam à se alienam tunc putabat, illamque explodebat, quā nunc Religio Dominicana reijciat Scientiam Mediam; & Societas Iesu gratiam prædeterminantem. Sicut ergo incredibilia narraret qui diceret, nunc intra Ordinem Dominicanorum aliquos adolescentes eiusdem Religionis alumnos Scientiam Mediam publicè deffendere sub Præsidio Magistrorum primi

no-

nominis eiusdem familiç; & intrà Societatem Religiosos aliquos iuvenes ostentandi ingenij causa sub Præsidio Doctorum Societatis physicas prædeterminationes publicè propugnare; sic incredibile est quod intra Vniversitatẽ Lovaniensem per tot annos sub Præsidio Doctorum Lovaniensium primi nominis publicè propugnata sit indifferentia auxiliorum, si illa Academia semper constans fuit intuenda gratia per se efficaci. Falsò ergo id affirmarunt Doctores Lovanienses, qui doctrinam Iansenij hodie sectantur, videlicet Franciscus van Vianen, Gummarus Huygens, & Ioannes Hannabel.

Nunc verò Doctores non pauci Lovanienses, qui doctrinam Iansenij in præcordijs habent, gratiam efficacem cum Iansenio ponunt in delectatione victrice essentialiter cõnexa cum operatione salutari, ad quam datur, quæ delectatio impediat proximam potentiã antecedentem, & consequenter libertatem indifferentiæ ad oppositum.

§. LXIX.

Frustrà Iansenistas Lovanienses pro se citare Auctores Catholicos ponentes gratiam efficacem in auxilio prædeterminante.

879 ET Quamvis Iansenistæ artificiosè conentur Patres Dominicanos in patrocinium suæ sententiæ vocare; multum tamen in assertis differunt ab illis. Nam Patres Dominicani, quamvis gratiam efficacem ponant in prædeterminatione physica essentialiter connexa cum consensu; tamen expressè asserunt eũ hac componi, quod voluntas maneat libera libertate indifferentiæ ad oppositum, & dicunt voluntatem simul cum prædeterminatione ad actum salutarem habere proximam potentiam ad oppositum: & ita gratiam per se efficacem defendunt, vt si indicarent, ex illa sequi eversionem libertatis indifferentiæ, eam omnino negarent. At Iansenistæ tenaciter defendunt suam illam gratiam per se efficacem, quamvis sentiant cum illa non componi veram libertatem indifferentiæ ad oppositum. Vnde Iansenistæ defendunt gratiam ab intrinseco efficacem, & concedunt consequentias, quas contra illam Schola Societatis deducit: at Patres Dominicani nunquam illas consequentias concedunt. Vnde conclusio Thomistarum Catholica, & sana est; licèt Doctores Societatis contendãt, eam conclusionem non componi cum gratia illa per se efficaci. At conclusio Iansenistarum erronea est: quia de fide est, sic nos Deum movere per gratiam efficacem ad merendum, vt nobis relinquat libertatem indifferentiæ ad demerendum.

880 Hinc Magister Alvarez lib. 3. de Auxilijs disp. 22. num. 30. asserit Lutheranos, & Calvinianos non ex eo errasse, quia dixerunt, nostram voluntatem physica quadam efficacitate à Deo prædeterminari, vt velit, per efficacissimam videlicet eius voluntatem, qua illam prævenit; sed ex eo quòd malè intulerunt ex illo principio Catholico, per eiusmodi determinationem destrui libertatem arbitrij in sua operatione. Et idem affirmat Magister Ioannes à Sancto Thoma 1. p. disp. 20. art. 7. & Antonius à Matre Dei tract. 3. disp. 9. dub. 5. §. 4. num. 81. At Iansenistæ convenientes cum Dominicanis in adstruẽda necessitate gratiæ ab intrinseco efficacis, insuper conveniunt cum Calvino in asserendo per illam gratiam everti libertatem indifferentiæ, à quo longè adsunt Dominicani. Schola Societatis conveniens cum Dominicanis in adstruenda conclusione Catholica, quod scilicet operamur cum libertate indifferentiæ, & aliũde censens, hanc libertatem destrui per necessitatem gratiæ ab intrinseco efficacis, constãter negat auxilia gratiæ esse ab intrinseco efficacia. Neque insectatur sententiam Iansenistarum, vt hæreticam, quia adstruit gratiam per se efficacem; sed illam impugnat vt falsam: ac conclusionem ab illis ex illo antecedenti deductam cum Calvinistis, & Lutheranis, quod scilicet operemur sine libertate indifferentiæ, vt prorsus hæreticam expugnat. Schola Societatis firmiter iudicat, ex eo quòd gratia per se efficax sit necessaria ad observationem præcepti, carere gratia sufficienti ad illam observationem hominem, qui non observat præceptum, ac proinde non habere auxilium sufficiens ad observandum præceptum. At Patres Dominicani hanc sequelam negant, & dicunt salvari verum auxilium sufficiens ad observãdum præceptum in eo qui non observat, ac proinde in eo qui caret gratia per se efficaci ad observandum; & conantur id explicare. Et quamvis nunquam revera satisfaciant, & illud absurdum reipsa sequatur ex eorum sententia; illud tamen nunquam devorant; sed expressè dicunt non sequi; vt observavi suprà n. 694. pag. 246. Vnde Alvarez disp. 71. de Auxilijs num. 2. meritò dixit: *Nullus Catholicus potest dubitare de illa divisione auxilij in auxilium sufficiens, & auxilium efficax.* Et Ledesma de Auxilijs q. vnica art. 16. *Certum est secundùm fidem, quod detur omnibus auxilium sufficiens.* Redditque rationẽ Alvarez ibidem nu. 12. cur admittenda sit gratia verè sufficiens ad observãdum præceptum

in

in eo qui caret efficaci: *Quia si non daretur* (inquit) *gratia verè sufficiens, non posset eis, qui non convertuntur, imputari ad culpam, quod non converterentur, neque adimplerent diuina mandata, & consequenter Deus irrationabiliter conqueretur de illis, & sine causa eos increparet.* Et sæpe repetit ex sua, & omnium Prædeterminatorum sententia, dari *auxilium verè sufficiens* in non habente auxilium efficax; vt patet ex disput. 23. de auxilijs num. 32. & ex disput. 79. num. 2. & 4. At Ianseniſtæ illam sequelam admittunt, & expresè docent, non dari auxilium verè sufficiens in eo, qui caret auxilio efficaci, ac proinde docent, hominem peccare omittendo actum præceptum, ad quē eliciendum non habuit auxilium sufficiens, vt patet ex his, quæ suprà diximus à pag. 237. vsque ad 250. & denuo constat ex ijs, quæ adduxit Gummarus Huygens in thesibus propugnaris die 14. Ianuarij 1683. de doctrina Sancti Augustini circa prædestinationem & gratiam, vbi hanc exhibet doctrinam concluſ. 6. nimirum: *Quod in hoc statu* (naturæ lapsæ) *adiutorium gratiæ nunquam sit merè sufficiens, & non efficax: ita vt neque vlla verisimilitudinis specie dici possit, quòd S. Augustinus præter hoc adiutorium perseverandi, quod in hoc statu semper est efficax, admittat adhuc aliud, quod possit esse merè sufficiens.* Et ibidem conc. 7. affirmat, *quod omnis gratia propriè & exactè loquendo sufficiens, sit efficax.* Et rursus ait id in homine carente gratia efficaci solùm reperiri gratiam *sufficientem incompletè, adeoque impropriè.* Constat etiam ex ijs, quæ tradit Ioannes Libertus Hennebel Doctor Lovanienſis in thesibus publicis historico Theologicis, quas proposuit Lovanij die 12. Iulij anno 1684. nam ibi §. 2. referens verba censuræ Lovanienſis, & iustificationis eius, quam in omnibus amplectitur, inquit: *Si quis sufficienter afficitur ad prædicatum sibi Dei verbum* (inquiunt Maiores pag. 179. num. 124. iustificationis censuræ) *& errorem contrarium sufficienter aversatur, iam vult credere, eamque affectionem ipse sibi sentit ad conversionem sufficere. Si autem nondum vult credere, & adhuc fidem aversatur, nondum etiam habet sufficientem affectionem ad ea, quæ sunt proposita sibi Religionis. Vnde colligitur sufficientem præparationem nunquam esse à credendi, aut benefaciendi voluntate disiunctam. Si enim affectio bona, præparatio est: ergo sufficiens affectio sufficiens erit præparatio. Atqui probari non poterit ille ad credendum verbo Dei sufficienter affectus, qui prædicationem eius respuere perrexerit, ipsaque sufficiens ad credendum affectio iam fides est, & sufficienter ad conversionem affectus, intelligi nequit non esse conversus.*

Hic repetenda sunt verba, quibus vir doctissimus apud Ludovicum Cartherium exposuit differentiam inter Catholicos prædeterminatores, & hæreticos Calviniſtas, & Ianseniſtas, quæ verba dedi suprà num. 696.

881 Et quidem, quod citatus Doctor neget auxilium verè sufficiens ad obseruandum præceptum in homine transgrediente præceptum, inde patet, quod per omnia adhæreat censuræ illi, quam contra doctrinam P. Lesij tulit Academia Lovanienſis; at illa censura clarè hoc docet: nam improbat tanquam assertionem omnino absurdam, & contrariam Augustino sententiam P. Lesij, qui asseruit, *fieri posse, & de facto sæpe fieri, vt quis auxilium habeat præueniens omnino sufficiens in genere auxilij præuenientis ad conuersionem; & tamen non conuertatur.* Et ideo Ianſenius lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 1. authoritate censuræ Lovanienſis vtitur ad probandum, nullum dari hominibus in statu naturæ lapsæ adiutorium verè sufficiens ad benè operādū, quinsimul sit efficax, vt vidimus suprà pag. 238. n. 650. & Cardinalis Bellarminus exponens sententiam Facultatis Lovanienſis contentam in illa censura, ait: *Facultas docet, nullū auxiliū esse verè sufficiens, quod non sit efficax*, vt vidimus pag. 240. n. 660. ergo cū Libertus Hennebel per omnia sequatur doctrinam censuræ Lovanienſis, negat auxiliū verè sufficiens, vbi nō adest efficax: vnde cùm evidens sit, hominē transgredientē præceptum nō accepisse à Deo adiutoriū efficax ad obseruandum præceptum, erit verum in sensu huius Doctoris, hominem illum non accepisse auxilium verè sufficiēs ad obseruandū præceptum.

882 At callidè hic Doctor, vt censurā declinet, quam meretur eius doctrina, conatur suam causam cōmunem facere cū causa Patrū Dominicanorum; & ideo in thesi 1. historico Theologica proposita 12. Maij 1684. §. 5. hæc habet: *Quoad rem ipsam attinet, certum est, inter Thomistas & Lovanienses nullū esse discrimen. Quid enim est a parte rei gratia sufficiens Thomistarum?* Et deinde conatur probare non esse in re discrimen. Nescio an Patres Dominicani æquo animo sint audituri istud huius Doctoris effatū. Nā M. Alvarez lib. 3. respons. c. 5. n. 5. expresè docet, tanquā quid certum, *saluari veram rationem auxilij sufficientis ad conversionem, & ad quamlibet aliam piam operationem, etiam in illis, qui auxilium efficax præmouens ad eas dē operationes non recipiunt*: nomine autē auxilij sufficientis intelligit auxilium, quo peccator

bene operari poſſet ſi vellet,& vi cuius redditur inexcuſabilis, ſi non operetur. Explicans enim l.3.reſp.c.5.n.14.pag.mihi 670.quo modo non fruſtra cõferat Deus omnia alia auxilia prævenientia, ſi non dat efficax; reddit ſequentes rationes. *Primo quidẽ: nam cõferendo auxilia ſufficientia oſtẽdit ſuam bonitatem,eo quod etiam peccatoribus auxilia ſufficientia,quibus pie operari,& ſaluari poſſint ſi velint,miſericorditer adtribuit,&c. Tertiò,nam tribuẽdo eadem auxilia reddit inexcuſabiles peccatores, qui eiſdẽ auxilijs bene vti noluerũt,cũ potuiſſẽt,*& paulo poſt: *per ſola auxilia ſufficientia ſua culpa non producit* (peccator) *pias operationes, quas producere poterat,ſi vellet, neque pertingit ad vltimũ finem, ad quem per eadẽ auxilia pervenire poſſet,ſi vellet.* Et explicans quo pacto ſalverur auxiliũ vere ſufficiens ſine efficaci vbi ſupra n.5.pag.659.inquit: *Sicut qui habet potentiã viſuã, vera poteſt per illã videre, et ã ſi actu non videat, neque applicet eandẽ potentiam ad videndum. Ita proportionabiliter voluntas creata per habitus infuſos,& motionẽ gratiæ excitantis habet ſufficiens auxiliũ,quo poſsit pie operari & perſeverare vſque in finẽ, & ſaluari ſi velit: etiam ſi non recipiat præmotionẽ efficacem,qua pie operetur, perſeveret vſque in finem,& ſaluetur. Hæc eſt expreſſa ſentẽtia Auguſt.* Hucuſque Alvar. inter Prædeterminatores Princeps. Similiter M. Albelda 1.p.diſp.58.n.36.ſupponens,eum,qui caret gratia efficaci,habere vi auxilij ſufficientis potẽtiam proximã ad vtrũque,inquit: *Si inquiras, quare ſi ille, qui ſolum habet auxiliũ ſufficiens,poteſt proxime & expedite conſentire Deo vocanti,nunquã conſentit? Reſpondeo,quia ex ſua malitia vult abuti poteſtate quam habet, cum tamen proxime poſſet in vtrũque.* Quę doctrina vera & Catholica eſt; & cõſtat ex Auguſt.lib.de corrept.& Grat.c.7. vbi docet,ex eo quod perſeverantia ſit donum Dei,perperã inferri,quod non iuſtè reprehendantur,qui non perſeverant;quia nimirum per ipſos ſtetit, quod non perſeveraverint, quia noluerunt accipere donum perſeverantiæ ſibi à Deo oblatũ,dum eis contulit auxiliũ ſufficiẽs ad perſeverandũ ſi vellent; ac proinde ſibi imputare debent,quod non perſeveraverint; expreſe enim eo c.7.dicit, non fore iuſtam excuſationem reproborũ dicentium, *Non accepimus perſeverantiam: Quoniam* (inquit) *poteſt dici: in eo quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles.* Ergo iuxta Auguſt. auxilium ad perſeverandum ſufficiens,eſt illud,quo quis poteſt perſeverare ſi velit;id eſt vi cuius ipſi liberũ eſt perſeverare ſi velit.Hinc idem Auguſt.eodẽ lib:de correp.& Grat.c.12. *Poſſet* (inquit) *Adam perſeverare,ſi vellet, quia non deerat adiutorĩũ per quod poſſet; ſed quia noluit permanere,profectò eius culpa eſt.* Et quæſt. 2. ad ſimpl. *Noluit Eſau, & non cucurrit; ſed ſi voluiſſet, & cucurriſſet,Dei adiutorio perveniſſet, ni vocatione cõtempta reprobus fieret.* Ergo iuxta Auguſt. auxilium ſufficiens conſiſtit in eo, quod quis vi illius poſsit operari ſi velit, & operando accipere bonã operationẽ,quam ſibi Deus offert,vnde quod careat adiutorio efficaci,quo fit, vt operemur,eius culpa eſt.

883 Quare idem M.Alvar.eo c.5.n.8. pag.663. evidentia rei convictus, fatetur, voluntatem creatam poſſe impedire exiſtentiam auxilij efficacis. Sic enim ait: *Quamvis tale auxilium efficax non ſit in poteſtate volũtatis,neque dependeat ab illa,vt a cauſa efficiente, eſt tamen in poteſtate noſtræ volũtatis ſe impedire, ne ſibi conferatur à Deo tale auxilium, vt 3. contra gentes c.159.& 160. docet S.Thomas.*

§. LXX.

Quamvis prædeterminatores Catholicè dicant, reperiri auxiliũ vere ſufficiens in eo, qui caret efficaci; id tamen reipſa in ipſorum ſententia ſaluari non poteſt.

884 SED Quomodo hæc,quæ Catholicè & verisſime docent Prædeterminatores Thomiſtæ,cohærere poſsit cum eorũ doctrina de neceſsitate gratiæ prædeterminans,& de neceſsitate phyſicæ prædeterminationis ad ſingulos actus liberos,etiam ſi ſint intrinſece mali; ego non capio; & videtur mihi penitus inintelligibile. Non enim eſt auxiliũ vere ſufficiens ad aliquam operationẽ, & quale requiritur,vt Deus per præceptũ ſuum obliger ad eam eliciendã; illud, cui repugnat coniungi cum operatione, niſi ſuperaddatur aliud auxiliũ entitative diſtinctũ, omnino independẽs ab arbitrio hominis, & à ſolius Dei nutu dependens: quia non eſt auxilium vere ſufficiens illud vltra quod aliud requiritur, quod nec actu datur in operãte,nec eſt in eius arbitrio illud acquirere:vt meo quidẽ iudicio, manifeſte evincũt ea,quæ dixi ſupra à pa.224. toto §.39. Nec per hominẽ ſtabit, quod non obſervet præceptum, quando citra vllam culpam ſuam privatus eſt auxilio prædeterminãte, ſi iſtud eſt eſſentialiter prærequiſitum ad exercitium operandi; ſed vnice ſtabit per Deum, qui nulla præcedente culpa hominis, ipſum deſtituit auxilio omnino prærequiſito ad operationem, quam illi præcipiebat: vnde homini illi Deus omnino præciperet aliquid impoſsibile; quia præciperet, vt cum ſolo auxilio ſufficienti, quod habet, &

ſi

sine auxilio prædeterminante, quo caret, eliceret actum præceptum: at si auxilium prædeterminans est prærequisitum ad operandum; est chymera operari cum solo auxilio sufficienti, & sine auxilio prædeterminante: ergo præciperet chymæram. Præterea damnaret hominẽ, quia non fecit chymæram; quia damnat hominem, quia non posuit actum præceptum in circunstantijs, in quibus caruit prædeterminatione ad ipsum ponendum: at si prædeterminatio est prærequisita ad actum; chymæra est, quòd homo actum ponat in circunstantijs, in quibus caret prædeterminatione, ergo damnaret hominem, quia non fecit chymeram.

885 Neque intelligi potest, quomodo in illa sententia sit in potestate voluntatis se impedire, ne sibi conferatur à Deo auxilium prædeterminans. Etenim illa non potest se impedire ne sibi detur auxilium ad eliciendum amorem Dei præceptum, v. g. per omissionem illius amoris, quia omissio illa essentialiter præsupponit carentiam prædeterminationis ad amorem; sicut amor præsupponit prædeterminationem; ac proinde iam supponit impeditam prædeterminationem ad amorem, quia per illam omissionem amoris non se potest impedire, ne sibi conferatur à Deo prædeterminatio ad amorem. Nec item se potest impedire per aliquem actum prævium; nihil enim potest facere, quo necessiter Deum ad non conferendum ipsi prædeterminationem ad amorem. Præterea, cum voluntas creata nullum actum possit elicere quin prædeterminetur à Deo ad illum eliciendum; & cum non sit in eius potestate facere vt Deus prædeterminet ipsam ad ponendum actum, quo impediat existentiam gratiæ efficacis ad eliciendum amorem præceptum; non erit in eius potestate se impedire, ne sibi conferatur auxilium efficax ad eliciendum amorem præceptum; ac proinde quando adest gratia prædeterminans ad eliciendum amorem, non eliciet libere amorem; quia sicut se non potest impedire à recipienda prædeterminatione amoris, ita non potest se impedire ab efficiendo amore: & quando caret prædeterminatione ad amorem, necessario omittet amorem; neque stabit per ipsam, quod non eliciatur amor, sed per Deum qui pro libito suo non voluit prædeterminare voluntatem ad amorem; nam ex eo quod negata sit prædeterminatio ad amorem, necessario infertur, quod omittatur amor: voluntas enim non potest facere, ne negata sit prædeterminatio amoris; ergo neque potest facere ne existat omissio amoris.

886 Exemplum vero petitum à potentia visiva, potius clarissime probat, non habere auxilium vere sufficiens ad amorem, eum, qui caret prædeterminatione, ad amandum, neque potest illam acquirere, si semel illa est necessaria ad eliciendum amorem. Non enim habet potentiam sufficientem ad legendam epistolam ille, qui habet limpidissimos oculos, si sit in medijs tenebris, neque possit ab illis se expedire perveniendo ad lucem: neque potest reprehendi quod non legat epistolam, quando caret luce, neque potest illam acquirere; quia illam legere tunc est impossibile: ergo neque habet potentiam vere sufficientem ad amandum, ita vt ei imputetur ad culpam quod non amet, ille, qui caret prædeterminatione ad amorem, neque pro libito suo potest illam acquirere, quia in illa sententia non minus prærequisita est prædeterminatio ad amandum, quam lux ad legendum. Vnde qui habet potentiam visivam, ideo reverà potest per illam videre, quamvis actu non videat; quia potest illam applicare luci, quæ essentialiter prærequisita est ad videndum. At voluntas carens prædeterminatione ad amandum non potest se applicare ad illam prædeterminationem, seu prædeterminationem illam acquirere, ergo voluntas carens prædeterminatione ad amandum, non habet auxilium vere sufficiens ad amandum, si prædeterminatio sit prærequisita.

In nostra autem sententia optime intelligitur, quomodo sit in potestate nostrę voluntatis se impedire ne sibi conferatur à Deo auxilium efficax; quia cum supposita entitate auxilij efficacis possit illi resistere, & cum illa coniungere omissionẽ operis, quod Deus mediante entitate illius auxilij facit vt voluntas nostra faciat, potest impediendo efficaciam auxilij in actu secundo, efficere ne Deus sibi contulerit auxilium efficax, dum contulit entitatem illius auxilij, quod defacto est efficax. Deus enim dans entitatem auxilij plenè sufficientis, & vltra quod aliud non prærequiritur ad operandum, dat quantum est ex se rectam operationem; cuius operationis donationem impedire potest voluntas omittendo talem operationem. Vnde si caret tunc auxilio efficaci, non est, quia Deus noluit dare, sed quia ipsa non vult accipere; vnde vnice per hominem stat, quod non convertatur cum auxilio plenè sufficienti, quod Deus ipsi contulit; & propterea iustissime reprehenditur, quod noluerit converti, quia Deus ipsum infallibiliter convertisset, nisi ipse restitisset auxilio. Quæ est sententia perspicua Augustini q. 2. ad impl. vbi inquit: *Noluit Esau, & non concurrit; sed si voluisset & cucurrisset, Dei auditorio perveniisset, qui etiam*

velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret. Vide quæ dixi to. 1. pag. 282. n. 123. eſt etiam ſententia S. Thomæ, qui lect. 5. in cap. 6. Ioannis inquit: *Ex quo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe trahere, non imputatur ei, ſi aliquis non accipiat, ſed ei, qui non accipit.*

887 Et *in primum* diſt. 40. quæſt. 4. artic. 2. in argumento *Sed contra*, cum Dionyſio, Auguſtino, & Anſelmo, dicit: *Quod cauſa quare iſte non habet gratiam, eſt, quia ipſe noluit accipere, & non quia Deus noluit dare, qui lumen ſuum omnibus offert.*

Hinc quia Pelagiani ex doctrina Auguſtini aſſerentis, obedientiam mandatorum eſſe donum Dei, inferebant, iniuſtè corrigi non obedientes, & dicebant apud ipſum cap. 6. de Correptione & gratia: *Obedientiam non accepimus, quid itaque corripimur, quaſi eam nobis dare poſſimus?* Ideo Auguſtinus huic quærelæ reſpondet cap. 7. *Iuſtè quidem corripi, quia ſufficientiam ex Deo habentes, vt in bono perſeverarent, ad malum tamen declinaverunt.* Quia nimirum obſervantia mandatorum, & perſeverantia in bono, licèt ſit donum Dei; ita per collationem auxilij ſufficientis eſt oblatum homini, vt vnicè ipſe illo careat, quia noluit accipere; ac proinde ſibi vnicè imputare debet, quod illo careat; caret enim quia noluit accipere, nõ quia Deus noluit dare.

§. LXXI.

Aliud caput commendandi doctrinam Societatis de indifferentia auxiliorum, & ſcientia media, ex convicijs, quibus illam onerant hæretici Lutherani, Calviniſtæ, & Ianſeniſtæ.

888 COMMENDAVIMVS Suprà à pagina 232. doctrinam Societatis de indifferentia auxiliorum, & ſcientia media ex multiplici capite, nimirum primò ex victoria, quam obtinuit, dum toties accuſata à Patribus Dominicanis apud omnia Tribunalia, immunis evaſit ab omni nota, & cenſura: reus enim accuſatus, vincit, hoc ipſo quòd liber evadat, actore non probante. Secundò ex victoria, quam obtinuit à Michaele Baio, & fœderatis eius. Tertiò ex victoria, quam obtinuit à Cornelio Ianſenio Iprenſi: cuius occaſione longam digreſſionem fecimus ad detegendos errores Ianſeniſtarum, præcipuè eorum, qui in Academia Lovanienſi viguerunt poſt Ianſenium, & vſque modo doctrinam eius in medullis habent: quod eo fine fecimus, vt Academia Salmantina, Complutenſis, & aliæ, in quibus exigua eſt notitia huiuſmodi errorum, calamum ſtringant, & tam pernitioſa dogmata oppugnent, & vt orbis Chriſtianus cognoſcat, falſum eſſe rumorem, quem Lovanienſes aliqui Doctores ſpargere conati ſunt, videlicet non eſſe nunc in Belgio Ianſeniſtas vllos, ſed Ieſuitas pro Ianſeniſtis habere illos, qui indifferentiæ auxiliorum, & ſcientiæ mediæ infenſi ſunt. ſpero enim fore, vt qui hæc mea ſcripta legerit, evidenter deprehendat, hanc non eſſe cauſam privatam Societatis Ieſu, ſed communem totius Eccleſiæ, quæ vt hæreticas deteſtari debet quinque propoſitiones Ianſenij damnatas ab Innocentio Decimo, & ab Alexandro Septimo, & credere illas eſſe damnatas in ſenſu ab authore intento; nimirum in ſenſu genuino & litterali, quem ex antecedentibus, & conſequentibus certum eſt, propoſitiones illas reddere. Nunc tempus iam eſt, vt reliqua capita commendandi doctrinam Societatis Ieſu de indifferentia auxiliorum, & ſcientia media proponamus, & huic labori finem imponamus.

889 Ineffabilis Dei providentia hæc arma Eccleſiæ ſuæ dedit, quando illa maximè neceſſaria fuerunt ad defendendam ipſam ab oppugnatione Lutheri & Calvini. *Nam*, vt ſapienter adnotavit Pater Valentinus Herice tractato primo de ſcientia, diſputatione ſeptima, capite primo, numero octavo, *quo tempore Lutherus liberi arbitrij indifferentiam in operando funditus evertere tentavit, remque eſſe de ſolo titulo, nec iam liberum, ſed ſervum arbitrium vocandum contendebat; eo Societatem noſtram diuino nomine inſignitam erexit conditor omnium, & inſtruxit Dominus exercituum, doctiſſimoſque eius familiæ Scriptores, vt canes ad cuſtodiam adverſus hos lupos aduigilantes cœleſti lumine perfudit, atque illuſtravit ſcientia, qua libertas arbitrij contra Lutherum, & Caluinum, alioſque Sectarios defendi poſſit.*

Hactenus Herice, qui opportunè obſervat id, quod in vita Venerabilis Cardinalis Bellarmini Hiſpanico idiomate conſcripta libro tertio, capite nono dicitur, & in Diſputationibus coram Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. circa materiam de auxilijs Romæ agitatis ſæpe annotatum eſt, nimirũ primos illos Societatis Ieſu in Theologia anteſignanos, per varia mundi climata diviſos, videlicet per Germaniam, Flandriam,

Hiſ-

Hispaniam, Galiam, Italiam, & occiduos Indos, sine mutua inter se communicatione in eandem de scientia media, & indifferentia auxiliorum conspirasse opinionem. quos enim Deus elegerat ad defendendam Ecclesiam suam ab impugnatione hæreticorum, qui libertatem libri arbitrij negabant, his validissimis armis munire voluit.

Vnde Pater Ferdinandus de la Bastida, cùm coram Paulo V. de gratiæ efficacia disputaret anno 1605. sic loquutus est: *Fateor ingenuè, me rem hanc cum doctissimis Societatis nostræ Theologis Italis, Gallis, Hispanis, Flandris, Germanis verbo & scripto summo studio & diligentia contulisse, eosque omnes in ea convenisse sententia, quam meis quidem verbis, communi tamen omnium nomine vestræ Sanctitatis iudicio proponam fideliter, & correctioni subijciam.*

889 Ratio autem, cur huius temporis hæretici tanto odio doctrinam hanc Societatis averlentur, est; quia illa evertit principia, ex quibus hæretici eversionem libertatis per necessariam consequentiam deduci non immerito inferebant. Principia hæreticorum fuere, nihil posse hominem in hoc naturæ lapsæ statu operari, quin Deus suo antecedenti, & ineluctabili decreto voluntatem eius ad illud opus determinet, & quin illam ad operandum trahat motione prævia irresistibili, seu adeo valida, vt ei resistere sit penitus impossibile. Ex quo principio promptum fuit illis deducere, hominem non liberè, sed necessariò operari. Hoc autem principium Schola Societatis evertit, probando, infallibilitatem, qua divina providentia facit, vt homines opera salutaria eliciant, non esse petendam ex decreto divino efficaci & absoluto omnino antecedenti, & ex medijs antecedentibus ex se essentialiter connexis cum nostra operatione; sed ex omnipotentissima potestate, qua Deus pollet inclinandi & trahendi voluntatem suaviter ad consensum varijs & miris modis, de quibus per scientiam contingentem conditionatam sibi non liberam cognoscit, quem eventum sint fortituri: vnde quia in thesauris suæ omnipotentiæ habet infinita auxilia, quæ licèt ex se non sint essentialiter connexa cum consensu, ad quem inclinant, tamen per illam scientiam apparent congrua, ad exprimendum à voluntate consensum, ad quem inclinant; Deus hac scientia instructus, facit cum infallibilitate, vt homines rectè operentur per media intrinsecè indifferentia, id est conjungibilia cum carentia operationis, ad quam vnicè movet. Vnde infallibilitas ex parte Dei salvatur beneficio omnipotentiæ ad movendum per varia & mira media, & beneficio scientiæ conditionatæ deprehendentis, quænam ex illis medijs sint reipsa obtentura effectum, si applicentur: & libertas ex parte creaturæ salvatur, quia, vt definit Concilium Senonense, *tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti possit*, id est, quia entitas auxilij prævenientis, quo Deus infallibiliter facit vt faciamus, talis est, vt possit suo effectu privari per arbitrium voluntatis: siquidem illa entitas, etsi vnicè impellat ad actum bonum, & nullatenus ad actum pravum, tamen quia inclinat ad illum liberè ponendum, est de se indifferens, vt contra sui inclinationem coniungatur cum actu pravo. Et quia non facilè est probare, gratiam per se efficacem essentialiter supponentem absolutum & efficax Dei decretum, esse necessariam ad nostram operationem; ideo hæretici indignantur contra hæc Societatis principia. Ecòtra verò laudant sententiam Patrum Dominicanorum de gratia prædeterminante; quia licèt videant, eos ipsis ex diametro opponi in conclusione, quatenus tanquam de fide certum supponunt, voluntatem nostram operari cum libertate indifferentiæ, & conclusionem oppositam Lutheri, & Calvini, vt manifestam hæresim repudiant; tamen quia sciunt, hos Doctores cum ipsis convenire in principijs; nempe in asserendo, voluntatem nostram non posse aliquid eligere, quin à Deo prædeterminetur; nec posse actum salutarem operari, quin permoveatur ad ipsum eliciendum per gratiam ab intrinseco efficacem, & ex se essentialiter connexam cum consensu; ideo hanc sententiam quoad principia, quibus innititur, suspiciunt, & obvijs vlnis amplectuntur, & tanquam genuinam Augustini sectantur, quia nimirum admissis illis principijs de necessitate decreti absoluti, & prædeterminantis, arbitrantur se posse de Catholicis triumphare.

890 Vnde Ferdinandus de Mascareñas tractatu de auxilijs disputatione secunda parte quarta numero vigesimo primo, dixit: *Cùm impiè vellent, Lutherus nempè & Caluinus, liberum arbitrium rem de solo titulo facere, consequenter asseruerunt creatas voluntates physicè ab illo determinari, quia rectè sciebant ea determinatione quocumque modo amissa tolli arbitrij libertatem.* Et quamvis Magister Alvarez loco suprà citato; & insuper libro secundo responsionum capite 2. nu. 7. & lib. 4. capite tertio numero 16. dicat Calvinum *ex antecedenti Catholico, videlicet ex decreto Dei æterno, & ex gratia efficaci*

determinante infallibiliter voluntatem, vt cooperetur Deo vocanti, & mouenti intulisse per consequentiam pessimam destrui libertatem arbitrij. Idque ipsum dicit Ioannes à S. Thoma disp. 20. ar. 7. §. *Igitur cum nobis*, & communiter reliqui Prædeterminatores Catholici: tamen hanc illationem ex illo antecedenti esse legitimam, & omnino necessariam, non solùm asserunt hæretici; sed maior pars Ecclesiæ Catholicæ; vt ostendi suprà in hac disp. §. 38. pag. 222. à num. 586. Hinc modestissimus Suarez lib. 1. de auxilijs cap. 12. num. 1. reddens rationem, cur nunquam sententiæ de physica prædeterminatione assentire potuerit, inquit: *Et hoc sit primum non leue fundamentum, quod nos ad illam sententiam reijciẽdam plurimum mouet, ne scilicet cum hæreticis in illo principio, nulla authoritate vel necessitate cogente, conueniamus, cùm aliàs difficillimum iudicemus veram hominis libertatem tueri, si voluntas nostra ex efficacia diuina hoc modo physicè prædeterminetur.*

891 Quantum autem aversentur doctrinam hanc Societatis hæretici nostri temporis, constabit legenti Patrem Theophilum Raynaudum in disciplina Morali dist. 2. quæst. 3. art. 2. num. 260. vbi ita scribit: *Sectarij nigrothera suffigunt Molinam, & vniuersos Societatis Scriptores, quod antecedentes huiusmodi suppositiones & prædeterminationes reijciant. Vsque adeo vt Ferrius, Metensis reformati Euangelij Minister, scripto virulentissimo annis superioribus edito, effutiuerit, Iesuitas hanc ob causam esse ter hæreticos; laudaritque B. Iñez & eius assecias contra sentientes, tanquam assequutos sinceritatem Catholicæ veritatis, quæ cuiusmodi apud Sectarium sit, non est obscurum. Quid quòd Synodus Batauica, in conuiuio eorum pariter potantium, Dordraci, strinxit anathema in sententiam Molinæ? De quo bruto fulmine aliàs. Passim etiam nostrates hæretici eandem molam versant, non exigua, apud cordatos æstimatores, sententiæ, quam exagitant, commendatione.*

892 Id constabit secundò legenti eundem Raynaudum *in noua libertatis explicatione* par. 2. cap. 1. num. 3. vbi in medium producit Guillelmum Amesium Anglum Puritanum Batauicæ Matheologię apud Frankarenos Professorem in opere, quod *Bellarminum enervatum* intitulavit, vbi Molinam, Suarium, Becanum, & præ cunctis Bellarminum *Pelagianismi apertè insimulavit, & gratiæ cum reliquis Iesuitis infestos prohostes* nuncupavit, tantùm quia *prædeterminationes physicas humanæ voluntatis inficiantur*, summisque laudibus extollit Didacum Alvarez, eiusque vestigijs insistit, ex eoque cuncta plagiatur, quibus scientiam mediam, & indifferentiam auxiliorum impugnat.

Constabit tertiò legenti Patrem Anatum in *Apologia* pro scientia media disp. 1. cap. 1. n. 5. apud quem Guillelmus Tuisius Hollandus Calvinista inter suos Theologiæ Professor, scientiam mediam *detestandam hæresim* vocat, & *Dogma quolibet alio vertigino sius*; additque, nullam esse sententiam *magis infamem, magisque conuincibilem infamiæ, neque diabolum quidem illius sententiæ consortem esse: neque enim vel Angelos tenebrarum adeo obtuuisse, vt nobiscum sentiant.*

Et quia Ecclesia Calviniana superioribus annis scissa fuerat in Hollandia Arminianorum secessione, qui impia dogmata Calvini circa libertatem arbitrij, & divinas malorum actuum præfinitiones cum horrore introspicientes, ad castra Catholicorum confugere, qui concursum Dei ad actus malos, imo & ad actus bonos sine decreto prædeterminanti explicant; & quia inter hos authores non parum eminet Gabriel Pennotus ex ordine Canonicorum Sancti Augustini in aureo illo *Humanæ libertatis propugnaculo*, & Eximius Doctor Pater Franciscus Suarez; horum Doctorum lectione iuvabantur, tum in invadendis Calvinianorum castris, tum in eorum impetu repellendo, quod ijs verbis deplorat Tuisius apud Anatum ibi num. 4. *Mundus olim* (inquit) *miratus est, ab ebrio Imperatore, videlicet Alexandro Magno, cum ebrio exercitu subactum esse orientem: an non potiori ratione nobis hodie mirandũ sit, à tam vertiginosis Theologis cũ dissertationibus suis summè vertiginosis, res occidẽtis Ecclesiasticas bene constitutas, posse de nouo concuti; & labefactari. Viget tamen hodie Pennotus inter nos, & multorum manibus versatur hoc opus eius ad humanam libertatem propugnandam, vel inuita gratia destinatum.* Paria dicit de Suario.

893 Constabit quartò legenti apud eundem Annatum in eadem Apologia disp. 4. cap. 4. §. 1. n. 96. Amesium Calvinistam ita loquentem: *Iesuitæ scientiam finxerunt, quam mediam appellant, qua Deum dicunt ante decretum suæ voluntatis certò cognouisse, quid Petrus ex sua innata libertate facturus esset, si tali loco & tempore conuersio ipsi suaderetur.* Et loquens de concursu indifferenter oblato prout ab omnibus Scie-

cietatis Doctoribus ponitur, inquit, *Novum istum commentum Iesuitarum solidè refutatur a Thomistis, vt videre est apud Alvarem disp. 22. num. 21.*

Sententiam verò Patrum Dominicanorum de præfinitionibus antecedentibus omnino absolutis, & de concursu prævio prædeterminante, maximis extollit laudibus Amesius, affirmans, illam in re non differre à sententia Calvini. *Quoad rem ipsam attinet, nihil aliud voluit nostri* (id est puri Calvinistæ) *quam quòd Scholastici docent Thomistæ. Deus motione prævia efficaciter applicat voluntatem creatam, vt liberè & infallibiliter operetur; sicut etiam applicat causas secundas, vt naturaliter operentur.* Et iterum: *Sensus nostrorum non est alius, quam qui à Thomistis approbatur, hominis voluntas est quodammodo Dei instrumentum, non purum & merum, sed liberum.* Alvarez disp. 68. n. 5.

Et quamvis hæreticus iste mentiatur, dum asserit, nihil aliud velle Calvinum, eiusque asseclas, quàm quod docent Thomistæ; si de conclusione intenta à Calvino, & à Thomistis sit sermo: siquidem Calvinistæ hæreticâ mente, intendunt stabilire tanquam conclusionem certam, hominem sic moveri à Deo per motionem præviam prædeterminantem, vt operationem eliciat sine libertate indifferentiæ, & cum sola voluntarietate & spontaneitate, seu cum sola libertate à coactione: At Thomistæ sana semper & Catholica mente intendunt componere cum sua illa prædeterminatione conclusionem apud omnes Catholicos inconcussam, nempè quòd voluntas mota à Deo per gratiam efficacem, eliciat actum salutarem cum libertate proxima indifferentiæ ad omittendum. Tamen si non de conclusione intentâ, sed de principijs, vnde illam hæretici deducunt, loquatur; verum dicit; vt fatentur ipsi Thomistæ, dum asserunt, hæreticos non errare in antecedenti; sed in inferendo ex antecedenti vero conclusionem falsam. An id assequantur, iudicet prudens Lector: nam argumenta, quæ Schola Societatis, & maior Ecclesiæ pars conficit, ad probandum ex necessitate gratiæ prædeterminantis inferri eversionem libertatis indifferentiæ, validissima sunt; & probant, errorem conclusionis hæreticæ non fundari in mala illatione, sed in falso antecedenti, proindeque ad salvandam conclusionem Catholicam, satius esse, negare antecedens, quàm eo concesso, negare consequentiam, quæ non solùm hæreticis, sed plurimis, sapientissimisque Doctoribus Catholicis evidens appareat; & talis reipsa mihi videtur. Sed quidquid sit, an hæretici mentiantur, dum dicunt, se eadem docere, quæ docent Prædeterminatores cum Magistro Alvarez; ex illorum testimonio evidens & manifestum fit, sententiam Patrum Dominicanorum de physica prædeterminatione ipsis acceptam esse; sententiam verò Societatis de scientia media, & indifferentia auxiliorum ipsis esse odiosam, & invisam; & propterea eius sectatores tantopere aversari, quia benè norunt, non posse hæresim Calvinianam & Lutheranam de libertate subsistere; si sententia Societatis prævaleat.

894 Audiamus hæc de re Tuissium Calvinistam, qui apud Patrem Anatum disputatione 1. capite 1. numero 5. & disputatione 4. c. 4. §. 1. nu. 97. in præfatione sui operis contra scientiam mediam, in qua se adhærere Calvino tanquam Sancto Dei, profitetur, sic loquitur: *Sciat autem Lector eruditus; & diuinæ veritatis studiosus, haud levem esse, quæ hic agitur, quæstionem, sed maximè momentosam. Aduertunt enim aduersarij veritatis siue Iesuitæ siue Arminiani, nisi doctrina ista de scientia media sarcta recta conservetur, sententiam ipsorum de gratia & libero arbitrio stare non posse: profligata verò illa sententia de scientia futurorum, quam mediam vocant, & nostram de gratia & libero arbitrio sententiam inconcussam perstare: & ipsorum oppositam nostræ ruere vniuersam.* Hæc ille. Quis non videat, Doctori Calviniste ita loquenti, non minùs placere sententiam Dominicanorum, quæ scientiam mediam explodit, & absolutas liberorum actuum præfinitiones omnino antecedentes adstruit; quam illi displiceat sententia Societatis, quæ illas præfinitiones explodit, & scientiam mediam adstruit.

895 Et quidem quod Hæretici sententiæ Patrum Dominicanorum de motione prædeterminante adhæreant, & sententiam Societatis ita aversentur, vt illam errorem in fide appellent; testatur apud Anatum disp. 4. cap. 4. §. 2. n. 103. Illustrissimus Bellicensis Episcopus in opusculo edito Parisijs paulo ante an. 1656. (in quo Anatus suam Apologiam in lucem edidit) *de Accessu Protestantium ad Ecclesiam Romanam.* Cùm enim duas retulisset sententias Romanorum, Thomistis videlicet ac Iesuitis inhærentium, subdit, *Protestantes* libenter se adiungere *illi parti* Romanorũ, in qua sunt Thomistæ: sed in eo differre, quòd erroris in fide partem aliam accusent, quos illi ipsi Romani, quos sequuntur, non faciunt, qui vtramque sententiam probabilem putãt, donec aliud statum sit

ab Ecclesia. Omitto alia, quia dicta sufficiunt ad persuadendum, quanto odio ferantur hæretici Calviniani in doctrinam Societatis de auxilijs, & in principia, quibus nostra Schola nititur: & quanto ardore probant principia Dominicanorum de decretis antecedentibus omnino absolutis, & prædeterminantibus.

896 Quantum autem Ianseniſtæ eadem principia aversentur, constat ex ijs, quæ suprà §. 45. à num. 685. narravimus Ianseniũ ipsum adversus scientiam mediam & gratiam ab extrinseco efficacem machinatum fuisse: & ex ijs quæ produximus §. 48. à num. 710. pag. 251. Et ad id persuadendũ satis est scire, Doctores aliquos Lovanienses, vt Franciscum van Vianen, Gummarum Huygens, & Ioannẽ Hannebel vsque hodie maximis laudibus extollere censuram illam Lovanienſem editam à Michaele Baio, & eius asseclis an. 1586. contra doctrinam Societatis; qua vsus est Ianſenius ad suos errores confirmandos, & quæ continet Ianseniſmi medullam, vt supra ostendimus pag. 238. Verba huius censuræ satis manifestant, quàm infensa sint Ianseniſtis Societatis principia. ea invenies nostro to. 1. pag. 531. num. 500. Sanè censura illa, quæ meruit ab hæreticis Calviniſtis, & Ianseniſtis summis laudibus celebrari, digna non est, quæ à viris Catholicis laudetur. Quàm autem illa fuerit grata Calviniſtis, constabit legenti encomiũ celeberrimum, quod de ipsa dedit Melchior Leydeckerus Doctor Calviniſta, Theologiæ Professor Vltrajecti. Siquidem hic Doctor hæreticus plures edidit theses, verè Historico Theologicas; & in thesi 52. propugnata 26. Iunij an. 1680. cùm enarrasset, quo modo à variis tum Episcopis, tum alijs viris præcipuis Religionis Catholicæ Bulla Pontificis contra Ianſenium fuerit admissa; deinde subiungit: *At cordatiores his Papæ adulatoribus fuere Lovanienſes, qui in sua perſtiterunt mẽte, eoque vehementiùs invecti sunt in Ieſuitas omnium perturbationum causas, neque defuerunt in hunc vsque diem in vniuerſitate Lovanienſi Doctores, qui Ianſenio faverent, quidquid impotens Papa fulminaverit. Vtique necdum erant obliti viri docti anteceſſorum suorum censuræ ... quã probaverat Ianſenius, quæque totius adeo Ianſenij voluminis approbationem continebat.* Tùm laudat censuram illam, vt *nervoſiſſimam & dignam omni laude.* Hucusque hæreticus ille, qui absdubio per illa verba *Neque defuerunt in hunc vsque diem Doctores, qui Ianſenio faverent*, Franciscum van Vianen, & Gummarum Huygens indigitat, qui si reipsa in corde doctrinam Ianſenij non haberent, stringere calamum deberent, & ostendere hominem istum calumniatorem esse. Audiant ab hæretico homine hoc elogium Doctores Catholici, qui incautè illam censuram contra doctrinam Societatis allegarunt, & erubescant allegasse.

§. LXXII.

Vltimum caput commendandi doctrinam Societatis in controverſia de auxilijs, ex teſtimonio præſtantiſsimi Theologi, qui à Caluiniſmo ad fidem Catholicam converſus dicere ſolebat: Si omnes Catholici essent Prædeterminantes, ego non essem Catholicus: *& ex alijs exemplis, & teſtimonijs.*

897 IAM Suprà pag. 222. §. 38. & 39. ostendi quantum ad convertendos hæreticos præstet doctrina Societatis in materia de auxilijs, doctrinæ Patrum Dominicanorum. Vt autem veritas hæc clarior fiat, ipsam statui duplici exemplo firmare. Sit primum, ipsumque mirabile testimonium, quod de se ipso præbuit R. P. Andræas Iunius, insignis è nostra Societate Theologus, Primariusque olim Theologiæ Professor in Murciano nostro Collegio, & postea in Matritensi. Fuit P. Iunius natione Caledonius, seu Scotus, ex oppido ignobili Diœcesis Abredoniæ: cumque parentes nactus esset sanguine & honestate claros, quamvis cæco Protestantium errore infectos, à teneris annis imbutus fuit infensissimis Calvini, Lutherique dogmatibus; cæterum quo florebat ingenij vigore vel puer adhuc suspicabatur, procul esse à vera Religione sectam illam, quam simul cum lacte hauserat: ideoque frequenter orabat Deũ, vt ipsum per veræ Religionis semitam duceret, ad idque obtinendum plurima, egregiaque pietatis opera exercebat, adeò exactè, vt nil vnquã contra dictamen propriæ conscientiæ auderet. Callebat miro omnium plausu nõ solùm philosophiam, idioma Græcum, Latinum, & Hæbraicum; verùm & omnes facultates liberales, quin vel vna reperiri possit, quã supra mediocritatem non intelligeret. Inclinata fuit divina pietas tot iuvenis precibus, proindeque disposuit, vt ipse incideret in opera Cardinalis Bellarmini, & Patris Gregorij de Valentia, quorum doctrina, & splendoribus caliginem è proprio intellectu fugavit: cùm enim ipsi nihil difficilius appareret in sectis Calvini, & Lutheri, quàm merita, & peccata componere sine libertate indifferentiæ, statim ac volumina Bellarmini, & Valentiæ evolvit, circumfulsit eius intellectum splẽdor divinæ lucis, quo vidit clarissimè, etro-

neum

neum eſſe dogma illud, prorſuſque commentitium: his motionibus ſubiunxit Deus miram quandam loquutionem Beatæ Virginis, vt creditur, ad iuvenem Andræam, qua invitabatur ad Catholicorum doctrinam amplectendam: annuit ille, & vt ſe inter Catholicos reciperet, in Hiſpaniæ oram appulit, Matritumque pervenit, vbi tot modeſtiæ, pietatis, & doctrinæ radios effudit, vt in Societatem noſtram admiſſus exemplar fuerit virtutis, & ſapientiæ, ibi namque, poſtquã Compluti Sacram Theologiam aprime didicit, Philoſophiam, poſteaque Theologiam docuit omnium acclamatione per plures annos, typis mandavit integrum volumen de providentia, & prædeſtinatione, opus præſtantiſsimum, ingenijque elegantiſsimo acumine elaboratum. Alia opera prælo matura reliquit, obijtque fęliciſsime die 21. Auguſti ann. 1679. Hic ergo nobilis recentior ſæpe familiaribus dicere ſolebat hæc digna notatu verba: *Si omnes Catholici eſſent prædeterminantes; ego non eſſem Catholicus.* Inter plures alios, qui ſupradicta verba ab ipſo P. Iunio in familiari ſermone receperunt, vnus eſt P. Franciſcus de Gamboa noſtræ Societatis Vir pietate & doctrina præſtantiſsim. Philoſophiæ, Theologiæque olim profeſſor, Exſecretarius Provinciæ Toletanę, deinde Matriti Rector vigilantiſsimus Novitiatus, ibidemque poſtea Præpoſitus Domus noſtræ Profeſſæ, qui verba illa ab ipſo P. Iunio ſe audiviſſe teſtatur in epiſtola data Matriti die 19. Ianuarij an. 1684. quam mihi ſcripſit, quam que apud me habeo. Perpende, rogo, Lector, adductum teſtimonium. En Virum in Sacra Theologia verſatiſsimum, Virum ſubtili ingenio florentem, Virum ſummo Religionis zelo flagrantem, Virum Calvini, & Lutheri erroribus quondam infectum, Virum, qui eo præcipuè errores illos Calvini, & Lutheri depoſuit, quia difficillimum ipſi videbatur dogma illius ſectæ aſſerentis poſſe ſalvari meritum, & peccatum ſine libertate indifferentiæ, hic pleno ore pronuntiat, ſe nunquam futurum Catholicum ſi omnes Catholici eſſent prædeterminantes, quia clariſsimo ſuo iudicio non minus arduum reputabat, ſtando rationi, libertatem indifferentiæ cum prædeterminatione componere, quam meritum & demeritum cum neceſsitate antecedenti, excludente libertatem indifferentiæ, conciliare. Arduum non minus ipſi videbatur poſſe componere meritum, & demeritum cum prædeterminatione, ac ſine libertate indifferentiæ. *Si omnes*, inquit, *eſſent prædeterminantes, ego non eſſem Catholicus.*

898 Ergo ſententia prædeterminantium parum apta eſt ad trahendos Hæreticos Calviniſtas ad fidem Catholicam: è contra vero doctrina Societatis Hæreticorum converſionem facilitat; & ad illos convincendos oportuna eſt, & ideo F. Thomas Campanella ex ordine Prędicatorum in lib. de Prædeſt. & Reprobat. phyſicas prędeterminationes acriter impugnat non ſolum vt doctrinæ D. Thomæ repugnantes, ſed etiam *Vt Caluiniſtico errori non parum faventes*; vt ſupra vidimus pag. 152. n. 295. & vt ibidem n. 296. probavi, Reverendiſsimus M. Coſmas Morellus eiuſdẽ ordinis, Vir doctrina, & pietate inſignis, & hæreticæ pravitatis multo tempore Inquiſitor in Colonia Agrippinæ ſæpe teſtatus eſt, *ſe non potuiſſe ſine doctrina Societatis de indifferentia auxiliorum, & ſcientia media, Calviniſtis reſpondere*: ex illa vero facile eorũ argumenta diſſolviſſe: vide in hunc ſcopum alia ſupra adducta pag. 231. n. 623. Vt autem conſtet, quantum doctrina Societatis conferat ad hæreticos avertendos ab impio dogmate Calvino, audiamus P. Anatum in Apologia ſcientiæ medię diſp. 1. n. 4. *Notum eſt* (inquit) *Eccleſiam Caluinianam ſuperioribus annis in Hollandia* ſciſſam eſſe Armenianorum *ſeceſſione*: Qui tandem aliquando evigilantes „ ad impia Calvini dogmata circa libertatem „ arbitrij, prædeſtinationem hominum ac reprobationem, efficaciam divinæ gratiæ, & „ divinas item malorum actuum prędefinitiones; „ tanto talis Magiſtri pudore ſuffuſi ſunt, „ tanto doctrinæ illius horrore perculſi, vt ei „ erato, in his quidem controverſijs, Calvino, „ eatenus ad Eccleſiæ Romanæ ſententiam acceſſerint, quatenus ab illo recedebant. Sed „ cum inter ipſos quoque Catholicos partes „ eſſent; altera prædeterminantium; altera „ eorum, qui ſine prædeterminationibus phi„ loſophantur; viſa hæc eſt Armenianis oportunior longe, aptiorque ad frangendos adverſariorum connatus, eorumque petitiones „ eludendas. Hinc factum, vt eos Catholi„ corum tractatus, in quibus huiuſmodi quæ„ ſtiones diſputantur, phyſicæque prædeter„ minationes reijciuntur, & voluerent dili„ gentius, & intentius legerent, & propenſius „ approbarent, & quia ſcientia media impri„ mis magnas habet opportunitates ad ſuavẽ „ liberi arbitrij cum divina gratia concor„ diam, hanc etiam propugnare, atque in „ ſuos vſus convertere Armeniani cœperunt.

(*)

SEC.

SECTIO XII.

Regreſsio ad peculiarem ſententiam Doctoris Complutenſis.

899 HAC Diſp. 4. ſect. 1. pag. 56. ſententiam huius Doctoris proponens, in fronte diſputationis dixi, eum aſſerere, pondus concupiſcentiæ ita deprimere naturam lapſam, vt habeat metaphyſicam connexionem cum peccato, niſi adſit gratia Chriſti, quæ pondus illud vincat. Quamquam enim hos terminos expreſſe in illo non legerim; habet tamen terminos æquivrlentes.

§. I.

Proponitur huius Doctoris ſententia formalibus ipſius verbis.

NAM Apud me habeo litteras huius Doctoris datas Matriti die 10. Iulij ann. 1677. in quibus exponens ſuam mentẽ circa debilitatem naturæ lapſæ, inquit lingua vulgari: *Eſta debilidad es tanta en mi ſentir, que no ſolo induce neceſsidad moral, ſino tambien neceſsidad phyſica in omnibus, & ſingulis actibus. Y eſto es lo que pareciò a los Maſsilienſes duro en la ſentencia de S. Aguſtin, y lo que defendiò acerrimamente contra ellos S. Proſpero: y eſto tambien parece oy duro à los Theologos; y por eſſo explican à S. Aguſtin de neceſsidad moral, y no aduierten, que con eſto no puede ſubſiſtir la doctrina de S. Aguſtin contra los Pelagianos, ni la de S. Proſpero contra los Semipelagianos, ni la definicion del Concilio Arauſicano contra vnos, y otros, Nemo poteſt de ſuo, niſi mendacium, por mas que trabajen en darle ſalida. Y tampoco aduierten que la neceſsidad phyſica de pecar, que conoce S. Aguſtin en la naturaleza lapſa por la ſeruidumbre de la concupiſcencia, no es natural; ſino penal, & non ſe tenet ex parte actus primi; ſed ex parte actus ſecundi: quia eſt pondus concupiſcentiæ inevitabiliter trahens voluntatem ad actum malum ſecundum modum operandi proprium ipſius voluntatis liberæ ſine læſsione indifferentiæ ex parte actus primi. Lo qual no he hallado aduertido de ningun Theologo, y aſsi los Ianſeniſtas, y Bayanos, que conocieron eſta neceſsidad phyſica en S. Aguſtin, ſe deſpeñaron, negando la libertad de indiferencia en que tambien delirañ los Lutheranos, y Caluiniſtas: y los demas Theologos Catholicos para defender la indiferencia de la libertad in actu primo, explican à S. Aguſtin de neceſsidad moral. Pero en mi juizio no van ſegun ſu mente. Y aſsi San Aguſtin la gracia medicinal que principalmente eſtableciò contra los Pelagianos neceſſaria para ſanar eſta enfermedad de la concupiſcencia (que oy eſtà tan olaidada en la eſcuela de los Theologos) no la puſo ad poſſe ex parte actus primi; ſino ad agere ex parte actus ſecundi, para que pondus eius præponderet contra pondus concupiſcentiæ & inevitabiliter trahat ad actum bonum ſine læſsione indifferentiæ ex parte actus primi. Y quando præponderat, la llama delectacion victrix, y eſte es auxilio, que llama, quo opus fit. Y es neceſſario ſolamente en el eſtado de la naturaleza lapſa ademas del auxilio de la gracia excitante, que llama ſine quo non, y es neceſſario en todos eſtados, de que ſe puede ver ſingularmente el lib. de gratia Chriſti, y el de correptione, & gratia cap. 11.* Hæc ille in ea Epiſtola, quæ verbis formalibus Authoris referre placuit, ne aliquis exiſtimare poſſet, me illius mentem forſan non ſatis expreſsiſſe, neque fideliter retuliſſe ſect. 1. huius diſputationis à pag. 56. præſertim num. 5. & 6.

§. II.

Ex mente huius Doctoris concupiſcentiæ pondus phyſice neceſsitat ad omnia, & ſingula peccata hominem deſtitutum gratia medicinali Chriſti. Cuius aſſerti abſurditas oſtenditur.

900 EX Quibus evidens eſt, ex mente huius Authoris pondus concupiſcentiæ in hoc ſtatu naturæ lapſæ inevitabiliter trahere ad peccatum, ad illudque phyſicè neceſsitare determinate, ſi homo deſtituatur gratia Chriſti ſanativa, & medicinali, ac proinde, conſtat, ex mente ipſius, pondus cõcupiſcentiæ infallibiliter, ac metaphyſicè eſſe connexum cum peccato, niſi adſit gratia Chriſti. Et ſimiliter certum eſt, iuxta hunc Authorem, gratiam medicinalem prævalentem contra pondus concupiſcẽtiæ infallibiliter trahere ad actum bonum; ac proinde eſſe ex ſe eſſentialiter connexam cum conſenſu: non enim poteſt gratia ex ſe non connexa eſſentialiter cum cõſenſu neceſsitare phyſice, & trahere inevitabiliter ex ſe ad conſenſum. Qua in re laxior eſt Doctor iſte, quam fuerit Ianſenius. Nam hic auſus non eſt aſſerere, hominem neceſsitare adſtringi ad peccatum hic, & nunc committendum. Siquidem lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 19. aſſerit hominem lap-

lapsum generali quidem peccandi necessitate teneri, *vt quoquo versum se converterit, necesse sit, illum male operari; sic tamen vt in singulari nullum peccatum necessario perpetret.* Et capite sequenti docet, *Eundem posse ab illo peccato quod hic, & nunc facit, abstinere*, ita vt (inquit cap. 19.) *peccatum liberum sit quoad exercitium, vt loquuntur; necessarium quoad specificationem.* At Doctor Complutensis docet, hominem destitutum gratia Christi, ad omnia, & singula peccata necessitari.

Quam falsa sit hæc sententia, satis ostendi sect. 3. à pag. 59. estque prorsus in terminis repugnans, gratia necessitans physice ad actum liberum. Nam necessitas antecedens, & quæ facit rem esse, pugnat cum libertate indifferentiæ, vt ibi ostendo. Vnde rectè Vvaldensis lib. 1. doct. fidei cap. 28. impugnando doctrinam quorundam, qui dicebant, necessitatem ab inferioribus causis repugnare libertati; non vero inditam à causa superiori, inquit: *Vndecunque ab extra intuleris necessitatem, quæ derogat potestati, statim præiudicas libertati.* Quod ex doctrina Augustini lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. & aliorum Patrum confirmat. Proposui per epistolam difficultates huic Authori; & ipse litteris ad medatis Martii 24. Julij 1677. conatur explicare, quomodo delectatio illa victrix, in qua ponit gratiam efficacem cohæreat cum libertate; & quamvis in omne latus se vertat, nunquam se expedire potest.

§. III.

Gratia efficax iuxta hunc Doctorem consistit in delectatione cœlesti, quæ in eo subiecto, in quo præponderat ponderi concupiscentiæ, habet essentialem connexionem cum consensu salutari. Et in hoc ille sectatur vestigia Iansenij.

901 DOCET Autem ibi, secundum Augustinum voluntatem nostram, etsi libere possit se movere in vtrumque extremum; tamen secundum suam naturam semper inevitabiliter se movere in eam partem, in qua præponderat delectatio: vt enim dixit Augustinus epist. 85. *Animus velut pondere, amore fertur quocumque fertur.* Et lib. 11. de Civit. cap. 28. *Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur.* Hinc infert, quod sicut corpus necessario movetur versus illam partem, quæ præponderat: nam bilans necessario movetur versus illam partem, in qua maius pondus ponitur: si enim in brachio dextro bilancis apponas duas libras, & vnam duntaxat in sinistro, necessario movebitur versus dextrum. Vnde docet, D. Augustinum posuisse gratiam Christi medicinalem *in pondere charitatis superexcedente* pondus concupiscentiæ; & hoc pondus appellasse delectationem victricem. Hinc infert gratiam efficacem non esse secundum suam entitatem essentialiter connexam cum consensu: nam si delectatio charitatis vt quatuor immitatur voluntati, quæ inclinatur in peccatum pondere concupiscentiæ vt quinque, erit inefficax; si autem immitatur voluntati habenti solum pondus contrarium concupiscentiæ vt tria, erit delectatio victrix, & inevitabiliter trahet voluntatem in consensum salutarem. Vnde efficacia gratiæ est respectiva, eademque delectatio charitatis erit efficax, vel inefficax prout coniuncta fuerit cum minore, vel maiore pondere concupiscentiæ contrario; proindeque pendet efficacia vocationis divinæ, & delectationis indeliberatæ, quæ ad illam consequitur, ex dispositione, indole, & inclinatione subiecti: nam si dispositiones subiecti in illo excitant delectationem terrenam vt quatuor; non poterit delectatio cœlestis vt quatuor esse efficax, nec congrua vt suo pondere trahat infallibiliter in cõsensum; hanc autem efficaciam, & congruitatem habebit delectatio cœlestis vt quinque.

902 Hæc doctrina eadem est cum illa doctrina, quam Iansenius habet lib. 8. de Gratia Christi cap. 2. vbi inquit: *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adiutorium, relativa est: tunc enim est victrix, quando alteram superat. Quod si contingat, alteram ardentiorem esse, in solis ineffacibus desiderijs hærebit animus.* Et lib. 4. de Gratia Christi cap. 4. inquit: *Creberrime docet Augustinus, quandiu in hac vita mortali viuimus esse in homine luctam quandã duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ, atque cœlestis, quarum vtralibet vicerit, animum secum consentientem, ac pronum trahit.* Rursus, quod hic Doctor docet de necessitate sequendi maiorem delectationẽ, ipsissima est Iansenij doctrina: vt enim citatis Iansenij locis exponit P. Deçamps lib. 3. de hæresi Ianseniana disp. 3. c. 6. n. 2. ille docet, voluntatem nostram ita esse comparatam, vt in eluctabili necessitate, eo inclinet, quo antegressa delectatio maior, seu ardentior complacentiæ, aut desiderij motus indeliberatus eam pellicit; ita vt si levis obiecti alicuius delectatio, amorque indeliberatus voluntatem demulceat, neque alia delectatione contraria oppugnetur, necessario consensum exprimat; si vero contrariæ delecta-

„ lectationes duæ inter ſe confligant, illa quo-
„ que pari neceſsitate animum trahat, quæ
„ magis delectaverit. Quia neceſſe eſt, inquit,
„ vt id voluntas velit, quod eam magis dele-
„ ctat. Hinc eſt quod docet voluntatem ab-
„ ſente delectatione cœleſti, titillantis concu-
„ piſcentiæ motibus indeliberatis neceſſario
„ conſentire. Hinc quod aſſerit, beatos idcir-
„ co præciſe Deum amare neceſſario, quia
„ extincta concupiſcentia, ſola in eis delectatio
„ cœleſtis dominatur. Hinc denique quod
„ acriter defendit, voluntatem contrarijs gra-
„ tiæ, & concupiſcentiæ delectationibus di-
„ ſtractam illi obſequi neceſſario, quæ alterâ
„ ſuavitate vincit. Hactenus Decamps.

§. IV.

Impugnatur illa doctrina.

903 ET Imprimis ex hac doctrina ſequitur, non ſolum homines pro ſtatu lapſus neceſſario amare id, quod antecedenter magis delectat; ſed Angelos omnes, ipſumque adeo hominem primum ſumma neceſsitate Deum amaviſſe, & in iuſtitia perſeveraſſe: docet enim Ianſenius lib. de Gratia primi hominis cap. 12. gratiam, quæ Adamo, & Angelis omnibus ad perſeverandum conceſſa eſt, *voluntatis ſuccenſionem, ſeu ardorem; & amorem voluntatis* comprehendiſſe. Idque confirmat ex Auguſtino lib. 14. de Civit. Dei cap. 13. dicente: *Si voluntas* (Adami) *in amore ſuperioris immutabilis boni, a quo illuſtrabatur, vt videret, & accendebatur vt amaret, ſtabilis permaneret*, &c. Quibus verbis delectationem illam voluntatis tam diſerte exprimi putat, vt affirmet, *pro vera gratia lapſi hominis evidentius, & efficacius teſtimonium ex Auguſtino vel Conciliis proferri non poſſe*; libro autem 2. de Gratia Chriſti eundem locum ita rurſus exponit: *Accendebatur, vt amaret*, id eſt, *eo fine, vt amaret*: ergo iuxta Ianſenium Angeli omnes, & Adamus delectatione cœleſti ad perſeverandum inſtructi fuerunt. Aliunde vero eiuſmodi delectatio nulla in Angelis, & Adamo contraria delectatione fuit oppugnata: docet enim Ianſenius lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 9. *Peccatum primi hominis ſine delectatione terrena præcedente perpetratum eſſe. Delectatio quippe prima ſequuta eſt perverſam voluntatem; non voluntas delectationem*, &c. *Ex quibus ſane ſequitur, non potuiſſe primum peccatum ex præcedenti delectatione ſiue ſuperbiæ, ſeu gulæ proficiſci.*

Hoc ſuppoſito, conficitur invictum argumentum: Nam per Ianſenium delectatio voluntatis, quæ eſt motus indeliberatus complacentiæ, aut deſiderij, tunc conſenſum neceſſario exprimit, cum contraria delectatione non oppugnatur; at in Angelis, & Adamo delectatio voluntatis, ſeu motus indeliberatus complacentiæ, aut deſiderij, ita ad perſeverandum eos inflammabat, vt contraria delectatione non oppugnaretur ergo delectatio illa in Angelis, & in primo homine neceſſario conſenſum expreſsit: ergo revera ſecundum illa principia, Angeli omnes, & primus homo cum omnimoda neceſsitate Deum amaverunt, & perſeverarunt. Præterea ſi iuxta Ianſenium, & Doctorem Complutenſem peccatores antequã gratiam accipiant neceſſario male agunt, quia nulla eſt in eis delectatio cœleſtis, ſed ſola delectatio creaturæ: pariter iuxta ipſos Angeli, & Adamus neceſſario bene egerunt, quia nulla erat in eis delectatio creaturæ, ſed ſola cœleſtis.

904 Præterea doctrina illa Doctoris Complutenſis, quatenus dicit, delectationem præponderãtem neceſsitare voluntatem, vt iuxta modum ſuum, id eſt, libere, & cum indifferentia, operetur, contradictoria, & repugnantia dicit: Nam ſi voluntas ex ſua natura eſt ab intrinſeco, & eſſentialiter determinata, vt è duobus extremis illud eligat, quod antecedenter magis delectat, ſeu ad quod antecedenter maius inclinationis pondus experitur; ſequitur, voluntatem, quoties bonum eligit, illud cum omnimoda neceſsitate antecedenti eligere: nam illa neceſsitas conditionata, quæ ipſi eſſentialis eſt, tranſit in abſolutam per aliquid omnino inevitabile voluntati, nempe per pondus cogitationis, & affectionis à Deo impreſſum voluntati independenter ab eius libertate. Vnde actus inevitabilis erit; quia voluntas noſtra neque evitare poteſt illud, quod ſibi eſſentiale eſt, neque evitare poteſt, quod Deus ipſi immittat cogitationem, & affectionem indeliberatam ſuo pondere trahẽtes ad actum honeſtum cum maiori propenſione, quam concupiſcentia trahat ad oppoſitum. Vnde Ianſenius ex poſitione talis gratiæ, recte intulit, in homine moto gratia illa efficaci non manere libertatem indifferentiæ ad oppoſitum, ac proinde, *in ſtatu naturæ lapſæ ad merendum, & demerendum non requiri libertatem à neceſsitate*, quæ eſt propoſitio hæretica, & vt talis damnata ab Innocentio X. quam quidem recte intulit ex illo antecedenti. At Doctor Complutenſis hanc illationem negat, & concluſionem illam averſatur, & ideo peccat ſolum contra Logicam; non tamen contra Fidem.

Præterea falſum eſt, delectationem terre-

renam indeliberatam præponderantem delectationi cœleſti, inevitabiliter trahere voluntatem ad actum peccati: quia cum voluntas experitur, ſe magis pondere concupiſcentiæ inclinari ad malum, quam inclinetur ad bonum per pondus delectationis cœleſtis, poteſt, ac debet avertere intellectum à cogitatione eorum, quæ in actum peccati inclinant, & applicare ad vividam cogitationem eorum, quę à peccando retrahunt, & ad bonum honeſtum impellunt: vnde Auguſtinus lib. 11. de Civit. cap. 28. aiebat: *Iubemur itaque detrahere depondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis.* Vnde ſemper in poteſtate voluntatis noſtræ erit facere, ne ad maius pondus delectationis terrenæ indeliberatæ ſequatur conſenſus deliberatus in peccatum.

905 Quare licet daremus veram eſſe ſententiam Patris Vazquez, qui 1. p. diſp. 98. cap. 7. aſſeruit, cogitationem congruam ſecundum ſe ſpectatam, & prout antecedit natura conſentum, temper eſſe in ſe maius beneficium, quia etiam vt antecedit actum voluntatis, aliquid in ſe habet, ratione cuius eſt congrua, quod deeſt alteri cogitationi, quæ incongrua evadit; quia ſemper cogitatio congrua vel eſt cum maiori claritate, conatu, aut advertentia, vel eſt magis expedita, & libera à contrarijs impedimentis, quia ſcilicet contingit haberi eo tempore, quo non occurrit aliquid excitans ad contrarium affectum, neque diminuens mentis attentionem, neque retardans affectum voluntatis, vel certe eſt magis acommodata complexioni hominis, ex qua proportione fit interdum, vt ex illa inſurgat aliquis motus naturalis affectionis, qui multum iuvet ad voluntatis deliberationem, & ita ſemper includit conditionem aliquam, quæ augeat rationem beneficij. Quamvis, inquam, daremus hanc ſententiam veram eſſe, & inſuper daremus, verum eſſe quod affirmat idem Vazquez diſputat. 128. num. 14. nimirum quod quando cogitatio honeſta ſimul cõcurrit cum alia contraria; ſi voluntas immediate eligat, neceſſario ſequi debeat efficatiorem cogitationem, vel ſuæ diſpoſitioni magis accommodatam, vel magis expreſſam. Quamvis, inquam, hæc daremus, falſum omnino eſſet quod Doctor ille Complutenſis ſtatuit, videlicet, voluntatem eſſe ex natura ſua neceſſitatam ad ſequendum ex duobus extremis illud quod magis antecedenter delectat, ſeu maiori pondere inclinat in actum. Quia nimirum voluntas poteſt tunc non immediate eligere; ſed avertere mentem à cogitatione efficaciori, & tunc ſequi alteram, applicando, ſi opus fuerit, magis intellectum ad conſiderationem eius, vt ibidem oſtendit Vazquez.

§. V.

Adhuc ex ſuppoſitione quod voluntas immediate eligat inter extrema oppoſita, non neceſsitatur eligere illud, quod in actu primo magis delectat, ſeu fortius impellit ad electionem ſui.

906 PRÆTEREA Falſum eſt, quod voluntas, ex ſuppoſitione quod immediate eligat, neceſſario debeat eligere extremum illud, quod antecedenter magis delectat, & erga quod experitur maius pondus inclinationis, vt efficaciter oſtendit Eximius Doctor lib. 1 de Gratia cap. 12. num. 14. & à nobis ſic probatur: etſi enim experiatur homo maius pondus inclinationis erga obiectum turpe, quam erga honeſtum, tenetur illi maiori inclinationi reſiſtere, ac proinde ad hoc habet auxilium ſufficiens: non habet autem immediate auxilium ſufficiens ad omittendum actum turpem ille, qui caret aliquo eſſentialiter prærequiſito ad illam omiſsionẽ, vt conſtat ex iſs, quæ diximus ſupra pag. 224. toto §. 39. Si autem voluntas non poſsit eligere, niſi illud, quod magis delectat ante omnem vſum libertatis, deeſt illi aliquid eſſentialiter prærequiſitum ad omittendum actum turpem, quando non adeſt in actu primo delectatio cœleſtis præponderans delectationi terrenæ inclinanti ad peccandum: ergo non habet auxilium ſufficiens ad omittendum actum peccati, ac proinde non libere, ſed neceſſario ſuccumbit ponderi concupiſcentiæ inclinanti ad peccandum.

907 Præterea *modus ille libertatis* (inquit Eximius Doctor) *gratis ponitur in voluntate. Cur enim libera eſt immediate quoad exercitium, non obſtante efficatiore cogitatione* (quod in confeſſo eſſe debet apud omnes Catholicos contra Ianſenium; quia alioqui maior illa, & efficacior cogitatio raperet ad conſenſum, & ſic in ſtatu naturæ lapſæ non foret neceſſaria ad merendum, & demerendum libertas à neceſsitate) *& non etiã quoad ſpecificationem, ſi ſimul habet ſufficientem cogitationem ad oppoſitum? Item ſi eſt libera vt ſine novo dictamine advertat intellectum à cogitatione efficatiore, & applicet ad minus efficacem magis perficiendam; multo magis id poterit facere cum novo dictamine de hac ipſa applicatione, etiam ſi remiſſum ſit: quod ſi poteſt voluntas illud ſequi quaſi eligendo illam applicationem, vel averſionem intellectus, cur non poterit immediate etiam inter obiecta propoſita eligere quod voluerit?* Quapropter

longe

longe probabilius eſt, libertatem voluntatis ad hoc extendi, vt poſitis obiectis, ſeu medijs omnino æqualibus, & æque conſideratis poſſit voluntas pro ſua libertate vnum aſſumere, & aliud relinquere: ergo ex actu voluntatis bono non poteſt inferri inæqualitas in cogitatione, quæ ex parte intellectus præcedat. Conſequentia evidens eſt; antecedens autem videtur nobis neceſſarium ad veram tuendam libertatem, & dominium voluntatis in actus ſuos. Nam ſi poſita ex parte intellectus meliori repræſentatione obiecti, voluntas, ſi operatur, neceſſario fertur in illud, & quando eſt æqualitas ex parte intellectus, ſuſpenſa manet, neque aliquid velle poteſt pro ſua libertate, profecto nunquam eſt libera ex intrinſeco dominio. Quod ſi dicatur eſſe libera, ſolum quia poteſt applicare intellectũ ad cogitandũ vnum magis quam aliud, profecto neceſſe eſt, vt hoc etiam faciat ſub aliqua ratione boni, quam oportet eſſe aliquomodo cognitam; & tunc redibit quæſtio, an illa ratio boni efficacius proponatur, vel maior iudicetur, & an hoc ſit liberum, vel naturale: & ſic vel totum ſit ex naturali connexione cum aliquo principio naturali, & deſtruitur libertas, vel ſiſtendum eſt indifferentia libertatis ad eligendum inter ea, quę non proponuntur vt neceſſaria, etiam ſi magis, vel minus vtilia, vel magis, aut minus efficaciter *cogitentur*. Hactenus Eximius Suarez.

§. VI.

Ex eo quod corpus neceſſario moveatur verſus illam partem, in quam magis inclinat pondus; male infertur, idem dicendum de voluntate in ſuis electionibus.

908 HINC Conſtat frivolum eſſe exemplum petitum à motu bilancis, quæ neceſſario movetur verſus illam partem, quæ maiore pondere inclinatur. Nam corpus non à ſeipſo, ſed ab alio movetur, neque dominium habet ſupra motum ſuum. At voluntas ratione libertatis, libere moveri poteſt, ſive in hanc, ſive in oppoſitam partem, licet æquali pondere antecedenter inclinetur in vtrumlibet; ſufficit enim, vt in qualibet videat rationem boni ſufficientem, quia pro nutu ſuo poteſt hoc extremum præ illo eligere; vt enim inquit Bellarminus lib. 5. de Gratia, & libero arbitrio cap. 11. *Voluntas ideo libera dicitur, & eſt, quia ſic eſt indeterminata, vt ipſa ſe determinare poſſit.* Et vt ait S. Thomas in 2. diſt. 39. quæſt. 1. art. 1. *Ipſa quidem potentia voluntatis, quantum eſt in ſe eſt indifferẽs ad plura; ſed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum non eſt ab alio determinante.* Vnde Capreolus Thomiſtarum Princeps, & interpres Divi Thomæ litteratiſſimus in 2. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. ad 6. ex ſua, & D. Thomæ, & reliquorum Theologorum mente, dixit: *Voluntas quantum eſt de ſua natura, eſt ad oppoſitas; ipſa tamen ratione ſuæ libertatis, ſe determinat ad id, quod vult, & ita non indiget alio determinante.* Et idcirco Anſel. in conc. c. 1. ait: *Sola voluntas determinat ibi quid teneat, neque aliquid facit vis neceſſitatis vbi operatur ſola electio voluntatis.* Eſt ergo plane falſum, hanc eſſe naturam voluntatis in hoc ſtatu lapſus, vt ex ſe ſit determinata ad eligendum id, quod magis delectat, & quod non poſſit vnum prę alio eligere, niſi magis delectet antecedenter, quam aliud. Falſiſimũ quoque eſt, hanc eſſe ſententiam Auguſtini: oppoſitum enim clare ſæpe docet. Sufficiat in medium proferre textũ ex vltimo opere, quod morti iam vicinus contra Pelagianos ſcripſit, & quod, quia morte præventus, abſolvere non potuit, dicitur opus imperfectum contra Iulianum. In hoc igitur opere lib. 1. cap. 49. ita ſcribit: *Multa quippe ſunt quæ agunt homines mala, à quibus liberum eſt abſtinere; ſed nulli tam liberum eſt, quam illi, qui Deo ſuo, à quo fuerat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus adſtabat.* Ergo iuxta Auguſtinum non ita trahitur homo põdere concupiſcentiæ in peccatum: quin in eo inſtanti pro priori habuerit poteſtatem proximam ad reſiſtẽdum illi ponderi concupiſcentiæ, illudque ſine effectu peccati relinquendi; ergo pondus cõcupiſcentiæ non trahit inevitabiliter in peccatum hominem deſtitutum delectatione cœleſti, quæ præponderet illi ponderi concupiſcentiæ.

909 Neque pondus delectationis cœleſtis præponderantis ponderi concupiſcentiæ, & delectationis terrenę, talis eſt genij, & naturæ, vt in tali ſubiecto, & ſub talibus diſpoſitionibus conſtituto habeat antecedentem connexionem cum conſenſu noſtro ſalutari: neque pondus illud vt coniunctum cum ſubiecto affecto minori pondere concupiſcentiæ, trahit, vt ſic coniunctum, infallibiliter voluntatem noſtram in conſenſum; ſed infallibiliter trahit, quatenus oritur à Deo volente efficaciter vt conſentiamus, & ideo tribuente delectationem illam cœleſtem maiorem, de qua per ſcientiam conditionatam novit infallibiliter expreſſuram reipſa à voluntate noſtra conſenſum: ergo non eſt de conceptu naturæ humanæ vt exiſtentis in ſtatu hoc lapſus, vt ad ſalutariter operandum moveatur per vocationem, & delectationem indeliberatam inde

ſuper-

subortam, quæ prout est in hoc subiecto sub his circunstantijs habeat antecedentem connexionem infallibilem cum consensu nostro libero: hoc enim pugnat aperte cum libertate, ac proinde non dicitur delectatio illa cęlestis, delectatio victrix, quia hanc connexionem antecedentem habeat; sed quia facit vt vincamus peccatum, vt explicat P. Vazquez 1. 2. disp. 128. num. 11. & licet hoc faciat infallibiliter, hæc infallibilitas non est intrinseca illi delectationi adhuc vt præponderanti antecedēter delectationi terrenæ; sed est extrinseca, proveniens scilicet à præfinitione efficaci consensus liberi, quam Deus habet beneficio scientiæ mediæ.

§. VII.

Sine fundamento dicitur, voluntatem in statu lapsus indigere gratia per se efficaci vt vnum præalio eligat; non autem in statu integritatis, & sanitatis.

910 QVOD Autem non sit de conceptu naturæ humanæ, quod pro statu lapsus indigeat gratia per se, & intrinsece efficaci, & illa non indigeat in statu integritatis, & sanitatis, sed contenta sit pro statu sanitatis gratia extrinsece efficaci, facile probatur. Quia quod natura nunc sit infirma, & debilis ob ignorantiam, & concupiscentiam, quæ sunt effectus peccati originalis, probat quidem, illam nunc indigere robustiori auxilio gratiæ, vt salutariter operetur, quam foret illud, quo indigebat in statu integritatis: at quod hoc auxilium robustius debeat esse nunc ita prævalens ponderi concupiscentiæ, vt ex se prout in his circunstantijs intrinsecis subiecto, habeat connexionem infallibilem cum cōsensu, nulla verisimilitudine probatur. Nam per hoc præcisè quod Deus sua vocatione, & delectatione cœlesti immissa libero arbitrio illud constituat in eo statu, in quo non minorem inclinationem experiatur in bonum honestum, quam illam, quam habuit Adam pro statu integritatis, & sanitatis; vt scilicet habeat in actu primo liberam, facilem, & expeditam facultatem ad eligendum inter bonum, & malum, quin experiatur pondus concupiscentiæ vehementer inclinans in malum; sed potius experiatur inclinationem ad bonum sim[illegible]m, & æqualem illi, quam habuit Adam in statu integritatis: per hoc, inquam, præcise habebit homo in statu lapsus quidquid prærequiritur, vt honeste operetur: ergo vt honeste operetur in statu lapsus, necessaria non est gratia per se efficax, seu delectatio victrix essentialiter connexa cum consensu, quæ necessaria non fuit iuxta illum Doctorem, sequutum hac in parte vestigia Iansenij, pro statu integritatis, & sanitatis.

911 Audiamus ipsum Iansenium l. 3. de Gratia Salvatoris c. 5. vbi (apud Vlicum Ionson in opusculo *de doctrina mira, ac nova circa varias materias* pag. 130.) sic loquitur: *Sufficiens gratia iuxta doctrinam eius* (Augustini) *solidissimam, non est alia, nec, vt videtur, sine errore aliud dici potest, quam illa quæ voluntatem facit facere, & in illa operatur reipsa velle, & operari. Itaque quancumque gratiam potentialem homini siue iusto, siue iniusto, siue Iudæo, siue Pagano adesse statuamus, nisi ipsam donaverit voluntatem, & actionem, hoc est, ipsum velle, & operari, non est sufficiens gratia voluntatis, & actionis. Amissum est enim illud pristinum, integerrimæque voluntatis æquilibrium, per quod ei, non sine gratia sufficienti, aderat posse si vellet, ita vt eius velle, & nolle in eius libero* (*non sine gratia*) *relinqueretur arbitrio.* Hæc Iansenius. Ergo libertas pristini status consistebat in illo æquilibrio, vi cuius, cum gratia suapte natura indifferenti poterat Adam elicere actum salutarem, si vellet, & observare præceptum. Cur ergo in hoc statu lapsus, in quo natura ex ignorantia, & in consideratione rerum cęlestium, & ex concupiscentia terrenorum magnam experitur difficultatem in observantia præceptorum, non perit Deus, immissa vivida cognitione rerum cœlestium, & delectatione inde resultante constituere in æquilibrio illo hominem, in quo fuit Adam ante lapsum, quin infundat delectationem essentialiter connexam cum consensu? Cur autem homo constitutus in illo æquilibrio nequeat se determinare cum auxilio gratiæ principaliter influente, & elicere actum salutarem: sicut illum defacto elicuerunt Angeli ante lapsum, quin habuerit delectationem præviam essentialiter connexam cum consensu? Sed de hoc seorsim copiosè infra agemus, dum explicemus, quid intellexerit Augustinus per *adiutorium quo*, quid per adiutorium *sine quo non*?

§. VIII.

Exponitur celebris Augustini locus, in quo Iansenius suam doctrinam fundavit. Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.

912 IASENIVS Lib. 4. de Gratia Salvatoris cap. 7. pluribus contendit, voluntas-

Ionratè nihil modo amplecti posse, quod illam prævia suavitate non deliniat: & in huius asserti confirmationem adducit dictum illud Augustini ex lib. 22. contra faustum cap. 28. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret*, quasi vox illa *delectat* hic significet motum indeliberatum complacentiæ, aut desiderij, qui consensum antevertit. Tum decretorium illum Augustini locum profert ex enarratione in Epistolam ad Galatas: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, vbi per votem *delectat* exprimi putat prævia illam motus indeliberati suavitatem, seu complacentiam necessariam, quæ electionem antevertit. Et hinc infert, voluntatem summa necessitate ferri in illud, in quod suavitas illa indeliberata magis inclinat. Et hoc testimonio nititur quidquid de concupiscentiæ, & gratiæ medicinalis ineluctabili vi disputat, existimans hanc esse naturam voluntatis nostræ, vt necessario feratur per electionem deliberatam in illâ contradictionis partem, quæ media cognitione, & complacentia indeliberata magis antecedenter allicit ad sui amorem.

913 Verum Iansenius falso supponit, verbum, *delectat & delectatio* in illis testimonijs significare motum indeliberatum complacentiæ, aut desiderij. Non enim id significant; sed potius amorem liberum. Id constabit, si verba Augustini integra, & non truncata referamus. Nam in illo priori loco post illa verba, *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret*, mox subiungit: *Vtrum autem sit aliqua rationalis creatura, quam nihil illicitum possit delectare, magna quæstio est. Quod si est, non in eo genere factus est homo, nec illa natura Angelica, quæ in veritate non stetit: sed in eo genere ista rationalia facta sunt, vt esset in eis possibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando, peccaverunt.* Ergo primus homo, & Angeli peccaverunt, eo quod aliquid illicitum eos delectavit. At non quia aliquid illicitum eos delectavit ante liberam actionem; si quidem illi ante peccatum omni motu, & desiderio circa illicitum caruere: ergo quia per ipsam electionem liberam aliquid illicitum eos delectavit, seu quia ipsi libere delectati sunt in aliquo illicito: ergo in illa sententia, *si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret*, vox hæc, *delectaret* non indeliberatum complacentiæ, aut desiderij motum, quo primus homo, & Angeli circa malum caruerunt, exprimit; sed ipsum potius liberum amorem, quo rei illicitæ cum delectatione adhæserunt; est enim amor omnis, ac præcipue liber, delectatio quædam, vt ait S. Thomas 1. 2. quæst. 32. art. 3. & 6. *Et vnumquodque, in quantum amatur, efficitur delectabile.*

Et in hac acceptione sumitur ab Augustino particula, *delectat*, dum ait, *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*: loquitur enim de delectatione libera imbibita, vel fundata in ipso amore libero. Vnde Sanctus Doctor non ait, *Quod amplius nos delectat, secundum id velimus necesse est*; sed: *operemur necesse est*: loquitur enim de actione externa, docetque, nos operari exterius secundum id, quod per electionem, & deliberatum voluntatis actum magis amamus.

§. IX.

Falso Doctor Complutensis asserit gratiam sanatiuam, & medicinalem esse positam ab Augustino ex parte actus secundi, non verò actus primi; & vt necessariam tantum ad agere, non autem ad posse.

914 DOCTOR Iste epistola illa supra citata num. 899. tanquam rem novam & à nullo Theologo animadversam, ponit, gratiam medicinalem statutam à D. Augustino tanquam necessariam ad sanandum vulnus concupiscentiæ inflictum naturæ humanæ per peccatum primi parentis, non esse adstructam à D. Augustino ex parte actus primi, sed ex parte actus secundi; non vt necessariam ad posse, sed tantum ad agere. Doctrinam huic similem habet Gummarus Huygens Doctor Lovanienſis, qui inter fæderatos Ianseni modo in Vniversitate illa celebre nomen habet. Nam in Thesibus editis 31. Martij 1684. Conclusione 1. sic habet: *Nihil à veritate magis alienum, quam hæc assertio*: Ad libertatem requisitam ad actus fidei, spei, & charitatis omnes necessitatem gratiæ admittant, necesse est, *Quid enim est libertas, nisi quædam potentia, sine quoddam posse?* Quod vult esse naturæ. Cumque obijceretur Arausicanum secundum, & Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit sine prævenienti Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Respondit, per verba illa affici *ipsum credere, sperare, diligere, non vero ipsum posse.* Rationem autem dat: *Habet enim homo sine Dei adiutorio illam potentiam, sicut homo sine lumine habet potentiam visuam, seu visum; etsi fieri non possit vt sine lumine videat: nam potentia credendi, sperandi, &c. habet à natu-*

natura. Hæc Gummarus: ita refert P. Philippus de Vos noſtræ Societatis Theologiæ Profeſſor Lovanij, *In Antitheſibus ad Theſes Theologicas, ſeu articulos exhibitos Illuſtr. ac Reverend. Archiepiſcopo Mechilinenſi cauſa prætenſæ concordiæ ineundæ per Ex. D. Gummarum Huygens*, quæ Antitheſes habitę ſunt Lovanij hoc an. 1685. menſe Iulio.

Eandem doctrinam prius tradiderant Doctores Lovanienſes in Iuſtificatione Cenſuræ, quam anno 1587. rem vrgente Michaele Bajo, tulit Academia Lovanienſis adverſus doctrinam P. Leſsij, & aliorum Theologorum Societatis, quam Cenſuram toties reprobavit Apoſtolica Sedes, vt vidimus ſupra pag. 237. in eius tamen Iuſtificationem, ſeu Defenſionem paulo poſt ſcripſerunt non exiguum volumen Baij Sectatores. In hac ergo Iuſtificatione Cenſuræ pag. 227. n. 177. ſic inquiunt illius Iuſtificationis Authores: *Vt homo poſsit converti, non requiritur, quod habeat gratiam ſufficientem eoipſo tempore, quo poſſe dicitur, ſed ſatis eſt ſi habere illam, & obtinere quæ ſufficit, poſsit, quomodo homo dicitur poſſe manducare panem, cum panem non habet, neque etiã quidpiam vnde ſibi comparet. Vnde etiam dicitur videre poſſe, qui non habet lucem, ſed in tetrum carcerem conjectus eſt, quam vis ſine luce viſurus ſit nunquam... Attendendum eſt, cum dicitur neminem poſſe converti ſine gratia; illud ſine gratia vel ad poſſe, vel ad converti adiungi vel referri, licet poſterius longe ſit vſitatius. Siquidem communiter dicimus, neminem converti ſine gratia, eo quod converſio ſine gratia nunquam ſit, licet, gratia quoque abſente, non deſit ipſum poſſe converti. Quemadmodum nemo poteſt credere ſine fide, etſi credendi facultas eis inſit, qui non credunt*, &c.

915 Hæc autem doctrina falſa omnino eſt; quia certum eſt, gratiam adſtructam à Patribus, & Concilijs ad ſalutaritet operandum, eſſe gratiam dantem ſimpliciter poſſe; & ſine qua homo non eſt abſolute, & ſimpliciter potens operari, ita vt omiſsio operis ſalutaris ei ad culpam imputari poſsit, ſi deſit illi gratia per Chriſtum. Vt enim inquit Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 26. *Sicut oculus corporis etiam pleniſsime ſanus, niſi candore lucis adiutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſsime iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuvetur, rectè poteſt viuere.* Vnde ſicut iniquus & tyranicus eſſet exactor, qui homini habenti ſanos oculos præciperet, vt legeret epiſtolam, quando omni luce deſtitutus eſt, nec ad illam poteſt ſe ſiſtere: ita iniuſtus foret Deus, ſi homini carenti gratia prævenienti, eſſentialiter prærequiſita ad credendũ, ſperandũ, vel diligẽdum Deum, vel actũ alium ſalutarẽ eliciẽdum, præciperet vt actũ illum eliciat. Hinc ſequentes propoſitiones tanquam in fide periculoſas & à Gummaro Huygens, & alijs Lovanienſibus aſſertas, merito Sanctæ Sedi examinandas ſubijcit P. Philippus de Vos in ſuis Antitheſibus pag. 13.

1. *Homo non indiget gratia, & inſpiratione Spiritus Sancti, vt poſsit libere elicere actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, ſed tantũ vt credat, ſperet, diligat*

2. *Ad libertatem requiſitam ad actus ſupernaturales fidei, & charitatis nulli neceſsitatem gratiæ admittant, neceſſe eſt.*

3. *Ad libertatẽ, qua poſsit homo implere præcepta ſupernaturalia, ſufficit potentia ſine Dei adiutorio, quam habet, ſicut homo, ſiue lumine habet potentiam viſiuam, quæ dicitur poſſe videre.*

4. *Poſſe quod importat libertas requiſita ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, eſt naturæ non gratiæ.*

5. *Nihil à veritate magis alienũ, quam hæc aſſertio: ad libertatẽ requiſitã ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis omnes neceſsitatẽ gratiæ admittãt neceſſe eſt.*

916 Quare liberum arbitrium deſtitutum gratia ſupernaturali, ſolũ habebit potentiam quãdam remotã ad actus ſupernaturales; quæ potentia eſt inſufficiens, vt Deus illi præcipiat vel conſulat elicientiã actuũ ſalutarium: ſi enim homini, cui gratiã negavit, præciperet vel conſuleret elicientiam illorũ actuum, præciperet, vel conſuleret impoſsibilia; & non minus iniuſte illum puniret vel reprehenderet, quia illos actus non elicuit, quã iniuſte reprehenderetur homo in medijs tenebris conſtitutus, quia ſic conſtitutus epiſtolã non legit habens oculos ſanos, & impotens ad lucẽ prodire. Eſt ergo certiſsimũ, naturam non eſſe abſolute potentem elicere actus ſupernaturales, niſi elevetur per aliquod principiũ ſupernaturale; ac proinde gratiã requiri ad hos actus vt principium per ſe & phyſicum illorum, vt probat Exim. Doct. l. 1. de grat. c. 8. n. 7. & in hoc eſt magna differẽtia inter hos actus, & naturales: *Nam ad naturales grat. a ſolũ iuvat moraliter, illuminando intellectum, & excitando affectũ, & tollendo impedimẽta; ad hos autem actus maius adiutoriũ neceſſarium eſt. Ratio autem eſt clara, quia ad actus naturales habent potentiæ efficientes vires phyſicas; ad hos autem actus minime; & ideo indigent ſuperiori principio elevante illas, & dante vires ad eos eliciendos, etiam per ſe & phyſice.*

917 His ſtatutis contra errorem Ianſeniſtarum, nunc probandũ eſt contra Doctor. illum Complut. gratiam ſtabilitã à D. Auguſt. vt neceſſariam ad eliciendos actus ſupernaturales meritorios vitæ æternæ non ſolum eſſe neceſſariã ad agere, ſed etiam ad poſſe; & per illam Deũ non ſolum dare homini ipſum bonum opus, ſed vires efficaciſsimas ad illud. Id autẽ ſuadetur; quia hic Author convenit cum Ianſenio in explicanda gratia efficaci per delectationẽ victricem. Ianſenius autem (vt ex illo refert pag. 64. Gerardus vanViane) lib. 4. de Grat. Chriſti c. 4. col. 406. aſſerebat, *Quandiù in hac vita mortali viuimus eſſe in homine luctam quandã duarũ delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ, atque cœleſtis; quarum vtralibet vicerit, animum ſecum conſentientem ac pronum trahit*, & quidem infallibiliter: rationem reddit c. 6. col. 412. *Quod enim amplius delectauerit, ſecundum* „ *id operemur neceſſe eſt.* Delectationes au„tem iſtas, quarum luctam perpetuam in ani„ma cõſiderat, ponit actus quoſdã voluntatis „ indeliberatos, ac proinde minimè liberos: ſi delectatio cœleſtis ſit victrix, ſive maior delectatione terrena, ait voluntatem benè operari infallibiliter, ita vt non poſsit non operari benè; ſi verò delectatio terrena ſuperet cœle„ſtem, ait: voluntatem infalibiliter operari „ male, ita vt non poſsit non operari male. Hæc eſt doctrina Ianſenij compendio exhibita, inquit Gerardus vanViane.

918 In hac doctrina, vno excepto, cum Ianſenio convenit Doctor Complutenſis. Solum enim differt ab illo, quod Ianſenius aſſeruit delectationem illam victricem tollere libertatẽ indifferentiæ ad oppoſitũ, ac proinde inferre neceſsitatem: at Doctor Complutenſis ait, illam delectationem etſi connexam infallibiliter cum conſenſu, trahere voluntatem ad illum ponendum cum proxima poteſtate, & indifferentia ad oppoſitam; in quo licet Catholicè fateatur conſenſum, ſive ſalutarem, ſive peccaminoſum poni à voluntate noſtra cum indifferentia proxima antecedenti ad vtrũque, ac proinde cum libertate à neceſsitate; tamen peccat contra Logicã, & virtualiter aſſerit contradictoria. Cum enim delectatio illa victrix ſit neceſsitas quædã antecedens conſenſus ſecuturi; implicat vt per illam neceſsitetur voluntas ad ponendũ liberè conſenſum; nam ponere liberè eſt ponere ſine neceſsitate antecedenti: & repugnans eſt forma neceſsitans ad operãdum ſine neceſsitate.

Quod autem hic Doctor planè contradicat Auguſtino in adſtruenda vocatione & delectatione cœleſti efficaci, quæ iam ſuppo-nat voluntatem proximè expeditam ad actum ſalutarem eliciendum; & illum actum primum proximum non conſtituat, facilè evincitur. Primò, nam gratia *operans* apud Auguſtinum eſt gratia efficax. Gratia autem operans verè efficit, ac proinde verè eſt principium actus liberi ſalutaris, proindeque actum primum ad illum conſtituit. Aſſumptum probat optimè Bellarmin. lib. 1. de grat. & libero arbitrio carp. 14. verſu, *Dicendum igitur, quia gratia operans illa eſt, quæ efficit in homine primum actum deliberatæ voluntatis: qualis eſt converſio ſive ab infidelitate ad fidem, ſive a peccatis cæteris ad pœnitentiam: gratia verò cooperans eſt illa, quæ efficit conſequentes actus voluntatis, quales ſunt velle orare, velle quærere Sacerdotẽ, velle bona opera facere, & alij ſimiles. Quos continuò ſequuntur actus externi; ita vt gratia operans nihil aliud ſit, niſi auxiliũ ſpeciale efficax reſpectu primi actus voluntatis; gratia verò cooperans ſit auxiliũ ſpeciale reſpectu actuũ ſequẽtium.*

919 Secundò, nam certum eſt gratiam efficacem per quam *Deus facit vt faciamus, & in præceptis eius ambulemus*, deſcribi ab Auguſt. lib. de grat. & libero arbitr. cap. 6. dicente: *Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit vt velimus bonũ, de quo dictum eſt, præparatur voluntas à Domino, de quo dictũ eſt: A domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet: De quo dictum eſt, Deus eſt qui operatur in nobis, & velle & operari. Certum eſt nos facere cum faciamus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſsimas voluntati, qui dixit: Faciã vt in præceptis meis ambuletis & iudicia mea obſervetis & faciatis.* At exploratum eſt gratiã tribuentem vires efficaciſsimas, ſpectare ad actum primum; nam auxilium dans vires homini, hominem potentem operari conſtituit: ergo gratia efficax eſt illa iuxta Auguſtinum, quæ vtrumque dat, & poſſe operari, & actu operari, ſeu quæ dat actum primum in circunſtantijs in quibus coniungendus eſt infallibiliter cum actu ſecundo: ergo iuxta Auguſtinum entitas gratiæ præveniẽtis efficacis actum primũ conſtituit.

920 Tertiò probatur ex ijs, quæ habet Auguſtinus initio illius capitis 16. de gratia, & libero arbitrio. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt:* Non iuberet Deus quod ſciret nõ poſſe ab homine fieri; *Quis hoc neſciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non poſſumus, vt noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Et cap. 5. eiuſdẽ lib. in fin. inquit: *Qui voluerit, & non potuerit implere mandata, oret, vt tantam habeat voluntatẽ, quanta ſufficit ad implendũ*

MAN-

mandata. Ergo Augustinus tanquã quid certum supponit, præceptum divinum, vel supponere auxilium dans simpliciter potentiam proximam ad exequendam opus iniunctum; vel saltem supponere auxilium proxime sufficiens ad orandum, & media oratione impetrãdum à Deo gratiam prærequisitam ad exequendam rem præcepto iniunctam: ergo Augustinus supponit, gratiam Dei prærequisitam ad operandum date simpliciter posse, & constituere actum primum; coniungendum quidem infallibiliter cum actu secundo, quando datur ex prævisione futuri consensus sub illa gratia, & cum proposito Dei efficaci exprimendi à voluntate consensum, & in eum finẽ conferentis, gratiã illam prævisam congruam: non coniungendum vero cum actu secundo, quando Deus prævidet, hominem culpa sua abusurum illo auxilio, & impediturum eius efficaciam; & iusto suo iudicio non vult homini illi cõferre aliud auxiliũ fortius, quo prævideret cor eius emoliendũ; & idcirco nõ vult eius operationem salutarem efficaciter præfinire.

921 Quarto probatur, gratiam stabilitam ab augustino cõtra Pelagianos dare simpliciter posse, & constituere actum primum, ac proinde nõ solum esse necessariam ad agere, sed etiam ad posse. Nam August. lib. de Prædest. Sanct. cap. 2. probat contra Semipelagianos, initium ipsum fidei esse ex gratia, & fidem ipsam actualem, nobis liberam, esse donum Dei, ex illo Apostoli 2. Corint. 3. 5. *Non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobis metipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ita legit August. Nostra autem vulgata sic habet: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ex hoc, inquã, loco probat, fidem esse donũ Dei. *Quis enim non videat* (inquit) *prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum.... Quod ergo pertinet ad religionem & pietatem, de qua loquebatur Apostolus: si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobis metipsis, quod sine cogitatione nõ possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est. Quo circa sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque opus bonum...* (quod iam Semipelagiani concedebant, convicti argumẽtis, quæ contra Pelagium & Cœlestium Augustinus confecerat) *ita nemo sibi sufficit ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est: quoniã fides si non cogitetur, nulla est, & non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hactenus Augustinus; ex quo testimonio evidens est, cogitationem sanctam, seu sanctam vocationem; & illustrationem, quam Deus in nobis sine nobis facit, vt nos permoveat ad credendum, ex mente Augustini constituere actum primũ ad credendum; sicut evidens est spectare ad actum primum credendi quidquid constituit sufficientiam ad credendum. Quod amplius confirmatur ex lib. 1. ad Simplic. q. 2. col. penult. vbi inquit: *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso tangi mentem suam, à quo eius voluntas moveatur ad fidẽ?* Et ex cap. 8. de bono perseverantiæ, vbi ait: *Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatẽ filios Dei fieri; ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias.*

922 Quinto idipsum demonstratur; quia evidens est, gratiam efficacem esse illam per quam Deus facit vt eliciamus actus fidei, spei, & charitatis, & alia pietatis opera, quibus vitam æternam promeremur, vel saltem ad illam congruè disponimur: seu esse illam, ratione cuius verificatur nostras volitiones liberas, honestas, & meritorias esse donum Dei. At certum est ex mente Augustini nostras volitiones esse donum Dei ratione vocationis, & sanctæ inspirationis, per quam Deus facit vt eliciamus illas volitiones: ergo certum est, gratiam efficacem ex mente Augustini consistere in vocatione congrua constituente sufficientiam ad illas actiones, & faciente vt illas eliciamus. Consequentia liquet ex modo dictis, nam sancta cogitatio, seu vocatio constituit sufficientiam, ac proinde actum primum ad illas actiones. Maior est nota; minor probatur ex quæst. 2. ad Simplicianum, vbi ait: *Si quis quærat an donum Dei sit bona voluntas, mirum est, si negare quis audeat, sed quia non voluntas bona vocationem, sed vocatio præcedit bonam voluntatem; propterea Deo vocanti recte tribuitur, quod bene volumus; nobis verò tribui non potest, quod vocemur.* Probatur secundo, ex eodem Augustino in libro Propositionum super Epistolam ad Romanos cap. 61. vbi inquit: *Quia nec velle possumus, nisi vocemur, ideo verissimum est, misereatis Dei esse, quod bene velimus, & operemur.* Tertio, ex cap. 34. de spiritu, & littera vbi ait: *Vocare hoc vel illo modo, solius Dei esse; venire tamen semper esse in voluntate, vel sola, si non venit, vel adiuta si venit.* Probatur quar-

tò, ex lib. 83. quæst. q. 68. vbi ait: *Quoniam neque velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus, siue intrinsecus, vbi nullus hominum videt; siue extrinsecus per sermonem sonantem, aut aliqua signa visibilia, efficitur, vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.* Ergo planum est iuxta Augustinum vocationem congruam, in qua collocat gratiam efficacem, constituere actum primum, & prærequiri non solum ad agere, sed etiam ad posse.

923 Et quidem quod Deus in nobis operetur bonam voluntatem, & sanctam operationem, ratione vocationis, & inspirationis sanctæ, constat ex eodem Augustino in Enchiridio cap. 32. vbi id probat tum ex illo Apostoli ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in vobis, & velle & perficere, pro bona voluntate.* Tum ex illo Roman. 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Cuius posterioris loci cum quâdam expositionem reiecisset, tandem concludit: *Restat, vt propterea recte dictum intelligatur, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam vtrumque legitur in sacris eloquys. Et misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me. Nolentem præuenit vt velit; volentem præuenit ne frustra velit.*

Præterea certum est gratiam efficacem significari nomine gratiæ adiuuantis. Gratia autem adiuuans vires dat, ac proinde ad actum primum pertinet: gratia autem illa adiuuans iuxta Augustinum nihil aliud est, quam illustratio intellectus, & suauitas volũtatis, quibus Deus facit vt faciamus bonũ; vt constat ex l. 2. de pec. merit. & remiss. c. 19. vbi ait: *Quando oramus, vt adiuuet nos Deus ad malũ vitãdum, bonũque faciendũ, nihil aliud petimus nisi lumen, quo illuminẽtur tenebræ nostræ, vt aperiat quod latebat; & suauitatem, qua det fructũ interra nostra, vt suaue fiat quod non delectabat.* Ergo iuxta August. gratia efficax & consistit in illuminatione intellectus, & in suauitate volũtatis, quæ constituunt actũ primum ita inclinatũ in rectam operationem, vt illã cum effectu eliciat. Vnde August. idem Epist. 107. suadet Vitali, vt fateatur *quandam certam vocationem Dei aliam, & secretam, per quam Deus ita agit sensum, vt accommodet consensum, & per quam*, vt alibi loquitur, *ita suadet, vt persuadeat*, & lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. ait: *Hæc vocatio ita est effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus sequatur.* Et lib. de Prædest. Sanct. cap. 19. *Hac vocatione* (id est efficaci, quæ est secundum propositum) *id prorsus agitur, & peragitur, vt credamus.* Qua omnia satis clare significant, gratiam efficacem esse illam, quæ dat actum primum simul & secundum, nimirum constituendo illum, & efficiendo istum.

§. X.

Ostenditur à ratione, gratiam efficacem consistentem in illustratione intellectus, & complacentia indeliberata voluntatis, quæ ab Augustino appellatur delectatio victrix, pertinere ad actum primum.

924 SVPPONIMVS Primo, gratiam auxiliantem consistere in actibus intellectus, & volũtatis; vt tenet communis consensus Theologorũ apud Ripaldam tom. 2. de ente supernat. disp. 102. sect. 1. vbi pro hac sententia citat vltra quadraginta Doctores; eamque probat manifestis Scripturæ, PP. & Conciliorum testimonijs. Supponimus secundo, gratiã efficacẽ Dei esse essentialiter requisitã vt homo salutariter operetur, vt patet ex illo Christi Ioan. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Vbi venire, credere significat, vti ex contextu evincit Maldonatus. Verbum autem *potest* non remotã, sed actui proximã potentiã significat; vt idem Maldon. probat: nam etiam qui à Patre non trahuntur, potentiam habent naturalem, vt si à Patre trahantur, veniant; sed ea potentia remota est, neque in actũ reducĩ potest, nisi gratia trahentis Patris adiuuetur. Quemadmodũ ante quam lumen ad videndum habeamus, naturalẽ habemus videndi facultatem, sed nisi ea facultas lumine iuuetur, videre reipsa non possumus. Sic se prorsus habet liberũ arbitriũ, quæ naturalis in bonum, & malum facultas est; sed in malum per se solum valet; in bonum, non, nisi gratia iuuetur. Licet autem verbum *potest* in ea authoritate potentiam propinquam, & proximam significet; non tamen eam, quæ mere sufficiens sit, & reipsa cum actu libero salutari non coniungitur ob resistentiam arbitrij, sed eam, quæ reipsa cum actu coniungitur, ac proinde significat tractionem efficacem, per quam Deus facit, non solum vt homo possit venire ad Christum, seu credere; sed vt actu veniat, & credat; vt pater ex ijs, quæ statim subiunxit Christus vers. 25. *Omnis qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad me.* Sensus ergo illorum verborum, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum,*

est

est iste: *Fieri non potest vt aliquis veniat ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ex quo evidenter deducitur entitatem gratiæ efficacis quatenus gratia præveniens est, esse essentialiter prærequisitã, vt homo salutariter operetur. Vnde merito dixit August. lib. 2. contra duas epist. Pelagian. c. 8. *Multa in homine dona fiunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non præstet Deus, vt faciat homo.* Et Concilium Arausicanũ 2. Canon. 9. qui ex sententia August. 22. sumptus est, dixit: *Quoties bona operamur, Deus in nobis atque nobiscum vt operemur operatur.*

925 Suppono tertio, voluntatem nostram non habere proximam potestatem ad eliciendum actum salutarem præcisè per gratiam habitualem, sed insuper necessariam esse gratiam actualem supernaturalem, vt sic constituatur proxime potens. Manifestum est enim voluntatem nostram non esse proxime potentem amare obiectum supernaturale amore salutari, & intrinsece supernaturali, quousque illustratione, seu cognitione supernaturali cognoscat illud obiectum; sicut enim nihil volitum, quin præcognitum; ita nihil volitum volitione supernaturali, quin præcognitum cognitione supernaturali. Vnde Augustinus libro de Gratia Christi cap. 26. contra Pelagium probat, auxilium gratiæ per Christum esse necessarium non tantum vt quis facilius possit elicere opera salutaria, sed vt simpliciter, & absolute possit: *Gratiam Dei* (inquit) *sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni sine illa quoad pietatem pertinet, veramque iustitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste* (Pelagius) *qui cum dicit,* propterea dari gratiam, vt quod à Deo præcipitur, facilius impleatur, *Quid de illa sentiat satis ostendit, scilicet quod etiam sine illa, etsi minus facilè, fieri tamen quod diuinitus præcipitur, potest.* Et cap. 29. cum adduxisset verba Pelagij asserentis gratiam non requiri ad *simpliciter posse*, sed dumtaxat ad *facilius posse*, *vt qui per liberum* (inquit) *homines facere iubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam*: hunc sensum statim impugnat ex verbis Christi Ioann. 15. §. *Quem sensum* (inquit Augustinus) *redarguit qui dicit: sine me nihil potestis facere.* Idipsum tradit lib. 2. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 8. *Pelagius enim* (inquit Augustinus) *facilius dicit impleri, quod bonum est, si adiuvet gratia. Quo additamento, id est addendo, facilius, vtique significat, hoc se sapere, quod etiam si gratia defuerit, potest quisque difficilius implere bonum per liberum arbitrium.* Idque ipsum constat ex verbis Apostoli 2. Corint. 3. *Non sumus sufficientes cogitare à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quam doctrinam definivit Tridentinum Sess. 6. Canone 2. his verbis: *Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iuste viuere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen, & difficulter possit; anathema sit.*

926 Et quidem cum gratia stabilita ab Augustino contra Pelagium det simpliciter posse, & actum primum proximum constituat; & aliunde gratia hęc iuxta Augustinum consistat in illustratione intellectus, & inspiratione voluntatis, seu in vocatione, & complacentia infusa à Deo, seu cœlesti suavitate & delectatione; fit consequens, vt liberum arbitrium constituatur proxime potens elicere actus salutares per illustrationem intellectus, & complacentiam necessariam voluntatis, quibus Deus homini persuadet, vt libere eliciat actus salutares. Quod autem gratia stabilita ab Augustino contra Pelagium in his actibus vitalibus consistat, probatur primo ex lib. 2. de de peccat. meritis & remis. cap. 17. vbi definiens, hominem non facere quod iustum est, sive quia latet, quod iustum est, sive quia non delectat, subiungit: *Vt inotescat autem quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est.* Vnde infert cap. 19. *Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam vt aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat?* Probatur secundo, ex lib. de spiritu & litt. c. 34. vbi inquit: *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus & credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, sive intrinsecus, vbi nemo habet in sua potestate quid ei veniat in mente; sed cõsentire vel dissentire porpriæ voluntatis est.* Tertio, ex serm. 13. de verbis Apostoli post medium, vbi inquit: *Spiritu Dei aguntur Filij Dei, sed spiritu exhortante, illuminante, adiuvante.* Quarto, ex lib. de Prædest. & Grat. cap. 9. vbi ait: *Ita inter se atque homines Deus tempora, officiaque distribuens, ordinavit, vt vocatione ipsius bonorũ principia sumeremus: vocati autẽ atque illuminati, vias mandatorum eius boni ingenij intelligentia nosceremus, & eas libero eligeremus, vel relinqueremus arbitrium.*

927 Idque ipsum docuerunt Augustini fidelissimi Discipuli Prosper, & Fulgentius.

Nam ille l. 2. de vocat. Gentium c. 9. alias 26. inquit: *Gratia Dei principaliter præeminet ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, inuitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.* Et lib. contra Collat. c. 10. aſſerit cum Africanis Concilijs, *Vtrumque donum Dei eſſe, & ſcire quod facere debeamus, & diligere vt faciamus.* Fulgentius verò lib. de Incar. c. 18. ita loquitur: *Reuera vt velimus, miſeri cordiæ prævenientis illuminamur dono.* Et c. 20. *Qua gratia humanum non auferetur, ſed ſanatur, non removetur, ſed illuminatur, & adiuvatur arbitrium, vt in quo cæcus fuit homo, in eo accipiat lumen.* Et cap. 22. *Quæritur homo vt quærat, quando illuminatur vt credat.*

928 His ſuppoſitis, probemus contra Doctorem Complutenſem, gratiam efficacem non eſſe dumtaxat neceſſariam ad agere, ſed etiam ad poſſe. Id autem probatur primo, quia vt præmiſimus, entitas gratiæ efficacis eſt eſſentialiter prærequiſita ad eliciendam ſalutarem operationem; quidquid autem prærequiritur ad operationem, actum primum conſtituit; quia implicat vt ſit proxime potens elicere operationem ille, cui deeſt aliquid eſſentialiter prærequiſitum ad operationem, quod non eſt ſub eius poteſtate, ſed vnicè ab alterius arbitrio dependet: vt abunde demonſtraui ſupra pag. 224. toto §. 39.

Secundo ſpecialiter probatur: quia cum iuxta hunc Doctorem gratia efficax ſupponat potentiam proximè expeditam ad eliciendum actum ſalutarem; & cum potentia illa conſtituatur per ſupernaturalem vocationem, ſeu illuſtrationem; & per complacentiam inde neceſſario reſultantem; iam ſupponit pondus quoddam inclinans ad elicientiam actus ſupernaturalis: ſi ergo pondus illud præponderet ponderi concupiſcentiæ inclinanti ad oppoſitum; iam actus ille primus iuxta principia huius Doctoris infallibiliter vi ſua trahet ad elicientiam actus honeſti ſupernaturalis ad quem inclinat: vt quid ergo neceſſaria erit delectatio cœleſtis actum illum primum ſupponens, vt voluntas determinetur ad elicientiam talis actus? Si autem præponderet pondus concupiſcentiæ; illud vi ſua infallibiliter trahet in actum turpem oppoſitum, nam iuxta hunc Doctorem, *quod amplius nos delectat*, delectatione quadam omnino neceſſaria, & indeliberata, & prævia ad electionem liberam, *ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Si autem pondera illa ſint omnino æqualia, & voluntas non minus vi cognitionis, & complacentiæ neceſſariæ ſupernaturalis ſit inclinata in actum ſalutarem, quam vi concupiſcentiæ ad actum oppoſitum, erit in æquilibrio, ac proinde poterit immediate prodire in electionē actus ſalutaris ſine nova gratia præveniente, quæ ipſam determinet; ſicut in ſtatu integritatis quia Adam habuit illud æquilibrium, poterat vi illius ſine nova gratia præveniente elicere actum ſalutarem adimpletivum præcepti.

929 Tertio probatur, gratiam efficacem non debere ſupponere potentiā proximè expeditā ad actum ſalutarē eliciendū vel non eliciendū, quia poteſt Deus homini gravi tentatione vexato & non habenti pro illo ſigno vllam gratiam ſupernaturalē ſubitam illuſtrationem, & inſpirationem ſupernaturalem immittere, vi cuius immediate eliciat actū ſalutarem, quo illam tentationem vincat: quis hoc neget? Ergo non eſt de conceptu gratiæ efficacis, qua Deus facit vt actum liberū ſalutarem efficiamus, ſupponere cognitionē ſupernaturalem conſtituentē actum primum proximum ad actum ſalutarē. Probatur quarto, quia non repugnat, vt eadem vocatio & inſpiratio, quę actum primū conſtituit, ita ſuadeat, vt perſuadeat; taliſque ſit genij, vt ſine nova ſuperveniente cognitione, & cōplacentia coniūgatur cum electione libera ſalutari: cur enim in theſauris ſuæ omnipotētiæ non habeat Deus illuſtrationes ſupernaturales, quæ cum primū, homini infunduntur, ab illo exprimant conſenſū liberum ſalutarē? Non ergo neceſſe eſt diſtinguere gratiam auxiliātem conſtituentē poſſe, à gratia auxiliāte obtinente reipſa conſenſum ſalutarem liberū: ſane poteſt Deus nulla alia præmiſſa cognitione ſupernaturali, nec ſupernaturali complacentia, ſubito immutare cor hominis aperiendo quod latebat, & ſuave faciendo, quod non delectabat, & hoc modo illī perſuadere conſenſum liberū ſalutarem: ergo gratia efficax conſiſtens in actu vitali nobis non libero non debet entitative diſtingui à gratia ſufficienti.

Ponamus duos homines audire verbū veritatis ab eodē prædicatore. *Certum eſt, nullū* illorū poſſe elicere actum fidei, quin Deus illū interne illuminet per gratiā ſuam. Quis dubitet poſſe Deū vni infundere cogitationē & inſpirationem, vi cuius etſi poſsit credere, reipſa tamē non credat; alteri verò infundere immediate illuſtrationē & inſpirationē vi cuius nō ſolū poſsit credere ſi velit, ſed etiā qua fiat vt velit. Hoc eſt enim quod docet Auguſt. c. 6. de Prædeſt. Sanct. *Multi* (inquit) *audiunt verbū veritatis, ſed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas*

tas à Domino, discernendũ est vtique, quid veniat de misericordia, quid de iudicio. Ergo iuxta Augustinum sicut post auditam prædicationem Deus quibusdam dat auxilium, quod prævidebat futurum esse congruum; ita quibusdam dat auxilium, quod prævidit congruum, vi cuius non solum possint cõverti, sed reipsa convertendi sint: quæ est maxima misericordia, ergo gratia efficax consistens in actu vitali supernaturali, quem Deus in nobis sine nobis libere corporantibus operatur, non debet supponere gratiam sufficientem supernaturalem vitalem consistentem in illustratione supernaturali, & complacentia inde resultante, ergo falsa est sententia Doctoris illius, quatenus dicit delectationem victricem, in qua cõsistit gratia efficax, supponere pro priori actum primum proximum, seu indifferentiam proximam ad vtrumque.

930 Quis non videat posse Deum præfinire efficaciter conversionem liberam peccatoris obdurati, & subito illi infundere illustrationem vividissimam, qua ita impellatur ad conversionem liberam, vt immediate illi accommodet assensum liberum? Quis neget posse Deum incipere conversionem peccatoris per vocationem illam, *altam, & secretam, per quam Deus ita agit sensum, vt accommodet assensum*, vt loquitur Augustinus epist. 107. Quis neget posse incipere conversionem peccatoris per illam gratiam, de qua loquitur cap. 8. de Prædest. Sanct. *Hæc gratia*, inquiens, *quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia penitus auferatur.* Ergo certum est posse Deum incipere conversionem per gratiam efficacem. At exploratum est, Deũ incipere conversionem per gratiam dantem simpliciter posse, & constituentem libertatem ad salutariter operandum. Ergo certum est gratiam prævenientem efficacem non esse entitative distinctam à gratia sufficienti, quæ est necessaria ad posse.

931 Quarto sic argumentor. Pondus gratiæ efficacis trahens vitaliter voluntatem ad electionem boni honesti opponitur ponderi concupiscentiæ trahenti vitaliter ad electionem obiecti turpis. At pondus concupiscentiæ pertinet ad actum primum, & non supponit pro priori voluntatem proxime indifferentem ad vtrumque: ergo pondus gratiæ efficacis pertinet ad actum primum, & non supponit pro priori voluntatem proxime indifferentem ad vtrumque. Maiorem tanquam certam supponit Doctor Complutensis, vt constat ex eius dictis initio huius sectionis, & supponit vbique Iansenius, vt constat ex eius testimonijs adductis §. 6. & 7. consequentia est legitima. Minor vero probatur ex verbis Apostoli 1. Corint. 10. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, vt possitis sustinere.* Quæ verba exponens S. Thomas ibi lect. 3. inquit: *Fidelis Deus, &c. ostendit paratum adiutorium in tentatione.... Verè fidelis Deus, qui dat potentiam, ne vincamur, gratiam vt meream, constantiam vt vincamus. Dicit ergo, Fidelis &c. Quasi diceret, vos ad hoc horror & moneo, quod potestis. Fidelis Deus in omnibus verbis eius.* Qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: *Quod vtique posset diabolus, si permitteretur, quia non est potestas super terram, quæ ei comparetur, Iob 41.* Ergo tentationis pondus suggestione diaboli immissum, potest esse tantum, vt non reliquat potestatem simpliciter talem ad resistẽdum: ergo pondus tentationis & concupiscentiæ, quam diabolus inflammat, vt voluntatem avertat ab electione obiecti honesti, & trahat in electionem obiecti turpis, non supponit potentiam proximam antecedentem expeditam ad bonum, & malum; nam si illam potentiam supponeret, non posset illam impedire, & formaliter tollere; nulla enim forma inhærens voluntati, potest formaliter impedire, & tollere illud ipsum, quod essentialiter supponit pro priori in illo instanti: ergo pondus illud tentationis & concupiscentiæ ideo auferret potestatem ad oppositum, quia constituit actum primum incompossibilẽ cum potestate simpliciter tali ad oppositum.

932 Hinc autem optime arguitur, pondus gratiæ efficacis posse esse tantum, vt moraliter necessitet ad electionem honesti, & consequenter vt per seipsum formaliter impediat & excludat potentiam moralem, & simpliciter talem ad electionem obiecti turpis; ergo pondus gratiæ efficacis se habet ex parte actus primi, nam quo magis crescit pondus gratiæ, minuitur pondus concupiscentiæ constituentis actum primum ad electionem obiecti turpis: illud autem, quo formaliter impeditur actus primus ad malum, formaliter constituit actum primum ad oppositum.

933 Audiamus P. Cornelium à Lapide, qui hunc locum Apostoli exponens, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*, hinc infert, *nos posse tentari tam validè à dæmone & carne, vt resistere non possimus, nisi Dei gratia succurrat.* Et pro hac expositione citat Chrisostomum & Anselmum. Deinde infert, *defacto tentationem nullam esse tantam, quin Dei gratia vinci possit.* Subinde infert, *optimum*

tentationis remedium eſſe orationem, vt Dei gratiam & opem invocemus, noſtris diffiſi viribus, vlterius, *hanc gratiam non ſolum electis hic & alibi promitti, ſed omnibus Deum rite invocantibus*, citatque pro hac illatione Trident. ſeſs. 6. cap. 11. Vltimo infert: *In Chriſtiani cuiuſque poteſtate eſſe habere auxilium ſufficiens ad vincendas omnes tentationes, & peccata. Deus enim ad hoc, quaſi fidelis, ſe fidem ſuam obligat, vt docet hic Apoſtolus.*

634 Ergo iuxta ſenſum litteralem, & genuinum Apoſtoli tentatio poteſt eſſe ita gravis, vt cum illa non cohæreat auxilium immediate ſufficiens ad vitandam electionem obiecti turpis: ergo pondus tentationis, & concupiſcentię non ſupponit auxilium immediate ſufficiens ad vincēdum peccatum: quando quidem illud auxilium & proximam poteſtatem vitandi peccatum formaliter excludit; ſolumque relinquit potentiam ad vincendum, quatenus relinquit potentiam ad orandum, & media oratione impetrandum auxilium ſufficiens, quo conſtituatur abſolute potens vincere tentationem, vt enim definit Tridentinum ea ſeſs. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuvat, vt poſſis.* Quibus verbis aperte ſignificat, aliquando tentationem neceſsitare moraliter, & abſolute loquendo ad peccandum, niſi is, qui tentatur, recurrat ad orationem, & media illa impetret auxilium ſufficiens, quo abſolute poſsit, ſi velit, tentationem vincere. Hinc à fortiori ſequitur gratiam poſſe eſſe tam copioſam, & ita ad obſervantiam præcepti inclinare, vt neceſsiter ad illius obſervationem: ergo de conceptu gratiæ efficacis, quæ iuxta Doctorem Complutenſem, & veram ſententiam conſiſtit in actibus vitalibus intellectus & voluntatis antecedentibus noſtram deliberatam electionem, non eſt ſupponere proximam indifferentiam, & libertatem ad vtrūque: ergo falſiſsimum eſt, gratiam efficacem vitalem, qua Deus facit vt laudabiliter, & ſalutariter operemur, nō ſe tenere ex parte actus primi, ſed illum iam ſupponere; ac proinde non eſſe neceſſariam ad poſſe, ſed ſolum ad ſalutariter agere. Licet enim is, qui caret ſua culpa gratia efficaci ad obſervandum præceptum, ſæpiſsime habeat auxilium vere ſufficiēs, quo antecedenter in illo inſtanti in quo peccat, poſſet ſi vellet obſervare præceptū; tamen quando præceptum obſervat, non eſt neceſſe, vt gratia illa, qua Deus facit vt obſervet præceptum, ſit entitative diſtincta ab illa, qua illum conſtituit proxime potentem obſervare præceptum. Quamvis poſsit contingere, vt poſtquam Deus contulit gratiam, vi cuius homo habet abſolute potentiam ad obſervandum præceptum; ſuperaddat vberiorem gratiam, quia vidit, hominem relictum cum ſola priori gratia, non obſervaturum præceptum. In hoc tamen caſu gratia illa vberior non eſt neceſſaria neceſsitate antecedenti ad obſervandum præceptum; ſed ſolum neceſsitate cōſequenti, quatenus Deus prævidit, hominem illum re ipſa non obſervaturū præceptum hic, & nunc, niſi gratiæ præexiſtenti ſuperadderetur novū auxiliū. Nos autē loquimur de gratia efficaci, quatenus neceſſaria eſt ſimpliciter, & abſolute ad obſervandū præceptum; implicatorium eſt enim, vt homo ſalutariter operetur, quin Deus ipſum efficaciter moverit ad operandum, ſeu quin verificetur, *Deus fecit vt homo hic, & nunc obſervaret præceptum.*

§. XI.

Soluitur quædam obiectio, cuius occaſione diſquiritur, an complacentia indeliberata ſupernaturalis, ſit eſſentialiter prærequiſita, vt homo ſit proxime & abſolute potens ſalutariter operari: & conſequenter, an gratia efficax præveniens, neceſſario importet non ſolum illuſtrationem ſupernaturalem intellectus, ſed etiam affectionem voluntatis ab illuſtratione diſtinctam?

635 SED Dices in favorem ſententiæ prædicti Recentioris, gratiam ſufficientem vi cuius homo conſtituitur abſolute, & ſimpliciter potens elicere actum ſalutarem, cōſiſtere in vocatione ſupernaturali, ſeu illuſtratione divina, quæ de ſe voluntatem inclinat ad actum liberum ſalutarem, & quæ non ſolum oſtendit voluntati obiectum in quod feratur, ſed ipſi tribuit vires ad illud libere amandum, quatenus ſimul cum arbitrio concurrit ad actum ſalutarem, eo quod arbitrium ſe ſolo non ſit virtus ſufficiēs ad eliciendum actum ſalutarem, niſi conforteretur per illuſtrationem ſupernaturalem. Licet enim arbitrium ex ſe habeat ſufficientem virtutem ad volitionem naturalem, & ſuppoſita cognitione mere naturali vt dirigente præciſe, & vt mera conditione, poſsit ſua virtute naturali tanquam tota virtute agendi elicere volitionem non ſalutarem: tamen relate ad volitionem ſalutarem & ſupernaturalem illuſtratio & vocatio non ſe habet mere directive & tāquam mera conditio detegens obiectum, circa quod voluntas viribus propriis tanquam tota & adæquata virtute agendi eliciat actum ſupernaturalem; ſed ſe habet directive, & effective, tanquam inſtrumentum Spiritus San-

&

Dei moventis voluntatem hominis,& adiuvantis media illuſtratione ad eliciendum actum ſalutarem liberum; ac proinde illa vocatio ſe habet reſpectu voluntatis in ordine ad eliciendũ actũ ſalutarẽ, ſicut lux reſpectu viſus in ordine ad eliciendã viſionẽ, ſicut enim ad viſionẽ concurrit,non ſola potentia viſiva,ſed etiã lux;ita ad actum ſalutarem concurrit non ſola voluntas, ſed illa illuſtratio etiam; immo hæc concurrit principalius tanquam inſtrumentũ Dei vt Authoris ſupernaturalis tribuentis vires arbitrio mediante illa illuſtratione ; quam vt Author ſupernaturalis in nobis ſine nobis libere cooperantibus cauſat ; & mediante illa cooperatur nobiſcũ ad actum ſalutarem liberũ tanquam cauſa principalis.Quæ doctrina præcipuè locum habet quando ante infuſionem habituum ſupernaturalium, Deus movet liberum arbitrium ad eliciẽdum actum ſalutarem. Vnde P.Vazquez 1.2. diſp.185. num.41. impugnat eos ; quia dicunt gratiam adiuvantem apud Auguſtinum eſſe non ſolam vocationem cum concurſu Dei, ſed etiam habitum ſupernaturalem gratiæ. Impugnat inquam , quia licet ad aliqua opera per illum habitum adiuvemur ; tamen cum gratia adiuvans, & excitans neceſſaria ſit ad alia opera , ad quæ talis habitus non requiritur ; ideo Auguſtiniani (inquit) nomine adiuvantis gratiæ, ſolum intellexerunt vocationem Dei ; qua efficit, vt voluntas conſentiat. Vbi adeſt habitus infuſus proportionatus actui eliciendo ; facilius admitti poſſet , illuſtrationem ſupernaturalem non concurrere effective, ſed ſolum directive, movendo potentiam vt vtatur habitu ſupernaturali. Sed vbi non adeſt habitus,vel dicendum eſt concurrere cognitionem ſupernaturalem effective ad actum ſalutarem liberum , vel illam cognitionem exigere vt Deus tanquam Author ſpecialis concurrat in illum actum. Suppoſita autem hac doctrina,dicere quis poſſet,gratiam efficacem conſiſtere in delectatione quadam ſupernaturali immiſſa à Deo poſteriori ad illam illuſtrationem,ſeu in quodam actu voluntatis indeliberato, quem Deus in voluntatem ſine eius libera cooperatione immittit, vi cuius facit vt illa libere conſentiat Deo vocanti & excitanti per illam illuſtrationem , ac proinde illa delectatio ſupponet iam poſſe , & ſolum erit neceſſaria ad agere.

936 Verum hæc doctrina facilè impugnatur: quia ſi ſemel liberum arbitrium per ſolam illuſtrationem ſupernaturalem conſtituitur proxime potens elicere conſenſum liberum ſalutarem, quin in illa proxima potentia involvatur motus aliquis ipſius voluntatis indeliberatus; nulla eſt ratio cur ſit eſſentialiter prærequiſita illa delectatio indeliberata, vt voluntas libere conſentiat; fieri enim poterit, vt illuſtratio illa actum primum conſtituens immediate moveat ad cõſenſum liberum. Cur enim Deus neceſſitatus erit ad non influendũ cum voluntate in conſenſum liberum,niſi prius priori natura in ipſa cauſet motum indeliberatum ? Sæpe ſane continget, vt ſola cognitio ſeu illuſtratio ſupernaturalis non obtineat à voluntate conſenſum liberum, niſi ſuperaddatur motus aliquis indeliberatus, qui ſua dulcedine & ſuavitate vincat delectationem terrenã & ſit cauſa cur voluntas reipſa conſentiat. Cæterum id non ſemper erit neceſſarium ; ac proinde vniverſaliter non erit verum,gratiam efficacem conſiſtere vnice & adæquate in delectatione indeliberata ſupponente iam auxilium proxime ſufficiens ad actum ſalutarem. Diſputant quidem Theologi , an gratia excitans ſufficienter ſalvetur in ſolo intellectu, an complectatur ſimul actum indeliberatum voluntatis ; vt videre eſt apud Patrem Suarez lib.3. de Grat. cap.6. & 7. Et ſane Alenſis 3. part. quæſt.62. membro 6.art.3.alias 7. mem. 3.docere videtur excitantem gratiam non eſſe neceſſariam in voluntate ; ſed excitationem videtur tribuere ſoli intellectui,neque ad motum liberum,quo iuſtificamur,videtur exigere præeuntem motum indeliberatum in voluntate. *Neque alij antiqui Scholaſtici, neque ipſe D.Thomas aliquid de neceſſitate horum motuum indeliberatorum gratiæ , quæ in voluntate præcedere debeat, nobis expreſſe tradiderunt*, vt inquit P. Suarez vbi nuper cap.7. num.2. Præterea Albelda 1.p. diſp.58. ſect.4. inquirit : *An gratia prævenies conſiſtat non ſolum in ſanctis cogitationibus, verum etiam in ſanctis affectionibus indeliberatis voluntatis.* Et ſtatim ſubiungit. *Ad hanc quæſtionem nos compellit ſententia, quam docet Vazquez* 1.p.diſp.88 circa finẽ, & 12. diſp.185. cap.9. vbi ait: *Illuſtratio ex parte intellectus naturaliter excitare ſolet affectum ante deliberationem , licet id non ſemper accidat; quando igitur ita evenerit, affectus ille ad gratiam operantem,& prævenientem pertinebit. Vnde mens eius eſt, gratiam actualis auxilij prævenientis ſimpliciter requiſiti ſolum in ſancta cogitatione conſiſtere ; tametſi quando inde naturaliter excitatur affectus aliquis ante deliberationem, ad gratiam etiam prævenientem pertineat , licet non ſemper conſequatur naturaliter talis affectus.*

937 Ego vero diligenter inſpexi loca citata ab hoc Authore ex Vazquez , & eam doctrinam ibi invenire non potui, immo eo cap. 9. num. 40. inquit : *Obſervandum eſt*

eam-

eandem vocationẽ & cogitationẽ ſanctã, & primũ motũ voluntatis ſubitum dici gratiã operantem & prævenientẽ, & cooperantẽ, & concomitantem; eandem inquam diuerſo modo conſideratã; nam quatenus conſenſum noſtrum prævenit, eſt operans, & præveniens, quatenus verò in nobis efficit nobiſcum conſenſum, eſt cooperans & concomitans. Et in fine illius capitis de hac vocatione, & ſancta cogitatione loquens inquit: *Quæ quatenus excitat in voluntate primum motum indeliberatum, dicitur aliquid operari ſine nobis ad excitandam voluntatem.* Et cap. 6. eiuſdem diſputat. num. 20. inquit: *Docent igitur Auguſtinus, & qui eius doctrinam poſtea ſecuti ſunt, gratiam operantem, quam dicunt Deum in nobis ſine nobis operari, eſſe ipſam ſanctam cogitationem; quæ eſt ante conſenſum, atque eodem modo motum voluntatis ſubitum ſine noſtra libertate ex pia illa cogitatione ortum, quo deterremur à malo, & ad bonum provocamur.*

938 Cuiuſcumque tamen ſit illa ſententia, fundamentum habet in Auguſtino, qui frequenter nomine gratiæ operantis, & prævenientis, ſolum meminit vocationis, ſeu ſanctæ cogitationis, nam lib. 1. quæſt. 2. ad Simpl. inquit: *Vt velimus ſuum eſſe voluit eſſe, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Et cap. 34. de ſpiritu elit. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus.... ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Et lib. 83. quæſtion. 68. *Quoniam neque velle quiſquam poteſt niſi admonitus, & vocatus.... efficitur vt etiam ipſum velle Deus operatur in nobis.* Item illud quod ſupra adduxi num. 921. *Quoniam non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea Deo vocanti rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis verò tribui non poteſt, quod vocemur.* Idque ipſum ſuadent alia, quæ adduximus num. 921. & 922.

939 Et huic ſententiæ videtur favere Tridentinum ſeſs. 6. cap. 5. cum enim dixiſſet, *Ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſummendum eſſe*; ſtatim ſubiungit, *hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo averſi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam, eidem libere aſſentiendo & cooperando, diſponantur.* Vbi Concilium (inquit Vazq. diſp. illa 185. num. 39.) operãtem gratiam nuncupavit prævenientem, atque excitantem, cooperantem verò appellavit adiuvantem, ipſamque eſſe adiuvantem indicavit cum dixit, *eidem aſſentiendo & cooperando.* Idem ſentit P. Molina in Concordia diſp. 37 §. *deinde falſum* & diſp. 38. §. *ex dictis*, & poſt ipſum Petrus à S. Ioſeph. diſp. 6. de Grat. ſect. 2. num. 14. & P. Ripalda tom. 2. diſp. 112. qui Authores docent, gratiam excitantem, adiuvantem, & cooperantem eſſe eandem ſecundum diverſos reſpectus: nam dicitur excitans, vt explicat P. Vazq. diſp. illa 185. num. 38. *Quia veluti fungitur munere* excitantis aliquem *à ſomno. Nam voluntas noſtra, quæ eſt in ſomno deſidiæ, atque peccati, clamore vocationis, & ſanctæ cogitationis excitatur; & ſicut excitatio fit ſine conſenſu dormientis, ſic etiã fit gratia excitans in nobis ſine noſtra libertate.* Dicitur verò adiuvans, quatenus adiuvat voluntatem ad conſenſum liberum eliciendum; & cooperans, quatenus influit cum arbitrio in conſenſum; ac proinde denominationem excitantis habet ſecundum ſe, quatenus pro priori ad conſenſum liberum evigilare facit voluntatem: denominationem verò adiuvantis & cooperantis in actu ſecũdo non habet niſi ratione actualis influxus, quẽ exhibet in conſenſum liberum. Vnde gratia adiuvans ſpecificative ſumpta eſt prævenies, non tamen quatenus eſt actu adiuvans, & cooperans; vnde, vt dicit P. Vazq. ibi num. 7. ſancta illa cogitatio, qua excitamur, eſt gratia adiuvans, quatenus per illam Deus nos adiuvat ad eliciendum conſenſum liberum.

Neque obſtat, quod Concilium ibidem gratiam illam prævenientem *inſpirationem* appellet. Nam inſpirationis nomine ipſam vocationem, & Spiritus Sancti illuſtrationem intellĩgit: vt enim inquit P. Vazquez diſp. illa 185. n. 38. gratia illa prima à qua ſumitur iuſtificationis exordium, *dicitur infuſio, ſeu inſpiratio, qua quod nobis infunditur, aut inſpiratur, videtur omnino ab extrinſeco in nobis ſine nobis fieri*, quia nimirum infunditur nobis ſine noſtro conſenſu, & independenter ab vſu noſtræ libertatis.

Quapropter gratia prævenies eſſentialiter prærequiſita ad conſenſum, videtur per ſe loquendo conſiſtere in ſancta cogitatione & vocatione: quia vt libere voluntas Deo vocanti conſentiat non videtur per ſe neceſſarium, quod interveniat complacentia indeliberata. Cur enim non poſsit voluntas mota & excitata per illuſtrationem ſupernaturalem immediate adiungere cõſenſum liberum? Aut cur Deus erit neceſsitatus ad non cooperandum nobiſcum ad conſenſum ſalutarem, quin pro priori ad ipſum infundat complacentiam deliberatam?

§. XII.

Impugnatur ratio, qua M. Albelda probat gratiam actualis auxilij necessarij ad operandum importare sanctam affectionem & delectationem, non consecutam connaturaliter ad illustrationem & vocationem.

940 AT Albelda illa disp. 58. nu. 43. acriter contendit gratiã actualis auxilij prævenientis requisiti ad consentiendum Deo vocanti, non solùm esse sanctam cogitationem, sed etiam & potissimè sanctam affectionem seu delectationem mandatorum Dei diffusam intrinsecè in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Postea autem n. 51. asserit, sanctam affectionem & delectationem hanc, quę simul cum sancta cogitatione est gratia efficax auxilians, non solùm esse illam, quæ naturaliter consequitur ex obiecto proposito voluntati, sed illam, quæ infunditur specialiter ab Spiritu S. Redditque rationẽ, quia huiusmodi affectus nõ est supernaturalis, siquidẽ naturaliter cõsequitur. Ergo non est gratia præveniẽs efficax ad actum intrinsecè supernaturalem. Quapropter necessarium est, inquit, quòd eiusmodi affectio & delectatio sit immediatè infusa ab Spiritu sancto movente specialiter voluntatem nostram, vt illam eliciat, licèt indeliberatè. Verùm hæc ratio infirma est; stat enim complacentiã necessariò resultare ex vocatione & illustratione supernaturali & naturaliter ad illam consequi, & tamen esse supernaturalẽ, sicut amor beatificus naturaliter resultat ex visione Dei, & gaudium ex amore, & tamen sunt actus isti supernaturales. Et ratio est, quia stat complacentiam illam versari circa obiectum supernaturale, & exigere tanquam principium sui Deum vt authorem supernaturalem, & tamen naturaliter cõsequi ad vocationem gratuitam & supernaturalem. Namque solùm est de conceptu actus supernaturalis, quod superet vires, & exigentiam naturæ; non autem quod superet exigentiam & vires alterius entis supernaturalis. Præterea cum ad cognitionem vividam boni suaptè naturâ destinatam ad exprimendum à volũtate amorem liberum eiusdem boni illius, naturaliter consequatur simplex complacentia & delectatio erga illud bonum: sanè si præter hanc complacentiam foret necessaria alia ad existentiam consensus liberi, necessariò præcederet ante omnem actum liberum salutarem duplex complacentia, & delectatio indeliberata: quod tamen sine fundamento asseritur. Quapropter si gratia efficax prærequisita ad consensum salutarem, debet consistere in duplici actu, altero intellectus, altero voluntatis; actus voluntatis debet esse ille, qui necessariò consequitur ad actum intellectus; non autem alius, qui superet non solùm exigentiã naturæ secundùm se, sed etiã exigentiam naturæ vt elevatæ per vocationem supernaturalem. Quamvis enim possit Deus delectationem infundere voluntati maiorem illa, quam naturaliter excitare valet illustratio supernaturalis de se sufficiens, vt homo actum salutarem eliciat; eiusmodi delectatio per se non est necessaria, vt homo salutaritèr operetur, ac proinde non est necessaria ad explicandam gratiam efficacem, quæ est illa, per quam Deus facit vt faciamus bonum, & ex terminis requiritur, vt homo salutaritèr operetur; vt enim inquit Augustinus lib. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 8. in fine secundùm editionem Venetam anni 1545. apud Vincentium Valgrisium, qua editione vtor, *multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.* Quare iuxta Augustinum omnino repugnat, quòd homo faciat aliquod bonum, quin Deus faciat, vt homo bonum illud faciat. Atqui vt homo eliciat actum salutarem, præsertim si sit instructus habitu infuso supernaturali, satis est, quòd Deus media illustratione supernaturali, & media complacentia inde necessariò resultante cor eius emolliat, & ipsum permoveat ad elicientiam consensus salutaris: ergo non est necessaria delectatio alia abundantior, & quæ non consequatur necessariò ad illustrationem supernaturalem.

941 Et sanè gratia, quam contra Pelagium probabit Augustinus, non consistit potissimè *in sancta affectione, seu delectatione indeliberata mandatorum Dei diffusa intrinsecè in cordibus nostris*, vt aiebat Albelda, sed potissimum consistit in illustratione, vocatione, & sancta cogitatione, quã Spiritus sanctus in nobis sine nobis liberè cooperãtibus excitat. Inde enim probat affectum pium arbitrij nostri, seu bonam voluntatem esse donum Dei, quia illam bonam voluntatem habere non possumus, nisi Deus ad illam habendam nos adiuvet per sanctam cogitationẽ, quæ sub meritum nostrum cadere non potest. Ipsum audiamus probantem cupiditatem honestam boni non esse à nobis quasi ex nobis, sed esse donum Dei ortum ducens ex gratia: *Si enim sine Dei gratia* (inquit illo cap. 8. paulò post initium) *per nos incipit cupiditas boni, ipsum cæptum erit meritum, cui tanquam ex debito, gratiæ veniat adiutorium, ac sic gratia Dei nõ gratis donabitur, sed meritum nostrum dabitur. Dominus autem*

tem

tem vt reſponderet futuro Pelagio, non ait, ſine me difficilè poteſtis aliquid facere: ſed ait: ſine me nihil poteſtis facere. Et vt reſponderet futuris etiam iſtis (Semipelagianis) in eadem ipſa Euangelij ſententia, non ait: ſine me nihil poteſtis perficere: ſed, facere. Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt, ſed ad perficiendum eſſe Dei adiutorium neceſſarium. Verùm audiant & Apoſtolum. Dominus enim cùm ait: ſine me nihil poteſtis facere: hoc vno verbo initium finemque comprehendit: Apoſtolus verò tanquam ſententiæ Dominicæ expoſitor, apertius vtrumque dixit, dicens: Quoniam qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Ad Philip. 1. ſed in ſcripturis ſanctis apud eundem Apoſtolum iſto, vnde loquitur, amplius invenimus. Loquimur enim nunc de boni cupiditate, quam ſi voluntariò vis incipere, à Domino perfici, videant quid reſpondeant dicenti Apoſtolo 1. Corinth. 3. Non quia idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Cogitare ait aliquid, vtique bonum; minus eſt autem cogitare, quàm cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus, neque tamen cupimus omne quod cogitamus. Cùm igitur minus ſit cogitare quàm cupere: poteſt enim homo cogitare bonum, quod non cupit, & proficiendo poſtea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit: quomodo ad id, quod minus eſt, id eſt ad cogitandum aliquid boni non ſumus idonei tanquam ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & ad id quod amplius eſt, id eſt ad cupiendum aliquid boni ſine diuino adiutorio idonei ſumus ex libero arbitrio? Neque enim & hic Apoſtolus ait, Non quia idonei ſumus cogitare quod perfectum eſt, tanquam ex nobiſmet ipſis, ſed cogitare ait aliquid, cui cõtrarium eſt nihil. Vnde eſt illud Domini: ſine me nihil poteſtis facere. Hactenus Auguſtinus, iuxta quem primum bonum, quod gratis & ſine merito vllo noſtro accipimus, eſt ſancta & ſalutaris cogitatio boni ad quod bonum ſi non ſumus ſufficientes ex nobis metipſis, nec erimus ſufficientes ad bonam voluntatem ſeu cupiditatem boni, quia hæc in ſe eſt maius bonum. Hãc autem cupiditatem boni, vtique liberam, vtpote meritoriam, facit Deus vt faciamus mediante ſancta cogitatione, per quam nos adiuvat. Ergo gratia efficax iuxta Auguſtinum, præſertim ad primam voluntatẽ ſeu cupiditatem honeſtam & ſalutarem boni, per quam impetramus gratiam ad alia opera, cõſiſtit potiſsimè in ſancta cogitatione. Quod ſi ibi ante illam cupiditatem liberam præcedit neceſſariò aliqua complacentia erga bonum, quod liberè appetimus, illa complacentia erit neceſſariò conſecuta ad ſanctam cogitationem. non ergo erit neceſſaria ad liberè appetendum bonum, quod per gratiam Dei cogitamus, delectatio, quæ ſit omnino gratuita non ſolùm reſpectu naturæ ſecundùm ſe, ſed etiam reſpectu naturæ vt elevatæ per principium permanens ſupernaturale, & vt excitatæ per ſanctam cogitationem, & illuſtrationem ſupernaturalem.

§. XIII.

Exponitur textus Concilij Milevitani, & Affricani, quo Albelda probat, gratiam actualis auxilij prævenientis requiſiti ad actum ſalutarem, non ſolùm eſſe ſanctam cogitationem, ſed potiſsimè ſanctam affectionem & delectationem mandatorum Dei, ſpecialiter infuſam ab Spiritu ſancto.

942 TEXTVS Ille habetur de conſecrat. diſt. 4. can. 153. deſumptus ex Cõcilio Milevit. can. 4. & Affric. 7. can. 79. & ita habet: *Quiſquis dixerit gratiam Dei per Ieſum-Chriſtum Dominũ noſtrum propter hoc tantùm nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præſtari, vt quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.* Verum textus iſte ſolùm probat gratiam Dei non ſolùm dari homini, vt oſtendat ei, quid agere debeat, ſed potiſsimè vt illi tribuat vires ad rectè & ſalutariter agẽdum, & vt ipſum adiuvet. radix enim ſpecialis neceſsitatis gratiæ in natura lapſa, quæ neceſsitas non dabatur in natura integra & ſana, qualis fuit in Adam ante lapſum, eſt defectus virium & infirmitas liberi arbitrij ad vitandum errorem & malitiam, & ad operandum bonum virtutis prout oportet. Vnde ſicut homo debilis & infirmus non poteſt rectè ambulare, niſi ab aliquo iuvetur, ita neque liberum arbitrium niſi adiuvetur à *Deo*. Et ſicut non ſatis adiuvatur infirmus exhortando & monendo illum vt ſurgat, ſed oportet manũ admonere, & ſimul cum illo operari, & illum ſuſtinere, vel ſublevare: ita non ſatis eſt libero arbitrio ad vitandum peccatum, quòd per notitiam legis, & mandatorum ipſi aperiatur, quid fugere debeat, & quid operari; ſed inſuper neceſſarium eſt, quòd Deus arbitrium adiuvet,

iuvet, & cum illo concurrat ad opera pietatis. Et hoc evincit textus ille; at quod hoc adiutorium gratiæ debeat amplecti non ſolùm illuſtrationem vividam ex parte intellectus, ſed etiam ſpecialem complacentiam indeliberatam ex parte voluntatis; id non probatur ex illo textu. Cõcilium enim ſuam definitionem ſumpſit ex Auguſtino tum alibi, tum lib. de Gratia Chriſti cap. 8. vbi de Pelagio loquens, inquit, *hanc eum gratiam confiteri, qua demonſtrat & revelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat, atque adiuvat vt agamus.*

943 Et ex cap. XII. eiuſdem libri, vbi inquit: *Hæc autem gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, prædeſtinatos, & ſecundum propoſitum vocatos ad ſummam perfectionem glorificationemque perducit. Qua gratia agitur non ſolùm vt facienda noverimus, verùm etiam vt cogita faciamus, nec ſolùm vt diligenda credamus, ſed etiam vt credita diligamus.* Hinc idem Auguſtinus, vt refert Baronius to. 5. ad an. 419. pap. 444. epiſtola 107. confutat errorem Vitalis Carthaginenſis, qui ſcriptis Pelagij deceptus dicebat, *non eſſe orandum pro idolatris vel aly, non credentibus, vt crederent, ſed tantummodo illis eſſe proponendam doctrinæ veritatem; cæterum credere, vel non credere ex eorundem pendere arbitrio, non autem ex præveniente eos divina gratia.* Et ad finem libri de Bono perſeverantiæ hanc conteſtationem appoſuit: *Qui legunt hæc, ſi intelligant, agant deo gratias: qui autem non intelligunt, orent vt eorum ille ſit Doctor interior, a cuius facie eſt ſcientia & intellectus.* Vt obſervat idem Baron. to. 5. ad an. 426. pag. 498. vnde patet doctrinam legis à Pelagio admiſſam non eſſe divinitus inſpiratam, nec à Deo internè illuminante procedere; ſed eatenus ab ipſo appellari gratiam, quatenus Deus gratioſè hominibus legem dedit, & vitam æternam promiſit. Vide infrà num. 953. textum ex epiſt. ad Vitalem.

Quare Concilium ſolùm intendit, donũ Dei eſſe ipſam bonam voluntatem, qua deſideramus facere, quod cognovimus eſſe faciendum, & ipſam obſervationem mandatorum, & ad illas operationes Deum verè nos adiuvare, & nobiſcum cooperari: in quo autẽ Auguſtinus poſuerit auxilium actuale præveniens, an in ſolo actu intellectus, an in illo, & inſuper in cõplacentia indeliberata immediatè infuſa à Deo, Concilium non explicat. Adde noſtrum ſubtilem Antonium Perez diſp. de Prædeſtinatione Auguſtiniana pag. 167. cum Bellarmino lib. 4. de Gratia & libero arbitrio c. 4. & cum D. Thoma in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. affirmare, non ſolùm eſſe probabile, ſed omnino certum, Pelagium negaſſe cõcurſum Dei immediatum in actiones liberas, & hoc fuiſſe præcipuum ſui erroris fundamentũ, & quod maximè Auguſtinus, & diſcipuli eius ſubvertere ſunt *niſi*. Quod ibi latè probat: ſcopus enim Auguſt. fuit probare contra Pelagiũ, *omne bonum eſſe à Deo*; vnde cùm bona voluntas, ſeu cupiditas boni ſit bonum quoddã, & quilibet bonus vſus liberi arbitrij, hinc deduxit noſtros actus liberos bonos eſſe Dei dona; vnde lib. 2. contra duas epiſtol. Pelag. cap. 9. initio, inquit: *Si autem bonum eſt* (cupiditas boni) *non niſi ab illo nobis eſt, qui ſummè & incommutabiliter bonus eſt.* Qua doctrina ſuppoſita, promptum eſt textum illum explicare. Pelagius dicebat, vt homo velit obſervare legem, illamque obſervet, ſatis eſſe quod à Deo illuſtretur notitia legis, & ſciat quid Deus prohibeat, quid præcipiat; quia exiſtimabat, ſuppoſita ea notitia arbitriũ ſe ſolo ſine concurſu & adiutorio Dei poſſe elicere volitionem illam honeſtam, & hunc errorem damnat Concilium, definiens ipſam volitionem liberam honeſtam eſſe à Deo immediatè, & Deum facere vt illam eliciamus: ita vt per concurſum immediatũ cum arbitrio concurrat, & media vocatione faciat, vt arbitrium cooperet Deo.

944 Præterea quamvis cum P. Suarez prologom. 5. de grat. cap. 4. diceremus, Pelagium non negaſſe concurſum immediatũ generalem Dei ad actiones noſtras liberas; adhuc facilis eſſet explicatio illius textus; quia nimirum Pelagius contendebat, arbitriũ ſuppoſita notitia præceptorum Dei, viribus proprijs & cum ſolo concurſu generali ſibi debito poſſe elicere actus ſalutares poſitivè conducentes in vitam æternam. Concilium verò definit ad illos actus opus eſſe ſpeciali auxilio Dei. Quare in illo textu ſolùm Concilium damnat eum, qui dixerit donum Dei ad hoc ſolùm dari, vt ſciamus, quid agendum, & quid vitandum ſit, non autem vt diligamus, & poſſimus id facere. Quare qui diceret Deum infundere arbitrio cognitionem præceptorum, non præcisè vt manifeſtet illi quid fugere, & quid agere debeat, ſed præcipuè vt media illa cognitione ipſum accendat ad diligendum liberè præceptum, & amãdum quod Deus præcipit, & opere exequendum, & ipſum verè iuvare ad illam dilectionem & operationem; nihil haberet cum Pelagio commune; ſed id totum concederet, quod Auguſtinus à Pelagio extorquere volebat: vt patet ex lib. de Gratia Chriſti; nam poſtquam multa contra Pelagiũ tribus primis capitulis diſputaverat, tandem

cap.

cap. 4. ad præcludendas Pelagij evasiones sic concludit: *Si consenserit, ita ipsam voluntatem & actionem diuinitus adiuvari, & sic adiuvari, vt sine illo adiutorio nihil liberè velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum-Christum Dominum nostrum, nihil de adiutorio Dei, quantum arbitror, inter nos relinquetur controversiæ.*

945 Si Augustinus ad actus salutares eliciendos præter concursum immediatum physicum Dei generalem in actiones illas non expoſcit aliud adiutorium physicum Dei vt authoris supernaturalis, sed solùm adiutorium morale; non est ratio convincens non sufficere adiutorium morale consistens in cognitione supernaturali, qua Deus persuadeat homini eliciendam actus liberi salutaris cum concursu sibi oblato. Si autem vltra adiutorium morale requiritur adiutorium physicũ, dici potest cum Molina & alijs suprà citatis num. cognitionem supernaturalem non solùm adiuvare ostendendo obiectum, in quod feratur voluntas, & illam inclinando & alliciendo, sed effectivè influendo in ipsam volitionem liberam salutarem, vel exigendo vt Deus tanquam author specialis immediatè influat in illum actum salutarem.

§. XIII.

An gratia adiuvans stabilita ab Augustino contra Pelagianos, adiuvet dumtaxat moraliter, suadendo & inclinando; an etiã physicè, efficienter concurrendo in actus liberos honestos.

946 CERTVM Est ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, hominẽ non posse elicere opera salutaria quin adiuvetur à Deo. Vnde Augustinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 18. aiebat: *Quòd ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adiuvante non possumus.* Et lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 9. *Quamvis nisi adiuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possimus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento & opere nostro.* Sed dubium est an adiutorium hoc stabilitum ab Augustino contra Pelagianos sit solùm morale, suadendo, alliciendo, inclinando; an insuper sit physicum, physicè influendo in opera salutaria speciali concursu. Quòd sit solùm morale, videtur colligi ex multis locis, primò tract. 26. in Ioan. vbi de tractione morali exponit illud Christi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: hanc enim tractionem explicat hac similitudine, *Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam*: vnde concludit: *Veritatis revelatio ipsa est attractio, quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem?* Secundò ex lib. de Spiritu & lit. cap. 34. vbi docet, *Deum non ita esse causam malæ voluntatis, sicut bonæ, quia visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus*: hic autem modus causandi moralis est & ex parte obiecti. Tertiò ex lib. 83. quæstion. q. 68. *Quia neque velle quisquam potest nisi admonitus & vocatus, ideo ipsum velle Deus operatur in nobis.* Quartò ex ser. 13. de verbis Apostoli, vbi exponens illud Rom. 8. *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, inquit: *nõ littera, sed spiritu, non lege præcipiẽte, minante, promittente: sed spiritu exhortante, & illuminante, adiuvante.* Quintò ex lib. de Prædest. Sanct. cap. 15. 16. & 19. vbi solùm gratiæ videtur tribuere causalitatem moralem, dum ait: *Illa vocatione, quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur & peragitur vt credamus.* Sextò ex locis, in quibus generaliter dicit, gratiam nos iuvare varijs & occultis modis, videlicèt lib. contra duas epist. Pelag. cap. 19. vbi ait: *Trahitur voluntas miris modis, vt velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari.* Et lib. 5. Confess. cap. 7. & 8. de sua vocatione loquens dicit: *Egisti mecum miris & occultis modis, tu illud egisti Deus meus: nam à Domino gressus hominis dirigentur & viam eius volet.* Et lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. omnes modos, quibus Deus per gratiam nos movet, & adiuvat, reducit ad illa duo capita, *quia per gratiam fit vt non lateat, quod iustum est, vel vt suave fiat, quod non delectabat*: qui duo modi morales sunt.

947 Verum enimverò quamvis quando actus honesti sunt entitativè naturales quoad substantiam, & gratia ad illos desideratur propter ignorantiam & infirmitatem ex peccato originali contractam; satis sit quod adiutorium gratiæ sit morale, & Deus dicatur adiuvare, quatenus sua gratia tollit ignorantiam, & vincit difficultatem, & sic virtutem naturalem voluntatis movet ad eliciendos actus honestos, quos absolutè non posset elicere, nisi illo pacto iuvaretur: tamen quando actus honesti sunt intrinsecè supernaturales, non sufficit adiutorium morale, sed requiritur adiutorium physicum; quia cùm natura sit ex se impotens & improportionata, debet elevari per principium supernaturale ad eliciendos eiusmodi actus. *Vnde* (vt inquit P. Suarez lib. 3. de Gratia cap. 5. num. 5.) *licèt de hac gratia adiuvante ad actus supernaturales*

non tam clarè Augustinus, & alij Patres loquantur; nihilominus quoad hanc partem tam certum est, quam certum est, Deum dare nobis virtutes per se infusas, quibus hos actus etiam per se, & physicè efficere valeamus.

Quapropter, si sermo sit de actibus supernaturalibus eliciendis ab homine iusto habente habitus per se infusos virtutum; tunc non erit necesse vt vocatio supernaturalis, neque complacentia necessaria inde resultans, physice influant in actum liberum supernaturalem; sed satis est, quod iuvent moraliter, illam permovendo, vt vtatur virtute supernaturali habituali, qua prædita est. Si autem actus supernaturales eliciendi sint à peccatore carente habitibus proportionatis ad illos actus; vel dicendum erit cum P. Molina, & alijs supercitatis num. vocationem supernaturalem, non solum iuvare moraliter, sed etiam physice; vel si solum iuvet moraliter, dicendum erit, Spiritum Sanctum per seipsum posita illa illustratione, & quasi ad exigentiã illius influere physice specialiter in actũ salutarem.

Quomodocumque autem gratia auxilians dicatur adiuvans, non est fundamentum sufficiens, vt dicamus, gratiam actualis auxilij prævenientis requisiti ad actum salutarem non posse salvari in solo actu intellectus. Neque ego video cur Deus hominem iustum non habentem passiones rebelles, sed potius omnino sedatas, non possit per solam illustrationem supernaturalem intellectus immediate movere ad actum liberum salutarem.

§. XIV.

Quanquam ex terminis non sit prærequisitus ad actum liberum salutarem motus indeliberatus voluntatis: tamen regulariter gratia excitans complectitur non solam illustrationem intellectus, sed delectationem indeliberatam voluntatis.

248 SED Quanquam res ita sit, tamen gratia excitans, præsertim quando gravis vrget tentatio, quæ vincenda sit, vel quando durus & rebellis peccator convertendus est, non solum in intellectu, sed etiã in voluntate infunditur, & regulariter saltem ita contingit. Ideo Augustinus sæpè piæ cogitationi intellectus adiungit affectionem, & suavitatem voluntatis; & hoc pacto dixit, *Deum trahere hominem ad fidem ineffabili suavitate, ostendendo quod non apparebat, & faciendo vt suave fiat, quod non delectabat.* Et lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 9. inquit: *Ipse est, cui fideliter veraciterque cantatur, quoniam prævenisti eam in benedictione dulcedinis. Tunc bonum concupisci incipit, quando dulcescere cæperit.... Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei qua fit in nobis vt nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis: in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed neque inchoatur ex nobis.* Et lib. 2. de peccatorum mer. cap. 17. & 18. omnes effectus gratiæ prævenientis & excitantis ad duo capita revocat: vnum est, *Vt innotescat quod latebat*, aliud, *vt suave fiat quod non delectabat*; & vtrumque dicit pertinere ad illam gratiam, qua Deus adiuvat voluntates, & facit vt faciamus, quam gratiam ibi appellat *victricem delectationem.* Et lib. de Grat. Christi cap. 13. dicit, doctrinam internam, in qua gratia consistit mirabili cum suavitate esse coniunctam: *Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere.* Quod dixit vt reijceret sententiam Pelagij non aliam gratiam requirentis quam doctrinam externam legis divinę, & notitiam naturalem legis humana diligentia partam: cum tamen certum sit, necessariam esse cogitationem sanctam à Deo misericorditer excitatam sine vllo merito creaturæ, per quam interne Deus ita docet, vt persuadeat homini, quod persuadere non possit cognitio humano studio acquisita.

§. XV.

Infertur ex dictis, gratiam efficacem non posse consistere in sola affectione indeliberata infusa à Deo supponente actum primum proximum per vocationem, seu illustrationem diuinitus inspiratam.

249 PATET Illatio ex dictis. Nam si tentatio gravis vrgebat, & delectatio terrena, atque sensibilis vehementer voluntatem deprimebat, ei necessitatem moralem peccandi inducebat; ad vincendam hanc difficultatem non solum Deus interne illuminare debuit intellectum, sed voluntati pondus contrarium imprimere; infundendo cœlestẽ delectationẽ, qua vel arbitrium absolute maneret magis inclinatũ in obiectũ honestũ quã in turpe, vel maneret in æquilibrio ad vtrũque, vel saltem ita inclinatũ in bonum, vt haberet potentiam moralem ad vincendam tentationem, in tali circunstantia collatam, vt reipsa coniuncta foret cum victoria, & tunc delectatio cœlestis ad actum primum pertinet, vtpote dans arbitrio potentiam simpliciter talem ad vincendam tentationem.

Si autem in eliciendo actu ſalutari nulla ex parte hominis daretur difficultas à concupiſcentia proveniens; ſufficienter tunc per infuſionem habitus ſupernaturalis, & per illuminationem ſupernaturalem conſtituebatur intellectus proximè expeditus ad eliciendum actum ſalutarem, & ita inclinatus, vt quamvis non reſultaret affectus indeliberatus complacentiæ pro priori ad conſeſum liberum, illum nihilominus eliceret: tunc autem gratia efficax, quatenus neceſſaria ad conſenſum ſalutarem, ſufficiéter ſalvaretur in vocatione ſupernaturali. Ergo falſum eſt gratiam efficacē neceſſariam ad conſenſum liberū ſalutarem conſiſtere vniverſaliter in delectatione cœleſti indeliberata ſupponente pro priori ad ſe potentiam proximam ad vtrumque, quæ ſine illa delectatione non coniungeretur reipſa cum conſenſu ſalutari.

950 Præterea cum ex dictis conſtet gratiam efficacem eſſe eſſentialiter requiſitam vt homo eliciat de facto actum ſalutarem; ſanè ſi illa conſiſtit in delectatione cęleſti indeliberata, quam Deus gratioſè immittat pro poſteriori ad vocationem; impoſsibile eſt, vt homo pro priori ad illam ſit proximè potens, & verè liber ad eliciendum actum ſalutarem; vt patet ex illo principio, quod Eximius Doctor ſæpe appellavit per ſe notum, vt vidimus ſuprà pag. 224. *Impoſsibile eſt, me habere in mea poteſtate effectum, ſi non habeam actu vel in mea poteſtate quidquid eſt neceſſarium vt effectus fiat.* Vt enim inquit Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 22. *Illud eſt in noſtra poteſtate, quod cùm volumus facimus.* Ac proinde tunc ſolùm eſt in noſtra poteſtate, quādo ad illud faciendū nihil deeſt, niſi quod eſt in noſtro arbitrio, nempe voluntas libera faciendi. Præmiſerat Auguſtinus in poteſtate noſtra eſſe ferre fructum bonorum operum, & ſtatim ſubiungit. *Quod non eſt cōtra gratiam Dei, quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt niſi à Deo detur, de quo dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus facimus, nihil tam in poteſtate, quam ipſa volūtas eſt: ſed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat poteſtatem.* Vnde habemus, eatenus Deum nobis donare fructum bonorum operum, quatenus dat nobis poteſtatem ad illa facienda per auxilia gratiæ ſuæ; & hæc auxilia conſiſtere in vocatione & inſpiratione, quā præparat arbitrium ad eliciendam bonam voluntatem, ſeu honeſtam volitionem boni, & per illam facit, vt illam volitionem eliciamus. Ergo Auguſtinus eatenus aſſerit bonam voluntatem ſeu actum ſalutarem eſſe in noſtra pōteſtate, quia ſuppoſita gratia præveniente, qua reddimur abſolutè potentes, nihil deeſt ex parte Dei, ſed poſſumus immediatè coniungere volitionem ſalutarem cum illa gratia præveniente, vi cuius Deus nobiſcum cooperatur, per hoc præcisè quòd nos ſinamus nos moveri, & non apponamus reſiſtentiam; nam dando gratiam, & movendo ad eliciendum actum ſalutarem, dat quantum eſt ex ſe actum ipſum liberum, quem nos liberè recipimus, dum cooperamur gratiæ ad eius elicientiam.

951 Vnde idem Auguſtinus lib. 2. Retract. capite 1. exponens quod alibi dixerat, *Quāuis ſit in cuiuſque poteſtate quid velit, non eſt tamen in cuiuſquam poteſtate quid poſsit*: inquit: *Quod ideo dictum eſt, quia nō dicimus eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cùm volumus fit, vbi prius & maximè eſt ipſum velle. Sine vllo quippe intervallo temporis præſtò eſt volūtas ipſa cum volumus, ſed hanc quoque ad bene viuendum deſuper accipimus poteſtatem, cùm præparatur voluntas à Domino.* Ergo non habet homo in ſua libera poteſtate effectum, quando ei deeſt aliquid eſſentialiter requiſitum & eius exiſtentiam, & non eſt in eius liberare poteſtate illud acquirere. Quomodo erit in poteſtate hominis elicere actum fideī firmiſsimum, ſi ei deeſt aliquid prærequiſitum ad eius elicientiam, illudque nequit pro libito ſuo aſſequi? Sanè quantumvis velit facere illum actum fidei, non propterea faciet: ergo non verificatur de illo quod habeat in ſua poteſtate actum fidei: nam *illud ſolùm eſt in noſtra poteſtate, quod ſi volumus facimus*, at tunc caſus ille, quamvis velit, non efficiet actū fidei: ergo iſte tunc non erit in eius poteſtate. Vnde idem Auguſtinus ad finem illius capitis 22. primi Retract. ſubdit: *In poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem. Quæ cùm fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile, atque impoſsibile fuit.*

§. XVI.

Infertur ex dictis gratiam efficacem iuxta Auguſtinum non conſiſtere in ſola delectatione voluntatis, ſed vocationem atque illuſtrationem intellectus neceſſariò importare, vel ſolam, vel ſimul cum illa delectatione & ſuavitate.

952 HÆC Illatio patet ex iis, quibus §. X. oſtendimus, gratiam efficacem ex mente Auguſtini dare ſimpliciter poſſe, & ſimul dare ipſam operationem. At certum eſt potentiam ad ſalutari-

ter operandum constituit per sanctam cogitationem, & vocationem: ergo certum est gratiam efficacem ex mente Augustini importare necessario illustrationem intellectus. nam per illam prævenitur & excitatur arbitrium ad bonam voluntatem, seu sanctam cupiditatem credendi, quæ est initium salutis: nam media sancta vocatione operatur Deus in nobis bonam illam voluntatem, vt supra ostendimus. Et ideo idem Augustinus epistola 107. probat bonam voluntatem credendi, quæ est initium salutis, esse donum Dei, quod in nobis media sua vocatione operatur, ex illo Psalm. 36. v. 23. *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* Et sic hunc locum expendit: *Non dixit, & viam eius discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid huiusmodi, quod posses dicere à Domino quidem dari, sed homini iam volenti, vt scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, vt viam eius discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, & hoc Dei donum præcedente sua voluntate mereatur. Sed ideo dixit*: A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet: *vt intelligeremus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere, quoniam via Dei quid est, nisi fides recta, illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitùs vt velimus. Nõ enim ait Scriptura: A Domino gressus hominis diriguntur, quia viam eius voluit*: sed diriguntur, inquit, & volet. *Non igitur quia voluit diriguntur, sed quia diriguntur volet.*

Præterea idipsum constabit percurrendo loca aliqua, in quibus Augustinus sermonem habet de gratia efficaci. Hanc gratiam appellat epistol. 107. ad Vitalem *secretam & altam vocationem.* Quia enim Vitalis docebat, *Vt rectè credamus in Deum, & Euangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse*; vt refert Augustinus initio illius epistolæ: & quia ad locum illum Apostoli, *Deus in nobis operatur & velle & perficere*, quo vtebatur Augustinus adversus Pelagium ad probandum bonam nostram voluntatem esse donum Dei, respondebat Vitalis, *per legem suam, per scripturas suas Deum operari vt velimus, quas vel legimus, vel audimus, sed eis consentire, vel non consentire, ita nostrum esse, vt si velimus fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Quia inquam ita Vitalis docebat, & respondebat: postea sic in eum invehitur: *Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem suam atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, NEQVE VOCATIONE ILLA ALTA ATQVE SECRETA sic eius ageret sensum, vt eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum: procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, neque opus esset orare, vt Deus ad fidem suam infidelium corda converteret, & conversus proficientem perseverantiã eiusdem gratiæ suæ largitate donaret &c.* Ideo autem Augustinus gratiam efficacem appellat *vocationem altam & secretam*, quia alto & secreto Dei iudicio quibusdam ex misericordia confertur.

954 Præterea gratiam efficacem appellat *vocationem secundùm propositum* libro 1. de Prædest. Sanct. cap. 3. & 19. & de Corrept. & grat. cap. 7. & lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 9. propositum verò ibi accipit pro proposito, seu decreto efficaci iustificandi, vt ipse explicat lib. 1. ad Simplic. q. 2. ante medium. Quia ergo hominem, quem efficaciter proposuit iustificare vocat vocatione congruâ, & infallibiliter habitura effectum, ideo illam vocationem, & gratiam efficacem appellat vocationem secundùm propositum. Audiamus illũ eo capite tertio de Prædestinatione Sanctorum, vbi ita loquitur: *Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundùm propositum Dei. Non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantùm electorum.* Item libro primo de Prædestinatione Sanctorum cap. 19. gratiam efficacem cõmuni quadam ratione nuncupavit *vocationem sine pœnitentia*, eo quod dona Dei sunt sine pœnitentia, hoc est, Deum non pœnitet eius, quod semel donare decrevit. *Ipse ergo* (inquit ille) *vt credere incipiamus operatur, qui vniuersa operatur: vocationẽ quippe illam, de qua dictũ est: SINE POENITENTIA SVNT DONA ET VOCATIO DEI: & de qua dictũ est, NON EX OPERIBVS, SED EX VOCANTE.*

Viterius libro secundo de Peccatorum meritis & remissione cap. 19. gratiam efficacem vocat vel *certam scientiam*, vel *victricem delectationem*: vbi certam scientiam nuncupat, quia certa quadam cognitione minimè perturbata ostenditur nobis per eam vocationem bonum ipsum, & persuadetur nobis vt illud amplectamur per electionem liberam: victricem verò delectationem appellat, eo quòd vincat voluntatem, & ad se liberè eam trahat per delectationem superatis omnibus difficultatibus. Iam audiamus ipsum Divum Augustinum initio illius capitis decimi noni,

ita loquentem: *Nos autem*, inquit, *quantum conſeſſum eſt ſapiamus; & intelligamus, ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis ſuis alicuius operis iuſtitiam aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, vt cognoſcant, non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & ſuauitatem, qua det fructum ſuum in terra eorum. Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque iuſtitiam, quid aliud deprecamur, quam vt aperiat, quod latebat, & ſuaue faciat quod non delectabat.* Ex quo loco manifeſtè conſtat apud Auguſt. gratiam efficacem non conſiſtere in ſolo affectu indeliberato voluntatis, ſed amplecti illuſtrationem quoque intellectus: nunquam enim Auguſt. delectationem nominat, quin de vocatione, & illuſtratione per prius mentionem faciat; è contra verò ſæpe gratiam efficacem per ſolam vocationem explicat, vt patet ex locis antea allegatis.

955 Et hoc ipſum conſtat ex lib. 1. q. 2. ad Simpl. vbi gratiam efficacem Auguſtinus per vocationem congruam explicat, *cum* enim ibi diſtinxiſſet vocationem efficacem, quam appellat *effectricem bonæ voluntatis*, ab inefficaci, ſic concludit: *Igitur nõ volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationẽ.* Vnde ſubdit inferius: *Illi electi, qui congruenter vocati.* Et infrà: *Non volentis, neque currentis ſed miſerẽtis eſt Dei, quia etiam ſi multos vocet, eorum tamẽ miſeretur, quos ita vocat, quomodo aptum eſt vt ſequantur. Cuius enim Deus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.*

Et lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. gratiam efficacem explicat per ſanctam cogitationem, per quam gratioſè nobis infuſam Deus nos adiuvat & facit vt præparemus cor eliciendo bonam voluntatem, ſeu rectam, & honeſtam boni concupiſcentiam. Vnde ibi probat, malè Pelagianos ex illis verbis Proverb. 16. *Hominis eſt præparare cor*, deduxiſſe, cor præparare, hoc eſt bonum incheare ſine adiutorio gratiæ, ad hominem pertinere, quia videlicet nequit homo cor præparare eliciendo volitionem ſeu cupiditatem liberam boni, quin Deus prius tangat cor eius per ſanctam cogitationem, media quâ ipſum adiuvet, & faciat vt cor volitionem honeſtam eliciat: *Quis enim* (inquit) *poteſt bona cogitatione ad bonum cor præparare? Abſit vt ſic intelligant, niſi ſuperbi arbitrij defenſores, & fidei Catholicæ deſertores.* Et paulò inferius: *Hominis eſt præparare cor; & tamen vt hoc faciat homo, adiuvat Deus, quia præparatur voluntas à Domino.* (nimirum cogitatione congrua) *Et aperit os, ita iubendo, vt nemo poſſit, niſi ipſe id faciat adiuvando, cui dicitur: Labia mea aperies.* Et poſtmodum concludit: *Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo, nulla verò facit homo, quæ non facit Deus vt faciat homo.* Præterea libro de Spiritu & littera, capite trigeſimo quarto, & in libro Propoſitionum ſuper epiſtol. ad Roman. capite ſexageſimo primo, & alibi ſæpe gratiam efficacem per vocationem explicat, qua Deus ab homine obtinet vt velit, & operetur bonum.

956 Ex quibus omnibus evidentiſſimum eſt, gratiam efficacem ex mente Diui Auguſtini non conſiſtere in ſola complacentia indeliberata voluntatis, ſed ſemper iuxta ipſum importare illuſtrationem intellectus: & quamvis ſæpe cum cogitatione intellectus miſceat delectationem voluntatis; & ſic gratiam efficacem, ſaltem ad exercitium bonorum operum, in actu intellectus & voluntatis collocet: tamen cum ſæpiſsimè ſolius vocationis meminerit, probabile eſt, ex mente Divi Auguſtini gratiam efficacem ad initium ſalutis, ſeu ad primam volitionem liberam honeſtam, ſalvari in ſola vocatione congrua; quia poteſt Deus per ſolam illuſtrationem ſupernaturalem vividam exprimere à noſtro arbitrio conſenſum ſalutarem liberum. Quod præcipuè habere poteſt locum in hominibus iuſtis habentibus mortificatas paſsiones, quī per ſolum actum intellectus poſſunt immediatè trahi ad conſenſum liberum; quin ſit neceſſe, vt ante delectationem deliberatam præcedat alia delectatio indeliberata, qua immediatè Deus perſuadeat conſenſum liberum.

§. XVII.

Ex eo quod Auguſtinus dixerit, Deum ſua gratia mouere & agere voluntates noſtras in bonum INDECLINABILITER ET INSVPERABILITER; malè Doctor Complutenſis cum Ianſenio intulit, gratiam eſſe per ſe efficacem, & antecedenter connexam cum conſenſu ſub ijs circunſtantijs intrinſecis arbitrio, & omnino independentibus ab ipſo. Vbi in quo cõſiſtat gratia efficax iuxta Auguſtinum.

957 SANCTVS Auguſtinus lib. de Corrept. & grat. cap. 12. poſt longum diſcurſum, in quo explicat *adiutorium gratiæ quo* Deus facit vt faciamus bo-

bonum, ſic concludit: *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia INDECLINABILITER ET INSVPERABILITER ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, nec aduerſitate aliqua vinceretur.* Ex hoc Auguſtini teſtimonio Ianſenius libro octavo de Gratia Chriſti, capite 3. 5. 6. intulit gratiam efficacem, quam ipſe ponit in delectatione cœleſti victrice, neceſsitatem antecedentem imponere arbitrio, & libertatem indifferentiæ penitùs de medio tollere, & ſolùm relinquere libertatem à coactione; quæ eſt concluſio hæretica damnata ab Innocentio Decimo in tertia propoſitione Ianſenij: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſsitate: ſed ſufficit libertas a coactione.* Exiſtimavitque, propterea Deum per gratiam efficacem & delectationem victricem *indeclinabiliter & inſuperabiliter* agere hominis arbitrium, quia illa delectatio ſit in tali ſubiecto eſſentialiter connexa connexione antecedenti cum conſenſu, & præbeat arbitrio vires irreſiſtibiles, & infruſtrabiles.

At Doctor Complutenſis ſæpè laudatus, quamvis cum Ianſenio dixerit, delectationem illam victricem habere in tali ſubiecto connexionem antecedentem eſſentialem cum ſenſu, tamen catholicè aſſeruit arbitrium operari cum libertate indifferentiæ, cum bona Theologia, ſed cum mala Logica; vt enim vidimus initio huius ſectionis, aſſeruit delectationem victricem neceſsitare arbitrium ad ponendum actum ſalutarem per modum libertatis, ſeu cum libertate indifferentiæ; quæ eſt implicatio in terminis.

Vterque autem falsò & ſine fundamento ex illo teſtimonio Auguſtini intulit, iuxta S. Doctorem gratiam efficacem conſiſtentem in actu indeliberato voluntatis, vel in illo & actu intellectus ſimul, habere antecedentem connexionem cum conſenſu; oppoſitum enim perpetuò & conſtanter docuit Auguſtinus, vt nũc probabimus.

958 Et imprimis id conſtabit legenti librum de Spiritu & littera; *in quo libro* (inquit ipſe Auguſtinus libro 2. Retract. cap. 37.) *quantum Deus adiuvit, acriter diſputavi contra inimicos gratiæ Dei, qua iuſtificatur impius.* In hoc igitur libro capite trigeſimo tertio probat donum Dei eſſe à gratia procedens ipſam voluntatem credendi, quam Deus media vocatione ſua in nobis operatur. Sic enim incipit caput illud: *Sed conſequens eſt paululum quærere, vtrùm voluntas illa, qua credimus, etiam ipſa ſit donum Dei, an ex illo naturaliter inſito libero adhibeatur arbitrio. Si enim dixerimus eam non eſſe donum Dei, metuendum eſt, ne exiſtimemus inveniſſe nos aliquid, quod Apoſtolo increpanti & dicenti,* Quid enim habes, quod non accepiſti: ſi autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? *Reſpondere poſsimus, Ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus: Ecce vbi gloriamur quaſi non acceperimus.* Poſtquam autem hanc veritatem multiplici Scripturæ authoritate comprobavit, tandem cap. 34. præcludit evaſionem adverſarij, qui dicebat propterea voluntatem bonam, qua credimus, tribui Deo; *quia de libero exiſtit arbitrio, quod cùm crearemur accepimus,* his verbis: *Attendat & videat, non ideo tantùm iſtam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus: ſive extrinſecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſive intrinſecus vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, SED CONSENTIRE VEL DISSENTIRE PROPRIÆ VOLVNTATIS EST. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere poteſt quolibet* (aliàs *quodlibet* ſecundùm litteram correctam à Theologis Lovanienſibus) *libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat: profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prævenit nos: CONSENTIRE AVTEM VOCATIONI DEI, VEL AB EA DISSENTIRE, SICVT DIXI, PROPRIÆ VOLVNTATIS EST. Quæ res non ſolùm nõ infirmat quod dictum eſt,* Quid enim habes, quod non accepiſti; *verùm etiam cõfirmat. Accipere quippe & habere animæ non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiẽdo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt accipere autem & habere vtique accipientis & habentis eſt. Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſpiam nos coarctet: cur illi ita ſuadeatur vt perſuadeatur; illi autem non ita; duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat, O altitudo diuitiarum!* Rom. 11. *Et nunquid iniquitas apud Deum?* Rom. 9. *Cur reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptiores.* Hactenus Divus Auguſtinus.

959 Habes hic egregium compendium omnium, quæ Auguſtinus ſcripſit cõtra hoſtes gratiæ. Habes explicatam & probatam neceſsitatem gratiæ efficacis ad omnes & ſingulos actus ſalutares, etiam ad primam voluntatem credendi, quæ eſt initium ſaluris, quatenus per illam homo de congruo meretur vlteriora gratiæ dona, & diſponitur ad fidem, & media fide ad charitatem iuſtificantem; habes explicatam naturam gratiæ efficacis, eiuſque concordiam cum libertate noſtra neceſſaria ad merendum & demerendum, id eſt, cum libertate indifferentiæ, ſeu cum libertate à neceſsitate: & ex hoc teſtimonio manifeſtè colligitur, gratiam prævenientem, qua Deus facit vt faciamus, conſiſtere præcipuè in vocatione, cui conſentimus, vel in illa & ſimul in delectatione ſeu affectione indeliberata, quam Deus nobis infundit, & in nobis ſine nobis liberè cooperantibus operatur, licèt non ſine nobis phyſicè influentibus, nam vocatio actus vitalis eſt, & omnis actus vitalis eſt ab intrinſeco, affectio illa eſt voluntaria, *Voluntarium autem eſt ab intrinſeco cum cognitione.* Colligitur rurſus, gratiam hanc efficacem ſecundùm ſuam entitatem, & quatenus præveniens eſt, non eſſe per ſe efficacem & eſſentialiter connexam cum conſenſu, nam gratiæ ſeu vocationi & inſpirationi eſſentialiter connexæ cum conſenſu non poſſumus diſſentire; nam diſſentire vocationi, & inſpirationi, eſt coniungere diſſenſum cum illa, vt eſt ex terminis notum; impoſsibile autem eſt omnino, vt coniungamus diſſenſum cum vocatione eſſentialiter connexæ cum conſenſu, vocatio namque ſic connexa cum conſenſu eſt eſſentialitialiter inconiungibilis cum diſſenſu. At nulla poteſt dari facultas vel potentia ad coniungendum diſſenſum cum re eſſentialiter inconiungibili cum ipſa. Poſſumus autem diſſentire ſecundùm Auguſtinum illi vocationi, & gratiæ prævenienti, qua Deus facit vt faciamus, & qua operatur in nobis velle honeſtum & ſalutare: ergo gratia illa non eſt per ſe efficax, & eſſentialiter connexa cum conſenſu. Maior eſt certa, & conſequentia legitima. Minor verò probatur ex verbis Auguſtini: *In omnibus miſericordia eius prævenit nos; conſentire autem vocationi, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Ergo ex mente Auguſtini in manu noſtræ voluntatis eſt diſſentire illi vocationi, vel ab illa vocatione, per quam miſericordia Dei prævenit nos, & per quam facit vt faciamus, & vi cuius operatur in nobis conſenſum; ſive illa vocatio ſit nudus actus intellectus, ſive complectatur etiam motum indeliberatum voluntatis ex vocatione reſultantẽ, & per quã illa completur nõ ſolùm in ratione ſuadentis, ſed perſuadentis. Vnde cùm iuxta Ianſeniũ, & iuxta Doctorem Complutenſem omnis gratia prævenies conſiſtat in actibus intellectus & voluntatis; conſequens ſit, eos contra Divum Auguſtinum ſentire, dum docent vocationem illam & complacentiam inde reſultantem eſſe in hoc ſubiecto ſic intrinſecè diſpoſito, per ſe efficacem, & eſſentialiter connexam cum conſenſu nam à vocatione ſic cõnexa non poſſumus diſſentire.

960 Neque vim argumenti effugies, ſi cum Modernis Thomiſtis dicas, gratiam efficacem non conſiſtere in illa vocatione & complacentia, ſed in prædeterminatione, per quam Deus facit vt vocationi & complacentiæ neceſſariæ acquieſcamus, & conſentiamus: nam hoc eſt contra mentem Auguſtini, qui inter vocationem, ſaltem completè ſumptam, quatenus complectitur complacentiam indeliberatam ex vocatione neceſſariò reſultantem, & inter conſenſum liberum, nullibi agnoſcit Auguſtinus medium; ſed vbique conſtanter docet, Deum mediante vocatione intellectus, & ſuavitate indeliberata voluntatis operari in nobis conſenſum ſalutarem, & bonam voluntatem ſeu concupiſcentiam honeſtã boni, & per vocationem illam præparare cor, & facere vt faciamus: ergo Auguſtinus gratiã efficacem conſtituit in illis actibus vitalibus præcedentibus conſenſum, & non in aliqua qualitate, vel motione mortua media inter vtroſque. Præterea ratio, quæ Auguſt. movit, æqualiter probat de omni gratia prevenienti, qua Deus facit vt faciamus bonum; quia ad libertatem indifferentiæ requirit, vt poſsimus omni gratiæ prævenienti diſſentire, & reſiſtere; cum enim gratia præveniens ſit ſuppoſitio omnino antecedens, cuius exiſtentiam arbitrium impedire nõ poteſt; ſanè ſi ea ſuppoſita, non poſſet voluntas illi diſſentire, eãque fruſtrare, non poſſet impedire exiſtentiã conſenſus, quia neque poſſet facere, ne exiſteret illa gratia prævenies, neque poſſet facere ne ad illam ſemel exiſtentem ſequatur conſenſus; ac proinde non poſſet facere abſolutè ne conſenſus exiſtat; ac proinde non liberè, ſed neceſſariò illũ poneret: conſulantur, quæ ſuprà pag. 73. dixi contra Modernum Thomiſtam, qui falsò dixit, Concilium Senonenſe, quando definivit nos operari liberè, quia poſſumus reſiſtere Dei trahentis auxilio, nomine auxilij Dei trahentis non intellexiſſe entitatẽ gratiæ efficacis, ſed entitatem alterius auxilij prævenientis ab entitate auxilij efficacis diſtinctam.

961 Vides hic etiam totam Societatis doctrinam, nam ſuppoſita exiſtentia auxilij

xilij proximè sufficientis, vt cuius homo constituatur proximè potens converti, & non converti, homo convertitur quia vult, & liberè recipit à Deo donum consensus salutaris, quod Deus ipsi obtulit, & quantum est ex se dedit dùm contulit ipsi auxilium proximè sufficiens ad consensum, ac proinde consensus ipse ita est donum Dei, vt homo liberè hoc donum suscipiat, potens non suscipere; quia nimirum Deus ita offert consensum arbitrio, vt ipsum non necessitet ad illū accipiendum, id est ad illum eliciendum, quia non necessitat ad consentiendum vocationi, per quam concurrit ad consensum; & idem est elicere consensum, seu consentium à Deo accipere, ac consentire Deo vocāti. Quapropter *quid habeat, & quid accipiat, Dei est, nempe* consensus ipse, quia est donum Dei, *habere autē & accipere habentis & accipientis est*, quia hoc est donum, de cuius essentia est, quod liberè accipiatur & habeatur ab homine. Vnde vtrūque verum est, & Deum liberè nobis dedisse consensum salutarem, quia liberè nobis dedit vocationem & auxilium cum quo prævidit elicituros consensum: & nos liberè accepisse consensum, quia suppositā excitate auxilij & vocationis, liberè adiunximus ipsi cōsensum, potentes cum illo coniungere dissensum.

962 Hinc idem Augustinus cap. 3. de Prædest. Sanct. post medium: *Et vtrumque* (inquit) *ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Et Epistola 54. ad Macedonium parum ante medium, explicans quo pacto conversio nostra sit donum Dei, inquit: *Homo cum bonus est, ab illo bonus est;* (Deo) *illius enim spiritu boni fiunt, quicumque boni fiunt, cuius capax creata est nostra natura per propriam voluntatem. Pertinet ergo ad nos vt boni simus, accipere & habere quod dat, qui de suo bonus est, quo quisque neglecto, de suo malus est.* Et ser. 90. de tempore ait: *Sed voluntas*, inquis, *mea bona est. Fateor tua: sed ipsa a quo data, à quo excitata?*

Hinc Eximius Doctor libro quinto de Gratia cap. 29. num. 20. probat, hanc causalem esse verissimam: *Homo consentit & cōvertitur, quia à Deo accepit vt consentiat, & convertatur.* Et num. 21. *Verissimam*, inquit, *credimus, hominem congruenter vocatum ideo velle credere, quia vult, & ideo velle, quia congruenter vocatus est.* Vnde quod homo credat & salutariter operetur liberè, Dei est, & hominis; hominis vt liberè acceptantis & consentientis, Dei autem vt totum dantis, & vt facientis, quòd homo liberè convertatur; quod quidem præstat media gratia præveniente seu vocatione congrua: quæ quidem gratia & vocatio, licèt non habeat *suam efficaciam à libero* arbitrio, non tamen exercet illam sine libero arbitrio liberè cooperante cum gratia; vt explicat idem Suarez ibidem num. 2.

Vnde Augustinus lib. de Spiritu & lit. cap. 33. initio cum probasset bonam voluntatem esse donum Dei, qua alioqui Apostolo interroganti, *Quid habes, quod non accepisti?* possemus respondere: *Ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus;* statim subiungit, non posse dici, quòd illa voluntas non sit *nisi donum Dei*, siquidem *si dixerimus*, inquit, *etiam huiusmodi voluntatem non esse nisi donum Dei, rursus metuēdum est. ne infideles atque impij non immeritò, sed veluti iustè excusare videātur, ideo non credidisse, quòd dare illis Deus noluit istam voluntatem.* Vnde concludit illam voluntatem esse donum Dei, quia Deus mediante vocatione gratuita nobis illā donat; & esse meritum nostrum, quia nos liberè illam accepimus, quatenus liberè consentimus vocationi illi, cui possemus potentia antecedenti resistere, vt patet ex verbis sequētibus: *Et ideo ne istam quidem voluntatē, qua credit Deo, dici potest homo habere quā non acceperit: quandoquidem vocante Deo consurgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur ac accepit;* ac proinde consurgit, homine liberè illam sibi oblatam in vocatione acceptante, & accipiēte. *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè vtentes iustissimè iudicētur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt.*

963 Neque vt Deus liberè nobis det consensum necesse est, vt suppositā collatione auxilij & oblatione cōcursus, immediatè exerceat libertatem circa ipsum consensum; sed sufficit, quòd liberè offerat cōcursum, & præbeat auxilium indifferens, quod prævidit fore congruum; implicat enim vt duo agentia concurrant immediatè ad eandem actionem, & quod vtrūque concurrat exercendo immediatè suam libertatem; nam de conceptu eligentis liberè, est quod determinetur à se ipso, & non determinetur ab alio, licèt non determinetur sine adiutorio alterius. Vnde quod nos eligamus & liberè velimus bonum, Dei est & nostrum; Dei vt dantis totum actum primum proximum, & cooperantis nobiscum per concursum simultaneum, & vt facientis media vocatione & inspiratione congrua vt nos liber-

conſentiamus: noſtrum verò eſt, quia liberè eligimus, & amamus bonum, potentes nō eligere, ſed potius reſiſtere Deo vocanti. Ideoque Auguſtinus quæſt. 2. ad Simpl. aiebat: *Vt velimus, ſuum eſſe voluit & noſtrum; ſuũ vocando, noſtrum ſequendo*: neque vnquam dixit Auguſtinus, ideo bonam voluntatem noſtram liberam eſſe donum Dei, quia Deus nos ad illam determinat, ſed quia illam non eligimus niſi Deo vocante: *Quia non præcedit bona voluntas vocationem* (inquit quæſt. 2. ad Simpl.) *ſed vocatio bonam voluntatem, ideo Deo vocanti rectè tribuitur, quod benè volumus, nobis verò tribui non poteſt, quod vocemur*: & in libro propoſitionum ſuper epiſtol. ad Rom. cap. 61. aiebat: *Quia nec velle poſſumus niſi vocemur, ideo veriſſimum eſt, miſerentis Dei eſſe, quod bene velimus, & operemur*: & lib. 83. quæſtionum quæſtione 66. loquens de his, qui vocati ſunt ad cœnam, inquit: *Neque illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi, quia vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate*. Eodem modo loquitur libro de Gratia & libero arbitrio, cap. 5. & in Enchiridio cap. 32. & de Spiritu & litter. cap. 34. & Contra duas epiſtolas Pelagian. libro 1. cap. 19. & nullibi medium agnoſcit inter conſenſum noſtrum liberum ex vna parte, & vocationem atque inſpirationem divinã ex alia, ſemperque illum locum, *Non eſt volentis, neque currẽtis, ſed miſerentis eſt Dei*, explicat, quia ſemper à gratia præveniente Dei incipit negotium noſtræ ſalutis, neque poſſumus habere à nobis quaſi ex nobis aliquod initium ſalutis, nempe aliquam bonam voluntatem, ſeu concupiſcentiam boni, ſed miſericordia Dei in omnibus prævenit nos, & ante bonam voluntatem neceſſe eſt præcedat ſancta cogitatio & Dei vocatio, quæ ſine vllis præcedentibus meritis nobis datur. Ergo certum eſt Divum Auguſtinum non poſuiſſe gratiam efficacem in aliqua qualitate vel motione mortua, cui reſiſtere non poſsimus, ſed in vocatione & inſpiratione vitali, cui voluntas liberè adiungit conſenſum, potens eidem diſſentire, licèt ipſa vocatio de facto faciat vt ei cõſentiamus, quando eſt efficax.

964 Hinc de nullo bono poteſt homo gloriari quaſi non acceperit, vt explicui to. 1. diſp. 17. ſect. XIII. pag. 287. Poteſt quidem homo ſibi tribuere, quod vocatus venenerit; non poteſt tamen ſibi abſolutè tribuere quod venerit, vt nuper aiebat Auguſtinus de vocatis ad cœnam; quia non veniret niſi vocatus fuiſſet: ac proinde non poteſt gloriari de conſenſu libero quaſi non acceperit, ſed ſolùm poteſt gloriari in Domino, quod eius adiutorio venerit, quia nimirum liberè conſenſit Deo vocanti, & liberè cooperatus eſt Deo adiuvanti.

Ad intelligentiam autem poſtremorum verborum, quæ num. allegavimus ex lib. de Spir. & litt. cap. 33. notandum eſt, duplicem eſſe quæſtionem; prima eſt, cur Deus converterit Petrum per hoc auxilium abſolutè proximè ſufficiens, quod ipſi contulit, & non converterit Iudam per auxilium abſolutè & proximè ſufficiẽs, quod ipſi donavit. Et huic quæſtioni reſpondendum eſt, quia Petrus voluit converti, & Iudas noluit. Deus enim conferens vtrique auxilium proximè & abſolutè ſufficiens, vi cuius vterque poterat converti ſi vellet, quantum eſt ex ſe vtrique donavit converſionem, ſiquidem illam vtrique obtulit; vnde quod vnus converſus ſit, & alius non ſit cõverſus cum auxilio illo præveniente, quod vterque accepit, eſt, quia vnus voluit converſionem ſibi oblatam accipere, alius noluit: & hoc eſt quod docet Auguſtinus lib. 2. de Pecc. merit. cap. 17. lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 6. de Spirit. & lit. cap. 34. de Prædeſt. & grat. cap. 15. tr. 53. in Ioannem, & denique lib. 12. de Civitate cap. 6. vbi proponit duos homines æqualiter affectos animo & corpore videntes eiuſdem corporis pulchritudinem, quorum alter eâ viſâ movetur ad illicita, alter verò in volũtate pudica perſeverat; aitque nullam hic aliam poſſe aſsignari cauſam, niſi quia vnus vult, alius non vult. *Si eadem tentatione* (inquit) *ambo tententur, & vnus ei cedat, & alter perſeveret, quid aliud apparet, niſi alium voluiſſe, alium noluiſſe à caſtitate deficere?* Quo teſtimonio vtitur S. Franciſcus Saleſius libro 2. amoris divini capite 10. ad probandum, fieri poſſe, vt cum æquali omnino auxilio, alius rectè operetur, alius non. Vnde is, qui non accepit à Deo victoriam tentationis, ſibi dumtaxat imputare debet, quod non acceperit, Deus enim illã ipſi obtulit, & quantum eſt ex ſe ſufficienter donavit, ac proinde abſolutè dediſſet illam victoriam, ſi ipſe voluiſſet accipere; prout explicui ſuprà num. 886. pag. 308. *Quo circa* (inquit Auguſtinus libro ſecundo de Peccator. meritis & remiſsione, cap. 17. circa finem) *quod à Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala: quod verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante atque adiuvante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona. Quid habemus, quod nõ accepimus? Si autẽ accepimus, quid gloriamur, quaſi non acceperimus? Ac per hoc vt qui gloriatur, in Domino glorietur, quibus hoc*

Dominus donare voluerit, eius misericordiæ est, non meriti illorum: quibus autem noluerit, veritatis est, iusta namque peccatoribus pœna debetur; quoniam misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus.

Alia quæstio est, cur Deus absolutè & efficaciter voluerit convertere Petrum, & non voluerit convertere Iudam, seu cur voluerit donare Petro vocationem, quam præviderat congruam, & Iudæ voluerit concedere eam, quam prævidit incongruam; & in hac quæstione, recurrendum est cum Augustino ad occulta Dei iudicia, vt monebat ipse tractatu vigesimo sexto in Ioannem citato suprà numero & dicendum cum eodem, *Cur hunc trahat, illum non trahat; noli iudicare, si non vis errare.* Et libro secundo de Peccatorum meritis & remissione, capite decimo tertio, *Cur autem illum adiuvet, illũ non adiuvet, adiuvet illum tantùm, illum autem non tantùm, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est & æquitatis tam severæ ratio, & excellentia potestatis.* Vbi obiter nota, in phrasi Augustini, Deum non dici adiuvare, nisi illum cui concedit vocationem congruam seu gratiam efficacem; quia gratia præveniens non habet denominationem adiuvantis, nisi quatenus actu influit in consensum liberum: nec Deus dicitur præparare voluntatem in phrasi Augustini, nisi quãdo dat vocationem, quæ cum effectu persuadet homini bonam voluntatem; nam nomine voluntatis non potentiam volitivam, sed ipsam liberam volitionem boni intelligit.

Hinc libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 6. vtramque quæstionem coniungit, dum ait: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt illi; sed cùm alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique quid veniat de misericordia, quid de iudicio.*

965 Similiter libro secundo de Peccatorum meritis & remissione, capite decimo septimo docet, rationem cur homo pulsatus Dei auxilio sufficienti non convertatur, esse quia non vult; cæterum, si vlterius quæratur, cur non velit, existimat aliam causam priorem communiter & regulariter intercedere: *Cum voluntate humana* (inquit) *gratia adiuvante diuina sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolint, imus in longum. Verumtamen etiam hoc sine præiudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere, quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat. Tantò enim quidquam vehementius volumus, quantò certius quàm bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, aut ab opere malo abstinendum, vt autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod nõ delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuvat voluntates.* Quapropter, si inquiramus, cur homo hic & nunc non evitavit peccatum, ad quod evitandum accepit à Deo auxilium sufficiens; verissimè respondemus, quia noluit; si enim voluisset, vt poterat, evitavisset: sed si vlterius inquiramus, cur, cùm Deus potuisset infundere ipsi cognitionem vividiorem boni, & imprimere delectationem cœlestem, à qua cum effectu moveretur efficaciter; non fecit; hic recurrendum ad occulta Dei iudicia; quia licèt potuerit, iustissimè noluit: *Consilium tamen occultioris iustitiæ penes ipsum*, vt inquit idem Augustinus libro secundo de Peccatorũ meritis & remissione, capite decimo octavo in fine, subtractionem tamen illius maioris lucis, & abundantioris delectationis Deus sæpe ordinat ad generandum in homine spiritum humilitatis, vt dicit idem Augustinus in eodem libro prope finem capitis 17. *Ideo*, inquit, *quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, vt noverit non suæ facultatis, sed diuini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur; ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quàm verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit, Dominus dabit suavitatẽ, & terra nostra dabit fructum suum.* Psalm. 84. sæpe etiam negatur gratia illa vberior, quæ prævidebatur futura congrua in pœnam præcedentium peccatorum.

966 Itaque ex testimonio Augustini exscripto num. 958. & ex alijs adductis n. 962. cum sequentibus, liquidò constat gratiã efficacem, quæ quatenus præveniens est, consistit in vocatione & delectatione, non esse ex se connexam cum consensu; quia vocationi & delectationi cœlesti, in qua Augustinus collocat gratiam prævenientem efficacem, possumus dissentire; non possumus autem dissentire entitati essentialiter connexæ cum consensu. Quod amplius confirmatur primò ex libro de Prædestinat. Sanct. cap. 6. vbi expressè docet esse in potestate voluntatis à Domino per entitatem gratiæ prævenientis præparatę credere vel non credere. nam ibi probat, fidem & bonam voluntatem credendi esse donũ Dei,

ex illa ſententia Apoſtoli, *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?* Sic enim ſubiungit: *Quiſquis audet dicere, habeo ex meipſo fidem, non ergo accepi: profectò contradicit huic apertiſsimè veritati: NON QVIA CREDERE VEL NON CREDERE, NON SIT IN ARBITRIO VOLVNTATIS HVMANÆ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideò ad ipſam fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet, Quis enim te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti?* Ergo iuxta Auguſtinum non ideò fides eſt donum Dei, quia Deus determinet exiſtentiam illius, ſed quia licèt ſit in poteſtate voluntatis credere vel nõ credere, tamen nequit credere, quin præceſſerit vocatio congrua. Ergo iuxta Auguſtinum ſuppoſita entitate gratiæ prævenientis, per quam Deus facit vt credamus, eſt in poteſtate voluntatis credere vel non credere.

967 Confirmatur ſecundò ex illuſtri loco, qui habetur lib. 2. contra Pitilianũ cap. 84. vbi Auguſtinus Pitilianum Donatiſtarum Antiſtitem ſic affatur: *Si tibi proponã quæſtionem, quomodo Deus Pater attrahit ad Filium homines, quos IN LIBERO DIMISIT ARBITRIO, fortaſsè eam difficilè ſoluturus es. QVOMODO ENIM ATTRAHIT, SI DIMITTIT VT QVIS QVOD VOLVERIT ELIGAT? Et tamen vtrumque verum eſt: ſed intellectu hoc penetrare rectè valent, ſi ergo fieri poteſt, vt quos in libero dimiſit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater: ſic fieri poteſt, vt ea, quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Hæc S. Auguſtinus ſcribit ad reſũdendas Donatiſtarum querelas, qui cum propoſitis ſupplicijs ab hæreſi ſua deterrentur, de Catholicis graviter expoſtulabant in hæc verba: *Cur vos non liberum arbitrium vnicuique ſequi permittitis, cùm tamen ipſe Deus liberum arbitrium dederit hominibus?* Reſpõdet Auguſtinus liberum arbitrium legum coercitionibus non eripi: quemadmodum divina per gratiam tractione non violatur: vnde concludit: *Nemo ergo vobis aufert liberum arbitrium, ſed vos diligenter attendite quid potius eligatis: vtrùm correcti vivere in pace, an in malitia perſeverantes falſi martyrij nomine vera ſupplicia ſuſtinere.* Ex quo loco conſtat, ita Patrem per entitatem gratiæ efficacis trahere ad Filium homines, vt poſita illa tractione, quatenus prævenit conſenſum liberum, maneat in poteſtate arbitrij vel eligere id, ad quod entitas illius tractionis inclinat, vel oppoſitum. Ergo iuxta Auguſtinum entitas gratiæ efficacis prævenientis, quatenus attendit conſenſum, non habet connexionem eſſentialem cum conſenſu; quia ſi haberet, non dimitteretur eâ ſuppoſita libero arbitrio, vt eligat quod voluerit, ſed omnino determinaretur arbitrium ad eligendum conſenſum præ diſſenſu. Rurſus Auguſtinus comparat tractionem gratiæ cum coercitionibus legum, quæ ita deterrent à violatione legis, vt earum propoſitio & cominatio non habeat connexionem cum obſervatione legis. Ergo attractio gratiæ efficacis, quatenus prævenit conſenſum, non habet in ſententia Auguſtini connexionem eſſentialem cum illo. Ergo ex mente Auguſtini gratia non eſt per ſe ab intrinſeco efficax, quatenus præveniens eſt.

968 Confirmatur tertiò ex lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo, vbi ait: *Cùm ergo dicit* (Dominus) *aut hoc facite, aut illud, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim niſi Deus facere arbores poteſt; ſed habet vnuſquiſque in poteſtate ſua aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.* Cùm ergo poteſtas eligendi, quæ bona ſunt, conſtituatur per gratiam prævenientem: quia vt inquit idem Auguſtinus libro 1. Retract. cap. 22. *In poteſtate hominis eſt mutare voluntatem: ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi detur à Deo, de quo dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Et cum gratia præveniens, per quam Deus dat poteſtatem, ſit gratia efficax, quando reipſa homo operatur; ſiquidem, vt ſuprà oſtendimus ex Auguſtino, per eandem entitatem gratiæ prævenientis dat Deus potentiam operandi, & ipſam operationem, quotieſtũque gratia præveniens ſortitur effectum; ſit conſequens, vt ex mente Auguſtini ſuppoſita entitate gratiæ efficacis prævenientis ſit in poteſtate hominis eligere bonum, ad quod inclinat gratia, vel eligere malum, ad quod inclinat concupiſcentia; ac per conſequens iuxta Auguſtinũ entitas gratiæ efficacis non eſt connexa eſſentialiter cum electione boni.

Confirmatur vltimò, quia vt inquit Auguſt. lib. de Eccleſiaſticis Dogmatibus cap. 21 *Initium ergo ſalutis Deo miſerante habemus: vt acquieſcamus autem ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.* Et paulò ante dixerat: *Manet igitur ad quærendam ſalutem arbitrij libertas; ſed admonente prius Deo, & invitante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur; vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt inſpiratione Dei.* Ergo poſita entitate gratiæ prævenientis, à quo initium, ſeu exordium iuſtificationis, & ſalutis ſecundum Tridentinum ſumendum eſt, in poteſtate voluntatis eſt vel acquieſcere illi gratiæ, ſeu

inſ-

inspirationi per consensum salutarem, vel ei refragari & obsistere, per dissensum peccaminosum. Ergo entitas gratiæ efficacis non est connexa essentialiter cum existentia consensus, ad quem inclinat. Et sanè quod gratia physicè prædeterminans, sufficiens in August. fundamentum non habeat, testatur Eximius Doct. lib. 5. de grat. pag. 483. cap. 47. in quo inquirit: *Vtrum Augustinus physicæ prædeterminationi aliquando faveat?* Et respõdet his verbis: *Respondemus, nullum inveniri apud Augustinum testimonium, in quo id doceat, vel ex quo satis probabili coniectura talis mens Augustini colligi possit. Hanc assertionem probamus discurrendo per omnes modos loquendi Augustini, vel quos ab alijs nobis obiectos invenimus, vel nos notare, & inducere potuimus: non enim semel, sed sæpius, totam Augustini doctrinam, præsertim ad hanc materiam pertinẽtem evoluimus, non quidem ex præiudicio, & animo defendi propriam sententiam, sed omninò inveniendi mentem eius, nihilque occultandi, quod ad illam indaganda conducere posse videatur.* Hucusque Religiosissimus Author; qui in illo capite id abundè demonstrat.

969 Augustino consonat Hieronymus, qui in cap. 49. Isaiæ hæc habet: *Dei vocare est, nostrum credere: nec statim si nos non credimus impossibilis* (impotens) *Deus est; sed potentiam suam arbitrio nostro derelinquit, vt iuste voluntas præmium consequatur.* Ergo iuxta Hieronymum suppositâ gratia præveniente consistente in vocatione, liberum est homini immediate post vocationẽ adiungere actum fidei, vel omissionem talis actus; nec inde redditur Deus impotens, sed solum inde sequitur Deum ita nos movere per gratiam ad fidem, vt gratiam illam, & omnipotentiam suam permittat arbitrio in ordine ad illum actum fidei ponendum si velit; ex quo sequitur neque entitatem gratiæ efficacis, neque decretum applicativum omnipotentiæ ad actum liberum fidei eliciendum, habere essentialem connexionem cum existẽtia talis actus.

§. XVIII.

Ostenditur ex quæstione secunda libri primi ad Simplicianum eandem esse sententiam Societatis de auxilijs gratiæ cum sententia S. Augustini; & denuo instauratur impugnatio Ianseni, & Doctoris Complutensis.

970 SANCT. Augustinus initio libri secundi Retract. loquens de hac secunda quæstione libri primi inquit: *In cuius quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. Nec nisi ad illud potuit perveniri, vt liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus 1. Corinth. 4. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quod volens etiam martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definiuit, dicens: In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* Et quamvis librorum omnium, quos Augustinus iam Episcopus elaboravit, primi fuerint illi duo, quos ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanensis Antistitem, & Ambrosij Successorem direxit: tamen ita pro gratia Dei Augustinus fœliciter in illa quæst. 2. pugnavit, vt omnia quæ ibi de gratia Christi statuit, secutus sic postea in posterioribus operibus, qua contra Pelagianos, & Semipelagianos scripsit, nimirum in libris de peccatorum meritis & remiss. in libris de spiritu & littera, in libro de nat. & gratia, in libro de gestis Pelagij, in duobus libris de gratia Christi, in duobus libris de nuptijs, & concupiscentia, in quatuor libris contra duas epistolas Pelagianorum, in Enchiridione de fide, spe, & charitate; in libro de gratia & libero arbitrio, in libro de corrept. & grat. in libris duobus de Prædestinatione Sanct. & bono perseverantiæ; in libris sex contra Iulianum Episcopum Pelagianum, & in opere imperfecto contra eundem Iulianum, & in multis epistolis. Nihil in ijs operibus posterioribus invenitur contrarium illis, quæ statuerat illa quæstione secunda libri primi ad Simplicianũ; & ideo Sanct. Doctor hoc opus recognoscens, nihil in illa quæstione dictum retractavit. Quare doctrina de gratia, quam ibi tradit, est genuina Augustini mens. Ac proinde si gratia efficax ibi ab Augustino stabilita, neque consistit in physica prædeterminatione, ex se connexa in quolibet subiecto cum actu prædeterminato, neque in actibus vitalibus indeliberatis, qui prout in tali subiecto, sic vel sic affecto, sint essentialiter connexi cum consensu salutari; legitimè infertur gratiam efficacem prout ponitur à Prædeterminatoribus, & prout ponitur à M. Albelda, & à Doctore Complutensi, quem impugnamus, & prout ponitur à Ianseno, esse contra mentem Augustini. Licet hoc vltimum dumtaxat sit iam fide certum; reliqua verò solum per discursum legitimum inferamus contra Doctores Catholicos, quorum doctrinam censurare non possumus, licet eam falsam, & contrariam Scripturæ, Conciliis & Patribus, & specialiter Augustino probabiliter iudicemus, & nostro iudicio verissimè.

Pro-

671 Producamus iam in medium doctrinâ de gratia efficaci ab Auguſtino traditam in illa quæſt. 2. lib. primi ad Simplicianum. Igitur columna 6. illius quæſtionis, & paulò ante medium illius pag. mihi 269. tom. 4. Impreſsionis Pariſienſis an. 1586. quatur, vt probet fidem, & primam bonam voluntatem credendi eſſe donum Dei nobis collatum mediante gratia efficaci per Chriſtum, ſic ait: *Illa etiam verba ſi diligenter attendas, IGITVR NON EST VOLENTIS NEQVE CVRRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI: Non hoc Apoſtolus propterea tantum dixiſſe videbitur, quod adiutorio Dei ad id, quod volumus perveniamus, ſed etiam ex illa intentione qua & alio loco*, (ad Philip. 2. 12.) *dicit:* „ Cum timore, & tremore veſtram ipſorum „ ſalutem operamini, Deus enim eſt qui ope„ ratur in nobis & velle & operari pro bona „ voluntate. *Vbi ſatis oſtendit etiam ipſam bonam voluntatem in nobis Deo operante fieri. Nam ſi propterea ſolum dictum eſt,* „ Non volentis neque currentis, ſed miſeren„ tis eſt Dei: *quia voluntas hominis ſola non* „ *ſufficit, vt iuſtè rectèque viuamus, niſi* „ *adiuvetur miſericordia Dei: poteſt &* „ *hoc modo dici: Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. At illud manifeſtum eſt, fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem neſcio quomodo dicatur, fruſtra Deum miſereri niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus, ad eandem quippe miſericordiam pertinet vt velimus. Deus enim eſt qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nam ſi quæramus, vtrum Dei donum ſit voluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat: At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quod benè volumus, nobis verò tribui non poteſt quod vocemur: Non igitur ideò dictum eſt putandum,* Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; *quia niſi eius adiutorio non poſſumus adipiſci quod volumus, ſed ideo potius, quia niſi eius voluntate non poſſumus.* Expendamus hæc verba. Gratia illa ratione cuius Deo tribuitur, quod benè volumus, eſt gratia efficax, qua Deus operatur in nobis bonum velle & qua facit vt benè velimus; vt eſt manifeſtũ. At hæc gratia iuxta Auguſtinum conſiſtit in vocatione; ergo gratia efficax iuxta Auguſtinum non conſiſtit in phyſica prædeterminatione. Probatur conſequentia; quia prædeterminatio eſt qualitas, vel motio mortua, reſpectu cuius voluntas noſtra merè paſsivè ſe habet, & quæ non reſultat in nobis neceſſariò ex vocatione. At vocatio, de qua loquitur Auguſtinus, eſt actus vitalis, vel conſiſtens in ſola illuſtratione, & ſancta cogitatione, quam Deus in nobis ſine nobis libere cooperantibus, non tamen ſine nobis phyſice, & vitaliter influentibus operatur; vel ad ſummum complectens actum intellectus, & ſimul motũ indeliberatũ volũtatis neceſſario reſultantem ex illa cogitatione ſancta circa bonum, quod per illam proponitur voluntati ad illam accedendum. Ergo gratia efficax iuxta Auguſtinum non conſiſtit in phyſica prædeterminatione.

672 Idipſum probatur: nam prædeterminatio iuxta eius aſſertores non eſt neceſſaria ad poſſe, ſed tantum ad actualiter agere, neque actum primum proximum conſtituit, ſed aliunde conſtitutum ſupponit, & ſolum deſeruit vt actus ille primus indifferens ad vtrũque, exeat determinate in hunc actum præoppoſito. At vocatio de qua Auguſtinus, conſtituit actum primum, & dat ſimpliciter poſſe, tum quia voluntas non eſt proxime potens elicere bonam voluntarem quouſque per ſanctam cogitationẽ cognoſcat illud bonum, quod per illam bonam volũtatem debet amare; tum quia illa vocatio eſt vnica gratia præveniens, quam hic S. Auguſtinus aſsignat vt neceſſariam ad bonam voluntatem ſalutarem; gratia autem neceſſaria ad ſalutariter operandum & volendum iuxta Auguſtinum dat ſimpliciter poſſe, quia Sanctus Doctor neceſsitatem huius gratiæ paſsim probat ex illis verbis Chriſti, *ſine mihi poteſtis facere*, & ex illis verbis Apoſtoli, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à vobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Vt patet ex cap. 2. de Prædeſtinat. Sanct. ex epiſt. 107 & ex libr. de Grat. Chriſti, & ex alijs locis ſuæ pracitatis num. 924. & confirmatur ex eadem quæſt. 2. ad Simpl. paulò ante finem. *Præcipitur vt credamus. Sed quis poteſt credere, niſi aliqua vocatione, hoc eſt aliqua rerum teſtificatione tangatur?* Ergo iuxta Auguſtinum potentia proxima, & actus primus ad credendum conſtituitur per vocationem, & rurſus paulo poſt: *Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quando-quidem nec velle nec currere, niſi eo movente & excitante poterimus.* Ergo gratia efficax iuxta Auguſtinum conſtituit actum primum, ac proinde non conſiſtit in phyſica prædeterminatione.

673 Et hinc rurſus inferrur, non conſiſtere in vocatione & inſpiratione eſſentialiter connexa cum conſenſu, prout talis vocatio

catio existit in hoc subiecto sic vel sic intrinsece disposito, vt volunt M. Albelda, & Doctor Complutensis, atque Iansenius. Nam de fide est iuxta definitionem Innocentij X. contra tertiam propositionem Ianseni, requiri in statu naturæ lapsæ *libertatem à necessitate*, seu libertatem indifferentiæ *ad merendum, & demerendum, & non sufficere libertatem à coactione.* At vocatio constituens actū primum proximum ad consensum, qualis est vocatio posita ab Augustino, nequit esse connexa essentialiter cum consensu, quia hoc ipso induceret necessitatem antecedentem oppositam libertati indifferentiæ, siquidem operari libere, est libere coniungere actum secundum cum actu primo; non libere actum coniungitur actus secundus cum actu primo, quando iste est essentialiter connexus cum illo, sed cum omnimoda necessitate antecedenti, siquidem ita coniungitur, vt nulla detur potestas nec consequens, nec antecedens, nec in creatura nec in Deo ad separandum, & seiungendum illum actum primum ab actu secundo, cum sint essentialiter inseparabiles. Ergo falsæ sunt omnes illæ sententiæ constituentes gratiam efficacem in vocatione, & affectione essentialiter connexa connexione antecedenti cum consensu.

Sed prosequamur doctrinam Augustini, qui post verba exscripta num. 971. immediate subiūgit: *Sed si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus sequatur, quomodo verū erit, multi vocati, pauci electi?* Math. 22. 14. *Quod si verum est, & non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque vt obtemperet in eius est positum voluntate, rectè etiam dici potest, igitur non miserentis Dei, sed volētis atque currentis est hominis: quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia sequatur.* Cui obiectioni respondet, propterea rectè dici, non volentis, neque currentis, sed miserentis esse Dei; & non posse dici è contra. *Non Dei miserentis*, sed hominis volentis, atque currentis esse quod benè velit & rectè operetur; quia ille ipse, qui vocatus noluit venire, infallibiliter veniret, si Deus voluisset illius misereri conferendo aliam vocationem, quam prævidebat congruam: vnde ille qui vocatus venit, etiam si veniat libere consentiendo vocationi, non potest dicere, *non esse Dei miserentis quòd veniat*, si quidem quod Deus illi dederit vocationem, quam prævidebat congruam, & non aliam, quam prævidebat incongruam, fuit magna Dei misericordia, quam illi præstitit, & noluit præstare alteri, & quia ipse non potuit habere à se & ex seipso, suisque solis viribus voluntatem bonam, qua meruerit, vt Deus tribuerit ipsi vocationem prævisam congruā, potius quàm vocationē prævisam incōgruam, ideo verissimum est, esse Dei miserentis, & non hominis volentis, quod homo rectè & salutariter velit, licet hoc præstet liberè assentiendo vocationi, & cum potentia proxima antecedenti ad resistendum eidem vocationi.

974 *An forte* (subdit Augustinus) *illi, qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt & illud verum sit*, Multi vocati, pauci electi: *vt quamuis multi vno modo vocati sint, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verū sit.* Igitur non volētis neque currentis, sed miserentis est Dei, *qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem?* *Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, qua moveri non possent*, (nimirum impossibilitate consequenti, quia sic vocati præsciebantur non responsuri, vt exponit P. Vazquez 1. p. disp. 97. n. 34. ne locutio Augustini durior sit, vel qua moveri non possent, id est, quâ reipsa non moverentur, ob difficultatem magnam, quam illa vocatio non abstulit) *vt eam capere apti essent*, (id est, vt ei invenirentur responsuri) *vocati quidem dici possunt, sed non electi, & non iam similiter verum est, igitur non miserentis est Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit: quoniam si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo*, Multi vocati, pauci verò electi, *illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est*, Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; *quia etiam si multos vocet; eorum tamen miseretur, quos ita vocat quomodo eis vocari aptum est vt sequantur. Falsum autem est si quis dicit, igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur: cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.*

975 Ex his verbis Augustini colligitur primò, in potestate illius, qui vocatus noluit consentire, & obtemperare vocationi, fuisse consentire & obtemperare, & sic con-

sen-

ſentiendo reddere efficacem vocationem, vt patet ex illis verbis. *Quod ſi verum eſt, & non conſequenter vocatus obtemperat, atque vt obtemperet in eius eſt poſitum voluntate*, &c. Et conſequenter in poteſtate eius, qui vocatus obtemperat, poſitum eſſe non obtemperare vocationi: ergo ex mente Auguſtini vocatio, in qua ille collocat gratiam efficacem, ratione cuius Deo tribuitur noſtra bona *volitio & recta* operatio, & per quã facit vt benè velimus & recte operemur, non eſt per ſe efficax, & eſſentialiter connexa cum conſenſu, ſed vocatio, cui obtemperamus & adiungimus immediate conſenſum, eſt ex ſe permiſive indifferẽs, vt cum illa cõiungamus diſſenſum: & vocatio cum qua pro noſtra malitia coniungimus diſſenſum, talis eſt, vt ei poſsimus immediate adiungere conſenſum ſequendo eius impulſum: ergo gratia Auguſtiniana conſiſtens in actu vitali indeliberato non eſt qualis ponitur à Ianſenio, ab Albelda, & Doctore Complutenſi, nimirum connexa in tali ſubiecto ſic affecto, antecedenter cum conſenſu, & per ſe efficax; ſed eſt qualis ponitur ab Schola Societatis ſecundum ſe intrinſece indifferens, & ſolum connexa extrinſece ratione electionis efficacis Dei, à qua oritur. *Nam cuius Deus miſeretur*, id eſt ille, quem Deus efficaciter eligit, vel ad fidem, vel ad iuſtificationem, vel ad perſeverantiam finalem & gloriam, *Sic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat*, quid autem eſt vocare eo modo, quo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuere, niſi ei tribuere vocationẽ aliquam, quam per ſcientiam conditionatam prævidebat congruam, id eſt, quam prævidebat reipſa expreſſuram à voluntate conſenſum? Colligitur ſecundò, ſcientiam illam, de qua hic loquitur Auguſtinus, dum ait: *Cuius miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat*, eſſe ſcientiam mediam; quia in primis nequit eſſe ſcientia viſionis, qua Deus intuetur cõſenſum futurum ſub tali vocatione; nam ſcientia iſta viſionis ſupponit decretum conferendi auxilium; ſcientia autem de qua hic Auguſtinus, decretum illud antecedit, cum ad ipſum dirigat. Neque eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ; quia quod voluntas ſit convertenda ſub conditione quod pulſetur tali vocatione, non eſt veritas neceſſaria; alioqui vocatio illa tolleret libertatẽ, quia foret ſuppoſitio omnino antecedens & conſtituens actum primum, & aliunde eſſentialiter connexa cum actu ſecundo: ergo eſt ſcientia conditionalis contingens antevertens liberum decretum, quã Deus videt voluntatem reipſa conſenſuram, ſi pulſetur tali vocatione, & per illam conſtituatur proxime indifferens ad vtrumque: ergo eſt ſcientia media: *Quare* (vt inquit P. Vazq. 1. p. diſp. 98. n. 36.) *non ſolum cognoſcit Deus ſcientia viſionis quid homo facturus eſt, poſtquam ipſum decrevit vocare; verum etiam quid eſſe facturus, ſi vocaretur, antequam noſtro modo intelligendi decernat illum vocare.* Idem probat P. Suarez lib. 5. de grat. cap. 25.

976 Colligitur tertiò, apud Auguſtinum idem eſſe, *Deum* miſereri *alicuius*, ac Deum illum efficaciter eligere vel ad fidem vel ad iuſtificationem, vel ad gloriam; eumque congruè vocare ad hunc effectum ponendum, ſeu idem ac Deum habere decretum efficax conferendi illi vocationem, & gratiam prævenientem, quam prævidit per ſcientiam mediam fore congruam, & propterea dictum fuiſſe ab ipſo, *Illi electi qui congruenter vocati.* Et ideo apud Auguſtinum multos eſſe vocatos, paucos verò electos, quia multi ſunt, quos Deus vocat & impellit ad fidem, ad iuſtitiam, & perſeverantiam; ſed pauci ſunt, quibus Deus donat gratiam, quam prævidit fore congruam & efficacem; vt reipſa perſeverent, & ſalventur. Et quamvis illi qui vocati nolunt venire, ſibi dumtaxat imputare debeant, quod noluerint venire, quia vt venirent erat in eorum poteſtate; & ſic iuſtiſsimè reprehendantur, & damnentur: tamen ſi Deus voluiſſet iſtorum miſereri, potuiſſet illis donare aliam vocationem, cum qua prævidebat eos convertendos, quam tamen noluit dare ob rationes nobis quidem occultas, ſed iuſtiſsimas. Neque hominem illum damnat, & punit Deus, quia non eſt converſus cum illa vocatione, quam illi noluit dare; ſed quia noluit converti cum illa, quam de facto Deus illi dedit, cum tamen in eius poteſtate hoc poſitum fuerit; vnde noluit accipere converſionem, quam Deus illi obtulit, dum ei contulit auxilium ſufficiens ad illam; quam converſionem etiam vocando dediſſet Deus, niſi homo reſiſtendo vocationi, maluiſſet reprobus fieri.

977 Quod Auguſtinus dixerat paulò ante verba citata num. 971. ex pag. 269. tom. 4. expendens enim verba illa Apoſtoli: *Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Immediate ſubiungit: *Rectè quidem hoc, ſed cur hæc miſericordia ſubtracta eſt ab Eſau vt non ſic vocaretur, & vt vocato inſpiraretur fides, & credẽs miſericors fieret vt benè operaretur? An fortè quia noluit? Si ergo Iacob ideo credidit, quia voluit, non ei Deus donavit fidem, ſed eam*

ſibi

sibi ipse volẽdo præstitit, & habuit aliquid, quod non accepit. Et statim reddit rationem cur etsi Iacob non crediderit nisi libere volendo credere; nihilominus non sibi præstiterit fidem: *An quia nemo potest* (inquit) *credere nisi velit, nemo velle nisi vocetur, nemo autem sibi præstare, vt vocetur, vocando Deus præstat & fidem, quia sine vocatione non potest quisquam credere, quamvis nullus credat invitus? Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Aut quomodo audient sine prædicante?* (Rom. 10. 14.) *Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi, vtique ij qui vocantem non contempserunt, sed credẽdo sicuti sunt, volentes autem sine dubio crediderunt. Quid ergo est, quod sequitur, igitur non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei? An quia neque velle possumus nisi vocati, & nihil valet velle nostrum nisi vt perficiamus adiuvet Deus? Opus est ergo velle & currere. Non enim frustra diceretur* Luc. 2. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et sic currite, vt comprehendatis.* 1. Corinth. 9. *Non tamẽ volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, vt quod volumus adipiscamur, & quo volumus perveniamus. Noluit ergo Esau, & non currit, sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio perveniisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Hæc Augustinus, ex quibus manifestè constat, eum qui libere vult credere, non sibi dare fidem, quia licet libere consentiat Deo vocanti, tamen liberum non fuit ei habere vocationem, cui consentiret; & ideo non volentis, sed miserentis Dei esse, quia vnicè ex misericordia Dei provenit, quod Deus vocaverit hunc hominem ea vocatione, cui sciebat adhibiturum libere consensum, ac proinde ille qui vocatus venit, non sibi, sed præcipuè Deo vocanti debet tribuere quod venerit credendo, quia non veniisset, nisi Deus illum congruè vocasset. Et hinc infertur, secundum sententiam Augustini (vt inquit Vazq. 1. p. quæst. 98. num. 40.) *Optimè distingui prædestinatum a reprobo, non solum ipso consensu, & cooperatione; sed etiam donatione gratiæ excitantis, prævenientis & operantis. Inde enim incipit peculiaris gratia, misericordia, & cura Dei erga ipsos. Quare ratione illius rectè dici potest illud,* 1. ad Corinth. 4. *Quis est qui te discernit? Ac si dicat, non tu te discernis, sed Deus solus, qui tibi potius quam alter congruam præparavit vocationem.* Quam explicationem eius loci hausit Vazqeez ex August. qui quæstione illa 2. ad Simp. sic ait: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem.* At verò, qui vocatus non vult venire, & currere, sibi dumtaxat imputare debet; quia Deus dum contulit vocationem proxime sufficientem ad velle; velle & cursum homini obtulit, & quantum est ex se dedit; & dedisset absolute velle & currere media illa vocatione & adiutorio oblato, nisi homo ille reprobus fieret resistendo vocationi. Manifestum est ergo ex mente Augustini vocationem, seu gratiam prævenientem efficacem non esse per se efficacem, & antecedenter connexam cum consensu, sed totam connexionem infallibilem esse consequẽtem, desumptam scilicet à scientia contingenti conditionata & à voluntate divina supponente illam scientiam.

678 Infertur etiam in potestate reprobi esse facere, quod Deus dando illi eam vocationem, dedisset etiam velle & currere; si enim reprobus, (vt potest potestate antecedenti) non resisteret vocationi, Deus conferendo vocationem illam, eum elegisset, & congruenter vocasset, & consequenter causa cur supposito auxilio sufficienti reprobus careat auxilio efficaci, non est; quia Deus noluit dare, sed quia ipse noluit accipere; cum enim lumen gratiæ efficacis sit omnino necessarium ad salutem obtinendam, & Deus serio & ex animo velit omnes homines salvos fieri, omnibus offert lumen suum gratiæ efficacis; vnde qui carent lumine isto, sua culpa carent, quia voluntarie claudunt oculos, ne illuminentur. Et ideo meritò D. Thom. lec. 5. in cap. 6. Ioannis dixit: *Ex quo Deus paratus est dare omnibus gratiam, & ad se trahere, non imputatur ei, si aliquis non accipiat.* Et in 1. dist. 40. q. 4. art. 2. cum Dionisio, Augustino, & Anselmo dixit: *Quod causa, quare iste non habet gratiam, est quia ipse noluit accipere, & non quia Deus noluit dare, qui lumen suum omnibus offert.* Et idem docet 3. cõtra gent. cap. 159. & 160. vt fatetur Alvaiez citatus supra pag. 306. n. 883. Esau ergo ideo non cucurrit, quia noluit, nam Deus, qui illum ad volendum & currendum vocavit, paratus erat dare illi velle & currere, ni ipse contemnendo vocationem, & libere dissentiendo reprobum se fecisset; cum potuisset se prædestinatum facere: nam si consentiret vocationi & auxilijs sufficientibus, Deus præsciviset eum consensurum cum illis; vnde dum Deus præparavit illi illa auxilia, extitisset in Deo præscientia & præparatio donorum, quibus Esau certissimè liberatus fuisset: *Prædes-*

tina-

ſtinatio autem ſecundum Auguſtinum, *nihil aliud eſt quam præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei quibus certiſsime liberantur quicumque liberantur.* Vnde deducitur, in poteſtate cuiuſlibet reprobi, qui propter peccata perſonalia dãnatur, fuiſſe eſſe prædeſtinatum; quia in poteſtate cuiuſlibet fuit ſalvari cum auxilijs ſufficientibus, quæ ad ſalutem ſuam operãdam cuilibet adulto confert Deus ob Chriſti merita, nihil enim ipſi defuit ex ijs quę prærequiſita ſunt ad ſalutem obtinendam niſi obſervatio præceptorum, quæ tamen obſervatio fuit in cuiuſlibet reprobi poteſtate. Implicat autem vt ſuppoſito auxilio ſufficienti fuerit in poteſtate reprobi ſalvari, quin fuerit in eius poteſtate eſſe prędeſtinatus: ſiquidem in terminis repugnat hominem ſalvari, quin ſit prædeſtinatus; quia implicat ſalvari, quin Deus ipſi præparaverit beneficia gratiæ, quibus præſcivit ſalvandum. Prædeſtinatio autem ſecũdum Auguſtinum eſt *præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsime liberantur quicumque liberantur.* Vnde omne auxilium verè & proximè ſufficiens eſt efficax in actu primo, quia vim habet ad effectum præſtandum quantum eſt ex ſe. Nomine tamen auxilij abſolute efficacis communiter intelligitur auxilium, quod non tantum vim habet conſequendi effectum; ſed illum reipſa conſequitur, de quo videndus eſt P. Suarez lib. 4. de grat. cap. 1. n. 3.

979 Et hinc rurſus infertur, electionem illam, de qua hic loquitur Auguſtinus, dum ait: *Illi electi, qui congruenter vocati,* quam electionem nomine miſericordiæ ſignificat, dum ait: *Etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſetur, quos ita vocat, quomodo ipſis vocari aptum eſt vt ſequatur.* Et dum ait: *Cuius Deus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat.* Infertur, inquam, electionem illam nihil aliud eſſe, quam voluntatem illam, quæ ex parte Dei neceſſaria eſt, vt conferat homini auxilia, quibus prævidit ipſum rectè operaturum, & obtenturum finem ad quem illum elegit. Vnde quia vt homo ſalutè æternam obtineat, non eſt prærequiſita electio efficax ad gloriam omnino abſoluta & efficax, quæ antecedat voluntatem conferendi auxilia congrua; illa electio non continetur in definitione illa prædeſtinationis tradita ab Auguſtino. Infertur etiam electionem ad fidem non ſignificare in hac phraſi Auguſtini præfinitionem ſimplicem abſolutam fidei concepram ex directione ſcientiæ mediæ, ex qua oriatur voluntas conferẽdi auxilium congruum ad fidẽ; ſed præfinitionem complexam conſiſtentem in voluntate efficaci conferendi auxilia, quæ prævisa ſunt congrua; ſiquidem voluntas illa collativa auxilij conſtituitur in ratione præfinitionis efficacis noſtræ operationis liberæ per ſcientiam mediam de futura noſtra operatione libera ſub tali auxilio, ex cuius directione Deus confert auxilium illud; vt latè explicui tract. de prædeſt.

980 Quamquam autem in poteſtate reprobi fuerit prædeſtinari cum auxilijs ſufficientibus, quæ de facto accepit à Deo ad obſervanda præcepta, & ideo ſua culpa effectum fuerit vt non ſit prædeſtinatus per illa media. Potuiſſet tamen Deus, ſi voluiſſet, illum per alia media prædeſtinare, nimirum conferendo auxilia, quibus prævisus fuerat cooperaturus. Nullus enim eſt adeo rebellis peccator, quem Deus non potuerit cum effectu emollire, ei conferendo auxilia infallibiliter obtentura effectum; cum enim habeat infinitos & diverſos modos convertendi peccatores, impoſsibilis eſt eventus, in quo nequeat Deus quemlibet hominem efficaciter trahere ad converſionem liberam. Vt planè docet Auguſtinus in illa quæſt. 2. ad Simplicianum pag. mihi 270. nam poſt verba appenſa num. 974. *Nullius Deus fruſtra miſeretur; cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat;* ſtatim immediatè ſubiungit: *Hic dicet aliquis, cur ergo Eſau non ſic eſt vocatus vt vellet obedire? Videmus enim alios aliter eiſdem rebus demonſtratis vel ſignificatis ad credẽdum moveri.* Quod cum multis exemplis, & longa inductione probaſſet, tandem ſic concludit: *Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidẽ, eademque res ſæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat: quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, in qua Iacob iuſtificatus eſt? Quod ſi tanta quoque poteſt eſſe obſtinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdureſcat mentis averſio, quæritur etiam vtrum de diuina pœna ſit ipſa duritia? Cum enim Deus deſerit non ſic vocando, quomodo ad fidem moveri poteſt,* (id eſt, qua ita facilè moveri poſsit, vt reipſa movendus ſit) *quis etiam dicat modum, quo ei perſuaderetur vt crederet, etiam omnipotenti defuiſſe?*

981 Et ſtatim ex Scriptura, nempe ex Exodi 9. 16. & Rom. 9. 17. probat duritiam cordis voluntariam & culpabilem in homine non eſſe à Deo poſitive impellente ad illam; eſſe tamen à Deo negative, quatenus Deus iuſtis de cauſis nobis occultis noluit peccatori concedere eam gratiam, qua eius cor emolli-

retur

retur, & converteretur ad Deum, ſed hominem iuſtiſsimè deſeruit, ei dumtaxat largiendo gratiam ſufficientem, de qua noverat non ſorituram effectum ob culpam hominis, qui abſolute poſſet ſi vellet, cum illa ſola converti. Et recurrit ad occulta iudicia Dei, qui ob rationem nobis quidem occultã, ſed in ſe iuſtiſsimam non vult concedere peccatori vocationem congruam, & ſic noluit concedere Eſau vocationem congruam, qualem largitus eſt Iacob, & poſtquam adduxiſſet illud Apoſtoli, *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas eſt apud Deum? Abſit*, ſtatim ſubiungit: *Sit igitur hoc fixum atque immobile in mẽte ſobria pietate, atque immobili fide, quod nulla eſt iniquitas apud Deum: atque ita tenaciſsimè firmiſsimèque credatur idipſum, quod Deus cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat, hoc eſt, cuius vult miſeretur, & cuius vult non miſeretur, eſſe alicuius oculiæ atque ab humano modo inveſtigabilis æquitatis.* Quam æquitatem Sanctus Doctor explicat exemplo petito ab humanis. *Quis enim non videat*, inquit, *iniquitatis argui non poſſe, qui quod ſibi debetur, exegerit: nec eum certè, qui quod ei debetur, donare voluerit? Hoc autem non eſt in eorum, qui debitores ſunt, ſed in eius, cui debetur, arbitrio.* Quare cum iuxta Apoſtolum 2. Corinth. 15. 22. *In Adam omnes moriuntur*; ſit ex omnibus Adæ filijs vna maſſa peccati; ac proinde omnes ratione peccati Adæ contrahunt debitum carendi omni gratia efficaci ad ſalutariter operandum, & ſalutem obtinendam. Eſt autem magna Dei miſericordia quod quibuſdã illam largiatur Deus; & iuſtum iudicium, quod alijs non largiatur, cõtentus dare omnibus auxilia ſufficiẽtia, quibus poſſent, ſi velẽt, à maſſa perditionis ſeipſos ſegregare, & ſalutem æternam obtinere. Miſeretur enim eorum, quorum vult; vt enim teſtatur Apoſtolus Rom. 9. 15. *Moyſi* (dixit) *Miſerebor, cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor*, vt autem dicit Auguſtinus ibi ſuprà pag. 271. *Eorum non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam, æquitate iuſtiſsima, & ab humanis ſenſibus remotiſsima iudicat. Inſcrutabilia enim ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius.* Vnde qui electi ſunt agnoſcant gratuitam miſericordiam, & gratias agant munificentiſsimo benefactori. Illi autem, qui electi non ſunt, agnoſcant debitum, & non conquerantur de eo quod Deus noluerit ipſis erogare gratiã illam quam nulli debet. Vt enim inquit idem Auguſt. in Enchiridio cap. 99. *Miſeretur magna bonitate, obdurat nulla iniquitate.* Et vt aiebat ibidem cap. 98. *Quis tam impie deſipiat vt dicat malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit in bonum non poſſe convertere? Sed cum facit, per miſericordiam facit; cum autem non facit, per iudicium non facit.* Idem docet cap. 20. de Prædeſt. Sanct. & de Bono perſeverant. cap. 11. & cap. 20. Deus autem iuſtiſsimè conqueritur de peccatis reproborum, quia eos peccare non coegit, nec ad peccandum impulit; ſed potius eis contulit gratiam ſufficientem, quâ ſi bene vti voluiſſent, vt certè poterant, peccata evitaſſent, & ſalutem æternam conſecuti fuiſſent. Ex hucuſque dictis liquido conſtat, D. Auguſtinum gratiam efficacem collocaſſe in vocatione congrua, ſeu in actibus vitalibus indeliberatis, quibus arbitrium noſtrum impellit & adiuvat ad ſalutariter operandum, & tunc dixiſſe, illa eſſe efficacia, quando prævidentur habitura effectum.

982 Quod etiam docuit cap. 14. de bono perſever. illis verbis: *Vnde patet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Conſtat etiam, omnipotentiſsimam poteſtatem ad flectenda hominum corda non fundaſſe in poteſtate adhibendi medium eſſentialiter connexum cum conſenſu, ſed in poteſtate ad tangendum corda hominum varijs, miris, & infinitis modis, inter quos impoſsibile omnino eſt, vt non appareant aliqui congrui ad exprimendum à voluntate conſenſum liberum. Sic etiam cap. 5. de corrept. & grat. dixit: *Homines diuerſis & innumerabilibus modis vocari, vt reformentur.* Et lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 19. in fine dixit. *Trahi varijs & miris modis hominẽ vt velit credere ab illo qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, vt volentes ex nolentibus fiant.*

683 Propterea autem dixit, vt vidimus num. 974. *Non poſſe effectum miſericordiæ eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit*; quia effectus miſericordiæ divinæ eſt collatio auxilij congrui orta ex voluntate efficaci formali vel virtuali dandi conſenſum ſalutarem: non eſt autem in hominis poteſtate impedire collationẽ auxilij congrui ex illa voluntate ortam. Primò, quia quamvis poſsit reddere abſolutè incongruum auxilium illud, quo Deus facit vt eliciat conſenſum, nimirum potentia antecedenti, vi cuius illi auxilio poteſt reſiſtere, non poteſt tamen potentia conſequente, ex ſuppoſitione quod Deus voluerit miſereri illius hominis, ſeu ex ſuppoſitione quod prævidens illud

illud auxilium fore congruum, illud voluerit conferre, ac proinde nunquam est in hominis potestate facere, vt Deus frustra misereatur; quia ex suppositione quod misertus sit per gratuitam electionem, impossibile est vt effectus non sequatur; siquidem voluntas efficax Dei nequit frustrari. Secundò, & principaliter, quia licet possit homo potentia antecedenti dissentire vocationi congruæ specificativè sumptę, & resistendo impedire scientiam mediam & præfinitionem consensus per illud auxilium; tamen non potest Deum privare potestate proxima præfiniendi efficaciter cõsensum, & eligendi hominem, neque potestate conferendi aliud auxilium congruum, per quod illa electio finem consequatur; quia omnino impossibile est; vt inter tot vocationes, quibus Deus potest hominis cor pulsare, nullũ appareat congruum ad exprimendum consensum, & hæc est ratio, quam ibi reddit Augustinus. Postquam enim dixit: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur si homo nolit*; statim reddit rationem, *quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo aptum erat, & vt moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* Siquidem Deum misereri est Deum hominem eligere; nequit autem homo facere ne Deus ipsum frustra elegerit; quia quamvis huic possit vocationi resistere, non potest tamen efficere, ne Deus habeat medium congruum ad complendam electionem illam seu ad faciendum vt homo non perveniat ad finem, ad quem ipsum elegit; & absolutè non potest facere, ne Deus ipsum convertat.

§. XIX.

Ex his, quæ Augustinus tradit quæstione illa secunda ad Simplicianum, clarè colligitur, Deum non prædeterminare physicè ad entitatem actus peccati.

984 ID Probatur, nam ad medium illius quæstionis pag. mihi 270. column. 2. ait, quamvis non sit hominis volentis, & currentis, sed Dei miserentis, quod benè velit, & iustè operetur; tamen non esse Dei obdurantis, quod homo malè velit, & prave operetur: *Neque enim* (inquit) *quomodo dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; sic etiam dictum est, non volentis, neque contemnentis, sed obdurantis est Dei.* Vnde colligit, quomodo sint exponenda verba Apostoli Rom. 9. vers. 18. *Cuius vult misereatur, & quem vult indurat*; ait enim ita esse intelligentia, *vt obduratio Dei sit nolle misereri: vt non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum, quo sit melior non erogetur.* Et paulò inferius verba eadem sic exponit, *Deus cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, hoc est cuius vult misereturs, & cuius non vult non miseretur.* Et columna sequenti docet, Deum de peccatoribus meritò conqueri, quia neminem ad peccandum cogit, vel ad peccandum impellit, *sed tantummodo quibusdam peccantibus misericordiam iustificationis suæ non largitur; & ob hoc dicitur obdurare peccãtes quosdam, quia non ipsorum miseretur, non quia impellit vt peccent: eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præbendam, æquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima iudicat.*

985 Hinc patet, quam contraria sit Augustt. sententia PP. Dominican. de necessitate physicæ prædeterminationis ad omnes actus liberos secundum totam eorum entitatem, etiam ad actus effectialiter malos, vt odiũ Dei. Nam in illis principijs Deus non solum dicitur indurare quatenus non vult misereri erogando gratiam efficacem, quo homo evitet peccatum, & rectè operetur, seu quatenus negat gratiam efficacem ad emoliendum cor peccatoris ad conversionem, sed quatenus prædeterminat ad actum pravum oppositum conversioni; & observationi præcepti: & positivè homines impellit vt peccent. Nam in illa sententia hominem proximè indifferentem ad eliciendum actum honestum præceptum, vel actum turpem, præoccupat Deus & prædeterminat, vt eliciat potius actum peccaminosum, quam actum oppositum honestum; prædeterminare autem ad actum, est ad actum impellere, & non vt cumque, sed impulsu irresistibili, & infrustrabili: ergo impellit Deus liberum arbitrium hominis ad actum peccati, quem homo elicere non potest, quin peccet; hoc autem est impellere ad peccandum; homo enim peccat, quia elicit potius actum transgressivum præcepti, quam actum observativum; at Deus prædeterminans ad actum peccati prædeterminat hominem vt eliciat potius illum, quam actum oppositum; ergo prædeterminat vt peccet. Quapropter in illa sententia sicut verum est, *Non hominis volentis neque currentis, sed Dei miserentis*; ita verum erit, *Non volentis neque contemnentis, sed obdurantis est Dei.* Ideo enim primum est verum, quia Deus per impulsum gratiæ prævenientis facit vt homo eliciat actum salutarem. At etiam Deus immediate prædeterminatione physica facit vt homo contem-

nat

nat præceptũ Dei, eliciatque actum prohibitum, quo induratur; ergo etiam erit verum secundum; sicut enim per gratiam prævenientem inchoat bonum; ita Deus per prædeterminationem ad actum peccati inchoat malũ, ipsique potius tribuendum est, quod homo peccet, quã homini ipsi; sicut potius tribuitur Deo, quod homo rectè operetur, quam ipsi homini, quia Deus incipit impellendo hominem ad recte operandum. Sed quia contra prædeterminationem ad actum peccati late egi tom. 1. disp. 13. sect. 3. ex mente Augustini, & disp. 11. à sect. 5. à ratione; ideo in hoc puncto non amplius morabor.

§. XX.

Fruſtra Doctor Compluenſis ex eo quod D. Auguſtinus dixerit, voluntatem humanam divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter agi, *intulit, gratiam efficacem pro ſtatu naturæ lapſæ potius quam naturæ integræ eſſe per ſe & ab intrinſeco efficacem, quatenus præveniens eſt.*

986 VERBA Augustini ex cap. 12. de correptione & gratia dedi suprà §. 17. num. 957. quibus addi possunt, quæ in fine illius capitis dicit comparans gratiam datam Adamo, per quam posset perseverare, si vellet, cum gratia, quæ nunc prædestinatis datur ad perseverandum. *Fortiſſimo quippe* (inquit) *dimiſit atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit, vt ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, nec hoc deſerere invictiſſimè nollent.*

Antequam autem argumentum conficiam adversus Doctorem Complutensem, qui à Iansenio didicit assignare discrimen inter gratiam efficacem naturæ lapsæ, & integræ, animadvertendũ est primo ex P. Dechams lib. 3. de hæresi Ianseniana disp. 3. cap. 7. n. 4. eodem testimonio vsum fuisse Iansenium cum Calvino & alijs hæreticis ad confirmandam suam hæresim de gratia medicinali Christi necessitante. Postquam enim plurima Augustini testimonia collegit in quibus victricem diuinæ gratiæ vim enixe commendat, eamque appellat, *Omnipotentiſſimam, efficaciſſimam, inſuperabilem, indeclinabilem*, clamat nihil esse certius quam gratiam medicinalem ex Sanct. Doct. sensu effectum suum necessario consequi; additque, eximiè pertinaces, aut stolidos esse, qui id *inficiantur*. Animadvertendum est secũdò, Iansenium posuisse in statu naturæ integræ gratiam efficacem præve-

nientem in auxilio suapte natura indifferenti, & quòd ab extrinseco reddatur efficax; ac proinde gratiam efficacem necessitatem solũ posuisse in statu naturę lapsæ, vt constat ex dictis §. 3. huius sectionis à n. 902. & cõstat quia Iansenius de grat. primi hominis c. 12. in hoc ait discrepare, gratiam sanitatis, seu naturæ integræ, à gratia medicinali, quæ est propria naturæ infirmæ, quod hæc agendi necessitatẽ inducat; illa verò minimè. In quo Iansenium imitatus est Doct. Complut. vt patet ex eius verbis citatis pag. 314. n. 899. solumque datur differentia, quod Iansenius cum bona Logica, sed cum pessima Theologia docuit põdus gratiæ efficacis ab intrinseco efficacis necessitare ad consensum. At Doctor Complut. cum bona Theologia, sed cum pessima Logica, supponens consensum poni cum libertate indifferẽtiæ, docuit pondus gratiæ efficacis consistens in delectatione victrici cõnexa (respective ad tale subiectũ sic affectũ) essentialiter cum consensu, necessitare ad ponendum consensum liberè, seu permodum libertatis, & idcirco dici ab Augustino agere *ineluctabiliter* & invincibiliter ad consensum. Itaque vterque convenit in adstruendo discrimine essentiali inter gratiam efficacem huius status, & gratiam efficacẽ naturæ integræ; & vterque asserit, gratiam efficacem in statu lapsus esse connexam antecedenter cum cõsensu; & in statu integritatis non esse antecedenter connexã; & vterque docet Augustinum specialiter docuisse de gratia efficaci naturæ lapsæ, quod *invicte, insuperabiliter & indeclinabiliter* trahat arbitrium ad consentiendum; id autem non docuisse de gratia efficaci naturæ integræ.

987 Iam §. 17 per totum latè ostendi gratiam efficacẽ naturæ lapsæ non esse essentialiter connexam antecedẽter cum consensu; ac proinde Augustinum non ob hanc antecedentem connexionem dixisse, gratiam agere *indeclinabiliter & invincibiliter* voluntatem infirmam ad rectam operationem; sed ob causam explicandã §. seqq. Nunc contra vtrunque specialiter ostendendum est, ex illa locutione Augustini frustra ab illis colligi, quod gratia efficax naturæ lapsæ potius quã gratia efficax naturę integræ fit antecedenter connexa cum consensu. Id autem probatur primo.

Nam quamvis de facto Deus Adamo non concesserit gratiam efficacem ad perseverandum in bono; potuit tamen omnipotentissima potestate facere vt in bono perseveraret, illumque *indeclinabiliter & invincibiliter* per suam gratiam trahere ad perseverandum, firmando eius voluntatem in bono. Vt enim sæpe repetit Augustinus *Deus habet humanorum cordium, quo voluerit*

inclinandorum omnipotentiſsimam poteſtatem. Quærit Auguſt. lib. 11. de Geneſi ad litt. cur Deus Adamum, & Evam creavit, quos peccaturos eſſe præſciebat: quâ ſoluta quæſtione, aliam per hæc verba proponit: *Sed poſſet, inquiunt, etiam ipſorum voluntatem in bonum convertere, quia omnipotens eſt.* Et reſpondet: *Poſſet planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt?* Vbi ponderandum eſt, Auguſtinum non dixiſſe, Deum Adami voluntatem omnipotenti gratia non convertiſſe, quod hæc libertati à neceſsitate, quæ naturæ integræ propria erat, repugnaret: *ſed quia noluit.* Potuit ergo Deus non violata libertate indifferētiæ quæ propria erat naturæ integræ, Adami voluntatem *certo, & infallibiliter* in bonum convertere. Ergo ex eo, quod Deus per gratiam medicinalem *certo & infallibiliter* convertat voluntatem in ſtatu lapſus, perperam infert Ianſenius gratiam medicinalem inferre neceſsitatem, & auferre libertatem indifferentiæ: explicet nobis Ianſenius, quopacto illæſa libertate indifferentiæ potuit Deus infallibiliter facere, vt Adamus in bono perſeveret, & intelligat, eodem modo ſolvi poſſe argumenta, quibus contendit gratiam medicinalem tollere libertatem indifferentiæ, eo quod per illam certo & infallibiliter trahitur homo ad converſionem.

Præterea contra Doctorem Complutenſem arguo: ſine gratia antecedenter connexa cum perſeverātia potuit Deus facere; vt Adamus certo & infallibiliter perſeveraret in bono: ergo ex eo quod in ſtatu lapſus Deus gratia ſua certò & infallibiliter trahat hominem prædeſtinatum ad conſenſum, illumque *invictiſsimè, invincibiliter, & indeclinabiliter* faciat vſque in finem perſeverare malè intulit, gratiam efficacem in ſtatu lapſus eſſe antecedenter connexā cum conſenſu ſalutari.

988 Vlterius contra Ianſenium arguo; nam loca Auguſtini, vnde Ianſenius colligit gratiam efficacem, quam Deus in hoc ſtatu naturæ lapſæ prædeſtinatis confert, neceſsitatem inferre, verificantur in Angelis, in quibus gratiam ponit efficacem ſolum extrinſecè, & ab effectu. Certè ineluctabilem, & indeclinabilem gratiæ vim colligit Ianſenius ex illis Auguſtini verbis cap. 14. de corrept. & grat.: *Deo volenti ſaluum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Ex ijs verbis certò colligi putat gratiam efficacem, quam Deus pro hoc ſtatu prædeſtinatis largitur, neceſsitatem imponere: idque iterum certò confici putat ex ſequentibus eiuſdē Auguſt. verbis: *Non eſt itaque dubitandū voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæcūque voluit fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult.* Quis autem non videat hæc etiam ad Angelos pertinere? Euidens enim eſt Deo volenti Angelū ſalvū facere, Angelicam non reſiſtere voluntatem: cum ipſe in cœlo & in terra quacumque voluit fecerit: id eſt in Angelica & humana natura, vt paſſim Sancti Patres interpretantur. Ergo malè Ianſenius ex his locis intulit, Deum hominibus prædeſtinatis pro ſtatu lapſus diſtribuere auxilia neceſsitantia; cum loca iſta Angelis communia ſint; & certum ſit, Deum aliquos Angelos prædeſtinaſſe, ac proinde efficaciter eorum ſalutem voluiſſe. Malè item Doct. Complutenſis ex doctrina Auguſtini colligit gratiā efficacem pro ſtatu lapſus eſſe antecedenter connexam cum conſenſu; non autem gratiam efficacem collatam Angelis, qui in veritate ſtiterunt; cum non minus infallibiliter & indeclinabiliter gratia efficax collata Angelis, dederit eis perſeverantiam in bono, quam det perſeverantiam in bono gratia efficax collata prædeſtinantis hominibus.

989 Idipſum magis conſtabit, ſi expendamus celebrè aliud Auguſtini teſtimoniū in quo Ianſenius fundavit ſuam doctrinam de gratia efficaci neceſsitante pro ſtatu lapſus; quod pariter probat gratiam efficacem collatam Angelis eſſe neceſsitatem, vel nihil probat: ac proinde cum hoc ſecundum non probet in Angelis, nec id probare poterit in hominibus. Teſtimonium habetur in Enchiridio cap. 95. vbi Auguſtinus ait: *Deus noſter in cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit fecit. Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit. Et quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Et ne quis ad ſolos homines iſta traduceret, paulò poſt cap. 96. addit Auguſtin. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult poteſt, NEC VOLVNTATE CVIVSPIAM CREATVRÆ VOLVNTATIS OMNIPOTENTIS IMPEDITVR EFFECTVS.* Ex quibus manifeſtè conſtat, Auguſtinum loqui de qualibet creatura; atque adeo etiā de Angelica. Quapropter cum paulo poſt, ex eo quod dicatur Deus, *Quæcumque voluit in cœlo & in terra feciſſe*, ita colligit c. 98. *Quis tam impiè deſipiat, vt dicat Deū malas hominū voluntates, quas voluerit, quādo voluerit, vbi voluerit, in bonum non poſſe convertere?* Cum inquam, illa colligit, atque concludit; manifeſtè indicat eodem modo

do

do ſtatuendum eſſe de Angelis, in quibus quoque eadem ratio militat. Hinc eſt, quod quibuſdam interpoſitis, cap. 102. ſubiungit: *Quantalibet ſint voluntates, vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel quos Deus vel aliud volentes quã Deus, omnipotentis voluntas Dei ſemper impletur.* Manifeſtum ergo eſt non minus Angelis, quam hominibus convenire doctrinam Auguſtini ex qua Ianſenius colligit naturam gratiæ efficacis collatæ hominibus. Ergo ſi loca illa Auguſtini non probant gratiam efficacem Angelorum fuiſſe ab intrinſeco efficacem, neque id probabunt de gratia efficaci hominum. Ergo perperam Ianſenius, & cum Ianſenio Doctor Complutenſis diſcrimen aſſignat inter hominem lapſum ex vna parte, & hominem integrum, & Angelos ex alia, quoad explicandam in vtriſque efficaciam gratiæ. Manifeſtum eſt enim Deum non minus *inæclinabiliter*, & *invincibiliter* potuiſſe hominem integrum atque Angelos in obſervantiam præceptorum trahere, quam de facto trahit prædeſtinatos.

989 Quapropter Sanctus Doctor lib. 14 de Civitate cap. 27. exclamat: *Quis audeat credere aut dicere, vt nec Angelus nec homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe?* Item S. Fulgentius Magiſtri ſui Auguſtini veſtigia premens, poſtquam lib. 2. ad Traſim. cap. 2. in fine de Angelis affirmavit, *vniformi cunctos oprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet a caſu prævitatis virtus illa defenderet*: poſtmodum initio capitis tertij, loquens de virtute Dei, quæ media gratia efficaci Angelos bonos a lapſu defendit, & præſervavit: *Ipſa igitur* (inquit) *etiam homini reparando fuit neceſſaria, quia non alia ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Vna eſt in vtroque gratia operata, in hoc vt ſurgeret: in illo, ne caderet. In illo, ne vulneraretur, in iſto, vt ſanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſinit. Illius eſca, iſtius medicina. Hunc autem quiſquis ſanum ſapit, filium Dei eſſe non ambigit, quia eſt virtus & ſapientia Patris. Sapientia, quæ cuncta diſpoſuit: virtus, quæ omnia creavit. Sapientia, quia illuminat, virtus, quia adiutorium præſtat. Sapientia, quia immutabilis; virtus, quia inſuperabilis.* Ergo iuxta Fulgentium virtus Dei quatenus media gratia efficaci *operata eſt, ne Angelus caderet, fuit inſuperabilis*, non minus quam virtus Dei quatenus media gratia medicinali hominem infirmum ſanavit, & lapſum erexit. Ergo ex eo, quod Deus per gratiam efficacem *inſuperabiliter* faciat vt homo lapſus ſurgat à peccato, non magis ſequitur eſſe intrinſece efficacem gratiam ſanativam, & medicinalem, quam gratiam efficacem præſervativam Angeli à lapſu; nam etiam per hanc Deus *inſuperabiliter* Angelum ſtantem à ruina cuſtodivit.

990 Hinc de illa inſuperabili virtute, qua Deus ex *Angelis omnibus quos voluit* à lapſu defendit, merito dici poteſt illud Proſperi libro 1. de vocatione gentium capit. vltimo: *Nunquid illa virtus gratiæ, quæ ſibi quos voluit ſubdidit, convertere eos, qui inconvertibiles permanſere, non potuit?* Poteſt ergo ea gratia *omnipotens* appellari, ſicut ab eodem appellatur *omnipotens* gratia ſanativa, & medicinalis, qua hominem lapſum Deus ſalvat, poteſtque eiſdem verbis gratia præſervativa Angelorum deſcribi, quibus propria prædeſtinatorum hominum gratia à S. Proſpero exprimitur carmine *de ingratis* cap. 15.

At vero omnipotens hominem cum gratia ſaluat,
Ipſa ſuum conſumat opus; cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit: nec moribus illi
Fit mora, nec cauſis conceptis ſuſpenditur vllis.

991 Ergo Ianſenius, & cum eo Doctor Complutenſis ex eo, quod Deus per gratiam medicinalem homines *inſuperabiliter, inæclinabiliter, invictè, & infallibiliter* trahat ad operandum, perperam intulerunt, gratiam ſanativam, & medicinalem eſſe intrinſecè efficacem, & eſſentialiter connexam cum conſenſu; cum Deus etiam *indeclinabiliter, inſuperabiliter, invictè, & infallibiliter* Angelos ſtantes præſervavit à ruina; quibus tamen iuxta hos Authores non dedit gratiam ab intrinſeco efficacem, ſed gratiam in ſua entitate indifferentem, cui Angeli liberè adiunxerunt conſenſum potentes eidem reſiſtere, & diſſentire: ergo ſtat entitatem gratiæ efficacis prævenientis eſſe ſuaprè natura coniungibilem cum diſſenſu, quatenus liberum arbitrium poteſt potentia antecedenti contra eius inclinationem, quæ vnicè reſpicit actum ſalutarem, operari, eidem reſiſtendo, & tamen per illam *indeclinabiliter* hominem trahere ad conſenſum; quia nimirum Deus poteſt efficaciter hominem ad fidem, ad iuſtificationem, vel ad gloriam eligere, ſuppoſita

ſcientia media, per quam videt innumera auxilia congrua ad exprimendum, & quaſi extorquendum conſenſum liberum à voluntate noſtra, poteſt hominem efficaciter eligere, & ex hac electione conferre auxilium congruum, perquod invictè, inſuperabiliter, & indeclinabiliter homo convertatur in ſenſu compoſito illius electionis, & ex ſuppoſitione illius; vt ſtatim explicabo.

§. XXI.

Oſtenditur Deum media gratia efficaci ideo indeclinabiliter *&* inſuperabiliter *trahere hominem in conſenſum ſalutarem; quia quamvis entitas illius gratiæ ſecundum ſe, & quatenus prævenit conſenſum, non ſit connexa cum conſenſu; eſt tamen eſſentialiter connexa prout oritur ex prouidentia infallibili Dei, & præfinitione efficaci operis.*

992 ASSVMPTVM Sufficienter conſtat ex dictis & probatur ex ingenua confeſsione Magiſt. Alvarez diſp. 93. de auxilijs num. 2. vbi ſupponit tanquam certum ex definitione Tridentini nos poſſe reſiſtere entitati gratiæ efficacis ſecundum ſe ſumptæ, quatenus præveniens eſt: ſic enim inquit: *Obſervandum eſt, quod auxilium efficax poteſt dupliciter conſiderari: primo ſecundum ſuam entitatem præciſe, quatenus videlicet eſt quædam realis motio, ſeu entitas creata in intellectu & voluntate recepta, & ſecundum iſtam rationem nulla eſt controverſia inter Authores vtriuſque ſententiæ,* (nempe Patres Dominicanos, & Patres Societatis Ieſu) *cum omnes fateantur, liberum arbitrium reſiſtere poſſe auxilio efficaci, ſi ſecundum ſuam entitatem præciſe conſideretur: alio modo poteſt conſiderari ſecundum omnem realem virtutem, quam habet vt venit à Deo, & vt eſt inſtrumentum voluntatis Dei volentis efficaciter hominem, cuius cor mouet, ad ſe convertere; & ſecundum iſtam rationem dicendum eſt arbitrium creatum reſiſtere non poſſe auxilio efficaci, propriè loquendo de reſiſtentia, ſicut non poteſt reſiſtere Deo, aut eius voluntati.* Hęc ille, quæ veriſsimè dicta ſunt & ad mentem Concilij Senonenſis, cum enim Concilium illud definierit, propterea Dei trahentis auxilium, id eſt, auxilium efficax non præiudicare noſtræ libertati, quia *tale non eſt, cui reſiſti non poſsit*, vt vidimus pag. 68. à num. 48. huius diſputationis, ſeu quia tale eſt *Dei trahentis auxilium, vt illi ſecundum ſe ſumpto poſsimus reſiſtere*: ſanè ſi entitati auxilij efficacis non poſſemus reſiſtere propriè, ſicut propriè non poſſumus reſiſtere volũtati efficaci Dei: (*Voluntati enim eius quis reſiſtit?* Vt inquit Apoſtolus Rom. 9. 19. & Sancta Eſther cap. 13. verſ. 9. *Non eſt qui poſsit Dei reſiſtere volũtati,*) periret noſtra libertas. Cum ergo hoc Concilium definierit, per neceſſariam conſequentiam deducitur, nos poſſe reſiſtere auxilio efficaci entitativè ſumpto, & ſecundum quod habet ex ſuis prædicatis intrinſecis quatenus prævenit conſenſum.

993 Sed quanquam hæc à M. Albarez veriſsimè dicta ſint ad mentem Concilij; nequeunt tamen componi cum eo quod gratia efficax ſit prædeterminans; nam prædeterminatio ex ſe non magis eſt capax reſiſtentiæ quam voluntas efficax Dei, quam prędeterminatio ipſa eſſentialiter ſupponit; quia talis prędeterminatio ad conſenſum non minus incompoſsibilis eſt cum diſſenſu quã præfinitio ipſa efficax conſenſus; ac proinde non minus eſt irreſiſtibilis, quia repugnat ipſi coniungī cũ reſiſtentia non minus quam repugnet præfinitioni efficaci cõſenſus. Quare M. Albarez ſibi ipſi contradicit, dum ex vna parte gratiã efficacem ponit in prædeterminatione phyſica, & ex alia docet nos poſſe reſiſtere auxilio efficaci, ſi ſecundum ſuam entitatem præciſe conſideretur.

Ex illa tamen definitione Concilij clarè deducitur, gratiam efficacem ideo *indeclinabiliter*, & inſuperabiliter trahere arbitriũ creatum in conſenſum liberũ ſalutarem; quia licet ſecundũ ſe non ſit connexa cum conſenſu, eſt tamen ſic connexa prout oritur ab electione efficaci divina, & à præfinitione conſenſus; ac proinde licet arbitrium poſsit reſiſtere entitati illius auxilij efficacis ſecundum ſe, non tamen prout ortę ex præfinitione efficaci Dei, quia voluntati efficaci Dei nequit reſiſtere, neque eius efficaciã ſuperare, declinando à conſenſu, in quem inclinat illa gratia, in ſenſu compoſito illius præfinitionis.

994 Noſtra inſuper explicatio locutionis Auguſtini, & aſſertio in titulo præfixa, conſtat clariſsime ex doctrina S. Thomæ 1.2. quæſt. 112. articul. 3. in quo inquirit: *An neceſſario detur gratia* (nempe habitualis) *ſe præparanti ad gratiam, vel facienti quod in ſe eſt?* Et in corpore articuli ait, quod ſi illa præparatio conſideretur *prout eſt à Deo mouente, tunc habet neceſsitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis:*

quia

quia intentio Dei deficere non potest, secundum quod Augustinus dicit libro de Prædestinatione Sanctorum, quod per beneficia Dei certissime liberantur quicumque liberantur. Vnde si ex intentione Dei moventis est, quod homo, cuius cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur, iuxta illud Ioannis *6. omnis, qui audiuit a Patre, & didicit venit ad me.* Ergo iuxta Sanctum Thomam ideo gratia illa præueniens, & auxilians, quâ Deus movet cor hominis vt se disponat ad gratiam sanctificantem, infallibiliter consequitur effectum, quia oritur ex intentione efficaci Dei, qui eis, quos elegit ad gratiam, præparat auxilia congrua, quibus infallibiliter ad illâ se disponant, conferendo nimirum auxilia interioris doctrinæ, quibus novit eos consensuros. Nam eis, quos Deus elegit ad aliquem finẽ, præparat auxilia quibus novit infallibiliter ad eum finem perventuros: cum enim sit omnipotens, possitque *diuersis & innumerabilibus modis* tangere corda hominum, vt loquitur Augustinus cap. 5. de correptione & gratia; impossibile est, vt inter illos modos, illa vel illa auxilia, non appareant multa congrua ad exprimendum consensum liberum à quacumque voluntate quantumvis rebelli; licet singula illa auxilia sint antecedenter indifferentia, vt cum illis voluntas coniungat dissensum, vt supra num. 980. vidimus ex Augustino; novit quippe Deus, voluntatem creatam cum effectu reipsa convertendam, si pulsetur tali vel tali auxilio, quamvis possit cum illo non converti; sicut econtra novit non convertendam, si pulsetur alijs auxilijs debilioribus, & minus accommodatis genio, & conditioni hominis, qui vocatur, & ideo est summa misericordia quod Deus largiatur illa potius quam ista, & pertinet ad occulta Dei iudicia, quod vni potius quam alteri homini concedat auxilium congruum, cum quo novit convertendum; vt sæpe docet Augustinus, præsertim cap. 34. de spiritu & littera in fine, vt vidimus supra num. 988. in fine.

995 Quapropter concludo, ideo Diuum Augustinum libro de correptione & gratia cap. 12. dixisse homines prædestinatos per gratiam Dei *indeclinabiliter & insuperabiliter* trahi in hoc statu lapsus ad perseverantiam, quia licet auxilia præuenientia, quibus Deus facit vt in bono perseverent, & per quæ illis donat ipsam formalem perseverantiam, eamque in ipsis operatur, non sint in sua entitate indeclinabilia, & insuperabilia; sunt tamen insuperabilia & indeclinabilia quatenus oriuntur ex proposito efficaci diuinæ voluntatis saluandi homines illos, quia illud propositum, cum sit voluntas efficax Dei, est insuperabile, & indeclinabile; quia impossibile est, vt homo voluntati efficaci Dei resistat: vt enim aiebat Augustinus cap. 14. de correptione & gratia *Deo volenti salvum facere nullum resistit arbitrium*, & vt paulò post subiungit: *Non est dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quando quidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult facit.* Illud tamen propositum, seu voluntas efficax propterea non lædit libertatem, quia vult efficaciter vt homo operetur libere per media suapte natura indifferentia, quæ per scientiam mediam prævisa sunt efficacia ad exprimendum consensum; vbi enim omnia principia proxima sunt indifferentia ad vtrumque, & nihil adest prædeterminans physicè voluntatem ad vnum præalio, sed ipsa relinquitur cum potentia proxima resistendi omni gratiæ præuenienti consensum; voluntas nostra liberè operatur. Vbi autem aliquid ex prærequisitis ad consensum, est tale, vt ei resisti non possit, non operatur liberè, sed cum necessitate antecedenti, vnde impossibile est, vt Deus efficaciter decernat saluare hominem per merita gratiæ, & quod illum moveat ad operandum per medium prædeterminans. Nam Deus efficaciter volens vt effectus fiat liberè, hoc ipso efficaciter vult vt fiat per causam contingentem in operando, quæ indifferens sit ad vtrumque, & quam movere debet per media proportionata libertati: vt enim inquit D. Thomas 1. p. quæst. 19. art. 8. corp. *Deus vult quædam fieri necessario, quædam contingenter, & ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus ex necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant.* A voluntate namque creata, vt mota per prædeterminationem physicam effectus non oritur contingenter & liberè, sed necessario, necessitate opposita libertati indifferentiæ, & contingentiæ in operando. Vnde oportet, vt ad effectum ponendum cum contingentia & libertate, moveatur per motionem indifferentem, quæ in operando sit ex se contingens, & possit coniungi cum omissione operis, ad quod vnicè inclinat. Aliunde verò cum impossibile sit, vt Deus velit efficaciter, quod effectus fiat liberè à voluntate creata, quin habeat medium efficax ad faciendum, vt effectus ille fiat liberè, seu medium, de quo sciat, quod si

illud adhibeat, voluntas liberè ponet effectum; impoſsibile eſt, vt velit efficaciter poni effectum liberè à voluntate creata, quin habeat ſcientiam mediam, cuius eſt proprium penetrare, quid reipſa ſit electura voluntas ſi tali, vel tali auxilio indifferenti pulſetur. Et ideo Divus Thomas nuper citatus numero 993. dicebat: *Quod ſi ex intentione Dei moventis eſt, quod homo, cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter illam conſequetur*, quia nimirum certitudo effectus ſecuturi non fundatur in efficacia medij, quod Deus applicat, quaſi illud prædeterminet phyſicè voluntatem; ſed fundatur in ſcientia infallibili conditionata, quæ præcedit decretum collativum auxilij, cui voluntas reipſa conſenſura eſt. Idque ipſum voluit Divus Auguſtinus cap. 14. de bono perſeverantiæ, dum prædeſtinationem explicuit, dicens: *Quod eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur quicunque liberantur*; vbi certitudo ex ſcientia provenit, & non ex natura mediorum ſecundum ſe ſumpta, & ideo non dixit, *quibus prædeterminantur*, ſed quibus liberantur.

996 Ex quibus omnibus concluditur, *quod indeclinabilitas & inſuperabilitas*, de quibus loquutus eſt Auguſtinus, non eſt intrinſeca motioni gratiæ efficacis ſecundum ſe ſumptæ; ſed convenit illi extrinſecè, & quatenus oritur ex providentia infallibili Dei, quę ſufficienter ſalvatur, per hoc quod Deus habeat decretum conferendi auxilium, quod per ſcientiam mediam apparuit efficax: motio enim gratiæ prævenientis prout oritur ex hac providentia infallibili, *indeclinabiliter, & invincibiliter* conſequitur effectum. Hæc tamen invincibilitas, & indeclinabilitas, quia non eſt ſuppoſitio antecedens, ſed conſequens, non opponitur libertati. Deus enim ideo habet providentiam infallibilem ad convertendum Petrum per auxilium A. v. g. ſuapte natura indifferens, quia prævidit voluntatem liberè conſenſuram illi auxilio, & cum potentia proxima antecedenti ad illi diſſentiendum, quæ ſcientia cõditionata cum ſupponat vſum libertatis conditionatè futurum, eſt ſuppoſitio conſequens vſum libertatis, & minimè influens in illum; quia illa non eſt neceſſaria vt voluntas noſtra operetur, ſed vt Deus non conferat cæco modo auxilium, & ſine certitudine eventus ſecuturi.

(6)

SECTIO XIII.

Ex dictis contra Doctorem Complutenſem impugnatur ſententia Magiſtri Albelda, qui ex vna parte reijcit gratiam phyſicè prædeterminantem, & ex alia ſine ſcientia media conatur ſaluare gratiam efficacem in illuſtratione intellectus, & affectione indeliberata voluntatis.

§. I.

Sententia Recentium Thomiſtarum conſtituentium gratiam efficacem in qualitate vel motione non vitali, quæ in quocumque homine quantumvis graviſsime tentato habeat connexionem eſſentialem cum conſenſu, expoſita ab Albelda.

997 MAGIST. Albelda diſp. 58. ſect. 2. numer. 8. refert ſententiam Thomiſtarum ſuorum Recentium, qui explicantes gratiam prævenientem efficacem, per quam Deus facit vt faciamus actum ſaluiarem, quem ipſe efficaciter præfinierat, aſſerebant, *Eſſe qualitatẽ per modum actus primi inhærentem voluntati, ſemper intrinſecè perfectiorem, & alterius rationis, quam ſit gratia auxilians, quæ datur ei, qui diſſentit, etiam ſi ſint inæqualiter tentati: aſſerunt enim* (inquit Albelda) *eiuſmodi qualitatem eſſe vltimatè complentem potentiam voluntatis, & reducentem illam quaſi inchoatiuè de actu primo ad actum ſecundum, ac proinde neceſſum eſſe exiſtimant, quod auxilium, quod eſt efficax in vno etiam leviter tentato, intrinſecè, & ex natura ſua habeat, quod ſit efficax in quocumque alio quantumcumque graviſsime tentato: quia dicunt, hanc eſſe naturam huius qualitatis, vt in quocumque ſubiecto ſit complementum potentiæ activæ reducens illam quaſi inchoatiuè de actu primo ad actum ſecundum. Econtra verò gratia præueniens, quæ non eſt efficax in vno graviſsimè tentato, in nullo alio etiam leviter tentato erit efficax, quia dicunt, deeſt illi illa ratio vltimi completivi potentiæ actiuæ, quæ ſit tanquam inchoatio actus ſecundi. Inſuper etiam addunt, in hoc vltimo complemento potentiæ actiuæ creatæ, in quo poſita eſt ratio formalis auxilij efficacis, conſiſtere ſubordinationem cauſæ ſecundæ reſpectu primæ, quatenus videlicet, omnis cauſa ſecunda non ſolum in eſſendo, ſed etiam*

in

in operando à prima dependet, quia est movens, vt mota ab ipsa causa prima; quod quidem de motione præveniente recepta in ipsamet causa secunda intelligendum est. Hactenus Albelda, qui hæc scripsit anno 1620. vel paulò ante; qui nomine Recentium Thomistarum intelligit Magistrum Alvarez, qui anno 1611. ediderat tomum de auxilijs, & Magistrum Bañez, & Ledesmam, & alios nonnullos Thomistas, qui de gratia prædeterminante scripserunt. Omnes enim illi asserunt prædeterminationem physicam vel esse complemẽtum actus primi, vel applicationem actus primi ad actum secũdum, quæ applicatio sit præveniens natura consensum, & essentialiter connexa cum illo; ita vt sit penitus impossibile causam secundam operari, quin propriori ad operationem suam præmoveatur à Deo; sive illa prædeterminatio sit qualitas, sive motio virtuosa; & dicunt causam creatam mere passivè se habere respectu illius. Proinde assertores omnes huius prædeterminationis physicæ dicunt, illã per seipsam essentialem connexionem habere cum nostro consensu, ac proinde, sive ponatur in homine leviter tentato, sive in homine graviter tentato, semper infallibiliter adducere nostram operationem.

§. II.

Quo pacto M. Albelda impugnet illam gratiam prædeterminantem stantam a Recentioribus Thomistis.

998 ILLAM Verò sententiam impugnat primò hic Author n. 10. ex eo, quòd gratia præveniens intrinsece inhærens, quę in vno leviter tẽrato est efficax, non oportet quod sit efficax in alio quocumque quantumvis graviter tentato. Id autem probat ex verbis Apostoli 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, vt possitis sustinere.* Nam Apostolus ibi intendit commendare Dei misericordiam ex eo quod si crescerat tentatio, debeat etiam crescere divinum auditorium, vt possimus resistere tẽtationi: quia aperte intendit denotare, quod qui maiori tẽratur tẽtatione, maiori indiget divino adiutorio vt possit illam vincere, seu vt vincat: loquitur enim de possibilitate consequenti, quæ de facto reducitur ad actum, vt patet ex contextu: igitur non est verum dicere quod gratia præveniens intrinseca, quæ est efficax in vno levi tentatione tentato, erit etiam efficax in alio gravissima tentatione tentato: inquit enim D. Thomas ibidem lect. 3. *Posset Diabolus si permitteretur, tentare nos supra id, quod possumus.*

Secundò impugnat illam sententiam, „ quia ex illa sequitur, auxilium efficax esse „ talis naturæ, vt voluntas nostra non possit „ illud abijcere, non solum possibilitate se„ quenti, verum etiam possibilitate antece„ denti, seu, quod idem est, non solum in „ sensu composito, verum etiam neque in sen„ su diviso, quod est contra Trident. sess. 6. „ cap. 5. & Can. 4. Sequelam probat: quia „ auxilium efficax per se est talis virtutis „ & efficaciæ, vt in quocumque subiecto, in „ quacumque occasione ponatur, etiam vrgen„ tibus gravissimis tentationibus semper ha„ bet effectum: quia est talis virtutis & effi„ caciæ vt superet, vel saltem adæquet toram „ resistentiam, quam absolutè ei facere potest „ voluntas creata: ergo omnino necessitat il„ lam necessitate absoluta, & antecedenti, quę „ est necessitas causę omnino determinatæ ad „ vnum, absque eo quod maneat in ea potestas „ proxima ad oppositum.

Tertiò impugnat, quia ex illa sententia sequeretur, quod quantumcumque cresceret tentatio, non indigeret homo orare Deum, *vt faceret cum tentatione proventum*, id est, vt maiorem gratiam conferret; siquidem iuxta illam sententiam eadem gratia, quæ est efficax ad vincendam levem tentationem, est etiam efficax ad vincendam gravissimam.

Quartò, quia ex illa sequeretur; non magis posse in Domino gloriari hominem qui maiorem vicit tentationem, quam qui vicit minorem, nec proinde maiores gratias debere Deo agere pro victoria gravissimę tentationis quam pro victoria levissimæ; siquidẽ eadem gratia auxilians necessaria fuit ad victoriã vtriusque; neque fieri potuisset vt vinceret levissimam tentationem, nisi gratia prædeterminante adiuvaretur; neque fieri potuisset vt non vinceret gravissimam, si eadem gratia prædeterminante muniretur.

Quintò, quia ad eliciendum actum intensum charitatis vt octo maius auxilium gratiæ prævenientis requiritur, quam ad eliciendum actum remissum. Id autem esset falsum; si auxilium efficax consisteret in prædeterminatione; nam cum eadem prædeterminatione, cum qua elicitur actus remissus, eliceretur actus intensissimus, si ad illum actum intensissimum Deus immitteret eandem prædeterminationem.

999 Præterea num. 16. eandem sententiam de gratia prædeterminãte impugnat, quatenus asserit gratiam efficacem prę venien-

tem inhærentem nobis differre ab inefficaci in eo, quod illa eſt vltimum complementum potentiæ, non verò iſta. Impugnat, inquam, quia aliàs ille, qui habet gratiam prævenientem inefficacem, ſeu ſolum ſufficientem, non haberet poteſtatem proximam, & expeditam ad conſentiendum Deo vocanti; ac proinde non haberet libertatem quantum ad vſum, quia huiuſmodi libertas requirit intrinſecam indifferentiam proximam, & expeditam ad vtrumlibet. Sequelam probat, quia vltimum illud complementum potentiæ activæ eo modo quo aſſeritur ab illis Recentioribus Thomiſtis, prærequiritur ad conſentiendum Deo vocanti non ſolum neceſsitate ſequenti, quia ſine illo nunquam voluntas conſentit, ſed etiã neceſsitate antecedenti; quia ſine illo non poteſt proximè conſentire; quia vt aiunt, in illo vltimo complemento potentiæ activæ conſiſtit eſſentialis ſubordinatio cauſæ ſecundæ reſpectu primæ in agendo: at ſine eiuſmodi ſubordinatione cauſa ſecunda, non ſolum non agit, ſed neque agere poteſt: quia vt inquit D. Thomas quæſt. 3. de Potentia art. 7. „ ad 1. & ad 8. cauſa ſecunda licet ſit in actu „ primo in ſuo ordine, ſine eiuſmodi motione Dei, non tamen eſt in actu primo per „ reſpectum ad cauſas ſuperiores, à quibus „ pendet in agendo. Vnde ſicut ſi Babiloni„ cus ignis eſſet agens liberum præcepti ca„ pax, & haberet præceptum igniendi pue„ ros, non potuiſſet illi imputari, quod illos „ non combuſerit, Deo ſubtrahẽte ſuum con„ curſum: ita ſimiliter non poſſet imputari „ voluntati, ſi defuiſſet illi omnino concur„ ſus Dei prævius, in quo conſiſtit eſſentia„ lis eius ſubordinatio in agendo reſpectu „ cauſæ primæ. *Quare indubiè* (ſubdit Albelda num. 16.) *tenendum eſſe cenſeo, Voluntatem creatam ſolum ſufficienter adiutam a Deo habere Vltimum complementum potentiæ activæ, & concurſum prævium Dei, in quo conſiſtit eſſentialis ſubordinatio cauſæ ſecundæ in agendo in ordine ſuo, nempe potentiæ proximæ operativæ. Quod ideo dixerim, quia præter eiuſmodi concurſum prævium, requirit etiam concurſum concomitantem, de quo tamen in præſenti non eſt difficultas.* Hæc ille.

1000 Qui ſtatim num. 17. adducit reſponſionem quandam, quam aliqui ex aſſertoribus gratiæ prædeterminantis adhibent præfato argumento; videlicet, rectè imputari ei, qui ſolum habet auxilium ſufficiens, quod Spiritui Sancto vocanti non conſenſerit, quia licet ei defuerit vltimum illud complementum proximum, tamen in eius libera poteſtate poſitum erat, illud obtinere, quia dicunt, illud dari nobis à Deo dependenter in genere cauſæ diſpoſitivæ à noſtro conſenſu; licet enim noſter conſenſus in genere cauſæ efficientis ſit effectus auxilij efficacis prævenientis, tamen in genere cauſæ diſpoſitivæ antecedit ipſummet auxilium efficax prævenies, quia dicunt, datur nobis à Deo dependenter ab eiuſmodi diſpoſitione: nam Deus ex ſe paratus eſt efficaciter adiuvare omnes, vnde ſi non adiuvat, ideo eſt, quia ipſi nolunt.

In hanc autem evaſionẽ acriter invehitur Albelda, eamque validè impugnat ex doctrina S. Auguſtini, & S. Thomæ. Nam S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 32. ex profeſſo illam refutat ex verbis Apoſtoli ad Rom. 9. *Non eſt Volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*; inquit enim prædicta Apoſtoli verba non poſſe ita intelligi, vt dicatur; *non eſt miſerentis Dei*, ſed volentis eſt hominis: at iuxta prædictam reſponſionem ita eſſet dicendũ; ſiquidem ſpecialis illa Dei miſericordia iuxta illam reſponſionem dicitur dependens à voluntione libera noſtra in genere cauſæ diſpoſitivæ. Vnde etiam dicendum eſſet, fruſtra Deũ miſereri, niſi nos velimus, quod tamen damnat ipſemet Auguſt. lib. 1. ad Simpl. quæſt. 22. verbi exſcriptis ſectione præcedenti nu. 973. Impugnat etiam ex Doctrina D. Thomæ, qui 1. p. quæſt. 23. art. 5. reprobat ſententiam eorum qui dixerunt, merita ſequentia prædeſtinationis effectum eſſe rationem prædeſtinationis; quaſi ideo Deus decreverit dare gratiam alicui, quia præſcivit eum benè vſurum gratiâ, ita vt vſus gratiæ præſcitus ſit diſpoſitio ad gratiam, & non mera cauſa finalis ad quam ordinatur collatio gratiæ. *Si* enim admittatur illa mutua dependentia, dici poſſet, actum meritorium eſſe effectum collationis gratiæ, & ſimul diſpoſitionem ad illam, ac proinde Deum ideo decreviſſe dare gratiam, quia prævidens bonum vſum futurum illius, ab illo tanquam à diſpoſitione motus eſt ad conferendam gratiam.

1001 Ex his conſtat concurſum prævium, quo Deus vt Author generalis concurrit cum cauſis liberis, non eſſe prædeterminantem, & ex ſe connexum cum conſenſu noſtro libero, iuxta M. Albeldam, ſed eſſe indifferentem vt coniungatur cum diſſenſu; & hunc dumtaxat cõcurſum prævium Deum habere ad actum peccati probat latè contra M. Alvarez hic Author diſp. 59. & ibi num. 13. ait, hanc eſſe expreſſam ſententiam D. Thomæ 1. 2. quæſt. 9. art. 6. ad 3. vbi ſic ait: *Deus movet Voluntatem hominis ſicut Vniverſalis motor ad Vniverſale obiectum Voluntatis, quod eſt bonum. Et ſine hac Vniverſali motione homo non poteſt aliquid velle; ſed homo*

homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum, sed interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam. Consulantur quæ scripsi de hoc puncto tom. 1. disp. 11. sect. 10.

§. III.

Quomodo propriam sententiam explicet M. Albelda, & in quo collocet gratiam efficacem: & quomodo explicet congruitatem vocationis.

1002 HIC Author ea disp. 58. postquam num. 16. impugnavit sententiam Prædeterminatorum, & protulit verba, quæ ex ipso transcripsimus num. 999. quibus probavit, voluntatem creatam solum sufficienter adiuvari per concursum prævium tanquam per vltimum complementum potentiæ activæ, subiungit, adiuvari efficaciter per specialius aliud adiutorium, *Quod est efficax ex intrinseca maiori virtute ad inclinandã voluntatem hic & nunc. Vltimum namque complementum*, inquit, *quod solum est sufficiens, solum est generale in ordine gratiæ, & non habet tantam intrinsecam virtutem ad inclinandam voluntatem ad consentiendum hic & nunc; habet tamen totam illam, quæ sufficit, & requitur, vt in actu primo sit vltimatè completa, & expedita ad consentiendum Deo vocanti, si velit.*

1003 Hinc num. 23. eiusdem disputationis ait, adiutorium speciale, seu efficax non esse necessarium necessitate antecedenti ad consentiendum Deo vocanti; quia nimirum per adiutorium generale & auxilium sufficiens est voluntas completè potens, & proximè expedita & indifferens ad consentiendum; sed solum esse necessarium necessitate sequenti, *Ita vt sine illo nunquam cooperemur Deo excitanti. Quare vt cooperemur, necessarium est* (inquit) *eiusmodi speciale adiutorium à Deo postulare.*

Quod magis explicat inferius num. 35. his verbis: *Distinguenda est in præsenti materia, & præoculis habenda (nisi hallucinari velimus) duplex illa necessitas, antecedens, & sequens, quam tradit D. Anselmus lib. de concordia cap. 1. atque gratiã efficacem solum necessitate sequenti prærequiri ad consensum nostrum, asserendum est; quia nimirum liberum nostrum arbitrium nunquam consentit Deo vocanti, nisi eiusmodi gratia efficaci præventum. Non autem prærequiritur eiusmodi gratia necessitate antecedenti, quia simpliciter, & absolutè non est impossibile, quod liberum nostrum arbitrium Deo vocanti consentiat, etiam si non sit præventum eiusmodi gratia efficaci: etenim sola gratia sufficienti adiutum habet proximam & expeditam potestatem ad consentiendum, si velit. Hinc verò minimè infertur, gratiam efficacem, in quantum eiusmodi, non esse antecedentem ordine causalitatis consensum nostrum. Non enim ideo dicitur necessaria ad illum solum necessitate sequenti, quia non antecedat illum ordine causalitatis; sed quia non ita antecedit, vt absolutè implicet sine illa elici consensum à voluntate; quamvis sine illa de facto nunquam illum eliciat; & ideo necessaria est illa gratia, vt verificetur, quod in re ponitur nostер consensus; non verò necessaria est, vt voluntas nostra habeat potestatem liberam expeditam ad illum eliciendum si velit. Vnde quamvis gratia ista, vt efficax, sit antecedens consensum nostrum ordine causalitatis requisitæ ad illum in sensu explicato; tamen necessitas hæc non est antecedens, sed sequens: dicitur enim necessarium ad nostrum consensum id, sine quo de facto noster consensus nunquam est, quamvis sine illo liberè, & expeditè posset esse, si voluntas nostra vellet.*

1004 Si autem quæras, in quo hic Author collocet gratiam istam efficacem, quæ non est necessaria necessitate antecedenti, sed solum necessitate sequenti. Respondeo ex ijs, quæ supra adduximus pag. 331. n. 940. hunc Authorem illa disp. 58. num. 43. asserit, *Gratiam actualis auxilij prævenientis requisiti ad consentiendum Deo vocanti, non solum esse sanctam cogitationem, sed etiam & potissimè sanctam affectionem, seu delectationem mandatorum Dei diffusam intrinsecè in cordibus nostris.* Et postea n. 51: *Sanctam hanc affectionem, & delectationẽ non esse illam, quæ naturaliter consequentur ex obiecto proposito voluntati, sed illam, quæ infunditur specialiter ab Spiritu Sancto.*

Si autem quæras, an ex mente huius Authoris gratia hæc consistens in ijs actibus vitalibus sit per se & intrinsecè efficax; respondeo, illam habere efficaciam respectivam per ordinem ad dispositionem subiecti, ita vt eadem vocatio & inspiratio, quæ per se non est efficax in subiecto gravissime tentato ad oppositum, sit efficax in subiecto affecto minori tentatione. Quare hic Author efficaciam gratiæ ponit respectivam, sicut posuit Doctor Complutensis & antea posuerat Iansenius, vt

vidi-

vidimus ſect. XII. §. 3. num. 901. Notat autem hic author illa diſp. 58. num. 13. ex hac ſententia non ſequi, *quod efficacia auxilij nõ ſit phyſica ſecundùm intrinſecam virtutem & perfectionem.* Quod explicat exemplo: „Quia ſicut efficacia caloris vt quatuor ad „expellendam frigiditatem vt duo, phyſi„ca eſt, & intrinſeca; non tamen inde ſe„quitur, quòd calor, vt quatuor, ſit efficax ad „expellendam frigiditatem, vt octo. Sic in „noſtro propoſito, inquit, auxilium eſt effi„cax v.g. ad vincendam reſiſtentiam vt qua„tuor in materia talis virtutis, & ad eiuſmo„di reſiſtentiam vincendam habet phyſicam, „& intrinſecam virtutem, in quocumque ſub„iecto talis reſiſtentia reperiatur: tamen in„de non ſequitur, quòd illudmet debeat eſſe „efficax ad vincendam reſiſtentiam vt centũ; „ſed tunc debet dari à Deo aliud fortius, & „efficacius intra materiam eiuſdem virtutis, „circa quam verſatur tentatio. Et hoc eſt fa„cere cum tentatione proventum, & etiã eſt „dare auxilium congruum, & contemperatum „cum ſubiecto: hæc enim eſt contemperies, „& congruentia, cuius ſæpe meminit Augu„ſtinus non ſolùm lib. 1. ad Simpl. q. 2. ſed „etiam in libris de Prædeſt. Sanct. & Bono „perſev. & D. Thom. Ioan. 6. in illa verba: *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.*

1005 Vnde Albelda diverſimodè explicat congruentiam vocationis, ac explicatur ab Schola Societatis. nam in noſtra ſententia congruitas vocationis deſumitur à ſcientia conditionata, ſeu Media, per quam Deus videt, voluntatem noſtram conſenſuram tali vocationi, ſi illa pulſetur: vnde quamvis vocatio congrua ſit infallibiliter connexa cum noſtro conſenſu, hæc infallibilitas non eſt antecedens, ſed conſequens, ac proinde impedibilis à noſtra voluntate; quæ ſicut poteſt diſſentire entitati vocationis congruæ vt prævenienti conſenſum, & moventi ad illum, ita poteſt impedire ſcientiam mediam, & facere ne illa vocatio ſit congrua. Et quamvis ex ſuppoſitione quòd voluntas prævenìatur vocatione cõgruâ, ſit neceſſe quod conſentiat; hæc neceſsitas nõ opponitur libertati, quia eſt neceſsitas conſequens, ſupponens vſum libertatis prævìſum per ſcientiam mediam, perindeque eſt, eſſe neceſſariam, quòd voluntas conſentiat ex ſuppoſitione quòd tangatur vocatione congruâ, ac eſſe neceſſariam quòd conſentiat ex ſuppoſitione quod conſentit: quæ eſt neceſsitas deſcendens ab ipſo arbitrio, ac proinde minimè officiens libertati. At iuxta Albeldam, *congruentia illa* (inquit ipſe num. 15.) *& contemperies omninò antecedit conſenſum noſtrum in ratione cauſæ illius, neque ad illã cognoſcendam indiget Deus ſcientia conditionata media, ſed vel conditionata omninò neceſſaria, & omnino antecedente conſenſum noſtrum, vel certè (& hoc melius) ſolùm indiget ſcientia ſua omnino naturali abſoluta, qua cognoſcit auxilia gratiæ, quæ à ſua omnipotentia procedere poſſunt, & inter illa cognoſcit quòd tale auxilium B efficax eſt ex intrinſeca ſua virtute ad vincendam in quocumque ſubiecto tantam tentationem. Quare eiuſmodi ſcientia præſuppoſita, certò novit, Petrum tali tentatione & non maiori tentatum, futurum eſſe victorem dãdo ei auxilium B intrinſecum.*

1006 Hinc colligit hic author, quòd „ex temperie talis ſubiecti, & ex loco & tem„pore poteſt quidem accidere, quòd tentatio „ſit maior vel minor in iſto ſubiecto, quàm „in alio; tamen quòd gratia auxilians ſit ma„ior vel minor non deſumitur ex illa contẽ„perie, vel ex loco aut tempore. Quare ad „augendam vel minuendam tentationem poſ„ſunt, inquit, illa pertinere, ac ſubinde ad „hoc quod illud ſubiectum maiori vel mino„ri auxilio intrinſeco indigeat, quia ex illo „capite tentatio eſt gravior, vel levior: *Si „tamen omnibus penſatis æqualis ſit, tunc „dicendum eſt, quòd auxilium, quod eſt ef„ficax in vno, in quocumque alio erit effi„cax.*

Conſequenter ad hæc num. 18. aſſerit, *neceſſum eſſe dicere, quòd gratia prævemens, auxilias, intrinſecè inhærens, ſit maior, & perfectior intrinſecè in illo, qui vincit tentationem, quàm in illo, qui in illa ſuperatur, ſi ambo ſint æqualiter tentati.* Hęc eſt ſententia huius authoris fideliter relata ipſius verbis; quæ multa continet non ſolùm falſa, ſed parum inter ſe cohęrentia; & non minùs difficile eſt componere libertatem indifferentrię cum hac gratia, quàm cum gratia prędeterminante.

§. IV.

Primum caput impugnandi ſententiam Albeldæ, quia argumentum, quo ille probat gratiam prædeterminantem evertere libertatem, militat quoque contra ipſum.

1007 VT Vidimus num. 998. iſte author ſecundo loco inde impugnat gratiam prædeterminantem, quia illam abijcere non poſſumus, eive diſſentire, & reſiſtere, contra id, quod definitum eſt in Tridentino. At hæc ratio militat etiam in gratia efficaci poſita ab hoc authore in cogi-

tatio-

tatione, & affectione, atque ſuavitate infuſa ab Spiritu Sancto, quando ponitur in ſubiecto tali tentatione tentato, cuius ſcilicet pondus ſit minùs, quàm pondus talis gratiæ. Nam licèt hæc gratia poſsit poni in ſubiecto, in quo non ſit efficax, & concurrere cum tentatione tam vehementi, vt infallibile ſit, quòd homo ſic tentatus vincendus ſit à tali tentatione niſi Deus ſuperaddat maius auxilium, & faciat cũ tentatione præventum: tamen dum hæc gratia concurrit cum tentatione minori, ad quam vincendam habet ex ſe vim intrinſecam, non poteſt homo ſic tentatus abijcere hãc gratiam, eique diſſentire; quia in homine ſic tentato gratia illa habet eſſentialem cõnexionem cum conſenſu; & contingere non poteſt, vt homo tentatus tentatione *vt duo*, habeat gratiam prævenientem *vt quatuor*, quæ relatè ad omne ſubiectum tali tentatione affectum eſt intrinſecè efficax, diſſenſum coniungat cum entitate illius gratiæ. Solumque datur differentia, quòd phyſica prædeterminatio cum omni ſubiecto, & relatè ad quamcumque tentationẽ, ſit gratia intrinſecè efficax, non eſt poſsibilis eventus, in quo aliquod arbitrium ei reſiſtat: at verò gratia illa vitalis reſpectiva, cùm non ſit efficax relatè ad quamcumque tentationem, ſed ad talem tentationem in tali gradu ſumptam, poteſt contingere vt arbitrium ei diſſentiat, illamque abijciat. Hoc autem ſolùm probat quòd non tollit libertatem ad diſſentiendum ſub quacumque tentatione. Non autem probat, quòd illam non tollat, quando concurrit cum tentatione minore, relatè ad quam eſt efficax: nam in tali ſubiecto ſic tentato nõ minorem connexionem habet, neque minùs antecedentem cum cõſenſu, quam habeat phyſica prædeterminatio.

1008 Vnde ſic arguo. Hæc gratia vitalis per ſe in hoc ſubiecto tentato *vt duo*, habet connexionem eſſentialem cum conſenſu, & Deus per ſcientiam neceſſariam cognoſcit quòd auxilium *B*, ſi conferatur homini ſic tentato, infallibiliter obtinebit conſenſum: & illa connexio eſt omnino antecedens conſenſum, & independens ab illo: ergo ſuppoſitio illius gratiæ tollit libertatem ad diſſentiẽdum: quia neque voluntas noſtra poteſt facere, ne ſibi conferatur illa gratia efficax, cùm hæc ſit ſuppoſitio omninò antecedens à ſola Dei voluntate dependens, & reſpectu cuius arbitrium noſtrum ſe habet merè paſsivè: neque poteſt facere vt ad illam ſemel exiſtentem nõ ſequatur conſenſus: cùm implicet contradictionem, illam gratiam eſſe in tali ſubiecto tentato ſolùm *vt duo*, & tamen non obtinere conſenſum: ergo ſuppoſitio illius gratiæ tollit libertatem. Et ſanè hic militant omnia argumenta, quæ fiunt contra prædeterminationem; cùm illa gratia ſit ſuppoſitio antecedens nõ minùs quàm prædeterminatio; & in hoc ſubiecto exiſtenti ſub tali tentatione non minùs connexa eſt cum conſenſu, quàm ſit cum illo connexa prædeterminatio ex ſe: nec minùs intrinſeca eſt vna quàm alia; nec magis impedibilis vna quàm alia. Ergo vel vtraque vel neutra tollit libertatem. At per te prædeterminatio phyſica illam tollit: ergo & illa gratia efficax à te ſtabilita eam tollit.

§. V.

Secundum caput impugnandi illam ſententiam, quatenus dicit, ſimpliciter & abſolutè non eſſe impoſsibile, quòd liberum arbitrium Deo vocanti conſentiat etiamſi non ſit præventum gratia efficaci.

1009 ID Expreſsè ſic affirmare, conſtat ex eius verbis adductis num. 1003. cùm enim iuxta ipſum per auxilium ſufficiens conſtituatur arbitrium noſtrũ proximè potens & expeditum ad operandum, non implicat; vt cum ſolo illo auxilio ſufficienti operetur; quia nõ implicat vt potentia proximè expedita ad actum, coniungatur immediatè cũ illo. Aliunde verò cum ipſe dicat, gratiam efficacem quatenus prevenientem, eſſe entitativè diſtinctam à ſufficienti; neceſſariò infertur, ex eius ſententia nõ implicare, quòd quis ſalutariter operetur ſine gratia efficaci. At hoc omninò eſt abſurdum: vt enim oſtendimus ſuprà pag. 324. à n. 924. ex Scripturis & Patribus gratia efficax eſt eſſentialiter requiſita, vt quis ſalutariter operetur: implicat enim, vt homo ſalutariter operetur, quin Deus faciat vt homo ſic operetur: gratia autẽ efficax eſt illa, per quã Deus facit vt faciamus, & in præceptis eius ambulemus. & ſicut implicat, quòd quis ſalutem æternam conſequatur, quin ad illam conſequendam fuerit à Deo electus; ita implicat, vt ſalutariter operetur, quin fuerit à Deo efficaciter motus ad ita operandum; gratia namque efficax eſt illa, cum qua homo de facto operatur, & non eſt efficax in actu ſecundo ſine cooperatione liberi arbitrij. Vnde Auguſtinus lib. 2. contra litteras Pitiliani cap. 84. meritò aiebat: *Quomodo attrahit Pater ad Filium, ſi dimittit, vt quis quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verum eſt; ſed intellectu percipere pauci valent.* Et S. Thomas lect. 1. in caput 15. 1. Corinth. ad illa verba Apoſtoli, *Gratia eius in me vacua non fuit*, inquit: *Gratia D. Pauli in ipſo nõ fuit vacua, quia ea vſus eſt ad eum, ad quæ data eſt.*

Ter-

§. VI.

Tertium caput impugnandi eandem sententiam, quia non stat gratiam prævenientem efficacem esse entitativè distinctam à gratia sufficienti; & tamen absolutè possibile esse, quòd quis operetur cum sola hac, & sine efficaci.

1010 EX Hoc capite argumentor; quia iuxta hunc authorem licèt gratia efficax non sit necessaria ad posse operari, est tamen necessaria ad actualiter operari; nam vt vidimus ex eius verbis n. 1006. necessarium est, quòd gratia intrinsecè inhærens sit entitativè maior & robustior in eo, qui æquè tentatus ac alius, resistit tentationi, cui alter succumbit. Si autem ad actualem operationem non esset necessaria gratia præveniens entitativè distincta à sufficienti constituente potentiam proximam ad vtrumque, non esset necessarium, quòd gratia præveniēs confortans ad vincendam tentationem esset entitativè maior in eo, qui vincit tentationē, quàm in eo, qui à tentatione vincitur. quia ex duobus habentibus omnia prærequisita ad operandum, & præditis eadem indifferentia, contingens est, vt vnus operetur, non operante altero. Nequit enim esse necessarium, vt vbi sunt multa agentia libera æquè disposita & indifferentia ad vtrumlibet operentur vniformiter, & suam libertatem exerceant versus idem extremum; sed potiùs videtur moraliter necessarium vt operetur difformiter.

Quarè ex sententia asserente gratiam efficacem esse entitativè distinctam à gratia sufficienti, necessariò colligitur, eum, qui caret gratia efficaci, non esse proximè expeditum ad operandum; quia qui non habet actù neque sub sua potestate aliquid prærequisitum ad existentiam effectus, non habet in sua potestate effectum; vt probavimus pag. 224. toto §. 39.

§. VII.

Quartum caput eandem impugnandi ex eo quòd hic author asserat, gratiam efficacem licèt omnino antecedat ordine causalitatis consensum, tamen non esse necessariam ad consensum necessitate antecedenti, *sed tantùm* necessitate consequenti.

1011 QVOD Hoc asserat constat ex verbis eius adductis n. 1003. Hanc autem doctrinam falsam esse, & non satis sibi constare; facilè suadetur; quia illa distinctio necessitatis antecedentis, & consequentis desumpta ex Anselmo, non salvatur, nisi quatenus necessitas consequens est illa, quam voluntas ipsa facit, seu quæ descendit ex fonte liberi arbitrij, quæ ideo non opponitur libertati, quia illam supponit: vt enim inquit ipse Anselmus libro 2. *Cur Deus homo* cap. 18. *Est necessitas præcedens, quæ causa est, vt res sit; & est necessitas sequens, quam res facit.* Cùm ergo gratia efficax præveniens & antecedens consensum quatenus efficax, causa sit, cur consensus noster sit, & noster consensus non sit causa, cur existat illa gratia; sanè necessitas proveniens ab illa gratia antecedenter efficaci non est necessitas sequens, sed necessitas antecedens. Sed inquit illam solùm esse necessariam necessitate consequenti, quia sine illa consensus nunquam fiet; quamvis sine illa possit fieri. At vnde constare poterit Deo, nunquam futurum consensum liberum sine illa gratia efficaci, si semel illa non sit essentialiter prærequisita ad cōsensum? siquidem si absque illa gratia voluntas potest esse proximè expedita & vltimo cōpleta ad consensum, contingere poterit, vt sine illa consentiat. Ergo Deus non poterit esse certus, quod nunquam consentiet voluntas cum sola entitate auxilij prævenientis constituentis actum primum; Nam hic author negat scientiam conditionatam mediam futurorum contingentium. Quare impossibile est, vt Deus carens sciētia media, sit certus, quod voluntas nunquam consentiet cum sola entitate auxilij constituentis actum primum proximum ad vtrumque, nisi auxilium illud robustius, sine quo nunquam voluntas consentit, sit essentialiter prærequisitum vt voluntas tranſeat de actu primo ad actum secundum. Si autem illud novum auxilium sit prærequisitum, voluntas pro priori ad illud non erit proximè potens operari, quia pro illo priori nec habet actu, neque sub sua potestate aliquid prærequisitum ad operationem: non est autem proximè potens operari ille, qui nec habet actu, neque sub sua potestate aliquid necessariò prærequisitum ad exercitium sui actus.

1012 Vt argumentum vrgeam; summò voluntatem sub auxilio sufficienti, vi cuius constituatur in æquilibrio ad vtrumque, & non minùs sit inclinata per gratiam sufficientem ab bonum honestum, quam per concupiscentiam appetitus ad bonum delectabile turpe, inquiro iam, an sit contingens, quòd voluntas cum illo solo auxilio consentiat, an non. si non est contingens, quòd convertatur cum illo solo auxilio; ergo est necessarium quòd non convertatur, nisi superaddatur novum auxilium. Ergo istud novum auxilium est

præ-

prærequisitum vt de actu primo proximo expedito ad vtrumque tranſeat ad actum ſecundum determinatum: ergo non ſolùm eſt verũ, quòd ſine illo novo auxilio nunquam operabitur; ſed etiam quòd nunquam ſine illo erit abſolutè potens operari. ſi autem eſt contingens, quòd voluntas conſtituta in æquilibrio cum aliquo auxilio ſufficienti, eligat bonum honeſtum ſine novo auxilio: non poterit Deus ſcire, quod nunquam voluntas conſentiet ſine novo & robuſtiori auxilio. Ergo chymærica eſt illa gratia efficax diſtincta adæquatè à ſufficienti conſtituente hominem in æquilibrio ad vtrumque, ſi illa gratia efficax talis eſt, vt ſine illa nunquam contingat operari.

1013 Confirmatur, quia verificari nequit, voluntatem noſtram nunquam operaturam ſalutariter, ſi relinquatur cum ſolo auxilio ſufficienti, vi cuius conſtituatur indifferens proximè ad vtrumque, & completa in actu primo, & niſi ſuperaddatur novum & robuſtius auxilium entitativè diſtinctum à primo: Non poteſt, inquam, hoc verificari, niſi auxilium illud ſufficiens ſit adeò debile, & inclinatio in malum ſit adeò vehemens, vt quicumque prudens conſiderans voluntatem præditam illo auxilio debiliter inclinante ad bonum, & pulſatam tentatione vehementer inclinante ad oppoſitum, dicere poſsit: voluntas hæc ſi relinquatur cum hoc ſolo auxilio ſub tanta tentatione, ſuccumbet tentationi, & nõ eliciet actum ſalutarem: ſi enim attento actu primo, hoc non poſsit dicere prudens quiſque, non poterit eſſe verum, quod nunquam operabitur voluntas cum illo auxilio conſtituente actum primum, niſi ſuperaddatur novum aliud auxilium robuſtius. At certum eſt, quòd voluntas noſtra non conſtituatur ſemper in actu primo proximè potens obſervare præceptum per eiuſmodi auxilium adeò debile: ergo certum eſt, non eſſe verum, quod nunquam operabitur voluntas, ſi relinquatur cum auxilio illo, vi cuius conſtituitur proximè indifferens ad vtrumque, & completa cum omnibus prærequiſitis ex parte actus primi ad operandum. Conſtant cætera, probatur minor: quia ſæpe homines peccant, & tranſgrediuntur præcepta, quin ad peccandum inducantur graviſsima tentatione, quæ ſuo pondere ita inclinet ad peccandum, vt reddat moraliter certam ruinam: ſed potiùs ſæpè peccant, cùm ſunt præventi auxilijs, cum quibus, ſi vellent, poſſent facilè obſervare præceptum, ſicut peccavit primus homo, & peccarunt Angeli, quin ante peccatum habuerint tentationem moraliter neceſsitantem ad peccandum; ſiquidem potius ante omne peccatum habuerunt perfectum æquilibrium ad bonum: neque enim è manibus Dei prodierunt cum maiori inclinatione ad malum, quàm ad bonum. Ergo eſt apertè falſum, quòd attentis præcisè auxilijs, quibus homines conſtituuntur completi in actu primo proximo ad obſervandum præceptum, & cum plena & proxima indifferentia ad vtrumque, ſit certum, quòd non obſervabunt præceptum, niſi pro poſteriori ad actum primum ſuperveniat novum & robuſtius auxilium antecedens omnino conſenſum, vi cuius Deus faciat vt conſentiant Deo vocanti. Ergo falſiſsimum eſt, quòd gratia efficax, quatenus efficax, ſit omnino antecedens conſenſum, & entitativè diſtincta ab illa, per quam homo conſtituitur in actu primo proximo potens elicere actum ſalutarem.

1014 Quare tunc ſolùm erit verum, quod nunquam operabitur voluntas, ſi relinquatur cum ſola entitate auxilij, vi cuius conſtituitur abſolutè potens operari; quando tentatio inclinans ad tranſgrediendum præceptum eſt adeo vehemens, & auxilium conſtituens actum primum eſt adeo debile, vt Deus per ſcientiam mediam videat, hominem pulſatum graviſsima illa tentatione, nunquam ſuperaturum illam, ſi relinquatur cum illo auxilio debili, & niſi ſuperaddatur novum auxilium, vi cuius minuatur pondus tentationis. Tunc autem quamvis novum illud auxilium non ſit neceſſarium vt voluntas habeat poteſtatem phyſicam antecedentem ad vincendam tentationem, eſt tamen neceſſarium, vt habeat potentiam moralem, & facilè coniungibilem cum victoria tentationis, & quæ fundet prudentem ſpem victoriæ: & novum illud auxilium eſt neceſſarium non ſolùm ad actualiter operari, quatenus ſine illo nunquam operabitur, licèt abſolutè poſsit; ſed eſt neceſſarium ad poſſe morale, promptum & expeditum, & fundans ſpem victoriæ. Vniverſaliter autem non eſt verum, quòd attenta entitate auxilij, vi cuius homo conſtituitur proximè potens obſervare præceptum nunquam ſit operaturus, niſi ſuperaddatur novum auxilium antecedens conſenſum. Nam ſæpe Deus primo confert potentiam ad obſervandum præceptum per auxilium ita confortans potentiam, vt immediatè coniungatur cum conſenſu ſalutari ſine nova entitate auxilij antecedente conſenſum; vt abundè probatum eſt ſuprà ſect. XII. §. X. à pag. 324. ad 328.

1015 Vnde tunc ſolùm aliquod auxilium ſpeciale gratiæ dicitur neceſſarium neceſsitate conſequenti, non autem neceſſarium neceſsitate antecedenti, ad vincendas tentationes, & ſalutariter operandum, quando ſeclu ſo illo auxilio ſpeciali, & relicta voluntate cum ſolo auxilio quod debetur ex vi providẽ-

tiæ

tiæ communis, eſt moraliter certum quòd voluntas non operabitur, vel ob vehementiam tentationis inclinantis in contrarium, vel ob naturalem inconſtantiam, & flexibilitatẽ, quę niſi ſpeciali auxilio in officio contineatur, nũquam operabitur bonum illud.

Pro cuius intelligentia, notandum eſt primò neceſsitatem moralem peccandi duplicem eſſe; aliam fundatam in vehementia tentationis inclinantis ad peccandum, aliam fundatam in nativa inconſtantia voluntatis indifferentis, quæ potens variè operari, nequit facilè eundem tenorem operandi dudùm ſervare, præſertim in ijs, quæ eius inclinationi adverſantur. Notandum eſt ſecundò, moralem vtramque neceſsitatem eſſe duplicem; alteram purè antecedentem, alteram antecedentem & conſequentem ſimul. Prima videtur definita à P. Molina in Concordia diſp. 20. illis verbis: *Neceſsitas moralis nihil aliud eſt, quã difficultas tanta, quod res aliqua contingat, vt merito arbitrio prudentis ſpectatis circunſtantijs evenire non poſſe iudicetur.* Secunda nihil aliud eſt, quàm difficultas magna, ſuperabilis quidem viribus voluntatis, nunquam tamen reipſa ſuperanda. Prima appellari poteſt neceſsitas moralis ſecundùm quid; ſecunda neceſsitas moralis ſimpliciter: ſolùm enim dicitur abſolutè & ſimpliciter moraliter impoſsibile illud quod nunquam contingit. Hinc quia ob ingentem difficultatem vitandi omnia venialia longo tempore, nunquam cõtingit ea vitari communibus gratiæ auxilijs, abſolutè dicitur hominem ſine ſpeciali auxilio non poſſe vitare omnia venialia: ſic neceſſarium eſt, vt homo in ſtatu naturæ lapſæ deſtituendus gratia per Chriſtum peccet; quia vires naturales arbitrij per peccatum ita ſunt attenuatæ, & concupiſcentia ita repugnat, vt quãvis homo habeat potentiam phyſicam antecedentem ad reſiſtendum cuilibet gravi tẽrationi, nunquam ſit reipſa ſuperaturus illam tentationem gravem, niſi adiuvetur & conforteture gratia per Chriſtum. Non peccaret enim homo ſuccumbendo tentationi, niſi haberet potentiam phyſicam antecedentem ad reſiſtendum; vt enim arguit Auguſtinus lib. de Nat. & grat. cap. 67. *Quis peccat in eo, quod cauere nullo modo poteſt? Peccatur autem: cauere igitur poteſt.*

1016 His ſuppoſitis, manifeſtum eſt, non eſſe moraliter neceſſarium, vt ſuppoſita gratia ſufficienti conſtituente actum primum proximum ad vtrumque, nullus hominum rectè operetur, niſi præter gratiam conſtituentẽ actum primum proximum ſuperaddatur alia nova gratia auxilians antecedens conſenſum: cùm manifeſtum ſit, pluribus hominibus dari à Deo auxilia ſufficientia conſtituentia potẽtiam ita expeditam ad obſervandum præceptum, vt non minùs facile ſit ipſis obſervare præceptum, quàm tranſgredi. Quanquam autem ea auxilia ſufficientia maiora & robuſtiora ſunt, quàm deberentur ex vi ſolius providentiæ communis, nam huic providentiæ ſatisfaceret ſæpe Deus conferendo auxilia ſufficientia debiliora, quæ componerentur cum multo maiori propenſione & inclinatione ad obiectum delectabile turpe; tamen veriſsimum eſt, Deum de facto primò tangere cor hominis per gratiam dantem non ſolùm poſſe, ſed poſſe valdè propenſum ad exercitium honeſtum. Vnde eſt apertè falſum, quòd in præſenti providentia gratia efficax prẽveniens ſit entitativè diſtincta à gratia ſufficienti; & quod hæc nova gratia ſuperaddita entitati gratiæ ſufficientis, & antecedens conſenſum, ſit ita neceſſaria ad conſenſum, vt ſine illa nunquam contingat hominem conſentire Deo vocanti: ſic enim ad ſalutariter operandum eſſet neceſſaria duplex vocatio ſupernaturalis, & duplex complacentia neceſſaria, altera dans ſimpliciter poſſe, & conſtituens actum primum proximum; altera ſupponens ſimpliciter poſſe, & faciens vt illud poſſe reducatur ad actũ; quod tamen eſſe falſum conſtabit ſtatim.

§. VIII.

Vltimum caput impugnandi ſententiã Albeldæ, quia cùm ille conſtituat gratiam efficacem in illuſtratione intellectus, & ſuauitate voluntatis: hoc ipſo, ad quemlibet actum ſalutarem eliciendum erit neceſſaria duplex vocatio, & duplex delectatio, altera dãs actum primum, altera ſuppoſito actu primo dans actum ſecundum.

1017 SEQVELA Probatur: nam vt conſtat ex dictis ſect. XII. §. X. à pag. 324. vocatio conſtituit actũ primum proximum ad ſalutariter operandum: nam natura ſine gratia non eſt ſimpliciter & abſolutè potens elicere actum ſalutarem, vt conſtat ex definitione Trident. ſeſs. 6. can. 2. gratia autem auxilians ponitur ab Auguſtino in actibus intellectus & voluntatis, quos Deus in nobis operatur, & per quos facit vt voluntas noſtra eliciat volitionem honeſtam, quâ liberè appetat bonum, & proptereà lib. 2. de Peccat. merit. & remiſs. cap. 19. aiebat: *Quando oramus vt adiuvet nos ad malum vitandum, bonumque faciendũ, nihil aliud petimus, niſi lumen quo illuminentur tenebræ noſtræ; vt aperiat, quod latebat; &*

ſua-

suavitatem, vt suave fiat, quod non delectabat. Et quod per vocationem sanctam, qua Deus facit vt faciamus, concedat nobis potestatem ad sanctam, & honestam voluntatem, patet ex illis verbis eiusdem Augustini supra adductis pag. 323. num. 922. in libro expositionum quarundam propositionum super epistola ad Rom. cap. 61. *Quia neque velle possumus nisi vocemur, ideo verissimum est, miserentis Dei esse quod benè velimus, & operemur.* Patet etiam ex epistola eius 46. ad Valentinum; vbi cum illo eiusque Monachis loquens paulò post initium inquit: *Secundùm hanc piam intelligite, vt neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis vt a gratia separetis, tanquam sine illa vel cogitare aliquid vel agere secundum Deum vlla ratione possimus, quod omnino non possumus. Propter hoc enim Dominus cum de fructu iustitiæ loqueretur, ait discipulis, sine me nihil potestis facere.* Et hæc veritas, quod scilicet sine gratia non possumus cogitare aliquid secundum Deum, fuit ab Ecclesia determinata in Concilio Melivit. Canon. 5. & in Concilio Africano Canon. 8. & in decretis Celestini Canon. 10. vt notat Scholiastes opusculorum D. Augustini de gratia & libero arbitrio impressorum Venetijs an. 1545. in octavo in tribus tomis, tom. 2. fol. 219. ad marginem verborum, quę nunc citavimus ex illa epistola.

1018 Quare cum gratia consistat in vocatione, & sancta cogitatione, & hæc secundum D. Augustinum, & Concilia dei simpliciter posse: fit consequens, vt gratia efficax, quæ secundum M. Albeldam supponit iam gratiam sufficientem dantem posse, & se tenentem ex parte actus primi & necessariam necessitate antecedenti, & est entitative distincta ab illa, & est solum necessaria necessitate consequenti, quatenus sine illa nunquam fiet operatio, quamvis sine illa detur potestas proxima ad salutariter operandum; fit inquam consequens, vt gratia efficax supponat vocationem, & complacentiam necessariam inde resultantem; & cum hæc gratia efficax iuxta Albeldam consistat in vocatione, & sancta delectatione ab Spiritu Sancto infusa, & sit entitative distincta à gratia sufficiẽti, eamque supponẽs; necessario ex hac doctrina infertur, quoties homo salutariter operatur, duplicem intervenire vocationem, & duplicem complacentiam vocationi proportionatam; alterá quæ constituat actum primũ, & sit necessaria necessitati antecedenti; alteram quę supponat actum primum iam constitutum, & sit necessaria solum necessitate consequenti, non quia non antecedat consensum, sed quia non constituit actum proximum ad illum, & non datur vt homo possit operari, sed vt actu operetur, & dicitur necessaria quatenus sine illa non ponetur consensus. Quis autem non videat, hanc multiplicationem vocationum, & complacentiarũ superfluè poni, & esse contra Augustinum, apud quem vocatio illa, quæ dat posse, dat etiam actualem operationem, quãdo operamur; vt evincit testimonium numero præcedenti citatum, & ex ijs quæ dixi sect. 12. §. 10. à pag. 324. Estque per se manifestum, Deum homini peccatori nihil de Deo antea cogitanti posse subito immittere cogitationem sanctam & sanctam inspirationem adeo vividam, vt ei immediate voluntas nostra adiungat consensum liberum, quin necesse sit vt superveniat nova cognitio, seu vocatio. Ergo est aperte falsum, gratiam efficacem consistere in actibus intellectus, & voluntatis iam supponentibus pro priori auxilium plenè sufficiens, & voluntatem proxime expeditam ad operandum.

SECTIO XIV.

Quomodo Doctor Complutensis, re melius inspecta, retracta verit sentiam de cõcupiscentia physicè necessitante ad omnia & singula peccata; & de gratia efficaci necessitante physicè ad consensum ponendum cum libertate.

1019 POSTQVAM Doctor Complutensis an. 1677. die 10. Iulij ad me dedit litteras, quas scripsi supra pag. 314. n. 899. & suam mentem mihi aperuit; ego, qui in curso Theologico an. 1677. ad 1678. tractatum in Schola hac Salmantina dictavi de necessitate gratiæ, & statu purę naturæ, in quo hanc doctrinam vehementer impugnavi, & per epistolas familiares eius ingentem difficultatem Authori aperui, & palam edixi, hanc eius doctrinam invisam fore tum Patribus Dominicanis, tum Iesuitis, & omnibus Catholicorũ Scholis; quia gratia præveniens consistens in illustratione intellectus & complacentia necessaria voluntatis ad actum primum proprie pertinet, illumque constituit; vnde si sit essentialiter connexa cum consensu, constituet actum primum essentialiter connexũ cum actu secundo; quod cum libertate minimè componi potest. Vnde intulit hanc sententiam, non solum reprobatum iri à Iesuitis, qui constanter effirmant gratiam efficacem prævenientem non esse per se efficacem, & essentialiter connexam cum consensu; sed etiam Patribus Dominicanis; qui licet

licet collocent gratiam efficacem in motione prævia prædeterminante, ad libertatem tamen requirunt, quod illuſtratio ſupernaturalis & vocatio atque complacentia, quæ actum ſalutarem præcedunt, & conſtituũt actum primũ, non ſint connexæ cum actu ſecundo; quia verè dicunt, ad libertatem requiri quod actus primus proximus ſit indifferens ad vtrumque. Addidique hanc ſententiam ſolis Ianſeniſtis placituram; quia quamvis illuſtriſsimus Author Catholicè affirmet, voluntatem noſtram operari cum libertate indifferentiæ, quod Ianſenius negavit; tamen convenit cum Ianſenio in adſtruenda delectatione victrici eſſentialiter cõnexa cum conſenſu, vnde Ianſenius cum bona Logica, ſed cum peſsima Theologia intulit voluntatem operari ſine libertate à neceſsitate, & cum ſola libertate à coactione, ipſe verò cum ſana Theologia, ſed mala Logica intulit, voluntatem noſtrã per gratiam efficacem neceſsitari phyſicè ad operandum libere: qui ſunt termini repugnantes. Forſam ſincera hæc mei iudicij de doctrina illa ſignificatio & expreſsio Authori huic non multum placuit; & ideo poſt litteras de hac ſua ſententia ad me datas Matriti die 24. Iulij eiuſdẽ anni 1677. non amplius per aliquot annos ad me ſcripſit.

1020 Poſtea autem ad finem anni 1680. cum hunc tractatum in lucem edere decreviſſem, licentiam ab hoc Illuſtriſsimo Doctore per epiſtolam datam Salmanticæ die 25. Decembris an. 1680. poſtulavi, vt hanc eius peculiarem ſententiam publici iuris facerem, illamque pro mea tenuitate proponerem, & impugnarem. Placuit vehementer Authori cogitatio hæc, eamque plurimi fecit, & me ad opere complendum impenſe hortatus eſt per litteras datas Compluti die 15. Ianuarij an. 1681. quas apud me habeo. In quibus pro ſua in me benevolentia, magna quidem modeſtia, & vrbanitate; & maiori, quam par erat de me exiſtimatione, ſic lingua Hiſpana loquitur: *Quando mi trabajo, y eſtudio, no tenga mas logro, que aver merecido que V. Reverendiſsima haga memoria dèl para impugnarle en ſus eſcritos, le doy por bien empleado, y me dexa con grande vfania, pudiendo ſer credito para el Varon mas docto, que Maeſtro tan grande como V. Reverendiſsima, aya querido gaſtar tiempo en impugnar ſus diſcurſos, quanto mas para mi, que ſoy tan nada, y que de todo mi empleo, ſolo puedo ſacar el fruto de la buena intencion, y de no aver dado con ella lugar a la ociosidad.* His litteris animatus ſententiam huius Doctoris propoſui diſputatione quarta huius operis de ſtatu puræ naturæ, quod excudi cæpit ſub initium anni 1681. poſtquam in lucem ediderã primum & tertium tomum Selectarum diſputationum ex vniverſa Theologia Scholaſtica: quanquam varijs occupationibus, & curis alijs præpeditus hoc opus perficere non potuerim vſque modo; quia ad eius complementum aliqua deerant, quæ poſtea elaborare oportuit: & hoc ipſum ſcribo die 30. Ianuarij anni 1686.

Poſtquam hic Author novit me typis mandaſſe explicationem ſuæ ſentẽtiæ eiuſque impugnationes, enixè à me poſtulavit, vt quaterniones continentes has diſputationes de ſtatu puræ naturæ, qui iam eſſent excuſi, ad ipſum tranſmitterem Matritum, tranſmiſi autem ſex priores, nimirum à pag. 1. vſque ad 96. inclusivè. Illos avidè legit, & attente meditatus eſt, & expendit in ſpeciali argumenta, quæ adverſus eius ſententiam conficio diſp. 4. ſect. 3. quatenus adſtruit neceſsitatẽ phyſicam ad omnes, & ſingulos actus peccati: & his ruminatis, ſententiam ſuam hac in parte temperavit, vel mutavit; & ſimiliter mutavit, quod dixerat de gratia efficaci conſiſtente in delectatione victrice, neceſsitante phyſicè ad operandum per modum libertatis opera ſalutaria.

1021 Id ita eſſe Sanctè Obteſtor; Nam eo anno 1681. à Rege Catholico Carolo II. evocatus ſum ad Miſsionem faciendam in Curia Matrit. rempore Quadrageſimę, id procurante excellentiſsimo D. Duce de Medinacelli, Segorbe, & Alcalà, Primi Regis Miniſtro; qui in hunc ſcopum Curſorem cum Regio Decreto miſsit ad hanc Academiam Salmantinam, quo iubebatur, vt per ſubſtitutũ poſſem Cathedram legere, & muneri Profeſſoris Primarij ſatisfacere, quin hæc abſentia iubilationi obſtare poſſet, neque mulctis Academicis cauſam dare. Matriti autem ſæpè mecum egit Doctor iſte, & Epiſcopus Arcadiæ, & mihi iniunxit, vt mentem ſuam exponerem non iuxta ſenſum epiſtolæ, quam tranſcripſi pag. 314. & cuius ſuccum propoſueram in eadem diſp. pag. 57. à num. 1. vſque ad 7. quem ſenſum verba ipſa in propria ſignificatione præferunt, & quem abſdubio Author primo intenderat antequam hæc ſcripta vidiſſet; ſed in alio benigniori, & qui cum libertate indifferentiæ cohæret reipſa.

(*)

§. II.

§. II.

Quomodo denuò Doctor Complutensis exposuerit suam sententiam de concupiscentia & gratia necessitantibus; vt non sit sermo de necessitate antecedenti, sed tantum de consequenti.

1022 IGITVR Doctor ille sic explicuit de novo suam sententiam, vt concupiscentia, secluſa gratia medicinali per Christum collata, necesſitet ad omnia & singula peccata cum libertate ponenda, non quidem necesſitate antecedenti, quæ potentiam physicam antecedentem ad oppoſitum auferat; sed necesſitate conſequenti, quæ potentiam antecedentem relinquat, & ſolum dicitatur necesſitare, quatenus ita concupiſcentia ad bona temporalia deprimit, & inclinat arbitrium, & ita ad quærendam delectationem terrenam trahit, vt difficilè valde ſit illi reſiſtere, tantaque ſit hæc difficultas, vt nunquam cum effectu ſit reipſa vincenda niſi beneficio gratiæ per Chriſtum, atque adeò hæc neceſsitas importat antecedenter magnam difficultatem vincendi tentationis, & operandi actum vndequaque honeſtum, & laudabilem, conſequenter verò importat, quod reipſa nunquam ſit vincenda, niſi victoriam dante gratia medicinali, quæ hanc infirmitatem ſanet, & debilitatem naturæ corroboret: & ſimiliter de gratia efficaci dicebat eſſe delectationem cœleſtem ita prævalentem adverſus delectationem terrenam, & ita inclinantem ad conſenſum ſalutarem arbitrium creaturæ, vt quamvis iſtud in ſenſu compoſito illius delectationis retineat potentiam antecedentem ad reſiſtendum illi delectationi, & coniungendum diſſenſum cum illa ſecundum ſe ſumpta, tamen reipſa nunquam ſit reſtiturum, neque coniuncturum diſſenſum cum illa. Ac proinde hæc neceſsitas conſequens de obliquo importat ſcientiam contingentem conditionatam, per quam Deus videt, quod licet arbitrium denudatum viribus gratiæ poſsit reſiſtere ponderi concupiſcentiæ, nunquam ſit reſtiturum ſi relinquatur ſub illa concupiſcentia ſine gratia: & ſimiliter neceſsitas conſequens ad non diſſentiendum delectationi cœleſti ex ſe præponderanti delectationi terrenæ, importat ſcientiam conditionatam contingentem, per quam Deus novit, nunquam voluntatem pulſaram ſimili delectatione cœleſti reipſa diſſenſuram ipſi, quamvis abſolute poſsit, & nulla ſit implicatio contradictionis in eo, quod reipſa reſiſtat; eo quod illa delectatio ita inclinat hic & nunc ad conſenſum, vt inſpecta ſecundum omnia antecedentia conſenſum, habeat quidem connexionem quandam moralem fundantem iudicium prudens, quod voluntas pulſata eiuſmodi gratia conſentiet, licet abſolutè poſsit eidem diſſentire, non habeat tamen connexionem infallibilem intrinſecam cum conſenſu, ſed hæc connexio debet eſſe extrinſeca, deſumpta à ſcientia conditionata, vt ſarta tecta maneat libertas arbitrij.

1023 Itaque hic Doctor tandem dicebat, concupiſcentiam ortam ex peccato, & in pœnam illius à Deo permiſſam, tale faſtidium omnis boni ad Deum attinentis in arbitrio reliquiſſe, & talem aviditatem, & inhiantem cupiditatem commodi temporalis; vt ſecluſa gratia Salvatoris arbitrium ſolis ſuis viribus relictum, ita ſit moraliter impotens elicere actum honeſtum, & vincere quamcumque tentationem quantumvis levem, vt nunquam ſit ſolis viribus naturalibus ad hunc finem perventurum. Et ſæpè hic Doctor mihi verbo dixit, ſe eandem impotentiam cognoſcere in ordine ad quencumque actum honeſtum, & victoriam cuiuſlibet tentationis, quam P. Vazquez, & alij Theologi agnoſcunt in illo ad vincendam gravem tentationem, & eliciendum actum heroicum virtutis ſine gratia, quæ ab ipſis appellatur impotentia ſimpliciter; & in hoc ſenſu aiebat intelligendum eſſe Canonem 22. Concilij Arauſicani: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*; quia de ſuo, & viribus proprijs innitens, ſolum eſt abſolute potens ad mendacium, & peccatum: ad opera autem honeſta, & laudabilia in genere moris, & ad vincendam tentationem quancumque, ſimpliciter, & abſolute eſt impotens, nimirum impotentia conſequenti; quia debilitas hominis ad bonum eſt tanta poſt peccatum, & tanta pronitas ad malum, vt niſi gratia ſuccurrat, nunquam ſit operaturus bonum vllum morale, quod omnibus inſpectis, ſit laudabile, & nunquam ſit victoriam reportaturus de vlla tentatione quantumvis levi: quia potentia phyſica antecedens coniuncta eſt cum impotentia morali antecedenti, & impotentia conſequenti ſimpliciter tali,

(o)

§. III.

Quomodo Doctor Complutenſis pro explicanda infallibilitate providentiæ diuinæ recurrebat ad ſcientiam mediam; & gratiam prædeterminantem phyſicè averſabatur vt contrariam Auguſtino, ſicut merito Ianſenius eam averſatus eſt, cuius notanda verba referuntur.

1024 ET Cum ab ipſo interrogaviſſem, quomodo explicaturus eſſet infallibilitatem divinæ providentiæ ad convertendas in bonum rebelles hominum voluntates, quandoquidem hæc infallibilitas debet eſſe meraphyſica; hæc autem nequit fundari in gratia illa efficaci, ſi illa ſecundum ſe non habet eſſentialem connexionem cum conſenſu libero; ſed debet aliũde peti. Hinc arguebam; vel à ſua illuſtriſſima vltra delectationem victricem, in qua collocabat gratiam efficacem, admittendum eſſe concurſum prævium prædeterminantem, in quo fundaretur illa metaphyſica infallibilitas, vel admittendam ſcientiam mediam, ratione cuius reddatur infallibile, quod licet voluntas pulſata, & tacta delectatione illa cœleſti poſsit potentia antecedenti illi reſiſtere, nunquam ſit reſtitura; vt hoc pacto ſit omnino neceſſarium neceſsitate conſequenti, quod omnis voluntas conſentiet, ſi tangatur delectatione illa cœleſti. Cum hoc inquam, interrogaſſem, palam reſpondit, hic neceſſario recurrendum ad ſcientiam mediam, quia averſabatur concurſum illum prædeterminantem, neque æquo animo ferre poterat, quod Recentiores Thomiſtæ gratiam ſanativam, & medicinalem, quam tantopere comendavit Auguſtinus, collocarent in phyſica prædeterminatione; quandoquidem Sanctus Doctor perpetuo & conſtanter hanc gratiam explicuit per vocationem, & delectationem, ſeu ſuavitatem, vt manifeſtè conſtat ex ijs, quæ diximus tota ſectione 12. præſertim à pagina 318. §. 9. & §. 10. à pagina 324. Et cum concurſus prævius in ſententia Thomiſtarum communis ſit naturæ ſanæ atque integræ, & naturæ infirmæ: non potuit Auguſtinus gratiam illam ſanativam, quæ dat vires efficaciſsimas voluntati infirmæ, collocare in phyſica prædeterminatione, qua voluntas quantumvis ſana, & robuſta indiget ad operandum.

1025 Et in hoc hic Author ſecutus eſt veſtigia Ianſenij, qui lib. 8. de Grat. Chriſti cap. 2. ſic invehitur in Prædeterminatores: *Qui medicinalem Chriſti gratiam ſic defendere conantur, vt illam in prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominem lapſorum, & Innocentium, & vi cauſæ primæ, & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profectò Ariſtotelici, quam Auguſtiniani ſunt. Nam talis prædeterminatio ſic aſſerta, non ſolum nullo eius teſtimonio probari poteſt, ſed potius vniuerſam doctrinam eius innumeris locis traditam inexplicabili confuſione perturbat. Tollit enim differentiam integræ, lapſæque voluntatis: tollit neceſsitatem duplicis adiutorij, QVO, ET SINE QVO NON, & tollit, obſcuratque veram radicem gratiæ medicinalis, nec ſinit intelligere veram naturam eius, dum æqualiter ſtatuit illam prædeterminationem omnibus neceſſariam &c. Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Chriſti funditus evertitur, & ſcripturæ ſubuertuntur, dum gratiæ neceſsitas ex naturali voluntatis indifferentia, & omnium cauſarum naturali ſubordinatione ſub altiore, ſuſpenditur.* Hæc Ianſenius. Ob quas rationes doctor iſte Complutenſis, qui in explicanda gratia nullatenus ab Auguſtino recedere audebat, rectè cenſebat gratiam efficacem tantopere ab Auguſtino prædicatam, & vi cuius Deus facit vt faciamus opera ſalutaria, minimè collocari poſſe in concurſu prævio.

1026 Præter quam quod hic Author premens veſtigia Magiſtri Albelda in explicanda gratia efficaci per actus vitales intellectus & voluntatis; eadem ſequutus eſt in non admittendo concurſu prævio prædeterminante reſpectu cauſæ liberæ, quem concurſum ſupra pag. 360. Albelda vt contrarium veritati, & menti D. Thomæ reijciebat; quia vnaquæque cauſa ſecunda debet moveri à prima conformiter ad ipſius naturam, quia non agit niſi vt mota; & cum cauſa libera non agat vt libera niſi quatenus agit vt indifferens ad vtrumque; & nequeat moveri vt indifferens ad vtrumque per motionem determinatam ad vnum, qualis eſt motio prædeterminans; ſit conſequens, vt motio prævia proportionata cauſæ liberæ debeat eſſe indifferens ad vtrumque, & ad actum primum pertinens, vt ſupra probavit Albelda n. 997. & n. 1001. vt enim inquit D. Thomas quæſt. 3. de malo art. 2. *Motus primi moventis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus, ſed in vno quoque ſecundum proprium modum.* Et vt ait quod lib. 1. art. 7. ad 2. *Deus movet omnia ſecundum modum eorum, & ideo divina motio à quibuſdam participatur*

cum

cum necessitate; à natura autem rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis habet ad opposita; & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest hunc motioni resistere. Vnde cum manifestum sit, non posse mentem humanam resistere motioni prædeterminanti, vtpotè supponenti essentialiter voluntatem efficacem Dei, cui creatura resistere non potest, vt docet Scriptura Roman. 9. & Esther; consequens est, vt Deus non moneat ad agendum causam liberam per motionem prædeterminantem, per quam determinatur ad vnum, sed per motionem indifferentem, per quam relinquatur completa, & expedita ad vtrumque, & cum potentia ad resistendum motioni illi præviæ, in qua consistit concursus prævius causæ primæ, per quem ipsi subordinatur causa secunda; motio autem illa prævia, per quam Deus vt causa vniversalis movet nostram voluntatem ad liberè operandum est motio ad bonum in communi, vt docet Divus Thomas 1. 2. quæstion. 9. artic. 6. ad tertium: *Deus*, inquit, *movet voluntatem hominis sicut vniversalis motor ad vniversale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniversali motione, homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum; sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in ijs, quos movet per gratiam.* Quæ authoritas est manifesta ad probandum Deum non prædeterminare ad actum peccati, quia hæc esset specialis motio; specialem autem motionem solum agnoscit Divus Thomas in ordine ad volendum obiectum bonum, & honestum per actum salutarem, qui oriri debet ex speciali motione gratiæ.

§. IV.

Iudicium de sententia huius Doctoris prout ab illo fuit reformata, de gratia, & concupiscentia necessitantibus necessitate consequenti.

2027 QVATENVS Hic Author asserit gratiam Christi esse necessariam necessitate consequenti ad quancumque tentationem vincendam, ita vt sine gratia per Christum nulla vnquam tentatio ab homine in statu naturæ lapsæ vinci possit; eius sententia, eadé est cum sententia, quam acerrimè propugnat P. Vazquez 12. disp. 89. cap. 16. cuius titulus est, *peculiare gratiæ auxilium præter donum creationis ad singulas tentationes vincendas necessarium esse.* Vbi rectè docet, hanc necessitatem non esse antecedentem, sed consequen-
„ tem, quam sic explicat. Cum enim Deus
„ infinita sua scientia cognoscat vires arbi-
„ trij, eiusque indolem, aut dispositionem, &
„ quam habeat cum illo contemperationem
„ hæc aut illa cogitatio, ex hac aut vlla occa-
„ sione, seu causa orta; atque homo non pos-
„ sit resistere tentationi, aut in eam consenti-
„ re, nisi prævia cognitione; denique cum in
„ potestate Dei sit, tali aut tali cogitatione
„ hominem præmunire, efficitur non posse
„ vllam tentationem superari ab homine,
„ quin à Deo præventus fuerit tali cogitatio-
„ ne, cuius contemperationem cum arbitrio
„ ipse Deus ita noverit, vt sciat hominem
„ cum ea in tentationem non consensurum, &
„ sine ea consensurum: quod autem tali cogi-
„ tatione fuerit præventus, cum qua Deus no-
„ vit arbitrium non consensurum, non potest
„ non esse peculiaris gratia Dei distincta à
„ dono creationis: ergo ad vincendam ten-
„ tationem aliquo modo necessarium est gra-
„ tia Dei hominem præmuniri, & repugnat
„ sine illa non consentire impossibilitate
„ consequente: quæ supponit ex præscientia
„ Dei infallibili ipsum consensurum in ten-
„ tationem si tali cogitatione non prævenia-
„ tur, & non consensurum si tali prævenia-
tur. Additque num. 135. de hac necessitate consequente intelligendos esse Patres cum dicunt, necessariam esse gratiam vt vincamus tentationem, & sine illa vinci non posse inter quos est Innocentium I. in Epist. 25. ad Concilium Carthaginense, quæ est apud Augustinum 91. cum ait, *Necesse est, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante vincamur.*

Eandem sententiam latè propugnat P. Meratius tom. 2. disp. 1. sect. 7. vbi hanc vnicam assertionem ponit: *Non potest homo tentationem vllam etiam levissimam contra præceptum vllum, legis etiam naturalis sine gratia vincere.* Pro ea citans Canopeolum, Gregorium, Marsilium, Petrum de Soto, Abulensem, & Vazquez. Eandem sententiam tuentur cum Vazquez P. Gaspar Hurtado, & P. Ludovicus Turrianus opuscul. 2. de grat. disp. 1. dub. 1. & ante ipsos Alphonsus à Castro lib. 7. contra Hæres. verbo *Gratia* Hæresi 1. conclus. 3. columna mihi 1113 vbi hæc habet: *Tertia Catholica assertio, liberum hominis arbitrium ex sola sua potestate, addita etiam illa communi, & generali Dei concausatione, non potest sine*

aliquo ſpeciali Dei auxilio bonum aliquod operari, quoniam ſemper circa illud præcedit quædam monitio, aut attractio, aut inſpiratio, aut aliquod donum naturæ ſuperadditum, quod ipſe Deus merè gratis, quibus illi placet donat. Eandem docuit Roſſenſis art. 36. contra Lutherum, & noviſsime defendit Vincentius Contempſon Ordinis Prædicatorum tom. 5. diſſert. 2. cap. 1. ſpeculat. 2. Hanc etiam opinionem ſectatus eſt Cardinalis Toletus, qui vt teſtatur P. Vazquez 12. diſp. 190. num. 174. *In ea fuit ſententia, vt nulla tentatio quantumvis minima ſine auxilio gratiæ per Chriſtum vinci poſsit aut vitari ſine peccato.*

1028 Rurſus ſententia huius Doctoris quatenus aſſerit gratiam per Chriſtum neceſsariam eſſe neceſsitate conſequenti ad omnia, & ſingula opera honeſta & laudabilia, eadem eſt cum ſententia Authorum, quos modo citavimus; nam omnes, qui dicunt gratiam eſſe neceſsariam ad quamcumque tẽtationem vincendam, ſimiliter dicunt eſſe neceſsariam ad quodcumque opus morale ex omni circunſtantia bonum, ſeu ad quemcumque actum virtutis moralis. Virtutem autem moralem vocant non infuſam per ſe, ſed adquiſitam, quæ circa obiectum bonum ex ſolo fine honeſtatis moralis virtutis verſatur, vt dare eleemoſinam pauperi, quia honeſtum eſt & ſecundum rationem naturalem hominis ſuccurrere indigenti. Nam ad quodvis opus moralis virtutis infuſæ, ſi aliqua talis eſt, requiri aliquod auxilium gratiæ Dei per Chriſtum etiam ſupernaturalis ordinis, planè affirmant quotquot huiuſmodi virtutes morales per ſe infuſas eſſe exiſtimant. Et hanc ſententiam latiſsimè tuetur P. Vazquez 12. diſp. 190. qui cap. 2. pro hac ſententia citat B. Albertum Magnum, Atiſiodorenſem, Marſilium, Alphonſum Virueſium, Alexandrum, Gerſonem, Gregorium, Abulenſem, Alphonſum à Caſtro, Dioniſium Ciſtercienſem, Cuterinum, Clithovæum, Aretinum, Roſſenſem, Caſſalium, Iacomellum, Antonium Panthuſa, Capreolum, Dezam, Franciſcum Romæum, & Petrum à Soto & toto cap. 3. latè probat, Sanctum Thomam in eadem ſententia eſſe: & cap. 4. eandem neceſsitatem gratiæ in ſingulis operibus teſtimonijs Scripturæ, Conciliorum, & Pontificum confirmat, & cap. 5. eandem confirmat teſtimonijs Patrum, qui Auguſtinum præceſſerunt, cap. 6. latè oſtendit Auguſtini Scholam hanc ſententiam tenere: & cap. 7. 8. & 9. reiicit expoſitiones adhiberi ſolitas teſtimonijs Auguſtini ab Authoribus ſententiæ contrariæ, & cap. 10. & 11. eandem ſententiam rationibus probat, & per alia quinque capita fuſe hanc materiam proſequitur.

Eandem neceſsitatem gratiæ ad ſingula virtutis moralis opera latè comprobat P. Merarius diſput. 1. de gratia à ſect. 8. vſque ad 18. Et contempſon loco ſupra citato, nempe tom. 5. diſſertat. 2. cap. 1. ſpeculatione 2. cuius titulus eſt: *Nullum prorſus etiam moralis ordinis bonum velle, vel efficere abſque ſpeciali Dei adiuvantis gratia in ſtatu naturæ lapſæ homo poteſt.* Idque proſequitur à pagina 160. ad 174.

§. V.

Doctor Complutenſis docens neceſſariam eſſe gratiam peculiarem per Chriſtum ad quencumque tentationem vincendam, & ad quolibet opus moraliter bonum, conſequentius procedit ad ſua principia, quã P. Vazquez ad ſua de natura lapſa non magis debili ad bonum morale operandum, neque magis prona ad malum perpetrandum, quam foret natura pura.

1029 POTIORI iure hoc aſſeruit hic Doctor, apud quem rebellio appetitus contra rationem, non ſolum de facto eſt pœna peccati, ſed eſſentialiter & ex terminis, ita vt repugnaverit Deum creare hominem cum concupiſcentia rebelli, ſicut modo naſcitur poſt peccatum: quam id aſſeruerit P. Vazquez, nam hic Author 12. diſp. 138. poſtquam cap. 1. impugnavit ſententiam Gregorij Ariminenſis, qui in 2. diſt. 30. q. 2. art. 6. ad 3. licet fateatur, in pura natura ſi nullum præceſsiſſet peccatum, futurum fomitem carnis ad malum, tamen addit, non futurum tantum, quantum eſt poſt lapſum in peccatum. Poſtpuam, inquam eo cap. 1. hanc ſententiam impugnavit; poſtmodum cap. 2. ſubiungit: „ Mihi verò ſummopere placet communis „ ſententia, quæ affirmat, naturam non fuiſſe „ aliquo poſitivo vulnere ſanciaram, ſicut præ„ cedens opinio aſſerit, ſed eò dumtaxat vul„ neratam fuiſſe; quia ſpoliata donis gratiæ, „ ſuæ propriæ inclinationi relicta fuit, eodem „ prorſus modo inclinata, ſicut alioqui in pura „ natura *eſſet*. Et ſtatim pro hoc placito citat D. Thomam, Caieranum, Conradum, Dominicum Sotum, Albertum Pighium, Driedonem, Scotum, & Gabrielem: & maxime probat dictum Magiſtri Soto, qui comparat hominem in pura natura homini nudo, qui nunquam fuit veſtitutus; hominem verò in natura lapſa comparat ſpoliato, qui antea veſtitutus erat, quam comparationem facit etiam Cardinalis Bellarm. lib. de grat. primi hominis cap. 5. & alij, quos citavi diſp. 3. n. 2.

Ex

1030 Ex hac Patris Vazquez doctrina ſequitur hominem in pura natura conditum indigere ſpeciali auxilio gratiæ diſtincto à dono creationis ad ſingulas tentationes quãcumvis leves vincendas ſine peccato: & ad quodcumque bonum opus morale honeſte, & laudabiliter exercendum: quando quidem natura in ſtatu puritatis non minus eſſet ex ſe obnoxia tentationibus, neque minus debilis ad bonum virtutis, quam in ſtatu lapſus, præſertim ſi conſideretur cum ſolo peccato originali antequam labatur in peccata perſonalia. Id quod ipſe expreſſe docet 12. diſp. 1. quæſt. 3. n. 29. & diſp. 189. num. 182. & 183. Et ſanè quod natura in ſtatu puritatis foret æquè debilis ac in ſtatu lapſus, docet etiam P. Suarez prologomeno 4. de gratia cap. 8. n. 14. vbi ait fomitis concupiſcentiam non eſſe maiorem in natura lapſa, quam foret in pura. Sequela autem eſt abſurda, quia Deus potuit hominem condere in pura natura conferendo ei illa præciſe dona, quæ titulo creationis ipſi deberentur; non potuit autem condere in eo ſtatu, in quo nullam tentationem poſſet vincere, neque per vllum opus morale ſe honeſtè & laudabiliter exercere: quia non potuit homines condere in illo ſtatu, in quo certum foret moraliter omnes damnãdos: certum autem eſt moraliter damnandos omnes homines qui conſtituerentur in ſtatu, in quo nullam poſſent moraliter & potentia conſequenti tẽtationem vincere, nec vllum bonum moraliter opus exercere. Ergo doctrina illa de neceſsitate gratiæ ſpecialis in ſtatu naturæ lapſæ ad ſingulas tentationes ſine peccato vincendas, & ad ſingula opera virtutum moralium exercenda; non benè cohæret cum illa altera ſententia, quod natura lapſa non ſit debilior ad bonum morale aperandum, & promior ad malum perpetrandum, quam foret natura pura.

1031 Quod hæc ſequela legitimè deducatur ex illa doctrina, faretur ingenuè Pater Meratius, Patris Vazquez Sectator, & per omnia diſcipulus: nam diſputat. 15. de grat. ſect. 10. num. 4. cuidam obiectioni reſpondet: *Si puræ naturæ ſtatus ſumatur rigidè, pro eo ſtatu, in quo nihil habetur, aut haberi poteſt, quam quod humana natura tanquam ſibi connaturaliter debitum exigit, verum eſſe prædictum conſequens: (nimirum, ne de abſoluta quidem Dei potentia poſſe hominem conditum in ſtatu puræ naturæ, in eoque permanentem, vllam acquiſitæ virtutis opus exercere) humana enim natura non exigit tanquam ſibi connaturaliter debitum, vel meritum gratiæ, vel principium huius meriti, quod eſt gratia, quando quidem hæc ad omne opus bonum neceſſaria eſt, vt diſp. 1. probavimus.* Hæc ille. Quis autem non videat abſurdum eſſe, quod homo poſsit à Deo connaturaliter, & ſine vlla violentia poni in eo ſtatu, in quo nec de potentia abſoluta poſsit bonum opus exercere? Neceſsitatem autem iſtam gratiæ ad ſingulas tentationes ſuperandas ex fine honeſto, & ad quodcumque bonum opus morale exercendum, Doctor Complutenſis cum ſuis principijs melius componit; ſiquidem ipſe docet, hominem conditum in pura natura cariturum concupiſcentia rebelli, cui in ſtatu lapſus ſubiectus eſt: ac proinde neceſsitatem gratię ad ſingulos actus honeſtos non fundat in ipſa libertate voluntatis, & indifferentia ad vtrumque, (ſicut facit Pater Vazquez 12. diſput. 189. num. 182. & diſp. 193. num. 29.) ſed in pronitate ad malum, & debilitate ad bonum, quam habet natura in ſtatu lapſus. Immo Vincentius Contempſon, qui tom. 5. differtat. 1. cap. 1. ſpeculatione 3. cum M. Alvarez & Lemos latè defendit, *hominem in ſtatu naturæ lapſæ longè eſſe debiliorem ad bonum morale operandum, longèque proniorem ad malum perpetrandum*, facilius defendit illam doctrinam de neceſsitate gratiæ ad ſingulas tentatioces vincendas, & ad ſingula opera virtutis vndequaque honeſta, & cum ego tota diſput. 3. latiſsimè probaverim, hominem in natura lapſa eſſe debiliorem, quam foret in pura, eandem doctrinam facilius poſſum tueri.

1032 Quapropter P. Suarez, & alij Authores, qui dicunt, poſſe hominem lapſum per ſolas naturæ vires facere aliquod opus moraliter bonum, conſequentius diſcurrunt ad ſua principia de æqualitate virium hominis in ſtatu naturæ lapſæ cum viribus hominis in ſtatu naturæ puræ. Ego autem veriſsimum cenſeo, ſi homo in ſtatu naturæ lapſæ eſt impotens vincere honeſtè vllam tentationem, & elicere aliquod opus virtutis moralis vndequaque laudabile ſine ſpeciali auxilio gratiæ, hanc impotentiam eſſe pœnalem; & in hoc ſenſu veram exiſtimo ſententiam illorum Theologorum, qui apud Patrem Suarez prologomeno 4. de grat. cap. 9. num. 3. affirmant, hominem per peccatum originale contrahere debitum carendi omni cogitatione congrua ad vincendam tentationem vllam, etiam minimam, & eliciendum actum virtutis moralis ex fine, & circunſtantijs honeſtum, & laudabilem.

§. VI.

Quamvis Doct. Complutēſis iure merito doceret, pondus concupiſcentiæ neceſſitare moraliter ad omnia, & ſingula peccata, niſi adſit gratia ſpecialis per Chriſtum; immeritò tamen docuit gratiam efficacem ſuo pondere neceſſitare moraliter ad ſingula opera, ad quæ datur.

1033 DOCTOR Iſte, vt vidimus pag. 314. num. 899. & amplius conſtabit ſect. ſequenti, ſicut dixit primò, pondus concupiſcentiæ exiſtens in homine carente gratia medicinali Salvatoris, neceſſitate phyſicè ad omnia & ſingula peccata; ita dixit, pondus gratiæ efficacis, quo vincitur pondus concupiſcentiæ, neceſſitare phyſicè ad opus virtutis ponendum per modum libertatis. Poſtea verò cum ſententiam mutavit, & docuit pondus concupiſcentiæ ſolum neceſſitare moraliter ad peccandum, ſimiliter ſententiam mutavit quoad gratiam efficacem, aſſerens pondus illius prout antecedit conſenſum neceſſitare moraliter ad conſenſum, quia prout antecedit conſenſum non habet infallibilem connexionem cum ipſo; ſed hæc deſumenda eſt à ſcientia media, ad quam dicebat eſſe recurrendum ad explicandam infallibilitatem divinæ providentiæ.

Verùm quamvis admittatur, naturam lapſam ſibi relictam, & deſtituram viribus gratiæ, pondere concupiſcentiæ ita vrgeri, & inclinari ad ſingula peccata, vt certum moraliter ſit in illa prolapſuram; quia pondus ipſum concupiſcentiæ fundat certitudinem moralem lapſus futuri: tamen non poteſt dici, gratiam efficacem ſemper ſuo pondere neceſſitare antecedenter moraliter ad conſenſum; quamvis enim id aliquando contingat, quando nimirum homo vocatur vocatione adeo valida, & inſpiratione adeò forti tangitur, vt difficillimum homini ſit tali gratiæ reſiſtere, vt contigit Saulo, & Magdalenæ: tamen regulariter id non evenit; ſed læpiſsimè homines eligunt actum honeſtum præ turpi, quin in actu primo experiantur tantam vim gratiæ, vt difficilè valde ſit illi reſiſtere: immò ſæpè eligunt honſtum, quando facilè poſſent eligere turpem. Contingereque poteſt vt homo conſtitutus in actu primo proximo per gratiã prævenientem inclinantem vt quatuor ad objectum honeſtũ, ſimul experiatur pondus concupiſcentiæ inclinans vt quatuor ad obiectum turpe, ita vt maneat in æquilibrio, & tamen eligat potius in actu ſecundo obiectum honeſtum quam turpe; vt conſtat ex iſs, quæ dixi in hac diſputatione ſect. 12. §. 5. & 6. à n. 906. ad 910.

SECTIO XV.

Latè exponitur ſententia illius Doctoris Complutenſis, quatenus aſſerit concupiſcentiam rebellem appetitus contra rationem ita ſupponere peccatum, vt implicatorium fuerit hominem à Deo creari cum concupiſcentia rebelli, quamvis illum in puris naturalibus potuerit condere.

1034 QVAMVIS Diſput. hac 4. ſect. 13 pag. 56. num. 1. breviter propoſuerim huius Doctoris hac in parte ſententiam; & quamquam ſect. 12. pag. 314. §. 1. verbis formalibus ipſius explicuerim ſententiam eius de concupiſcentia, & gratia efficaci neceſſitantibus phyſicè ad operandum per modum libertatis: eamque latè impugnaverim à pag. 315. vſque ad 358. & quamquam ſect. 14. expoſuerim, quo pacto Doctor iſte duritiem huius ſententiæ emollierit, & iudicium de illa cum ſuo novo temperamento, tulerim: tamen rem gratam me facturum lectoribus meis confido, ſi totam mentem huius Illuſtriſsimi Doctoris expoſuero formalibus ipſius verbis, quibus per epiſtolas familiares eam mihi aperuit; ſiquidem hac in re gratum obſequium exhibeo defuncto Authori, qui à me, eo ipſo anno, quo obijt, nempe 1681. ſibi maximè gratum fore ſignificavit, quod mea ſcripta peculiari hac eius ſententia illuſtrarem, vt conſtat ex eius verbis adductis ſuprà ſect. 14. num. 1020.

Igitur cum anno 1676. menſe Octobris Superiores occaſione obitus Magiſtri mei R. P. Ioannis Barbiani Magiſtri Salmanticenſis, & primi è noſtra Societate Primarij Academiæ Salmantinæ Anteceſſoris Regij, quæ contigit die 5. menſe Septembris eiuſdem anni, me ab Apoſtolico Miſsionum munere abſtraxiſſent, vt in hac Primaria Cathedra illi ſuccedere poſſem: litteras dedi ad Illuſtriſsimum hunc Doctorem Complutenſem D. Michaelem Perez, Epiſcopum Archadiæ, quem ſciebam opus ingens parare de natura, & gratia, in quo latè diſſerebat de ſtatu puræ naturæ, & de viribus ipſi connaturalibus, & de ſtatu naturæ lapſæ; in quibus ipſum rogavi vt ad me mitteret tractatum manuſcriptum cuiuſdam Recentioris præexcelſi ingenij, in quo ſciebam latè propugnari, non potuiſſe naturam humanam à Deo condi cum concupiſcentia rebelli, & multa ab ipſo dici circa poſsibilitatem, vel impoſsibilitatem ſtatus puræ naturæ; de quibus punctis decreveram in Scholis legere Curiu ſequenti Theologico ab anno 1677. ad 1678. & ſimul ab hoc

Do-

Doctore rogavi, vt mihi his de rebus dignaretur sensa sua communicare, & sententiam exponere. Ipse verò pro antiqua inter nos amicitia, quam cum ipso contraxi anno 1674. in quo Matriti secundo Missionem feci, nam primò feceram anno 1670. abundè votis meis satisfecit, vt constabit ex fragmentis quibusdam Epistolarum, quas ad me dedit, & apud me habeo; quæ in gratiam Lectorum hic subijciam lingua vulgari, prout ab illo conscriptæ sunt, & simul latinitate donata, vt legi possint ab ijs, qui linguam Hispanam ignorant.

§. I.

Capita quædam Epistolarum Illustrissimi D. D. Michaelis Episcopi Archadiæ, Doctoris Complutensis, quibus suam sententiam de viribus naturæ puræ, & naturæ lapsæ exponit.

IGITVR IN I. EPISTOLA, QVAM AD ME SCRIPSIT DIE 29. IVNII anno 1677. hæc habet.

1035 QVOSDAM Codices ad vestram RR.P. mitto, quos mihi indulsit Pater N. ex suo tractatu de Gratia. In ijs verò ea solum perturrere potui, quę sunt circa istam ipsius Patris assertionem, *Deum*, videlicet, *non potuisse hominē creare cum hac concupiscentiæ rebellione, qua nunc nascitur post peccatum.* Cuius authoritate ditescit prædictū meum assertum, quod expressum, certumque D. Augustini iudico, quodque etiam gravissimorum Theologorum tum Antiquorum, tum etiam Recentiorum authoritate suffulcio. Verum enim verò rem ipse amplius proveho, asserens nimirum, concupiscentiam ad purè naturalia hominis non pertinere: itaque iustitiam originalem necessariam non esse, vt rebellio concupiscentiæ defficiat. Vnde si crearetur homo ab initio iustitia originali destitutus, careret ista carnis rebellione, qua nunc premitur: hæc enim præcise est necessarius peccati effectus, neque resultat ex humana natura iustitia originali destituta. Quo claret, me à Ianseniſtis, quam longissime differre, simulque ab ijs omnibus qui Ianseniſtis proximantur, sentientes Deum debuisse, attenta bonitate sua, condere hominem in iustitia originali, vt in illo deficeret concupiscētia, cum qua, vt certum supponunt, non potuisse illum creare. Hic est primi mei voluminis scopus, cuius elaborationi sedulus incumbo: quamvis enim non pauci præterierint anni ab operis inceptione, nondum illi sua contigit absolutio: tum propter multas, quibus distrahor occupationes, locorumque mutationes: tum etiam, quia cum iam propè absolutū tenerem, opus totum sub incudem revocare placuit, inque novam methodum redigere: prægrandis, vt puto, tomus evadet, foliaque supraoctingenta protensus.

1035 EMBIO à V. Reverendissima los cartapacios, que me prestò el P. N. de su materia de gracia, en que solo he podido ver lo que dize, q̃ no pudo Dios criar al hombre con la concupiscencia rebelde, como oy nace, para apoyar con su autoridad esta assercion, que la juzgo expressa, y cierta de S. Agustin, como tambien la apoyo con la de otros Teologos muy graves, antiguos, y modernos; pero yo añado mas, que la concupiscentia no pertenece ad purè naturalia hominis, y assi no es necessaria la justicia original para que falte la concupiscencia rebelde; sino que criado el hombre, ab initio, sin justicia original, no tuviera la rebeldia de la carne, que oy padece: porque esta es precisso, y necessario efecto del pecado, y no resulta de la naturaleza humana destituta iustitia originali; Con que totalmente me aparto de los Ianseniſtas, y de los que se inclinan à ellos, diziendo, que debiò Dios, attenta bonitate sua, criar al hombre con justicia original, para que faltasse en èl la concupiscencia, con la qual, assientan, nunca pudo criarle. Este es el intento del primer tomo, que estoy trabajando, y aunque ha tantos años, que le comencè, no està acabado, assi por mis muchas ocupaciones, y ausencias, como porque teniendole ya casi acabado, bolui à disponerle en otra forma desde su principio, y saldrà muy grande, que creo passarà de quatrocientos pliegos.

IN EPISTOLA AVTEM DATA MATRITI DECIMA DIE MENSIS Iulij anno 1677. ita loquitur.

1036 MAGNAM Meus hic liber vtilitatem caperet, si cum V. RR. P. dis-

1036 GRANDE Vtilidad se siguiera à mi obra, si me fueran possibles las

las conferencias con V. RR. no ſolo por ſu gran doctrina, y viuacidad de ingenio, ſino tambien porque me parece conviniéramos con facilidad en todo, o en lo mas principal, ſegun los indicios que V. RR. me da en ſu carta de lo que ſiente à cerca de la juſticia original, y de la rebellion de la concupiſcencia, que en vno, y otro convengo: porque tengo por cierto, lo que V. RR. dize, que in pura natura, *no eſtuviera el apetito ſenſitiuo tan ſugeto a la razon, como eſtuvo por la juſticia original: y que eſto lo definio la Igleſia contra Bayo, como V. RR. juzga muy bien: y tambien tengo por cierto, y que es doctrina clara, y aſſentada de S. Aguſtin, y de Santo Tomas, y de otros muchos Padres, y de caſi todos los Antiguos Theologos, y de muchos Recenciores, y Modernos, aunque la mayor parte deſtos, tienen lo contrario, que la rebellion de la concupiſcencia, que oy ſentimos, no la huviera* in pura natura. *Y no ſolo digo, q no huviera* in pura natura *tanta rebellion, como oy ay, que es lo que V. RR. indica; ſino digo, que no huviera ninguna rebellion; por que aunque el apetito ſenſitiuo pudiera prevenir a la razon (lo qual no podia* ſub originali iuſtitia) *pero la razon fuera por ſu virtud, pure naturale, tan poderoſa à reprimirle, y ſugetarle a ſi, que con grandiſſima facilidad lo hiziera, ſin que en el apetito huviera contumacia: mayormente, que como dize Santo Tomas:* In quantum eſt appetitus ſenſitivus humanus, natus eſt obedire rationi. *Y porque no parezca eſto queſtion de nõbre, o paradoxa, lo declaro, y me explico cõ vna doctrina cierta, y recibida de todos, que es la ſiguiente.*

1037 *Ay dominio deſpotico, y dominio politico, y ſervidumbre contraria a eſtos dos dominios. La razon en el hombre, como mas noble, y ſuperior, naturalmente debe dominar al apetito ſenſitiuo, como expreſſamente enſeño S. Aguſtin en el libro primero de libero arbitrio capitulo decimo; pero naturalmente no ſe le deve el dominio deſpotico, que eſte le tuvo ſobre naturalmente por la juſticia original; ſino ſolamente el dominio politico, como tambien es cierto, y expreſſamente affirma Santo Tomas 1. 2. quæſt. 56. art. 4. ad 3. pero* hoc ipſo, *que ſe le deva naturalmente a la razon el dominio politico ſobre el apetito ſenſitiuo, debe ſer naturalmente mas poderoſa que el, como expreſſamente dixo San Aguſtin en el lugar citado, por eſtas palabras:* Quare neceſſe arbitror eſſe, vt plus poſſit mens quam cupiditas, eoipſo quod cupiditati iuſtè, reſtèque dominatur. *Y parece per ſe noto,* diſcutere iſta coram concederetur mihi: non modo propter excellentiam doctrinæ qua polleт V.RR ſummumque ingenij acumen; verum quia de his omnibus, vel fere omnibus facilè inter nos arbitror conventurum; ni me fallunt ea, quibus video V. RR. in ſua epiſtola proprium ſenſum circa originalem iuſtitiam, & concupiſcentiæ rebellionem, exponere: in vtroque enim conſentio, certũ reputans quod V. RR. autumat, nempe in ſtatu puræ naturę appetitum ſenſitivum non ita rationi devinctum fore, ſicut propter originalem iuſtitiam reipſa fuit: id quod ab Eccleſia contra Baium definitum fuiſſe cenſeo, vt rectè etiam ſentit V. RR. Nec minus vt certum teneo, ſicut & hoc ipſum doctrinam eſſe claram, ſtabilitamque S. Auguſtini, D. Thomæ, pluriumque aliorum Patrum, & pene omnium Antiquorum Theologorum, multorumque etiam ex Recentioribus, & Modernis, quantumvis horum maiorem partem contrarium deffendere fatear, in ſtatu puræ naturæ non extituram rebellionem hanc concupiſcentiæ, quam nunc patimur: nec ſolum aſſero, in ſtatu puræ naturæ non futuram tantam rebellionem quanta nunc eſt, quod V. RR. videtur inuere; ſed nullam penitus: quantumvis enim ſenſitivus appetitus poſſet rationem prævenire (quod ſub originali iuſtitia non poterat) at ratio adeo eſſet virtute purè naturali præpotens, illũque coercere, ſibique ſubijcere ſufficiens, vt id nullo aſſequeretur negotio, appetitu facillimè ſubſequente, nec in contarium contumaciter nitente: quoniam vt inquit D. Thomas: *In quãtum eſt appetitus ſenſitivus humanus natus eſt obedire rationi.* Ne tamen inſtituere quæſtionem de nomine, aut paradoxum aliquod videamur, lucem prædictis afferre conabor, ſenſumque meum exprimere ſequenti, communique doctrina experiar, quæ ſic ſe habet.

1037 Datur dominium deſpoticum, & dominium politicum, hiſque dominijs duobus oppoſita ſervitus. Ratio, vipotè nobilior in homine, & ſuperioritatem ſortita, debet in appetitum ſenſitivum naturaliter dominium gerere, vt expreſſe docuit Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 10 Et quidẽ naturaliter non debetur illi deſpoticum dominium: hoc enim ſupernaturaliter potita eſt ob originalem iuſtitiam; debetur tamen illi politicum dominium, quod etiam certum eſt, expreſſeque à D. Thoma teſtatum 1. 2. q. 56. art. 4. ad 3. Hoc ipſo quod rationi naturaliter politicum debeantur dominium ſupra appetitum ſenſitivum, ipſo debet etiam naturaliter potentior eſſe, vt expreſſe dixit Auguſtinus loco citato his verbis: *Quare neceſſe arbitror eſſe, vt plus poſſit mens quam cupiditas*

tas, eoipso quod cupiditati iustè, rectèque dominatur: videtur enim per se notum, nugatorium fore dominium,& principatum,vbi Superior non esset Subditis potentior, nam qui posset illos coercere, subijcere, & ordinare?Hoc politico dominio frueretur ratio supra appetitum sensitivum in pura natura, ideoque in pura natura, ratio naturaliter valentior esset appetitu: in statu autem iustitiæ originalis despotico gaudebat dominio; at in præsenti naturę lapsæ statu vtroque manet orbata ac destituta: relicta est enim sine viribus naturalibus, non modo ad appetitum sibi subijciendum; sed nec ad illi obsistendum idoneis, vt expresse affirmat Augustinus Serm. 13. de verbis Apostoli post medium, vbi in terminis loquens, ait: *Si enim nos ipse non adiuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus*: quod autem hoc de auxilio gratiæ per Christum intelligendũ sit, præter quam quod ex ipso patet contextu, declaratur etiam ab Augustino lib. de corrept. & grat. cap. 11. dicente: *In tali certamine laborantes, & periclitantes dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt.* Itaque invenitur nunc in homine ratio appetitus pressa servitute, & sub concupiscentiæ tyrannide: igitur concupiscentiæ rebellio non solum in eo cõsistit, quod appetitus possit rationem prævenire, verum etiam in eo, quod ratio careat viribus naturalibus ad illi resistẽdum, proprioque dominio,& authoritate maneat spoliata, quod in pura natura non contingeret. Sic in Republicis, & alijs politicis Communitatibus non invenitur, nec intelligitur in Subditis esse rebellio, eo præcisse quod hi aliquos actus proprios habeant,nec in illis Superioris iussus expectent, eiusque præceptum, aut voluntatem præveniant,dummodo, in Superiore athoritas,& illos coercẽdi sufficiens potestas sit superstes; sed solum quando Subditi totum sibi sumpsere dominiũ, præsertim si Superior omninò inermis extet, detractis viribus ad illos cohibendos necessarijs. De qua servitute loquitur Apostolus ad Rom. 7. vt sentit Augustinus, qui licet antea locum istum de servitute peccati, qua peccator homo deprimitur, accepisset, postea tamẽ retraxit se, proprioque sensu in melius commutato, fallus est, intelligi debere de homine iusto, deque illius,quam patitur concupiscentiæ servitute, vt constat ex lib. 6. contra Iulianum cap. 11. & in hunc sensum exponunt communiter Sancti Patres, & Interpretes locum prædictũ Pauli, vbi Apostolus haud obscure videtur agnoscere in ratione hominis ad captivitatem redacta deffectionem istam viriũ naturalium, & impotentiam ad obsistendum motinoto que fuera nugatorio el Señorio,y Principado, donde el Superior no fuera mas poderoso que los Subditos, para coercerlos, sugetarlos,y ordenarlos,y este dominio politico tuviera la razon sobre el apetito, in pura natura,y assi fuera in pura natura,naturalmente mucho mas poderosa la razon que el apetito; y el dominio despotico, le tuvo in statu iustitiæ originalis. *Pero* in præsenti statu naturæ lapsæ, *se halla depojada, y desposeida de vno, y otro dominio, porque se halla sin fuerças naturales bastantes, no solo à sugetar el apetito; pero ni à resistirle, como expressamente affirmò San Agustin serm. 13. de Verbis Apostoli post medium*, donde hablando en terminos, dixo: Si enim nos ipse non adiuvat, non dico vincere; sed nec pugnare poterimus. *Y que se aya de entẽder del auxilio de la gracia* per Christum: *ademas de que consta del contexto, lo declarò lib. de corrept. & grat. c. 11. donde dize*: In tali certamine laborãtes,& periclitãtes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. *Y assi la razõ en el hombre, se halla oy sierva de el apetito*, sub tyranide concupiscentiæ: *y en esto consiste la rebellion de la concupiscencia, no solo en que el apetito pueda prevenir à la razon; sino en que la razon no tenga fuerças naturales para resistirle, y se halle desposeida de su autoridad, y dominio proprio,lo qual no tuviera* in pura natura. *Assi como en las Republicas, y Comunidades Politicas, no se entiende, ni ay rebellion, ni tirania en los Subditos precisamente, por que tengan algunos actos proprios, y prevengan, y no aguarden en ellos el imperio, y voluntad del Superior, como permanezca en èl autoridad, y poder para coercerlos; sino tan solamente, quando los Subditos se han vsurpado el dominio, mayormente, si el Superior se halla totalmente desarmado de poder para sugetallos. Y de esta servidumbre habla el Apostol ad Roman. 7. en sentencia de San Agustin, que aunque primero entendio este lugar de la servidumbre del pecado en el hombre pecador, despues se retractò, y con mejor acuerdo confesso, debe entenderse del hombre justo, y de la servidumbre de la concupiscencia, como consta del lib. 6. contra Iulianum cap. 11. y este es el sentido, que mas commummente dan los Santos Padres, y Expositores*: *donde el Apostol claramente insinua esta debilidad de fuerças naturales en la razon del hombre, sierva, y cautiva para resistir a los movimientos, y assaltos de la concupiscencia; pues solamente halla recurso en la gracia*

per

per Chriſtum (*que es la medicinal, como deſpues dire*) *como conſta de aquellas palabras*: Quis me liberabit, &c.

1038 *Eſta debilidad es tanta, en mi ſentir, que no ſolo induce neceſsidad moral de pecar, como V. RR. dize, y baſta para ſu intento; ſino tambien neceſsidad phyſica in omnibus, & ſingulis actibus: y eſto es lo que pareciò à los Maſsilienſes duro en la ſentencia de San Aguſtin, y lo que defendiò acerrimamente contra ellos San Proſpero: y eſto tambien parece oy duro à los Theologos, y por eſſo explican a San Aguſtin de neceſsidad moral, y no aduierten, que con eſta no puede ſubſiſtir la doctrina de San Aguſtin contra los Pelagianos, ni la de S. Proſpero contra los Semi-Pelagianos, ni la definicion del Concilio Arauſicano contra Vnos, y otros*: Nemo poteſt de ſuo niſi mendacium, & peccatum: *por mas que trabajan en darles ſalida. Y tampoco aduierten, que la neceſsidad phyſica de pecar, que conoce San Aguſtin en la naturaleza lapſa por la ſeruidumbre de la concupiſcencia, no es natural, ſino penal, y* non ſe tenet ex parte actus primi; *ſino* ex parte actus ſecundi: *por que es* pondus ipſius concupiſcentiæ inevitabiliter trahens voluntatem ad actum malum ſecundum proprium modum ipſius voluntatis liberæ ſine læſione indifferentiæ ex parte actus primi. *Lo qual no he hallado aduertido de ningun Theologo. Y aſsi los Ianſeniſtas, y Bayanos, que conocieron eſta neceſsidad phyſica en San Aguſtin, ſe deſpeñaron, negando la libertad de indiferencia, en que tambien deliraron Luteranos, y Caluiniſtas; y los demas Theologos Catolicos para defender la indiferencia de la libertad* in actu primo, *explican à San Aguſtin de neceſsidad moral; pero en mi juizio, no van ſegun ſu mente: y aſsi San Aguſtin, la gracia medicinal, que principalmente eſtableciò contra los Pelagianos neceſsaria para ſanar eſta enfermedad de la concupiſcencia* (*que oy eſtà tan oluidada en las Eſcuelas de los Theologos*) *no la puſo* ad poſſe ex parte actus primi; *ſino* ad agere ex parte actus ſecundi, *para que* pondus eius rependat contra pondus concupiſcentiæ, & inevitabiliter trahat ad actum bonum ſine læſione indifferentiæ ex parte actus primi. *Y quando prepondera, la llama delectacion victrix, y eſte es el auxilio, que llama* quo opus fit, *y es neceſſario ſolamente en eſte eſtado de natura lapſa, ademas del auxilio de la gracia excitante, que llama* ſine quo non, *y es neceſſario en todos eſtados, de que ſe puede ver, ſingularmente, el libro*

moribus invadentis concupiſcentiæ, cum ſolum ad gratiam per Chriſtum recurrat, (quæ vt poſtea dicam, medicinalis eſt) quod conſtat ex illis verbis: *Quis me liberabit; &c.*

1038 Debilitas hæc in mea ſententia tanta eſt, vt non ſolum moralem neceſsitatem peccandi inducat, (vt V. RR. adſtruit, neque amplius V. RR. intentum exigit) verum & phyſicam in omnibus, & ſingulis actibus: & hoc eſt quod apparebat Maſsilienſibus difficile ex Auguſtini ſententia, quodque D. Proſper adverſus eos acriter propugnavit olim, quodque hac etiam tẽpeſtate durum videtur Theologis, ideoque S. Doctorem explicant de Morali tantũ neceſsitate, nec animadvertunt non ſufficere hanc vt doctrina S. Auguſtini contra Pelagianos firma ſit, ſicut nec D. Proſperi adverſus Semi-Pelagianos, nec denique definitio Concilij Arauſicani contra vtroſque, ſcilicet: *Nemo poteſt de ſuo niſi mendacium, & peccatum*; quamvis non parum in eis exponẽdis ſudoris, & laboris impendant. Nec etiam vident, neceſsitatem illam peccãdi phyſicam, quam D. Auguſtinus agnoſcit in natura lapſa provenientem à ſeruitute concupiſcẽtiæ, non eſſe naturalem; ſed pœnalem, nec ſe tenere ex parte actus primi, ſed ſecundi: eſt enim pondus ipſius concupiſcentiæ inevitabiliter trahens voluntatem ad actum malum ſecundum proprium modum ipſius voluntatis liberæ ſine læſione indifferẽtiæ ex parte actus primi: quod à nullo Theologorum notari video. Quapropter Ianſeniſtæ, ac Baiani, qui in Auguſtino neceſsitatem hanc invenerunt, in Hæreſis foveam decidere indifferentiam libertatis inficiantes, vti fecerant Lutherani, & Caluiniſtæ; at verò Catholici Theologi, vt indifferentiam libertatis in actu primo ſoſpitent, D. Auguſtinum explicant de neceſsitate morali; meo tamen videri ab Auguſtini mente longè diſcedunt. Itaque D. Auguſtinus gratiam medicinalem (quam præcipuè adverſus Pelagianos ſtabilivit neceſſariam ad pellendum concupiſcentiæ morbum, quæque hodie in Scholis Theologorum longa iacet oblivione ſepulta) non poſuit ad poſſe ex parte actus primi; ſed ad agere ex parte actus ſecundi, vt ſcilicet pondus eius rependat contra pondus concupiſcentiæ, & inevitabiliter trahat ad actum bonũ ſine læſione indifferentiæ ex parte actus primi: & illam, dum præponderat, delectationem victricem vocat, idemque eſt cum eo auxilio, quod ab ipſo nominatur *quo opus fit*, quodque in hoc tantum ſtatu naturæ lapſæ neceſſarium eſt præter auxilium gratiæ excitantis, quod vocat *ſine quo non*, quodque etiam in omni ſtatu neceſſarium eſt, de quo videndus eſt præcipuè liber de Gratia Chriſti, & liber de corrept. & grat. à cap. 11.

Vn-

1039 Vnde videre datur quàm magna ſit differentia inter naturam lapſam, & puram, quantáque ſit illi virium inæqualitas in vtroque ſtatu, quod eſt præcipua materia primi mei tomi, in cuius elaborationem deſudo, ſervata gratiæ neceſsitate in ſecundum: in tertio tandem de liberi arbitrij concordia tractationem complectar, ſi modo Deus vitam, vireſque ſecundas in elaborationem ſubminiſtraverit.

libro de gratia Chriſti, *y el* de correptione & gratia, à cap. 11.

1039 *De aqui ſe conoce la diferẽcia grande de la natura pura, y lapſa, y la diferencia de fuerças naturales en vno, y otro eſtado, que es el aſſumpto principal del primer tomo, que eſtoy trabajando, refiriendo al ſegundo la neceſsidad dela gracia, y al tercero la concordia del libre albedrio, ſi Dios diere vida y fuerças para trabajarlos.*

IN EPISTOLA ETIAM DATA MATRITI 24. IVLII ANNO 1677. ITA loquitur.

1040 IN Litteris antecedẽtibus V.R. propoſui quandam mentis meæ ſimilitudinem leviter adumbratam; illam verò vſque ad primam ipſius partem ſolùm pertuli, quam digeri, & in ordinem diſtribui hoc tempore curo, eſtque de natura in triplici ſtatu viæ, ſcilicẽt puritatis, integritatis, & corruptionis. Duæ, quæ ſuperſunt partes, in quibus ſcilicet agam de gratia & libero arbitrio in eodem triplici ſtatu diſtinctis, & conſideratis, adhuc elaborari deſiderant; plurimas tamen obſervavi, quæ lucem præſtent, & ipſas aggredienti pervtilia. In tractatum de gratia nonnullas diſputationes ſcriptas habeo, quamvis haud ſatis eas concinaverim. Itaque in dubijs non paucis, quæ ſe ſe oſtendent ex duobus vltimis tractatibus adhuc quomodo me geram non ſtatui: nec mirum: inter tot enim, quibus abſtrahor occupationes reſiduũ tempus iure ſibi vendicavit primus hic tractatus, & tomus de Natura, vbi ex profeſſo de concupiſcentia diſputo, & affirmo, Deum nec potuiſſe quidem creare hominem ab initio, & ante peccatum cum hoc vitio: neque vitium hoc à natura, ſecluſſa originali iuſtitia, provenire; ſed eſſe vnicum, præciſum, neceſſariumque effectum peccati.

1041 Ad primam V.R. inſtantiam, nempe, quomodo Deus poſt peccatum naturam cum hoc vitio, & carnis rebellione deſcendentibus ab Adamo tribuere potuerit; ſi ante peccatum non potuit, duo mihi ſubeunt dicenda. Primum, eâdem me difficultate premi etiamſi cum V. R. conſentiam, admittamque in hoc ſtatu exceſſum concupiſcentiæ, quod in puris naturæ dari nõ potuit, vt V.R. admittit. Ratio eſt: nam hoc foret naturam ex ſe neceſsitari moraliter ad peccandum, ad amittendam beatitudinem naturalem, & damnationem incurrendam, cùm ex ſe ad illam ordinetur. Igitur ſi Deus hac de cauſa non potuit hominem ab initio creare cum tanta rebellione, quomodo poterit eam ipſi tribue-

1040 *PROPVSE à V. R. en la paſſada vn boſquexo de mi idea, de la qual ſolo tengo trabajada la primera parte, que oy voy ordenando, y diſponiendo, que es* de natura in triplici ſtatu viæ, ſcilicet puritatis, integritatis, & corruptionis. *Las otras dos partes, que ſeran* de gratia & libero arbitrio in eodem triplici ſtatu diſtinctis, & conſideratis, *no tengo trabajadas; pero ſi, obſervadas muchas coſas para como tengo de caminar en ellas: y para el tratado* de gratia *tengo algunas diſputas trabajadas, aunque no pulidas: y aſsi oy en muchas dudas, que ſe ofrecerán en los dos vltimos tratados, aun no he determinado el modo de diſcurrir en ellas: que todo el tiempo, en mis muchas ocupaciones, ha avido meneſter eſte primer tratado, y tomo* de natura, *donde ex profeſſo trato de la concupiſcencia, y digo, que ni pudo Dios criar al hõbre* ab initio ante peccatum *con eſte vicio, ni èl nace de la naturaleza*, ſecluſſa originali iuſtitia; *ſino que es vnico, preciſo, y neceſſario efecto del pecado.*

1041 *A la primer inſtancia de V. R. que como aora* poſt peccatum *dà Dios à los deſcendientes de Adam la naturaleza con eſte vicio, y rebelion de la carne, ſi antes no lo pudo hazer? Se me ofrecen dos coſas que dezir. La primera, que me haze eſto la miſma dificultad en la ſentencia de V. R. que admite exceſſo de concupiſcencia en eſte eſtado, que no le pudo aver* in puris naturæ: *porque fuera eſtar* ex ſe *la naturaleza neceſsitada moralmente a pecar, y à perder la bienaventurança natural, y condenarſe, eſtando* ex ſe *ordenada à ella. Pues ſi Dios por eſta cauſa no pudo criar al hombre* ab initio *con tanta rebelion: como oy puede darſela en caſtigo del pecado original, que* phyſicè *no fue voluntario à los deſcendientes, como V. Reverendiſsima dize?*

1042 *Lo ſegundo reſpondo, que tampoco aora haze Dios al hombre con la concupiſcencia: porque aunque nace cõ ella, la contrae* non ex opere Dei; ſed ex infectione, quam reliquit peccatum. *Aſsi lo dize expreſſamente S. Aguſtin* 4. contra Iulianum cap. 16. *donde de propoſito prueva, que la concupiſcencia es inhoneſta*, & quod reddit inhoneſta genitalia corporis humani, *y que el Apoſtol* propriè *llamo à eſtos miembros inhoneſtos; y dize:* Nullo modo enim Deus, & hoc quod eſt peius, ante peccatum, aliquod faceret in membris humani corporis inhoneſtum: *donde aquellas palabras*, & hoc quod eſt peius, ante peccatum, *denotan, que ni aora* poſt peccatum. *Lo qual expreſſamẽte declarò mas abaxo, diziendo, y cerrando el diſcurſo*: Quæ igitur Deus honeſta fecerat, dixit Apoſtolus inhoneſta. Cauſam requiro. Si hoc non peccato factum eſt, vnde factum eſt? Quis honeſta Dei opera dehoneſtavit, vt ea inhoneſta ſanctus Apoſtolus diceret? Vtrùm habitudo, in qua eſt ſolertia creantis, an libido, in qua eſt pœna peccantis? Nam etiam nunc quod Deus ibi facit, honeſtum eſt; quod origo contrahit, inhoneſtum. *En cuyas palabras ſe contiene toda la ſolucion dada.*

1043 *Y aſsi aunque la concupiſcencia es* pœna iuſta peccati, & eſt à Deo vindicante peccatum; *pero no es* pœna ab ipſo inflicta, vel cauſata; ſed contracta: *y Dios caſtigò el pecado con la concupiſcencia, no haziendola de nuevo; ſino dexandola en la naturaleza, donde el pecado la causò: como tambien expreſſamente afirma S. Aguſtin en otro lugar, diziendo*: Voluntati depravatæ dimiſsit, vt hæc eidem eſſet pœna in non faciendo, quod velit. *Y S. Anſelmo*: Vt qualem ſe fecit peccando, talis propagetur. *Fundaſe eſto en vna doctrina, que harà novedad à V. R. y es: que el pecado causò phyſicamente la concupiſcencia en Adam* quoad eius primam exiſtentiam (*y de ſu permanencia aſsi en èl, como en ſus deſcendientes, fue cauſa moral meritoria*) *porque la concupiſcencia en Adam fue ſu miſmo pecado habitual, y eſte digo, que conſiſte en vn habito vicioſo cauſado del acto pecaminoſo*, non ſecundùm ſpecificam rationem gulæ, ſuperbiæ &c. *ſino* ſecundùm rationem genericam averſionis à Deo, & cõverſionis ad creaturam: *y aſsi experimentamos, que el efecto formal de la concupiſcencia en noſotros, es vn faſtidio de todo lo bueno, que mira à Dios, y vna anſia grande de las coſas temporales: aquel faſtidio à las coſas de Dios correſponde à la averſion del pecado; y eſta anſia de las coſas terrenas, à la converſion* ad

rẽ nunc in pœnam peccati originalis; quod phyſicè voluntarium non fuit deſcendẽtibus, vt inquit V. R?

1042 Secundò reſpondeo, nec hodie Deum homines creare cum ipſa concupiſcentia: quia licèt oriantur cum concupiſcentia; non tamen illam contrahunt ex Dei opere; ſed ex infectione, quam reliquit peccatum. Sic expreſsè D. Auguſtinus 4. contra Iulian. cap. 16. vbi ex profeſſo probat concupiſcentiam rem eſſe inhoneſtam, & quæ reddat inhoneſta genitalia corporis humani, & Apoſtolum omni cum proprietate membra hęc inhoneſta vocaſſe, & ait: *Nullo modo enim Deus, & hoc quod eſt peius, ante peccatum, aliquod faceret in membris humani corporis inhoneſtum*: vbi verba illa, *& hoc quod eſt peius, ante peccatum*, innuunt nec nunc quidem poſt peccatum facere; quod inferius expreſsè declaravit, diſcurſumque concluſsit; inquiens: *Quæ igitur Deus honeſta fecerat, dixit Apoſtolus inhoneſta. Cauſam requiro: ſi hoc non peccato factum eſt, vnde factum eſt? Quis honeſta Dei opera dehoneſtavit, vt ea inhoneſta ſanctus Apoſtolus diceret? Vtrùm habitudo, in qua eſt ſolertia creantis, an libido, in qua eſt pœna peccantis? Nam etiam nunc quod Deus ibi facit honeſtum eſt; quod origo contrahit, inhoneſtum.* In quibus verbis tota ſuperior ſolutio continetur.

1043 Itaque verum quidem eſt, cõcupiſcentiam eſſe iuſtam peccati pœnam, & eſſe à Deo vindicante peccatum; non tamen eſt pœna ab ipſo inflicta, vel cauſata; ſed contracta. Deus certè peccatum concupiſcentiæ vindicavit, non quidem ipſam de novo cauſando, ſed cauſatam relinquendo in ea natura, in qua ipſam cauſavit peccatum, vt etiam expreſsè tradit Auguſtinus alibi dicens: *Voluntati depravatæ dimiſsit vt hæc eidem eſſet pœna in non faciendo quod velit.* D. quoque Anſelmus: *Vt qualem ſe fecit peccando, talis propagetur.* Fundatur hoc in quadam doctrina, quæ V. R. fortaſsè novitatem adducet; nempe peccatum cauſaſſe phyſicè concupiſcentiam in Adamo quoad eius primam exiſtentiã (at verò vt illa permaneret tam in Adamo ipſo, quàm in eius deſcendẽtibus cauſa fuit moralis meritoria) quoniam concupiſcentia in Adamo fuit ipſum peccatũ habituale Adami, de quo affirmo conſiſtere in quodam vitioſo habitu ab actu peccaminoſo cauſato, non ſecundùm ſpecificam rationem gulæ, ſuperbiæ &c. ſed ſecundùm rationem genericam averſionis à Deo, & converſionis ad creaturã. Vnde experimur, effectum formalem concupiſcentiæ in nobis eſſe faſtidium quoddam

circa

circa omne illud bonum, quod Deum reſpicit; & è contra magnam cupiditatem circa tẽporalia: faſtidium illud Divinorum correſpõdet averſioni, quæ reperitur in peccato; iſtud verò terrenarum rerum deſiderium reſpondet averſioni ad creaturam, quæ in eodem quoque invenitur. Præfatum habitum peccaminoſum in Adami anima ab ipſius peccaminoſo actu productum ſolus Deus poterat removere, & tollere tam quoad reatum culpæ, quàm quoad entitatem; cùm tamen decreviſſet hominem plectere, & redimere, illum abſtulit per iuſtificationem quoad reatum, & quoad actum reliquit in perenne humanæ inobedientiæ ſignum: & hoc eſt quod Auguſtinus ait de concupiſcentia in poſteris (in qua ponit originale peccatum materialiter, & entitativè, ſicut etiam D. Thomas) nempe in baptiſmo reatu tranſire; actu manere; ſecus ac peccatum actuale, quod actu tranſit, & manet reatu, & quia concupiſcentia eſt effectus phyſicus peccati Adami, vocavit eam *veſtigium peccati*. Ob hunc habitum vitioſum remanſit in Adamo tota natura deordinata, & caro adverſus ſpiritum rebellis, in ſignum videlicet eius erga Deum inobſervantiæ, & rebellionis: cumque tranſire deberet in ſobolem per viam generationis, dum hæc perageretur, tranſivit intentionaliter ſemen deturpando, atque ſigillando, vt in carne prolis quædam turpis qualitas videretur, quæ in anima ſibi vnita eandem inordinationem cauſaret: quemadmodum ſolet id quod parentes in opere generationis enixe imaginantur, tranſire per intentionalem affectionem in filios, vti accidit in virgis Iacob, & ſæpe in alijs caſibus, quos in hanc rem adducit D. Auguſtinus 5. contra Iulian. cap. 9. & 6. contra eundem cap. 7. vnde hæc proficiſcitur doctrina; quæ tot, tantiſque difficultatibus ſcatet, vt in ipſis declarandis totum huius primi tomi tertium librum inſumere cogat, qui parvus non eſt: & enim pluſquam ducenta quadraginta folia manu mea exarata complectitur. Itaque paucula hæc, & non ampliùs leviter hic poſſumus inſinuare.

1044 Ad ſecundam inſtantiam ex libertate ſumptam longè difficilius reſponderi poteſt: fundatur enim in multo pluribus, nec minùs difficilibus principijs. Hic verò id tantùm dicam, neceſsitatem hanc, quam ſecum trahit concupiſcentia, non tollere voluntatis indifferentiã ex parte actus primi. Propter quod, & quia naturalis non eſt, ſed accidentalis, & pœnalis, datur in arbitrio poteſtas antecedens, non vt eam removeat, ſed vt ſuperet, affectum ſcilicèt inclinando, Divina cooperante gratia, in bonum contrarium cum de-

ad creaturam. *Aquel habito pecaminoſo producido en el Alma de Adam por ſu acto de pecado, ſolo Dios le podia remover, y quitar, aſsi* quoad reatum culpæ, *como* quoad entitatem; *pero determinando caſtigar al hombre, y redimirle, le quitò en la juſtificacion* quoad reatum, *y le dexò* quoad actum, *para que fueſſe perpetua ſeñal de ſu deſobediencia: que es lo que S. Aguſtin dize de la cõcupiſcencia* in poſteris (*en la qual pone el pecado original* materialiter, & entitativè, *como tambien Santo Thomas*) *que* in baptiſmo tranſit reatu, & manet actu, *al contrario del pecado actual, que* tranſit actu, & manet reatu. *Y por ſer efecto phyſico del pecado de Adam la concupiſcencia, la llamò veſtigium peccati. Con eſte habito vicioſo quedò deſordenada en Adam toda la naturaleza, y rebelde la carne al eſpiritu, en juſto caſtigo y ſeñal de la deſobediencia, y rebeldia de Adam à Dios: y aviendo de paſſar à ſus deſcendientes por la via de la generacion, al tiempo de ella paſsò ſigillando* intentionaliter *el ſemen, para que en la carne de ſus hijos apareciеſſe vna mala qualidad, que en vniendoſe el alma, cauſaſſe en ella el miſmo deſorden: à la manera que ſuele lo que los padres imaginã vivamente al tiempo de la generacion, paſſar à los hijos por afeccion intencional, como en las varas de Iacob, y en otros caſos, que para eſto trae S. Aguſtin, eſpecialmente* 5. contra Iulian. cap. 9. & 6. contra eundem cap. 7. *de donde ſe toma eſta doctrina, la qual tiene tantas dificultades, que para declararlas todas, gaſto todo el tercer libro de eſte primer tomo, que contiene de mi letra mas de* 120. *pliegos: y aſsi no es poſsible aqui mas de eſta confuſa indicacion.*

1044 *A la ſegunda inſtancia de la libertad tiene mucha mas obra el reſponder, porque ſe funda en muchos mas principios, y no menos dificultoſos: ſolo dirè aqui, que eſta neceſsidad, que induce la concupiſcencia, no quita la indiferencia de la voluntad* ex parte actus primi, *por lo qual, y por no ſer natural, ſino penal, y accidental, ay en el arbitrio poteſtad antecedente, no para removerla; ſino para ſuperarla, aficionandoſe, ayudado de la gracia, al bien contrario con delectacio ſuperior, para que venҫa, y exceda à la delectacion de la concupiſcencia. Fundaſe eſto en vna doctrina de S. Aguſtin, que creo harà tambien novedad, y es: que la voluntad libre, aunque puede moverſe* ad vtrumque extremum; *pero ſegun ſu natural modo de obrar, ſiempre* inevitabiliter *ſe mueve adonde prepondera la* de-

delectacion, y no al contrario: y aſsi dixo S. Aguſtin en la epiſtola 89. Animus velut pondere amore fertur quocumque fertur: *y en el libro* 11. de Civitate *capitulo* 28. Ita enim corpus pondere, ſicut animus amore fertur: *y el cuerpo es cierto, que* moverse pondere *à la parte que prepondera; y ſi no ay prepunderancia, no ſe mueve, como ſe ve en las balanças: y aſsi en eſte vltimo lugar dixo deſpues S. Aguſtin*: Iubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis: *para que aſsi en eſte prepondere; y tenga efecto bueno la voluntad. Y en el libro* de Spiritu, & littera *capitulo* 35. *dixo conſiguientemente*: Eſſet autem ſancta voluntas, ſi ea, quę pertinent ad iuſtitiam ſic delectarent animum, vt quidquid aliud voluptas, ſive dolor impedit, delectatio illa ſuperarit. *Y aſsi puſo la gracia Chriſti medicinal* in pondere charitatis ſuperexcedente pondus concupiſcentię: *y eſta llamò delectacion victrix, no porque ſea* intrinſecè efficax, *como dize el Thomiſta, pues vna miſma delectacio̅ como quatro dada en ocaſion que la concupiſcencia pondere y deleite como tres, ſerá eficaz; y dada en ocaſion que la concupiſcencia pondere como cinco, ſerà ineficaz; ſino porque conociendo Dios las circunſtancias, en que ſe halla la voluntad afecta do la concupiſcencia, le atempera la delectacion de la gracia, ò ſuperior para que vença y ſea eficaz, ò inferior, y queda en ſuficiente. De donde ſe ſigue, que ni el peſo de la concupiſcencia, ni el de la delectacion de la gracia, aunque cada vno en ſu genero trae* inevitabiliter *al acto, quita la libertad: porque antes es neceſſario, que aya alguno de los dos* ex parte actus ſecundi, *para que la voluntad* in effectu *ſe mueva, y exercite ſu libertad, y no ſea* per modum principij.

1045 *Concluyo con dezir, que eſte es mundo nuevo, y muy dilatado, y muy dificultoſo, y eſcabroſo: y para romper alguna ſenda en èl, he trabajado catorçe años (aunque ſi deſcuento lo que me han robado del tiempo las auſencias, y ocupaciones forçoſas, y enfermedades, no quedaràn en cinco) y que ha meneſter mucho mayor capacidad que la mia, y es impoſsible reducir à cartas, noticias que puedan ſubſiſtir: porque de cada vna reſultan muchas, y nuevas dificultades. Quedame el conſuelo, que para mi enſeñança podrè ver la materia de V. R. antes de concluir eſte primer tomo, y que para ſu correccion le pondrè, en acabandole, à la cenſura de V. R. para que como tan gran Maeſtro, y tan Chriſtiano, borre, mude,* delectatione ſuperiori, vt concupiſcentię delectationem vincat, excedatque. Fundatur hoc in quadam D. Auguſtini doctrina, quæ vt puto, novitatem quoque faceſſet: ea eſt, voluntatem liberam, quamvis in vtrumque extremum poſsit moveri; at ſecundùm naturalem modum operandi ipſius ſemper inevitabiliter moveri verſus illam partem, vbi delectatio præponderat, nec vnquam verſus oppoſitam: vnde Auguſtinus epiſt. 89. dixit: *Animus velut pondere, amore fertur quocũque fertur*, & lib. 11. de Civit. cap. 18. *Ita enim corpus pondere, ſicut animus amore fertur.* Atqui certum eſt, corpus in illam partem recũbere, quę præponderat, ita vt ſi non detur ponderis exceſſus, non moveatur, vt videre datur in bilãce. Itaque hoc loco poſtea dixit Auguſtinus: *Iubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis*; vt ſcilicet hoc præponderet, & ſic voluntas in effectum bonum exeat. Et lib. de Spirit. & litt. cap. 35. conſequenter ad hoc ait: *Eſſet autem ſancta voluntas, ſi ea, quæ pertinent ad iuſtitiam ſic delectarent animũ, vt quidquid aliud voluptas, ſive dolor impedit, delectatio illa ſuperarit.* Vnde gratiam Chriſti medicinalem poſuit *in pondere charitatis ſuperexcedente pondus concupiſcentiæ*: & hoc delectationem victricem nominavit, non quia ex ſe ſit, & intrinſecè efficax, vt Thomiſta volet: quandoquidem vna, eademque delectatio vt quatuor, caſu quo concupiſcentia, vt tria delectaret, & ponderaret, collata, eſſet efficax; at verò in occaſione qua vt quinque ponderaret concupiſcẽtia, evaderet inefficax; ſed quia Deus perpenſis circunſtantijs, in quibus voluntas actu inveniretur, ipſi delectationem gratiæ attemperaret, vel eam conferendo ſuperiorem, vt vinceret voluntas, & efficax evaderet auxiliũ, aut inferiorem, quo permaneret merè ſufficiens. Ex quo infertur, nec põdus concupiſcentiæ, nec delectationẽ gratiæ, quamvis vtrumque in ſuo genere inevitabiliter ad actum trahat, libertatem tollere: potiùs enim requiritur, quòd illorũ aliquod ex parte actus ſecundi reperiatur, vt voluntas cum effectu moveatur, ſuamque libertatem exerceat, ita vt per modum principij non ſit.

1045 His denique finem impono; præmonens tamen, hoc eſſe velut in acceſſum pelagus, difficile atque exaſperatum, in quo, vt iter ſternerem per annos quatuordecim laboravi (quamvis reiectis his temporibus, quæ inexcuſabilibus occupationibus, ægrotationibus, variiſque locorum diſcurſibus impendi, vix tandẽ in quinque reſident) quodque ampliorem mentis capacitatem expoſcat, noſtraque ſuperiorem: ideoque per quam difficile vi-

videtur miſsivis iſtiuſmodi litteris ſufficientem rei notitiam comprehendere, vt tandem conſiſtere valeamus, quin vltro, citroque in conſcribendis epiſtolis tempus, & calami ſubrerantur: quavis enim præmiſſa, novæ ſuborientur difficultates. Duo tamen mihi ſolatia reſtant: ſiquidem in meum profectũ V. R. tractatum legere, atque ediſcere ſpero antequam primum hunc tomum abſolvam; & poſtquam abſolvero, V. R. cenſuræ, atque emendationi ſubijcere, qui, vtpotè tantus, tamque Catholicus Magiſter, deleat, muter, tollatque ſi quà iuxta veritatem non eſſe indicaverit, nec in Dei, & Eccleſiæ obſequium ſatis congruentia.

In ſtatu integritatis, & puritatis longè aliter diſcurrendum eſt, in his enim concupiſcentia non obeſt. Vnde D. Auguſtinus in hoc ſolùm ſtatu neceſſariam poſuit hanc ſpecialem gratiam, quam ipſe medicinalem vocat, vt expreſsè tradit in libro de corrept. & grat. cap. 11. mihique perſuaſum habeo D. etiam Thomam eandem doctrinam ſequutum fuiſſe 1. 2. q. 109. ar. 2. in quod non pauca congeſsi, quæ in ſecundum tomum reſervantur. Imo ni fallor, in opere D. Proſperi adverſus collat. cap. 20. & à cap. 16. invenitur neceſsitas hæc pluſquam moralis ad peccatum.

de, y quite, lo que no juzgare en el muy concerniente à la Verdad, y muy conveniente al ſervicio de Dios, y de la Igleſia. In ſtatu integritatis, & puritatis, *diſcurreſe muy de otra manera; porque no ay en ellos el eſtorvo de la concupiſcencia: y aſsi ſolo en eſte eſtado puſo S. Aguſtin neceſſaria eſta eſpecial gracia, que llama medicinal, como expreſsò en el libro* de Corrept. & gratia cap. 11. *Y tengo para mi, que ſiguiò eſta doctrina Santo Thomas* 1. 2. q. 109. ar. 2. *de que tẽgo hecho no pequeño trabajo para el ſegundo tomo. Y ſi no he leydo mal à S. Proſpero* adverſus collat. cap. 20. & à cap. 16. *y en el libro* de ingratis, ſpecialiter à cap. 22. vſque ad 28. *ſe halla clara en èl eſta neceſsidad mas que moral* ad peccatum. *V. R. perdone tan moleſta carta, y le ſuplico no malogre el tiempo en reſponder à ella, ni leer otras tan prolixas, y vanas; ſino ſolo en lo que importa, como acoſtumbra.*

SECTIO XVI.

Fertur iudicium de ſententia Doctoris Complutenſis, quatenus affirmat, hominem cõditum in pura natura, non poſſe habere cõcupiſcentiam rebellem, dum permanet in illo ſtatu innocentiæ.

§. I.

Oſtenditur, hac in parte illam ſententiam eſſe probabilem, & Auguſtino conformem.

1046 EGO Sententiam huius Doctoris conformem cenſeo S. Auguſtini menti, quia apud me fixum eſt, tantam rebellionem appetitus adverſus rationem, quantam filij Adæ experimur in hoc ſtatu lapſus, non potuiſſe competere homini condito in puris naturalis; vt abundè probavi diſp. 3. vbi etiam ſect. 3. ſatis oſtendi, hanc eſſe claram Auguſtini mentem. Nunc addo, abſolutè probabile eſſe, & Auguſtini menti conforme id quod docuit Doctor Complutenſis, nimirum rebellionem contumacem appetitus contra rationem, & quæ imperio eius nequeat compeſci, & ſedari, eſſe eſſentialiter pœnalẽ; & quæ nullo modo potuerit competere homini innocenti condito in puris naturalibus, idque iam aſſerui diſp. 2. n. 44. Pro quo noto ex Cardinali de Lugo diſp. 22. de Incarnat. ſect. 1. nu. 5. eatenus in nobis dari pugnam inter carnem, & ſpiritum, quatenus appetitus ſine vlla ſubordinatione ad rationem prorumpit in affectum efficacem circa obiectum ſuũ, neque poſtea voluntate contradicente reprimitur; ſed adhuc reſiſtit rebellis, in quo potiſsima ratio pugnæ conſiſtit, iuxta illud Apoſtoli Roman. 7. *Video autem aliam legere in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Quare rebellio non conſiſtit in eo quod appetitus ſenſitivus afficiatur per ſimplicem complacẽtiam erga obiectum prohibitum ſine voluntatis imperio, vel licentia. Aliud enim eſt ſubditum aliquid velle ſine licentia ſuperioris; aliud contra eum rebellare: nam hoc ſecundum importat conatum efficacem quãtum eſt ex parte ſubditi contra ſuperioris imperium. Dico ergo: probabile eſt, non fore hanc rebellionem in pura natura: quia cùm appetitus ſenſitivus ſit propter rationalem, & datus ſit homini ad ſerviendum; & non ad dominandum: natura ipſa poſtulat, vt quandiu pars ſuperior, ſeu appetitus rationalis ſubiectus eſt Deo per integram obedientiam mandatorum, nihil agens contra voluntatem, & imperium Creatoris, ſubiectus illi ſit appetitus ſenſitivus, & nihil poſsit efficaciter appetere contra imperium voluntatis.

1047 Quam rationẽ confirmo ex D. Tho. 4. contra gentes cap. 52. quia quod S. Doctor dicit de providentia ſpeciali, & ſupernaturali con-

conſentanea homini condito in puris naturalibus, dici ſine incõmodo poteſt de providentia naturali debita naturę rationali innocenti in ordine ad conſecutionẽ ſui finis naturalis. Sic ergo ait: *Si quis rectè conſideret, ſatis probabiliter poterit æſtimare, Diuina prouidentia ſupoſita, quæ ſingulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptauit, quod Deus ſuperiorem naturam inferiori ad hoc coniunxit, vt ei dominaretur: & ſi quod huius dominij impedimẽtum ex defectu naturæ contingeret, eius ſpeciali, & ſupernaturali beneficio tolleretur* (ego ſic apponerem, *eius ſpeciali, ſed naturæ innocenti debito beneficio tolleretur*) *vt ſcilicet cum anima rationalis ſit altioris naturæ quàm corpus, tali conditione credatur corpori eſſe coniuncta, quod in corpore eſſe non poſſit aliquid contrarium animæ, per quam corpus viuit. Et ſimiliter ſi ratio in homine appetitui ſenſuali coniungitur, & alijs ſenſitiuis potentijs, quod ratio à ſenſitiuis potẽtijs non impediatur; ſed magis eis dominetur. Sic igitur ſecundùm doctrinam fidei ponimus a principio taliter eſſe inſtitutum, quod quandiu ratio hominis Deo eſſet ſubiecta, & inferiores vires ei ſine impedimento deſervirent . . . ratione autem auerſa à Deo, & inferiores vires à ratione repugnarent &c. Sic igitur huiuſmodi defectus quamvis naturales homini videantur, abſolutè conſiderando naturam humanam ex parte eius, quod eſt in ea inferius; tamẽ conſiderando Diuinam prouidentiam, & dignitatem ſuperioris partis humanæ naturæ, ſatis probabiliter probari poteſt, huiuſmodi defectus eſſe pœnales, & ſic colligi poteſt, humanum genus peccato aliquo originali eſſe infectum.* Hactenus S. Thomas; cuius diſcurſus tenet, loquendo de prouidentia ſpeciali debita creaturæ rationali antequã peccato aliquo ſe inficiat, & dum eſt innocens: quandiu enim ratio, & voluntas ſubditur Creatori, poſtulat, vt ei ſubijciatur appetitus: vnde rebellio appetitus ſolùm poteſt eſſe pœnalis: iuſtè enim experitur ſeruum rebellem is, qui contra Creatorem ſponte rebellauit.

1048 Quare debetur homini, quandiu ipſe integram ſeruauerit obedientiã Creatori, vel qualitas aliqua naturalis appetitum continens, ne contra voluntatis imperium efficaciter tendat in obiectum delectabile prohibitum, vel prouidentia ſpecialis appetitum continens in officio. Illa autem qualitas, vel natura, quatenus ſibi vendicans illam ſpecialem prouidentiam, meritò rectitudo, & iuſtitia naturalis appellari poteſt, & ſignificatur illis verbis: *Deus ab initio fecit hominem rectum.* Quamvis enim per illa ſignificetur quoque rectitudo ſupernaturalis, tum ea, per quã voluntas erat ſupernaturaliter inclinata ad amandum Deum ſuper omnia, & tendendum in ipſum vt authorem ſupernaturalem poſſidendum per claram viſionem; tum ea, per quã rectitudo naturalis perficiebatur, & coborabatur, & appetitus ſenſitivus ita continebatur, vt non ſolùm non poſſet cõtra imperium voluntatis efficaciter tendere in ſuum obiectum, ſed neque inefficaciter; imo neque aliquid appetere præter eius imperium. Hanc ſententiam ex Scholaſticis tradiderunt D. Bonaventura, Henricus, & Aureolus citati diſp. 3. ſect. 2. & videtur eſſe ſententia non obſcura Auguſtini, vt probant teſtimonia eius adducta ibi ſection. 3. quæ huc applicanda ſunt. Et præter dicta ibi, hæc Henrici ſententia ſic exponitur à P. Suarez lib. 3. de opere ſex dierum cap. 20. n. 3. vt eius ſententiæ propoſitio & probatio probabilitatem conciliet opinioni huic Doctoris Complutenſis. Henricus ergo quodlib. 6. q. 11. dicit, iuſtitiam originalem præter omnem rectitudinem gratiæ & virtutum infuſarum addidiſſe quandam rectitudinem naturalem, quæ ſeparabilis fuit à voluntate, & de facto ſeparata eſt & amiſſa per peccatum. Cõſiſtebat autem illa rectitudo in poteſtate & pronitate voluntatis ad dominandum appetitui, & illum ſibi obedientem reddendum. Et huic rectitudini oppoſitam eſſe dicit pronitatem ad malum, quæ eſt veluti curvitas quædam voluntatis inflicta illi propter peccatum. Probat Henricus ſuam ſententiam, quia homo peccando non ſolum privatus eſt gratuitis, ſed etiam vulneratus eſt in naturalibus; ergo non ſolùm eſt privatus donis gratiæ, ſed etiam rectitudine naturali. Si enim ablatis gratiæ donis, rectitudo naturalis integra permanſiſſet, nullum poſſet intelligi vulnus inflictum homini in naturalibus, quoad facultatem rectè operandi ſecundùm rationem naturalem; cõfirmat hoc, quia aliàs non eſſet nunc natura lapſa magis obliqua, ſeu curva in naturalibus, quàm eſſet in homine condito à Deo ſine donis gratuitis, quod cenſet inconueniens; quia aliàs vterque illorum hominum eſſet vel æqualiter innocens, vel æqualiter damnabilis & puniendus. Vnde indicat rationem aliam, quia voluntas, cùm libera ſit, poteſt ſeipſam obliquare: ergo poteſt corrupta priori iuſtitia, vitioſam iniuſtitiam inducere: hęc autem iniuſtitia in hoc tantùm conſiſtere videtur, quòd homo non conſeruat rectitudinem naturalem, quam accepit, & cuſtodire deberet: ergo homo creatus ſine donis gratiæ non habet hanc iniuſtitiam, ſeu obliquitatẽ naturæ,

ſed

ſed potius rectitudinem naturalem contrariã: ergo hanc amiſsit homo peccando, & in illa conſiſtebat iuſtitia originalis, prout à gratuita diſtincta eſt. Hactenus Suarez ſententiam Henrici proponens.

1049 Per peccatum itaque amiſsit homo non ſolùm rectitudinem, & integritatem ſupernaturalem, quæ faciebat, vt voluntas omnino deſpoticè imperaret appetitui, & iſte ab eius nutu, & imperio penderet non minus quàm lingua, pes, vel manus, ſed etiam rectitudinem, & integritatem naturalem, quæ in cauſa erat, vt voluntas dominio politico gubernaret appetitum, illumque refrenaret, cùm vellet. Differentiam dominij deſpotici, & politici explicuimus diſp. 2. ſect. 1. cum D. Thoma. Illaque fuit pœna iuſtiſsima peccati, vt enim inquit Auguſtinus lib. 14. de civit. cap. 15. *Merito inobedientiæ inobedientia retributa eſt, nimirum inobedientiæ voluntatis erga Deum retributa eſt inobedientia appetitus erga ipſam voluntatem, vt rebellem experiretur ſervum, qui ſe rebellẽ exhibuit Domino.* Et ideo, vt ipſe inquit lib. 3. de civit. cap. 13. *Poſtquam primi parentes tranſgreſsi ſunt præceptum, ſtatim ſenſerunt motum inobedientis carnis ſuæ tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ, & quia ſuperiorem Dominum anima deſeruerat, inferiorem famulum ad ſuum arbitrium nõ tenebat.* Conſulantur quæ dixi diſp. 2. ſect. 5. num. 44. in favorem probabilitatis opinionis iſtius, in cuius cõfirmationem adduci poſſunt verba Auguſtini citata pag. 35. n. 29. in quibus ait, *eum, qui concupiſcentiæ carnalis modum tenet, malo benè vti*, quod dixit contra Iulianum aſſerentem, *eum, qui concupiſcentiæ carnalis modum tenet, bono benè vti*, probatque Auguſtinus acutè, *concupiſcẽtiam rebellem, contra quam pugnamus, malum eſſe, quia bonum eſt illi concupiſcentiæ repugnare*; nõ eſt autem bonum repugnare bono; ſed repugnare malo. Cùm ergo id, quod eſt malum non poſsit eſſe à Deo, videtur non poſſe eſſe à Deo concupiſcentiam rebellem, ac proinde videtur illam eſſentialiter ſupponere peccatum vt cauſam ſui. Expendantur verba illa Auguſtini lib. 5. contra Iulianum cap. 7. vbi, illum alloquens, inquit: *Adhuc non evigilas, vt intelligas, noſtram naturam non eſſe, ſed vitium, contra quod virtute pugnatur? Neque enim bono bonum; ſed bono vtique malum vincimus.* Et lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 17. ait concupiſcentiam adeo effrenem, & rebellem eſſe, *vt nihil aliud in obedientia ſua, quàm illius priſcæ inobedientiæ pœnam eſſe teſtetur.* Hac de cauſa Alexander Alenſis p. 2. quæſt. 106. memb. 7. art. 3. & 8. *concupiſcentiam* appellat, *tyrannum in membris*: & meritò, nam vt inquit Auguſtinus lib. 14. de civitate, capite vigeſimo, concupiſcentia eſt, *quæ genitalia corporis membra ſolis ſuis motibus ſubdidit, & poteſtati voluntis eripuit.*

1050 Non ſolùm autem concupiſcentia hæc, quæ veluti tyrannus regnat in illis membris, ea eripuit de voluntatis poteſtate, quæ ei competebat ex gratia ſupernaturali: ſed ex poteſtate voluntatis ipſi naturaliter competente, dum ipſa voluntas ſubiectionem debitam exhiberet creatori. Nam voluntas naturaliter dominari debet appetitui, dum ipſa obedientiam ſervat erga ſuperiorem Deum: vt enim inquit Auguſtinus lib. 2. contra Iulianum capite 8. cum Ambroſio: *Princeps & domina carnis naturaliter anima eſt, quæ domare carnem debet, & regere.* Hinc idem Auguſtinus libro 1. de libero arbitrio cap. 10. meritò aiebat: *Neceſſe arbitror eſſe, vt plus poſsit mens, quàm cupiditas, eo ipſo quòd cupiditati rectè, iuſtèque dominatur*; & ibidem capite 8. dixerat: *Ratio iſta vel mens, vel ſpiritus, cùm irrationales animi motus regit, id tunc dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam æternam eſſe comperimus. Lex verò æterna* (inquit idem Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 27.) *eſt ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens; perturbari vetans*: & poſtmodum ſubiungit: *Quiſnam igitur ſit in homine naturalis ordo, quærendum eſt: conſtat enim homo & anima, & corpore; ſed hoc & pecus. Nulli autem dubium eſt, animam corpori naturali ordine præponendam. Verum animæ hominis ineſt ratio, quæ pecori non ineſt, proindeque ſicut anima corpori, ita ipſius animæ ratio cæteris partibus, quas habent & beſtiæ, naturæ lege præponitur.* Et hoc ipſum repetens libro decimo nono de civitate capite quarto: *Quid* (inquit) *iuſtitia, cuius munus eſt ſua cuique tribuere? Vnde fit in ipſo homine quidam iuſtus ordo naturæ, vt anima ſubdatur Deo, & animæ caro, ac per hoc Deo & animæ, & caro.*

1051 Quapropter ratio ex natura ſua habet dominium, & principatum politicum ſupra appetitum, licèt non deſpoticum, vt cum Philoſopho 1. Politicor. cap. 3. docet D. Thomas 1. 2. q. 59. art. 4. ad 3. Vt autem ratio hominis dominetur appetitui dominio politico debet eſſe potentior illo ad eum ordinandum, & ſibi ſubijciendum, cohibendo ipſum à malo, & dirigendo ad bonum, cùm

inanis, & nugatorius ſit principatus, in quo ſuperior non poſsit ſubditos compeſcere, & ditioni ſuæ ſubijcere. Hinc autem infertur, non fuiſſe neceſſariam in primordio naturæ iuſtitiam originalem, & rectitudinem ſupernaturalem, vt homo conderetur ſine rebellione contumaci appetitus contra rationem, prout neceſſariam eſſe dixit Ianſenius, hinc argumentum ſumens ad negandum poſsibilitatem ſtatus puræ naturæ, in quo homo non elevaretur per iuſtitiam originalem ad finem ſupernaturalem viſionis beatificæ. Infertur, inquam, non fuiſſe neceſſariam rectitudinem illam ſupernaturalem, cùm ad hoc ſufficeret rectitudo naturalis debita naturæ innocenti, & dominium politicum, quod naturaliter cõpetit rationi ſupra appetitum, dum illa non deordinatur per peccatum. In ſtatu innocentiæ habuit Adamus ſupra appetitum non ſolùm dominium politicum; ſed omnino deſpoticum, vt §. ſequenti explicabimus; per peccatum verò amiſsit vtrumque dominium, & ratio redacta eſt in ſeruitutem peccati ſub tyrannide concupiſcẽtiæ carnis, donec per gratiam Chriſti liberetur, & dominium peccato amiſſum illi miſericorditer reſtituatur.

1052 Et ſanè, hanc eſſe ſententiam Auguſtini, facilè iudicabit qui ipſum attentè legerit lib. 4. contra Iulianum cap. 12. lib. 1. de nuptijs, & concupiſc. cap. 6. lib. 14. de ciuit. cap. 19. 20. & 24. lib. 1. de nuptijs initio, cap. 5. & lib. 2. cap. 3. 5. 9. 14. & 31. lib. de Geneſ. ad litt. cap. 10. lib. 2. de gratia Chriſti cap. 34. lib. 2. contra duas epiſt. Pelagianorum cap. 13. & 15.

§. II.

Soluuntur argumenta petita ex Bulla contra Baium, & ex authoritate Auguſtini aduerſus ſententiam illam Doctoris Complutenſis.

1053 OBIICIES Primò, ſententiam illã non componi cum Bulla Pontificum contra Baium, in qua damnatur illa eius propoſitio: *Integritas primæ conditionis nõ fuit indebita naturæ humanæ exaltatio; ſed naturalis eius conditio:* ergo non eſt probabilis. Reſpondeo, negando aſſumptum. Primò, quia nomine integritatis ibi ſignificatur omnis perfectio, quam Adamus in ſua creatione accepit, & iuſtitia originalis, quam transfuſurus erat in poſteros: hæc autem principaliter importat gratiam ſanctificãtem: quod vel inde probatur: quia dum Theologi communiter aſſerunt, peccatum originale cõſiſtere in priuatione iuſtitiæ originalis, nomine iuſtitiæ originalis præcipuè intelligunt gratiam ſanctificantem, non autem illud donum, cuius munus erat ſubdere appetitum rationi: peccatum namque originale remittitur, manente in homine priuatione huius doni, vt patet in illis, qui per baptiſmum iuſtificantur, qui non recuperant iuſtitiam originalem, quatenus ſubdebat appetitum rationi, ſed manente in ipſis fomite, & rebellione carnis contra ſpiritum, obtinent remiſsionem culpæ originalis: ergo peccatum originale non conſiſtit in priuatione iuſtitiæ originalis, quatenus præcisè habebat munus ſubdendi appetitum ſenſitivum voluntati; vt ſolùm ad eius nutum moueretur: ſiquidem de facto manẽte in homine hac priuatione, peccatum originale eſt verè, & propriè remiſſum, *nihilque manet damnationis in his, qui renati ſunt ex aqua, & Spiritu ſancto*, vt definit Tridentinum.

1054 Secundò probatur illam opinionem non opponi cum Bulla: quia licèt nomine integritatis intelligeretur præcisè donum illud, quod Adamus in ſua creatione accepit, vt eius appetitus eſſet ſubditus voluntati; illud donum adæquatè inſpectum erat ſupernaturale, & indebitum, quia eius munus erat ita ſubijcere appetitum ſenſitivum voluntati, vt ille non poſſet in vllum omnino motum nec efficacem, nec inefficacem, neque conſequentem, neque antecedentem erumpere, niſi ex imperio voluntatis, cui tribuebat dominium omnino deſpoticum ſupra appetitum, vt non minus quam lingua, vel manus ad eius præcisè nutum moueretur. Integritas autem hæc, ſeu rectitudo non erat naturalis, & debita naturæ innocenti, ipſiſque propria, vt falsò putauit Ianſenius exiſtimans naturæ innocenti repugnare motum omnem concupiſcentiæ non regulatum à ratione; ſed erat ſupernaturalis, & indebita naturæ, ab eaque ſeparabilis: quamuis naturalis eſſet rectitudo refrænans appetitum, ne contra voluntatis imperium efficaciter tenderet in obiectum ſuum delectabile; ſiquidem rectitudo naturalis permitteret motum inefficacem, ſeu ſimplicem complacentiam appetitus erga ſuum delectabile; nec daret voluntati dominium deſpoticum; ſed politicum erga appetitum. Vnde ſicut ſubditus impotens rebellare contra ſuperiorem, & omnino determinatus ad ſequendum ſuperioris imperium, quando ſeriò aliquid præcipit; poteſt nihilominus interdum muſitare, & elicere actum complacentiæ ſimplicis erga rem à ſuperiore prohibitam; quin propterea ſit, aut verè dicatur contra ſuperiorem rebellis; ita in noſtro caſu homo conditus

in

in pura natura haberet appetitum omnino determinatum ad sequendum motum voluntatis seriò aliquid præcipientis; & tamen posset affectu simplicis complacentiæ affici erga obiectum suum, quamvis à voluntate prohibitum, & se haberet instar subditi adversus superiorem mussitantis; non audentis tamen, vel non potentis adversus illum rebellare.

Alia etiam ratione erat indebita homini integritas primæ conditionis, non solùm quatenus impediebat omnem motum sensualitatis non provenientem ex imperio rationis, & dabat voluntati supra appetitum dominium despoticum; sed quatenus impediebat libidinem omnem etiam licitam, & provenientem ex imperio voluntatis: quia in statu integritatis supernaturalis possent homines vacare filiorum procreationi sine vlla libidine; & tamen nõ possent in statu puræ naturæ, vt statim dicemus. Pariter explicari debet illa propositio Baij damnata à Summis Pontificibus, *DEVS NON POTVISSET AB INITIO TALEM HOMINEM CONDERE*: siquidem sensus præcipuè intentus à Baio, fuit negare, quòd Deus potuerit primò condere Adamum cum privatione gratiæ iustificantis, cum qua nunc nascitur, & cum alijs imperfectionibus, quas explicui disputatione tertia sectione vltima ad finem. Non damnassent autem Baium, si solùm dixisset, Deum non potuisse condere hominem cum concupiscentia rebelli.

1055 Obijcies secundò, authoritatem illam sancti Augustini ex libro quarto contra Iulian. capite vltimo supra expressam disputatione secunda sectione prima numero quarto, vbi de Paradiso loquens, inquit: *Gratia quippe Dei magna ibi erat, vbi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat*: ergo iuxta sanctum Augustinum carentia libidinis in homine provenit à gratia, & est effectus iustitiæ originalis supernaturalis: ergo iuxta sanctum Augustinum non est naturalis, & debita naturæ humanæ innocenti carentia rebellionis appetitus ad rationem. Respondeo, aliud esse carentiam libidinis, & aliud longè diversum carentiam rebellionis, naturæque innocenti deberi appetitum impotentem rebellare contra voluntatem; non deberi autem appetitum potentem licitè vacare filiorum generationi sine libidine; non dicit autem sanctus Augustinus: *Magna gratia Dei ibi erat, vbi terrenum, & animale corpus rebellionem carnis adversus spiritum non habebat; sed vbi bestialem libidinem non habebat*: plus est enim non habere libidinem bestialem, quàm non habere rebellionem contumacem: quare magnum datur discrimen inter statum puræ naturæ, & statum illud fœlicissimum, quem habuerunt primi parentes in Paradiso.

1056 Nam iuxta opinionem sancti Augustini, in statu iustitiæ originalis supernaturalis nulla libido esset: in statu autem puræ naturæ libido foret absq; dubio, quamvis diceremus, illam non antecedere; sed subsequi imperium rationis: quia videlicet in pura natura non possent homines ex imperio voluntatis honestè filiorum procreationi intendere, quin interveniret libido, quæ mentis, & corporis tranquillitatem turbaret; at in Paradiso, vt inquit sanctus Augustinus libro 14. de civit. cap. 26. *Eo voluntatis motu moveretur ea membra, quo cætera, & sine ardore, & illecebroso stimulo cum tranquillitate animæ, & corporis.* Et vt ait lib. 4. contra Iulian. cap. 14. *In Paradiso concupiscentia carnalis non aliàs adesset, nisi cum per illam vel saluti esset corporis, vel stirpis propagationi consulendum. Et tanta adesset, vt nullo modo mentem de supernarum cogitationum delectatione deponeret.* Et vt inquit idem sanctus Augustinus libro 2. contra Pelagium, & Cœlestium de peccato originali cap. 36. *Absit vt opinemur tales futuras fuisse nuptias in Paradiso, vt in eis ad prolem seminandam, non natura voluntatis, sicut pes ad deambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum; sed æstu libidinis membra illa moverentur.* At in statu puræ naturæ etiam si absque imperio voluntatis appetitus carnalis non excitaretur; tamen non sine æstu libidinis, & impedimento contemplationis homines incumberent honestę filiorum procreationi.

1057 In pura itaque natura, quamvis possent insurgere motus appetitus præter imperium rationis; non tamen contra illud; sed cum primum voluntas subiecta Deo imperaret appetitui cessationem à motu suo erga obiectũ delectabile, appetitus ab illo cessaret, cùm enim datus sit ad serviendum voluntati: nequit esse illi rebellis, dum ipsa se obedientem exhibet creatori, facileque tunc voluntas motum appetitus comprimeret, avertendo ab obiecto delectabili imaginationem, & vividè sibi representando motiva honesta, quæ ipsam efficaciter moverent ad odio habendum illud obiectum: cùm enim eadem anima, quæ per cognitionem boni delectabilis movetur ad ipsum amandum appetitu sensitivo, moveatur per cognitionem boni honesti ad amandum

per voluntatem illud bonum : tantundem retrahitur ab amore boni delectabilis, quantum incitatur ad amorem oppoſitum boni honeſti: vnde per vividam cognitionem huius boni excitaretur efficaciter ad deſiderium efficax boni honeſti : appetitus autem ſenſitivus non poſſet tunc huic deſiderio refragari , conando efficaciter in obiectum oppoſitum.

1058 Hæc autem naturalis ſubiectio appetitus ad rationem, dum voluntas ipſa ſubditur Deo, probatur vltra dicta, ex Auguſtino lib. 1. de nuptijs, & concupiſc. cap. 6. qui de ſtatu illo , quem Adamus in Paradiſo habuit, loquēs, inquit: *Ibi enim homo primitus, Dei lege tranſgreſſa, aliam legem repugnantem legi mentis ſuæ habere cœpit in mēbris, & inobedientiæ ſuæ malum ſenſit, quando ſibi retributam digniſsimè inobedientiam ſuæ carnis invenit. Et contemnendo imperantē Deum, etiam in membra propria proprium perdidit imperium. Vbi autem conveniētius monſtraretur inobedientiæ merito depravatam eſſe humanam naturam, quam in his inobedientibus locis, vnde per ſucceſsionem exiſtit ipſa humana natura?* Nam ideo propriè iſtæ corporis partes naturæ nomine nuncupantur. Idem docuit ſerm. 22. de verbis Apoſtol. cap. 3. & lib. 1. operis imperfecti cōtra Iulian. cap. 57. & lib. 2. cap. 42. & 45. & lib. 14. de civit. cap. 26.

1059 Dices : homo naturæ ſuæ relictus, & in puris naturalibus cōditus bona impellentia ad operationes honeſtas cognoſceret valde imperfectè, & tanquam abſentia , & per alienas ſpecies repreſentata; bona verò delectabilia, & temporalia ſtimulantia concupiſcentiam cognoſceret immediatè, perfectè per ſpecies proprias tanquam præſentia: ergo niſi voluntas adiuvaretur à Deo per ſpeciale aliquod adiutorium, non poſſet ſubiugare appetitum. Ergo homini in pura natura condito non eſt debita virtus ad ſubijciendum appetitum, & compeſcendum eius motus. Reſpōdeo, ipſam naturam rationalem dictare operationē turpem eſſe fugiendam, &, dum ipſa eſt innocens, illi debetur cognitio vehementer inclinans ad imperandum efficaciter appetitui, vt non tendat in obiectū turpe: quo imperio poſito, ei obediret ſine rebellione appetitus, quia cùm creatus ſit ad ſerviendum rationi , debet illi obedire, dum ipſa fuerit obediens Deo, & quamvis ante imperium rationis prohibens motum eius in obiectū delectabile turpe; poſſet forſan appetitus erumpere in motum efficacem erga illud; nihilominus poſt imperium voluntatis prohibentis continuationem illius motus, deberet ab illo ceſſare, & obedire voluntati : ita vt ſpiritum obedientem Deo neque peccare , neque pugnare compelleret , vt loquitur Auguſtinus lib. 1. oper. imperf. cap. 57. & vt ipſe inquit lib. 2. eiuſdem operis cap. *Ita tunc appetitus eſſet ſubſequens voluntatem , vt nunquam poſſet ſollicitare nolentem.*

SECTIO XVII.

Commodum huius ſententiæ: quia iuxta illā facilè exponitur, quomodo in natura lapſa ſit neceſſaria peculiaris gratia per Chriſtū ad ſingulas tentationes vincendas ; & ad ſingula opera moraliter honeſta exercenda.

1060 PATER Vazquez 1. 2. diſp. 189. & 190. ſatis efficaciter oſtendit neceſsitatem illam gratiæ, & alij authores, quos citavimus ſuprà ſect. 15. num. id ipſum affirmant. Et hanc eſſe perſpicuam Auguſtini ſententiam veriſsimum ego cenſeo cum eodē Vazquez, vt enim inquit ipſe tr. 81. in Ioan. exponens illa verba Chriſti, *Sine me nihil poteſtis facere; ſine ergo multum, ſine parum ſine illo fieri non poteſt , ſine quo nihil fieri poteſt.* Et vt ait cap. 2. de corrept. & grat. *Intelligenda eſt gratia Dei per Ieſum-Chriſtum Dominū noſtrum, qua ſola homines liberantur à malo , & ſine qua nullum prorſus ſive cogitando , ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt bonum.* Et vt loquitur lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 3. circa finem: *Nec poteſt homo boni aliquid velle, niſi adiuvetur ab eo , qui malum non poteſt velle, hoc eſt gratia Dei per Dominū noſtrum Ieſum-Chriſtum.* Quæ propoſitiones vniverſales eſſent planè falſæ , ſi aliquam tentationem poſſet homo honeſtè vincere, & aliquod bonum opus morale laudabiliter exercere ſine gratia Dei per Chriſtum. Eſtque violenta expoſitio dicere, Auguſtinum loqui determinatè de victoria ſupernaturali tentationum per ſe conducente ad ſalutem & beatitudinem ſupernaturalem ; & de operibus bonis per ſe directè conducentibus ad ſalutem: quia illam limitationem ipſe non adhibet ; & propoſitiones illæ ſic abſolutè prolatæ eſſent falſæ, & Auguſtino indignæ, ſi aliquod opus vndequaque honeſtum poſsit homo exercere ſine ſpeciali auxilio gratiæ in hoc ſtatu lapſus, de quo Auguſtinus loquitur: ergo ex mente Auguſtini hoc non poteſt homo lapſus. Et epiſt. 106. duabus columnis ante finem , de Pelagio loquens inquit: *Aliquando ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit, vt aliquantum etiam ad non peccandum valere definiat.* Et hoc placitum re-

fu-

fotans, ſtatim ſubiungit: *Quod ſi ita eſt, & nullus locus adiutorio gratiæ reſeruatur, ſine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere.* Planum ergo eſt, ex mente Auguſtini gratiam eſſe neceſſariam ad quamcunque tentationem, etiam levem ſine peccato vincendam.

1061 Quam ſententiam ſatis clarè docuit Cœleſtinus primus epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 7. dum aſſeruit: *Nemo niſi per Chriſtum libero benè vtitur arbitrio.* & Cõcilium Arauſicanum II. can. 22. dum pronunciavit, *nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.* Tanta autem gratiæ neceſsitas facilè intelligitur, ſi fundetur non in ipſa natura rationali ſecundùm ſe; ſed in ipſa vt infecta per peccatum, ratione cuius ei competat concupiſcentia adeò effrenis, & rebellis, vt vinci non poſsit, niſi adiutorio gratiæ ſpecialis; quæ concupiſcentia ei non potuerit competere, ſi conderetur in puris naturalibus; vt docet Doctor Complutenſis. At P. Vazquez tantam neceſsitatem gratiæ fundat in ipſa natura rationali creata ſecundùm ſe; vt enim ipſe docet 1. 2. diſp. 138. cap. 2. & reperit diſp. 185. cap. 12. num. 60. cum Caietano & Soto, *homo in natura pura, & in natura lapſa (intellige cum peccato ſolo originali) ſolùm differunt ſicut homo nudus & ſpoliatus, quia in natura lapſa negatio gratiæ habet rationem priuationis; in ſtatu verò puræ naturæ ſolùm haberet rationem ſimplicis negationis.* Qui ſtatim ſubiũgit: *Quare quod attinet ad potentiam aut imbecillitatẽ propriam rectè operandi nullo modo differunt.* Et expreſsè affirmat, *non eſſe maiorem carnis rebellionem in homine poſt naturã lapſam, quàm eſſet in pura natura.* Et demum ſic concludit: *Adde etiam, quòd licèt homo lapſus in peccatum proprium actuale, habeat propriam maculã peccati: tamen, quod attinet ad rebellionem carnis, & pugnam cum ratione, eodem modo videtur ſe habere, ac ſi in pura natura eſſet, niſi ratione mali habitus magis proclivis fiat ad malũ: imo verò etiamſi in hoc ſtatu naturæ lapſæ poſt peccatum primi parentis homo iuſtificetur, pugna illa rationis & carnis adhuc manet.* Hæc Vazquez.

1062 Cuius doctrina mihi falſa hac in parte videtur; quia, vt latè oſtendi diſp. 3. & dixi breviter in hac diſp. ſect. 15. impoſsibile eſt, quòd natura rationalis à Deo condita in puris naturalibus magis proclivis ſit ad bonum delectabile rationi contrarium, quàm ad bonum honeſtum; & præcipuè quod hæc proclivitas ad malum ſit tanta, quòd ſine ſpeciali auxilio gratiæ toti naturæ in omnibus individuis indebito ſit abſolutè impotens vllam tẽtationem vincere, & aliquod bonum opus ex fine & circunſtantijs honeſtum facere. Cùm enim natura rationalis per ſe ordinetur tanquam ad finem ad cognoſcendum & amandum Deum vt auctorem naturæ & ad illius poſſeſſionem perveniendum per exercitium virtutũ; ei debetur facultas expedita ad bonum honeſtum, maiorque inclinatio ad virtutem quàm ad vitium, vel ſaltem non minor: ac proinde ei in ſtatu puræ naturæ exiſtenti non eſſet neceſſarium ſpeciale auxilium gratiæ ad vincendas ſingulas tentationes, & ſingula virtutum opera exercenda; ſed poſſet ſine ſpeciali auxilio gratiæ opera virtutis exercere, imo & aliquando creatorem ſuper omnia diligere: quia naturæ rationali conditæ ad Deum amandum, dum eſt innocens, debetur facultas proximè expedita ad amandum ſine difficultate creatorem: eſt autem moraliter impoſsibile, quòd hæc facultas omnibus individuis detur, & quòd nullus eorum illa benè vtatur. Et ſanè Auguſtinus in omnibus ſuis de gratia Chriſti libris diſputat contra Pelagianos, vel Pelagianorum reliquias, qui hæretici cùm negarent peccatum originale, conſequenter inficiebantur per peccatum infirmatam eſſe naturam, ideoque neceſsitatem gratiæ pernegabant. Auguſtinus verò oppoſitum fundamentum perpetuò vrget, nempe naturam, & libertatem ad benè agendum, peccato fauciatam & infirmitam, & penè ad nihilum redactam; cui fundamento oppoſitam Pelagianiſmo concluſionem de neceſsitate gratiæ continenter ſuperſtruit. Ergo Auguſtinus maiorem neceſsitatem gratiæ ad vincendas tentationes, & benè agendum agnoſcit in natura lapſa, quàm illam, quæ foret in natura integra, & innocenti, in puris naturalibus condita. Et ſanè in natura lapſa auxilium gratiæ non ſolùm eſt neceſſarium vt quis vincat graves tentationes, & diu obſervet totam legem, ſed etiam vt abſolutè & ſimpliciter ſit potens. At in natura pura carente rebellione appetitus, & habente rectitudinem quandam & integritatem naturalem, licet auxilium gratiæ propter inconſtantiam voluntatis foret neceſſarium ad diu obſervandam legem naturalem, & perſeverandum in innocentia; non tamen vt homo ſimpliciter eſſet potens: nam ſanitas ipſa naturæ & integritas ipſi connaturalis ante peccatum, æquivaleret auxilio ſpeciali requiſito in ſtatu lapſus propter rebellionem carnis adverſus ſpiritum, & præveniret neceſsitatem talis auxilij vberioris & ſpecialis; vt in ſimili docet Pater Suarez libro 10. de gratia capite 9. num. 5. in fine.

1063 Hinc impugnanda venit doctri-

na, quam habet Caietanus 12. quæſt. 109. art. 2. §. *ſecundùm dubium*, vbi notat, naturam humanam in quinque ſtatibus conſiderari poſſe. Primò *in puris naturalibus*. Secundò *in ſtatu conſono naturæ rationali, vt ſcilicèt ſeruetur rectitudo rationalis in omnibus partibus animæ*. Tertiò *in ſtatu iuſtitiæ originalis, ſeclusa gratia gratum facente ſecundùm rem vel rationem*. Quartò *in ſtatu gratiæ gratum facientis*. Quintò *in ſtatu naturæ lapſæ*. Si autem ab illo quæras, quænam ſit differentia inter naturam in puris naturalibus, & naturam lapſam, reſpondet, *tantam eſſe, quanta eſt inter perſonam nudam ab initio, & perſonam ſpoliatam*. Et addit, *hoc à ſe dici ſecundùm rem; ſecundùm rationes verò rerum multa aduenire. Sicut enim perſona ſpoliata non diſtinguitur in hoc, quòd vna ſit magis aut minùs nuda: ita natura in puris naturalibus, & natura ſpoliata gratia & iuſtitia originali non differunt per hoc, quòd altera earum ſit magis aut minùs naturalibus deſtituta. Et ratio eſt, quia deſtitutio ſequens ſpoliationem gratiæ & iuſtitiæ originalis, non eſt effectus illius, niſi per accidens vt remouentis prohibens. Spoliatio enim abſtulit gratiam & iuſtitiam, quæ prohibebat vires animæ ſecundùm ſe ipſas diſponi. Ex remouente namque prohibens non ſequitur maior aut minor effectus naturalis, quàm ex natura ſequatur. non enim magis aut minus mouetur lapis remoto prohibente, quàm à grauitate propria abſolutè fuiſſet motus. Propter quod cùm natura ex peccato originali ſit ſibi ipſi relicta tam in anima, quam in corpore, non maior deſtitutio eſt in natura lapſa, quàm in natura in puris naturalibus: ſicut non eſt magis redditum corruptibile corpus noſtrum ex peccato originali ſibi derelictum, quàm ex natura fuiſſet ſimpliciter. Sed quantùm ad rationes rerum magna differentia eſt: quia ſicut in perſona nuda, nuditas negationis rationem habet; in ſpoliata autem habet rationem priuationis veſtis debitæ conſeruari &c. ita defectus animæ & corporis naturæ in puris naturalibus, nec culpæ, nec pœnæ, nec vulnerum &c. rationem habent, ſed naturalium conditionum. In natura autem lapſa habent rationem corruptionum, vulnerum, pœnæ, & culpæ in parte ſuſceptiua illius*. Hinc infert Caietanus, *quòd quantum ad ſufficientiam naturæ humanæ ad opera naturæ proportionata, idem eſt iudicium de natura in puris naturalibus, & in natura lapſa, quia vtrobique vires ſunt æquè diſpoſitæ*.

1064 Si verò ab eodem Caietano quæras, quænam ſit differentia inter naturam in puris naturalibus, & naturam in ſtatu conſono naturæ rationali; reſpondet, *differentiam claram eſſe, quòd in natura in puris naturalibus contrariatur appetitus ſenſibilis & rationalis, dū non plenè rationali ſubijcitur ſenſibilis, ſed ſit liber tendens quandoque in proprium bonum. In ſtatu autem eo conſono naturæ rationali pars ſuperior rectè ſe habet ad Deum vt principium omnium naturaliter notum, & inferiora à rationis ordine etſi exorbitare poſſint, non tamen permittuntur. Huiuſmodi namque vita naturalis eſt homini ſecundùm rationalem naturam, quoniam naturale bonum eius eſt ſecundùm rationem eſſe; naturalis, non vt ex principijs naturæ fluens, ſed vt ſecundùm naturam exiſtens rationalem*. Hucuſque ſubtilis Caietanus.

1065 Hęc autem doctrina ex dictis validè impugnatur: quia abſurdum videtur, ſtatum conſonum naturæ rationali non exigi ab ipſa natura rationali, dum eſt innocens, & voluntariè non deſerit ordinem à creatore præſcriptum. Ratio enim ex natura ſua poſtulat habere imperium ſupra appetitum; vnde illi, dum innocentiam conſervat, debentur vires ſufficientes ad compeſcendum appetitum ſenſitivum, & non permittendam rebellionem contumacem carnis adverſus ſpiritum. Nec poteſt eſſe connaturalis, & ex principijs naturæ fluens tanta rebellio appetitus adverſus rationem, & carnis adverſus ſpiritum, quantam in ſtatu lapſus experiuntur filij Adæ; ſed neceſſariò debet eſſe pœnalis. Vnde dictū illud Auguſtini lib. 14. de Civit. cap. 15. *Meritò inobedientiæ inobedientia retributa eſt, nimirum inobedientiæ voluntatis erga Deum retributa eſt inobedientia appetitus erga ipſam voluntatem, vt rebellem experiatur ſeruum, qui ſe rebellem exhibuit Domino*: Non ſolùm intelligi debet per accidens & de facto; ſed ex terminis & per ſe; vt penitus impoſſibile fuerit, è manibus Dei exire hominem cū rebellione adeò contumaci appetitus contra rationem; vt oſtendi diſput. 3. quam in ſcholis dictavi anno 1677. & hanc ſententiam, præter ibi citatos, ſectantur alij, quos vſque nunc videre nō contigit; nimirum M. Lemos in Panopha gratiæ t. 1. tr. 1. de lęſione liberi arbitrij per peccatum originale, qui cenſet hanc doctrinam tanti momenti eſſe ad iacienda fundamenta totius doctrinæ Catholicæ circa gratiam & peccatum originale, vt vix, aut ne vix quidem poſsit ſubſtituere; ſi aſſera-

ſeratur naturam infectam peccato originis habere eaſdem vires ad bonum agendum, & vitandum malum, quas haberet cõdita in naturalibus puris. Item Vincentius Contenſon tom. 5. diſſert. 1. ſpeculat. 3. & Henricus de Noris in Vindiciis Auguſtinianis pag. 35. 36. & 37. Nec verificari poteſt propriè quòd natura per peccatum nõ ſolùm ſpoliata ſit gratuitis, ſed vulnerata naturalibus; ſi natura lapſa eaſdem omnino habet vires, eandemque poſtulat creatoris providẽtiam, ac natura pura; vt ſuprà dicebat Henricus de Gandavo: vnde dicendum videtur naturæ rationali innocenti deberi rectitudinem quandam naturalem impedientem rebellionem appetitus contra rationem, dum ipſa ſervaverit obedientiam debitam creatori, quæ rectitudo nõ ſit proprietas naturam conſequens pro omni ſtatu, ſed ornamentum illi debitum, dũ conſervat debitam obedientiam creatori: quâ rectitudine iuſtiſsimè ſpoliata fuit per peccatum; quia iuſtum eſt, vt inferiorem experiatur contumacem, qui ſe adverſus ſuperiorem inobedientem, & rebellem oſtendit: & ſic per peccatum originale nõ ſolùm amiſsit homo rectitudinem ſupernaturalem gratiæ gratum faciẽtis, & iuſtitiam originalem impediẽtem omnem motum etiam inefficacem appetitus contra rationem; ſed etiam rectitudinem naturalem, quæ rebellionem & contumacem inobedientiam impediebat, & erat veluti frenum datum rationi ad gubernandũ appetitum, & quaſi habena, quâ concupiſcẽtiam in officio continebat, mediâ quâ rectitudine naturali pars ſuperior inferiorem ſibi ſubijciebat.

1066 Et hæc ſententia neceſſaria videtur ad explicandum difficilem Auguſtini locum, qui lib. de Bono perſever. cap. 7. dixit: *Hoc quod eſt non diſcedere a Deo per peccatum intrando in tentationem, nõ eſſe omnino in viribus liberi arbitrij in ſtatu naturæ lapſæ; fuiſſe autẽ in viribus arbitrij in ſtatu naturæ integræ: nõ eſt hoc* (inquit) *omnino in viribus liberi arbit. quales nunc ſunt; fuerat autem in homine, antequam caderet.* Vbi neceſſe eſt, vt loquatur de viribus arbitrij præciſis à gratia omninò indebita naturæ; ſiquidem in viribus arbitrij ornati gratiâ etiam nunc eſt non diſcedere à Deo per peccatum. Sentit ergo Auguſtinus libero arbitrio ante peccatum deberi vires naturales, vi quarum moraliter potens ſit nõ diſcedere à Deo committendo peccatũ mortale; quibus viribus caret arbitrium in hoc ſtatu lapſus ſeclusa gratia. Vnde ſtatim ſubiungit Auguſtinus: *Poſt caſum hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad Deum: nec niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo.* Idque ipſum videtur expreſsiſſe Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio, vbi inquit: *Non poſſe à libidinoſis operibus temperare non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Idque ipſum ſatis perſuadent alia Auguſtini teſtimonia citata ſect. præcedenti.

SECTIO VLTIMA.

Concluditur diſputatio, vbi de obitu Doctoris Complutenſis, & de ſtatu in quo remanſerunt eius ſcripta.

1067 POSTQVAM Anno 1681. quadrageſimæ tempore Miſsionibus operam dedi in curia Matritenſi; poſtea manu ſuperiori compulſus ſum ibi manere vſque ad diem 15. Octobris, in qua Salmanticam profectus ſum: eo tempore ſæpe mecum egit Illuſtriſsimus iſte Doctor Complutenſis Epiſcopus Arcadiæ, & mihi oſtendit primam partem vaſti operis ſui de natura & gratia, quod à multis iam annis moliebatur; quæ pars tres libros, triavè volumina continebat, quæ vnum magnum tomum typis mandata facere poſſent, qui æquaret mole ſua tomum de Angelis Eximij noſtri Doctoris P. Suarez: huic parti perficiendæ, & typis maturandæ ſeduló incumbebat; cũ moleſta ægritudo illum per multos dies lecto affixit; & tandem vita privavit die 3. Octobris eiuſdem anni 1681. antequam ſingulare hoc opus in lucem publicam emiſſerit. Ne autem præclaræ illæ lucubrationes in tenebris ſepultæ iacerent, eas teſtamento ſuo commendavit Magni Auguſtini filijs, RR. ſcilicet PP. Auguſtinianis Regalis Cœnobij S. Philippi; vt ipſi curarent in lucẽ edi opus quod iudicio Illuſtriſsimi ſui Authoris medullam continebat doctrinæ S. P. Auguſt. de natur. & grat. In his tribus libris, primã partẽ conſtituentibus, diſputat Author *de natura in triplici ſtatu viæ, ſcilicet puritatis, integritatis, & corruptionis*; in alijs duabus partibus diſputaturus de gratia & libero arbitrio in eodem triplici ſtatu diſtinctis & conſideratis; ſi vita ſupereſtes fuiſſet. Sed immmatura mors tantum virum in florenti rapuit ætate, & rempublicam litterariã tanti ingenij monumentis fraudavit.

DISPVTATIO V.

DE ADIVTORIO *QVO*, ET ADIVTORIO *SINE QVO NON*, IN QVO APVD AVGVSTINVM CONSISTANT.

1 QVIA Ianſenius ſuum errorem de gratia efficaci neceſsitante in ſtatu lapſus ad actum ſalutarem, & Doctor Complutenſis ſuam opinionem de gratia per ſe efficaci & ſua intrinſeca efficacia trahente infallibiliter ad conſenſum, & neceſsitante ad operandum per modum libertatis pro hoc ſtatu, fundarunt in celebri teſtimonio Auguſtini ex lib. de corrept. & gratia cap. 12. in quo diſtinguit adiutorium *quo* ab adiutorio *ſine quo*, vt vidimus pag. 314. §. 1. num. 899. & qaia pag. 317. num. 911. promiſi me ſeorſim ex profeſſo explicaturum, quid per vtrumque adiutorium intelexerit Auguſtinus, hãc difficultatem in præſenti diſputatione enodabimus.

SECTIO PRIMA.

Proponitur difficilis Auguſtini locus de adiutorio quo *& ſine quo non: & quomodo exponatur à Ianſenio, & eius ſectatoribus: vbi expugnatur abſurdiſsima doctrina Gummari Huygens.*

§. I.

2 PATER Stephanus Dechams lib. 3. de hæreſi Ianſeniana diſput. 3. cap. 7. expendens ſummã capita argumẽtorum, quibus Ianſenius cum Calvino permotus eſt ad aſſerendum gratiam medicinalem Chriſti neceſsitatem inferre, atque adeò hominem in hoc ſtatu lapſus motum gratia efficaci ad ſalutariter operandum, non operari cum libertate à neceſsitate, ſeu cum libertate indifferentiæ, ſed cum ſola libertate à coactione, ſexto & vltimo loco poſuit argumentum hoc: *Poſtremum tandem aduerſariorum argumentum* (inquit Dechams ibi num. 4.) *ſed palmare, & ſi illos audimus, penitus inuictum, inde petitur* (à Calvino lib. 6. de lib. arbitrio ſub finem, & in Antidoto ad ſeſſ. 6. Tridentini, & à Ianſenio lib. 2. de gratia Chriſti cap. 4.) *quòd S. Auguſtinus medicinalem gratiam appellet ADIVTORIVM QVO, & cum beatitudine componat, quæ cùm data homini fuerit, continuò ſit Beatus. Quantum vero in hac argumentatione præſidij noua opinio collocet, norunt omnes, qui de ea aliquid norunt: vix eſt enim vlla apud Ianſenium de medicinali gratia diſputantem pagina, quæ vocibus illis ADIVTORIVM QVO, ADIVTORIVM SINE QVO NON, quibus vno tantùm in loco, & poſt deuictam Pelagij hæreſim vſus eſt S. Auguſtinus, non impleatur.* Nam vt idẽ Dechams lib. 1. diſp. 3. cap. 3. n. 1. & lib. 3. diſp. 3. cap. 25. n. 13. diligenter numerando deprehendit, Ianſenius in ſuo Auguſtino *ſeptuagies ſupracentiès*: huius adiutorij mentionem fecit, diſcrimen aſsignans inter gratiam naturæ integræ prout fuit in Adamo ante lapſum, & naturæ infirmæ & lapſæ prout fuit in Adamo poſt lapſum, & prout eſt in omnibus eius filijs. Diſtinctionem autem illius duplicis adiutorij appellat Ianſenius *ſcopum, baſim, fundamentum, & clavim* doctrinæ ab Auguſtino de neceſsitate gratiæ contra Pelagium ſtabilitæ. *Hæc eſt* (inquit Ianſenius libro de gratia primi hominis cap. 17.) *vera clavis, qua aditus in ſcripta eius aperiendus eſt, & ſine qua, qui ea molitur ingredi velut cæcus palpabit in meridie, ac tot, tantiſque difficultatibus implicabitur, vt quaſi monſtris occurrentibus territus, Auguſtinum tanquam perplexitatibus, immò, vt quidam auſi ſint dicere, mille erroribus refertum averſetur. Qui verò iacto iſto fundamento, diſtinctionem illam, velut filum in labyrintho ſcriptorum eius, ſecutus fuerit. &c.*

3 Diſcrimen autem illud inter adiutorium gratiæ, quo egebat primus homo in ſtatu innocentiæ, & adiutorium, quo eius poſteri indigemus in ſtatu naturæ lapſæ, in eo ſitum eſſe ait lib. 2. de gratia Chriſti cap. 4. col. 97. *quod illius primæ integritatis adiutorium ſic adiubabat voluntatem, vt cum eo operaretur ipſa, ſi vellet: nunc autem ipſum adiutorium facit vt velit. Hoc eſt adiutorium ante ruinam erat tale, vt influxus adiutorij, perinde atque voluntatis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet; ideoque ſalua manere*

ret

ret illa voluntatis flexibilis indifferentia: nunc verò post ruinam tale est, vt faciat annuere ac influere, & velle voluntatem, &c. Quam doctrinam fusè toto illo capite explicat.

4 Locus autem Augustini, in quo duplex illud adiutorium distinguit, extat in lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. Primam expressionem illius discriminis inter gratiam naturæ integræ, & naturæ laplæ, habet capp. 11. vbi inquit: *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset. Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono: quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus; sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adiutorium quod desereret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret vt vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, vt habeat homo iustitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij, quoniam sic adiuvabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium, si vellet desereret. Hæc autem tanto maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur vt velit.*

5 *Tunc ergo dederat homini bonam voluntatem; in ea quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat, & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini quàm primùm facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum: & tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus; verùmetiam tantum ac tale sit vt velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo: vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.* Hactenus in illo cap. 11.

6 Secundò vtriusque adiutorij differentiam expressit initio capitis 12. sic enim subiungit: *Ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliunde est adiutorium sine quo aliquid nõ fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, vt viuat qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit vt viuamus. At verò beatitudo, quã non habet homo, cum data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim, non solum sine quo non fit, verũ etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quod fit est, & sine quo nõ fit. Quia etsi data fuerint homini beatitudo, cõtinuò fit beatus, & si data nunquã fuerit, nunquã erit. Alimenta verò non consequenter faciunt vt homo viuat, sed tamen sine illis non potest viuere. Primo itaque homini, qui in eo bono quod factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantiæ, non quò fieret vt perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale vt eis perseverantia ipsa donetur, non solum vt sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam vt per hoc donum non nisi perseverantes sint. Non solum enim dixit: SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE: verum etiã dixit: NON VOS ME ELEGISTIS, SED EGO ELEGI VOS, VT EATIS*

ET

ET FRVCTVM AFFERATIS, ET FRVCTVS VESTER MANEAT. *Quibus verbis eis, non solum iustitiam, verumetiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente vt eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forsitam non manebit? Sine pœnitentia sunt enim dona, & vocatio Dei, sed vocatio eorum qui secundum propositum vocati sunt. Pro his ergo interpellante Christo, ne deficiat fides eorum, sine dubio non defi iet vsque in finem: ac per hoc perseverabit vsque in finem, nec eam nisi manentem vitæ huius invenit finis.*

7 Vtriusque adiutorij differentiam expresit ad finem illius capitis 12. verbis iam suprà expensis disp. 4. pag. 339. num. 957. *Subvenitum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & idèo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est vt voluntas hominis invalida, & imbecilla, in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cum & voluntas primi hominis fortis, & sana, in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non de futuro adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur vt vellet. Fortissimo quippe dimissit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, vt ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, nec hoc deserere invictissimè nollent.*

8 Ex ejs Augustini testimonijs Iansenius intulit gratiam medicinalem Christi, qua Deus facit vt faciamus bonum, imponere nobis necessitatem antecedentem, gratiam verò naturæ integræ non imposuisse necessitatem: quia prima determinat arbitrium, & est ab intrinseco efficax prout est in tali subiecto antecedenter ad consensum: secunda verò non determinat arbitrium, sed potius ab illo determinatur, & non est efficax antecedenter, sed ab effectu, & consequenter. Gummarus verò Huygens, & alij Iansenij partiarij hinc inferunt discrimen inter gratiam datam Adamo ante lapsum, & datam bonis Angelis; & gratiam datam Adamo, & eius filijs post lapsum, asserentes, gratiam collatam Adamo, & Angelis fuisse intrinsecè indifferentem, & ab extrinseco tantum efficacem; gratiam verò efficacem in statu lapsus esse per se, & ab intrinseco efficacem. Vt enim inquit Gummarus in thesibus propositis Lovanij in Collegio Adriani VI. Pontificis die 14. Ianuari) anno 1683. thesi 1. *Ex discrimine, quod Sanctus Augustinus in lib. de corrept. & grat. statuit inter adiutorium naturæ innocentis, & adiutorium naturæ lapsæ, facilè colligitur, quod adiutorium, sive gratia naturæ lapsæ ad perseverandum in iustitia sit per se efficax; sive quod per ipsammet gratiam in hoc statu efficiatur vt perseverare velimus, & recipsa perseveremus; adeo vt per istam gratiam non habeatur sola volendi, & perseverandi possibilitas, sed ipsemet actus, sive ipsamet volitio, & perseverantia: voluntas ergo non determinat istam gratiam, sed gratia voluntatem. Distinguitur gratia efficax per se contra efficacem ab eventu, id est efficacem à voluntatis determinatione, quæ gratia (cum ex se solam possibilitatē præstet) à voluntate determinatur ad actum.* In eo autem differt Gummarus à Thomistis modernis post M. Bañez, quod isti gratiam efficacem ab intrinseco, necessariam dicunt etiam pro statu naturæ sanæ titulo indifferentiæ voluntatis, & vertibiliratis; eamque collocant in physica prædeterminatione; at Gummarus cum Iansenio solum ponit gratiam per se efficacem pro statu lapsus, & cum eodem dicit consistere in delectatione victrice, vt constat ex thesi 7. ab illisque discriminatur, quod gratiam ab intrinseco efficacem non agnoscit necessariam nisi in statu naturæ lapsæ, & insuper discriminatur in eo, quod Thomistas Catholicè affirmant reperiri auxilium verè, & propriè, proximèque sufficiens ad perseverandum in eo quin caret efficaci; vt constat ex ijs, quæ attulimus supra pag. 304 num. 880. & ex ijs, quæ habet M. Alvarez disp. 106. de auxilijs num. 2. nam si quis non haberet auxilium vere sufficiens ad perseverandum, *non imputaretur ei ad culpam si non perseveraret; quia nullus pecat in eo, quod vitare non potest.* At Gummarus cum bona Logica, & optima consequentia ad sua principia de gratia per se efficaci necessaria ad rectè operandum, cæterum cum mala, & periculosa doctrina negat habere auxilium verè sufficiens ad perseverandum, cum, qui non perseverat. Sic enim habet in illis thesibus concl. 6. *Nec potest* (inquit) *vlla verisimilitudinis specie dici, quod Sanctus Augustinus præter hoc adiutorium perseverandi, quod in hoc statu semper est efficax, admittat adhuc aliud, quod possit esse merè sufficiens: etenim si in aliquo efficax non foret, non præstaret in illo perseverantiam, sed solum perseverandi possibilitatem, adeoque famosum discrimen à S. Augustino assignatum, in posteriori suo membro non sat sisteret.* Qua-

9 Quare hic Doctor affirmat, reprobis non dari auxilia ad perseverandum, quę propriè & exactè loquendo sint sufficientia ad perseverantiam. Sic enim statim subiungit: *Non diffitemur equidem quin sine dicto adiutorio QVO, seu efficaci habeantur in hoc statu quædam perseverandi possibilitates, remotæ scilicet, aut saltem incompletæ, quæ etiam reperiantur in reprobis (remotissimam enim habent ratione naturæ, magis propinquam, ratione gratiæ sanctificantis, si sint temporaliter iusti, propinquiorem ratione quorundam auxiliorum actualium, exempli gratia, præstantium perseverandi velleitatem) adeoque etiam in ipsis sunt quædam auxilia perseverandi, sufficientia vt præsent aliquam perseverandi potentiam; sed illa propriè, & exactè loquendo non sunt sufficientia ad perseverantiam, sive ad perseverandi actum, cum præter illa ad perseverandum in hoc statu ex parte Dei requiratur adhuc aliud auxilium, quod Augustinus appellat, ADIVTORIVM QVO, id est, quo perseverantia ipsa detur.* Quæ est doctrina absurdissima, quia cum Deus reprobo præcipiat actualem perseverantiam, præciperet illi impossibilia, & reprobus peccaret in eo quod vitare non potuit. Frivolumque est huius Doctoris argumentum. Constat enim Augustinum non loqui nisi de auxilio collato prædestinatis ad perseverandum, vt patet ex illis verbis: *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale vt eis perseverantia ipsa donetur.* At verò reprobis certum est dari auxilia, quibus possent perseverare, si vellent: vt docet Augustinus in eoipso libro de corrept. & grat. cap. 7. nam de reprobis sub initium illius capitis inquit: *Nec se excusabunt dicentes, quare damnamur, quandoquidem perseverantiam non accepimus qua permaneremus in bono? Nullo modo hac excusatione a iusta damnatione se liberabunt... quoniam potest dici homini; in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles.*

10 Quapropter licet reprobi careant auxilio *quo* ad perseverandum, tamen sua culpa carent; quia auxilium *quo* supra auxilium *sine quo*, de quo loquitur Augustinus, seu supra auxilium sufficiens dans potestatem veram, & proximam perseverandi, solum addit auxilium concomitans, seu cooperationem Dei cum homine ad actualem perseverantiam, quam cooperationem Deus obtulit homini, dum ei contulit auxilium sufficiens ad operandum, ideoque hac Dei cooperatione caruit reprobus, quia noluit vti auxilio illo sufficienti sibi collato. Sicut Adamus sua culpa caruit auxilio *quo* ad perseverandum: vt enim aiebat Augustinus cap. 12. de corrept. & grat. *Posset Adam perseverare si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset; sed quia noluit permanere; profecto eius culpa est.* Certúque est Esau caruisse sua culpa *auxilio quo*; quia cum Deus illi dedit auxilium sufficiens, quo posset benè operari si vellet, illi obtulit auxilium efficax, ipsamque liberam, & salutarem perseverantiam actualem, quæ in phrasi Augustini est ipsum *adiutorium quo*; vt postea explicabimus. Consulantur, quæ supra diximus pag. 306. num. 883. & 884. & pag. 343. num. 965. cum sequentibus, & pag. 347. num. 975. cum sequentibus, præsertim pag. 349. à num. 978.

11 Et sanè sententia hæc Gummari eadem videtur cum sententia Iansenij, qui nullam aliam gratiam medicinalem Christi agnoscit, nisi gratiam efficacem consistentem in delectatione victrice, quam ipse appellat *adiutorium quo*; ac proinde asserit, eum qui caret gratia efficaci ad observandum præceptum, necessitatum esse ad peccandum; & hominem præventum gratia illa medicinali ad observandum præceptum, illud necessario observare; ac per consequens, ad merendum, & demerendum non requiri in statu naturæ lapsæ libertatem à *necessitate*, *sed sufficere libertatem à coactione.* Et quamquam Gummarus fucum facere velit, reipta tamen hanc doctrinam tradit, vt suprà ostendimus pag. 289. à num. 842. Vnde hic Author impinxit in tertiam propositionem Iansenij ab Ecclesia damnatam: *Admerendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Impingit etiam in secundam: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*; vt ostendi pag. 291. toto §. 66.

SECTIO SECVNDA.

Demonstratur, Ianseniũm manifestè errasse, dum pronuntiavit, clavim ad intelligentiam doctrinæ Sancti Augustini, vnice pendere ex doctrina adiutorij quo *tradita ab Augustino cap. 11. & 12. de corrept. & grat. quasi ibi docuerit, gratiam efficacem naturæ lapsæ consistere in delectatione victrice antecedenter connexa cum consensu, & necessitante ad ipsum.*

12 ID Clarè ostendit P. Stephanus Decamps de hæresi Ianseniana lib. 3. disp. 3. cap. 25. Constat enim ex Baronio

nio tom. 5. ann. ad annum 419. Auguſtinum hunc librum de correptione, & grat. ad extremum vitæ ſcripſiſſe, poſtquam viginti annos cum Pelagianis pugnaverat. Occaſio ſcribendi fuit, quod poſtquam liber de gratia, & libero arbitrio, in quo Auguſtinus ſimul gratiam, & liberum arbitrium defendit, ac inter ſe conciliat, ad manus pervenit Monachi cuiuſdam Adrumetini viventis ſub Valentino Abbate, illum movit, vt diceret, *correptionem fore inutilem, ſi gratia qualem illam S. Auguſtinus docebat, eſſet neceſſaria.* Hac de cauſa ſcripſit idem Sanctus librum de correption. & gratia, quem miſit ad eundem Valentinum, & Monachos eius, liber autem iſte pervenit in quorundam Præsbiteros Maſſilienſium manus, eoſque multum offendit; Sanct. autem Prolper, & Hilarius de eorum quærelis, & argumentis S. Auguſtinum monuerunt; qui vt eis ſatisfaceret ſtatim ſcripſit libros de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono perſeverantiæ, quos ad Prolperum, & Hilarium direxit. Vnde cum iſtos duos ad extremũ ſuæ vitæ ſcripſerit Auguſtinus, vt apud omnes eſt manifeſtum; conſtat librum de correptione, & gratia ab Auguſtino fuiſſe conſcriptum, poſtquam de Pelagio, & Celeſtio triumpharat, & obtinuerat, vt à Romanis Pontificibus eorum doctrina damnaretur.

13 Hoc poſito, merito in invehitur in Ianſenium lib. 3. diſp. 3. cap. 13 de hæreſi Ianſeniana num. 1. „*Duo ſunt* (inquit) *quæ „mirari ſatis non poſſum.* Primum eſt, quod „S. Auguſtinus vno tantum in loco, & poſt „debellatam Pelagij hæreſim *adiutorij quo* „meminerit; Ianſenius verò vbique illud „vſurpet, & ſine his armis nunquam Pelagianos agrediatur. Secundum eſt, quod Concilia, quæ præcipuas Auguſtinianæ doctrinæ „partes conſecrarunt, & Sancti Patres, qui „iſidem illuſtrandis, atque ab Adverſariorum „calumnia vindicãdis tam ſtrenuè laborarũt, „ne ſemel quidem *adiutorium quo* appellarint. Ianſenius verò voces illas, tam crebro „adhibeat, vt nullæ ſint in eius opere frequẽtiores. Quiſquis paulo attentiùs iſta conſideraverit; ſuſpicabitur quod res eſt: nempe „Ianſenium tam ſæpè voces illas vſurpaſſe, „non quod ad hanc quæſtionem explicandam „neceſſariæ eſſent; ſed quod in earum obſcuritate deliteſcere facilius, atque inſidias moliri poterat. Et poſtea cap. 25. num. 2. poſtquam retulit verba Ianſenij ſupra num. 2. exſcripta, in quibus habet illam diſtinctionem duplicis adiutorij, & ait neceſſitatẽ *adiutorij quo* pro ſtatu lapſus eſſe *Veram clavim, qua aditus in ſcripta Auguſtini aperiendus eſt*, „&c. Subiungit: Fieri non poteſt, quin in„fidias ad fraudem ijs Ianſenij verbis, ſubeſſe „ſuſpicentur, qui cogitabunt diſtinctionem „illam ſemel tantum ab Auguſtino, & deviatis iam Pelagianis fuiſſe vſurparam: quippe Ianſenium audient affirmantem, eam à „S. Doct. *nunquam apertè traditam fuiſſe, „niſi in fine vitæ.* Ergo ne totos viginti annos, quibus cum Pelagianis congreſſus eſt, „*clavim* illam Catholicos celavit, *qua aditus in ſcripta eius aperiendus eſt*? Ergo „ne Chriſtianos carere tandiù eo filo paſſus „eſt, ſine quo *è labyrintho Scriptorum eius* „extricare ſe nemo poterat? Quid illis, amabo, factum eſt, qui fervente cum Pelagianis „bello S. Auguſtini opera perlegebant? Fatearis oportet, eos omnes, vel Auguſtinianæ doctrinæ caliginem ingredi non potuiſſe, vel ſi in ea penetrarunt aliquantulum, „varijs ac ſinuoſis labyrinthi anfractibus impeditos hæſiſſe, & quaſi occurrentibus monſtris ad tanti Viri opiniones exhoruiſſe. Non „dum enim habebant *clavim* Scriptorum „eius, *ſine qua qui ea molitur ingredi, Velut cæcus palpabit in meridie.* Nondum „habebant *filum illud, ſine quo è labyrintho Scriptorum eius* exire nemo poteſt. „Ex hac vna obſervatione ſatis intelligi poteſt, diſtinctionem *adiutorij quo, & „ſine quo non* Auguſtinianæ de gratia doctrinæ baſim ac fundamentum non eſſe. Hactenus Author ille non minus ſolidè, quam eleganter.

14 Et quidem, quod Auguſtinus per *adiutorium quo*, vi cuius Deus prædeſtinatos ſuos in ſtatu naturæ lapſæ facit perſeverare in bono, non intellexerit aliquod auxilium præveniens, quo voluntas noſtra antecedenter neceſsitetur ad eliciendum actum ſalutarem, manifeſtum iam eſt poſt definitionẽ Innocentij X. contra Ianſenium; cum enim certum ſit, prædeſtinatum mereri coronam gloriæ per actus honeſtos ſupernaturales, quibus in bono perſeverat; & cum iam ex definitione Pontificis fide ſanctum ſit, *admerendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem à neceſsitate, & non ſufficere libertatem à coactione*; manifeſtum eſt, *adiutorium quo* ab Auguſtino tam conſtanter aſſertum non neceſsitare ad actum ſalutarem perſeverandi: quia cum Eccleſia in definitionibus ſuis, præſertim in materia de gratia, doctrinam Auguſtini ſemper ſecuta ſit; impoſsibile eſt, vt tanquam hæreticam damnaret doctrinam illam de gratia efficaci neceſsitante, ſi illa eſſet doctrina Auguſtini; *Hæc laudum Auguſtini ſumma eſt*, inquit P. Dechams lib. 5. diſp. 1. cap. 5. num. 1.) *quod Eccleſia etſi non omnia quæ aduerſus Pelagia-*

nos

nos à S. Augustino scripta sunt, in fidei Canones retulerit, nihil tamen contra eosdem hæreticos decrevit, quod à S. Augustino non sumpserit. Conciliorum Sanctiones, & Romanorum Pontificum edicta, quibus pelagiana hæresis iugulata occubuit, ex S. Augustini libris petita sunt: S. Augustini doctrinam continent: S. Augustini verbis exprimuntur. Quæ cum ita sint, quis non videat Ecclesiam, quæ est columna, & firmamentum veritatis, & nihil falsum definire potest; damnando sententiam Augustini Iprensis non damnasse sententiam Augustini Hyponensis, qui est *Pater Patrum, & Doctor Doctorum*, vt ait Possidius Episcopus Calamensis, & vt ait S. Vincentius Ferrerius, est *Candelabrum aureum; alij autem Doctores dicuntur Lucernæ, sed supra candelabrum, scilicet Beatum Augustinum, quia omnes Doctores, qui venerunt post eum, sustentantur super eius doctrinam sanctam, puram, Catholicam, auri purissimi.* Ergo fædissimè erravit Iansenius dum illam doctrinam de *adiutorio quo* necessitante tribuit huic Ecclesiæ Soli.

15 Idque ipsum manifestè evincitur ex testimonijs quæ ex ipso produximus disp. 4. sect. 3. à pag. 59. vbi probavimus, Augustinum semper ad meritum, & demeritum exigere libertatem à necessitate, eiusque doctrinam ex diametro opponi tertiæ propositioni Iansenij damnatæ ab Ecclesia. Constat etiã ex testimonijs exscriptis d. 4. sect. 12. §. 17. à pag. 338. præsertim num. 958. & 962. in quibus manifestè docet liberum arbitrium liberè consentire, & cum potentia dissentiendi vocationi Dei, in qua ponit gratiam efficacem. Et ex lib. 85. quæstionum quæst. 66. constat in potestate eius, qui sufficienter vocatus fuit, & noluit venire, fuisse immediate adiungere cõsensum vocationi, cui de facto dissensit; nam vt vidimus pag. 342. num. 963. de ijs qui vocati ad cœnam magnam, venire noluerunt, dicit, sibi dumtaxat imputare debere, quod non venerint, & reddit rationem; *quia vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate*: quæ propositio esset planè falsa, si homines illi vt venirent vocati indigerent nova gratia entitative distincta à vocatione, à solius Dei voluntate pendenti. Constat quoque ex dictis pag. 349. num. 977. & 978. iuxta Augustinum, in potestate reprobi esse salvari, & in potestate Esau fuisse velle, & currere, quia Deus, qui illum sufficienter vocavit ad volendum, & currendum, *etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.*

Denique ex ipso libro de correptione, & gratia, in quo D. Augustinum tradidit doctrinam illam de duplici adiutorio, *Quo, & sine quo non*, clarè constat, gratiam efficacem, vi cuius Deus nobis donat perseverantiam, non necessitare, sed cum infallibilitate facere, vt liberè perseveremus. Sic enim habet Augustinus paulopost initium capitis octavi: *Si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, vt perseveret in bono, non Deo donante si perseveret, sed humana voluntate faciente: quid moliturus es contra verba dicentis, rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua.... Quando rogavit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi vt haberet in fide LIBERRIMAM, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quoadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & vt perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.*

SECTIO TERTIA.

Iansenius, & Iansenistæ verissimè docent, ex mente Augustini gratiam naturæ integræ, vi cuius Angeli Sancti in bono perseverunt, & vi cuius Adam perseveraret, si vellet, non esse ab intrinseco efficacem, sed intrinsecè indifferentem: Vnde contra Augustinum sentiunt assertores gratiæ prædeterminantis.

16 ID Docere Iansenium constat ex num. 3. huius disputationis. Hinc lib. 8. de Gratia Christi cap. 2. fugillat Authores asserentes, gratiam efficacem consistere in physica prædeterminatione, & inde eos pungit, quod *Prædeterminatio physica necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi causæ secundæ, quæ essentialiter tam in operari, quam in esse suo subordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet: & insuper prædeterminatio physica in agentibus liberis requiritur* iuxta Bañez, & eius Asseclas, *propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam vt aliquid agere possit prædeterminare debet Deus.* Hi sunt tituli ob quos physica prædeterminatio necessaria adstruitur à modernis Thomistis, qui tituli cõmunes sunt naturæ sanæ, ac naturæ infirmæ, naturæ integræ, & habenti gratiam. & iustitiam originalem, & naturæ lapsæ, & ob culpam Adami spoliatæ omnibus his donis: com-

mu-

munes ſunt Angelis nullam habentibus pugnam appetitus contra rationem, & hominibus ſentientibus in membris ſuis aliam legem captivantem eos in lege peccati, vt loquitur Apoſtolus. At gratia Chriſti ſanativa, & medicinalis, quam tantopere cõmendat Auguſt. eo c.11.& 12.de corrept.& grat.& de qua dicit eſſe multò ruboſtiorem,& fortiorem,quam fuerit gratia collata Adamo ad perſeverãdum; imòquã fuerit gratia,cum qua Angeli boni perſeverarunt iniuſtitia cum qua conditi ſunt; non eſt communis vtrique ſtatui, innocentiæ ſcilicet & lapſus, neque requiritur propter ſubordinationem cauſę ſecundæ ad primam,nec propter indifferentiam voluntatis; ſed eſt propria,& ſpecialis naturæ lapſæ, & datur ad vincendam rebellionem appetitus contra rationem. Neque verificari poſſet, quod ſæpè clamat Auguſtinus, nempe gratiam requiſitam ad obſervandam legem in ſtatu naturæ lapſæ debere eſſe robuſtiorem, & vberiorem, quam fuerit ea, quæ requirebatur in ſtatu naturæ integræ; ſiquidem ſi ad obſervandam legem in ſtatu naturæ integræ & ſanæ fuit neceſſaria gratia prædeterminans, non fuit neceſſaria gratia robuſtior ad obſervandam legem in ſtatu naturæ lapſæ, & infirmæ; ſiquidem non eſt poſsibilis gratia robuſtior, quam gratia prædeterminans, quæ in quocumque ſubiecto ponatur, etiamſi graviſsimè tentato, & vehemẽtiſsimè inclinato ad malum, infallibiliter victoriam obtinet, & omnem repugnantiam, & rebellionem in contrarium expugnat.

17 Vnde de Modernis Thomiſtis ſubiungit Ianſenius loco citato: *Qui medicinalem Chriſti Saluatoris gratiam ſic defendere conantur, vt eam in talem prædeterminationem phyſicam transforment, MAGIS PROFECTO ARISTOTELICI QVAM AVGVSTINIANI SVNT. Nam talis prædeterminatio ſic aſſerta, non ſolum nullo teſtimonio eius probari poteſt, ſed potius vniuerſam doctrinam eius innumeris locis traditam inexplicabili confuſione perturbat. Tollit enim differentiam integræ læſæque voluntatis, tollit neceſsitatem duplicis adiutorij QVO ET SINE QVO NON, cum quorum altero Adamus velle, ſtareque potuit: lapſi homines velle aut ſtare non poſſunt. Tollit, obſcuratque veram radicem neceſsitatis gratiæ medicinalis, nec ſinit intelligere veram naturam eius, dum æqualiter ſtatuit eam prædeterminationem omnibus neceſſariam. Denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis Sacris, quæ ſingularem Dei gratiam actus noſtros bonos operantem prædicant.* Cum tamen in ſententia illorum Authorum Deus etiam mediante phyſica prædeterminatione operetur actus noſtros pravos ſecundum totam eorum entitatem; nec minus propriè per prædeterminationem phyſicam faciat vt faciamus actum malum, quam per eandem facit vt faciamus actus bonos. Itaque Ianſenius (inquit Contempſon tom.5. pag.74.) contendit: Hanc eſſe capitalem differentiam inter „ gratiam, & motionem ſtatus innocentiæ, „ & gratiam medicinalem naturę lapſæ neceſſariam, quod prior ita moveret liberum arbitrium, vt eius determinationem ſpectaret „ ab eiuſque vſu efficaciam totam ſuam ſortiretur: poſterior verò ita moveat voluntatem, vt conſenſum infallibiliter inferat. „ Vnde infert, gratiam efficacem ad omnes „ naturæ ſtatus dilatatam totum medicinalis „ Chriſti gratiæ fundamentum ſubvertere; dũ „ gratię neceſsitas non ex vulnere voluntatis, „ ſed naturali eius indifferentia, & omnium „ cauſarum ſubordinatione ſuſpenditur. Præcipuum eius fundamentum doctrinæ ab Auguſtino in lib. de correptione, & grat. ſtabilitæ haud parvo veri colore innititur.

18 Quod autem gratia requiſita ad bene operandum in ſtatu naturæ infirmæ, & læſæ debeat eſſe maior, & robuſtior ex mente Auguſtini, quam illa quæ fuit neceſſaria in ſtatu naturæ ſanæ, & integræ, patet manifeſtè ex ipſo Auguſtino in illo cap. 11. de correptione, & gratia initio, vbi ſic ait: *Quod ergo? Adam non habuit gratiam? Immò verò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat. Neque enim ea bona, & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus prorſus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad eum: LIBERA NOS A MALO:* (Math. 6.) *Ille in illis bonis, Chriſti morte non eguit: iſtos à reatu & hæreditario & proprio, illius agni ſanguis abſoluit. Ille non opus habebat illo adiutorio, quod implorant iſti cum dicunt*: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: Infęlix ego homo, quis me liberavit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Rom.7. 23. *Quoniam in eis* caro concupiſcit adverſus ſpiritũ,& ſpiritus adverſus carnẽ. Galat.5. *Atque in tali certamine laborãtes, ac pereclitãtes, dari ſibi pugnandi, vincẽdique virtutem per gratiam Dei poſcunt. Ille verò nulla tali rixa à ſeipſo aduerſus ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur. Frain-*

de

de etsi non interim lætiore nunc, verumtamen POTENTIORE gratia indigent isti. Et inferiùs : *Hæc est prima gratia, quæ est in primo Adam, sed hæc potentior est in secundo. Prima enim est, qua fit, vt habeat homo iustitiam, si velit. Secunda verò plus potest, qua etiam fit, vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Idem repetit cap. 12. multo post medium; vbi postquam explicuit facilitatem, qua Adam potuit perseverare si vellet ex vi adiutorij sibi collati, subiungit statim debilitatem, quam habet natura post lapsum. *Nunc verò postea quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda manifit infirmitas.* Ergo certum est ex mente Augustini potentiore gratia indigere hominem lapsum ad obseruandum præceptum quam indiguerit Adamus in statu innocentiæ, ergo ex mente Auguſt. Adamus non egnit gratia physicè prædeterminante ad obseruandum præceptum.

19 Rursus quod gratia illa cum qua Adamus potuit obseruare præceptũ, si vellet, talis fuerit naturæ, vt non superadita vlla gratia præueniente distincta ab ea, quam de facto habuit, potuerit immediatè cum illa coniungere obseruationem præcepti; patet ex eodem Augustino in eodem cap. 11. de correpț. & gratia, vbi de Adamo à Deo condito in bona voluntate, inquit : *Dederat, & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet : vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adiutorium per quod posset. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset : sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitriam, per idem liberum arbitrium steterunt & ipsi.* Ergo ex mente Augustini gratia præueniens necessaria primo homini pro statu innocentiæ, & Angelis ad obseruandum præceptum, fuit intrinsecè indifferens, & cum eadem, cum qua de facto Adam coniunxit dissensum, potuit medirte coniungere consensum, & pariter cum eadem gratia præueniente, cum qua Angeli boni coniunxerunt consensum, potuere immediatè coniungere dissensum; & similiter cum eadem gratia præueniente, cum qua Angeli mali coniunxerunt dissensum, potuerunt immediatè non superaddita noua gratia præueniẽte coniungere consensum. Quare ex mente Augustini planum videtur, de facto contigisse, vt cum æquali auxilio prævenienti aliqui Angeli boni obseruaverint præceptum, & mali illud violaverint.

Duo ergo ex mente Augustini certa videntur. Primum est, in statu naturæ lapsæ fortius atque robustius gratiæ prævenientis auxilium requiri ad obseruationem legis, & perseverantiam in bono, quam requireretur in statu naturæ integræ, qualis fuit in Adamo ante lapsum. Secundum est, in statu naturæ integræ non fuisse essentialiter prærequisitum ad obseruationem legis, & actualem perseverantiam in bono auxilium gratiæ prævenientis essentialiter connexum cum consensu salutari.

SECTIO QVARTA.

Ex mente Augustini non solum est fortius auxilium gratiæ prævenientis cum quo prædestinati in statu naturæ lapsæ obseruant legem, & perseverant, quam fuerit auxilium quo Adam potuit perseverare, & non perseveravit; sed etiam, quam foret auxilium, quo actualiter perseveraret, si vellet, & quo de facto perseveraruut Angeli boni.

20 HÆC Assertio est contra Magistrum Alvarez disp. 106. de auxilijs n. 24 & num. 20. in fine & contra Gonet tom. 4. disp. 1. de necessitate gratiæ num. 383. qui docent D. Augustinum in illis duobus capitibus solum distinguere illos duos status, nimirũ prædestinatorum, qui in statu naturæ lapsæ actualiter perseverant, & Adami, qui potens perseverare, non perseveravit in innocentia, quod cum Adamus in illo statu innocentiæ non perseveravi, solam potentiam, & auxilium sufficiens ad perseverandum accepit; non autem auxilium præueniens efficax, quod in sententia horum Doctorum est entitativè distinctum ab auxilio sufficienti dante potentiam ad perseverandum si homo velit; & est essentialiter prærequisitum ad actualem perseverantiam, & ad illam prædeterminat. At verò in statu lapsus cum aliqui de facto actualiter perseverent, nempe prædestinati omnes, maius & fortius accipiunt auxilium præueniens, quia non solum recipiunt auxilium sufficiens, quo constituuntur potentes perseverare; sed auxilium intrinsecè efficax, à priori entitativè distinctum, quo prædeterminantur ad actum perseverandi: & ad hanc solutionem communiter confugiunt Thomistæ, qui gratiam efficacem collocant in physica prædeterminatione supponente auxilium sufficiens, & essentialiter prærequisita ad actualiter ad operandum.

21 Verum hanc solutionem vt omnino insufficientẽ reijcit, etiam ex ipsis Thomistis

miſſis Vincentius Contempſon tom. 5. diſſert. 2. cap. 2. pag. 99. Eamque ego ſic reijcio; quia quamvis Auguſt. dum comparat gratiam, quam accepit Adamus ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ cum gratia quam accipiunt nunc prædeſtinati ad perſeverandum vſque ad mortem in ſtatu gratiæ gratum facientis; dum taxat eppellet *adiutorium ſine quo* gratiam collatam Adamo, & *adiutorium quo* gratiam collatam prædeſtinatis; ac proinde ſub illa expreſsione ſolum faciat mentionem gratiæ ſufficientis collatæ Adamo, quæ ipſius culpa fuit inefficax, & gratiæ efficacis prædeſtinatorum propriæ, tamen etiam ibi docet gratiam collatã hominibus prędeſtinatis validiorem fuiſſe, quam fuerit gratia collata Angelis, qui perſeverarunt; & quem fuiſſet ea, quam accepiſſet Adamus, ſi perſeveraſſet; ſicut facilè potuit & debuit. Id probatur, nam vt aiebat Auguſtinus cap. 11. de correptione, & gratia, vt vidimus ſupra num. 5. *Angelis malis per liberum arbitrium cadentibus per idem liberum arbitrium boni ſteterunt, quod tunc ita liberum erat vt benè velle poſſet, & malè.* Vnde cap. 10. hæc verba habet S. Doctor: *Quapropter ſaluberrimè confitemur, quod rectiſsimè credimus, Deũ, Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valdè, & mala ex bonis exitura eſſe perſciuit, & ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſsimam bonitatem pertinere, etiam de malis bona facere, quam mala eſſe non ſinere; ſic ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius oſtenderet, quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæque iudicium. Denique Angeli quidam, quorũ Princeps eſt qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti ſunt: refugientes tamen eius bonitatem, qua beati fuerunt,* (ſcilicet beatitudine naturali) *non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miſerrimi effecti ſunt. Cæteri autem* (in his verbis totius huius teſtimonij nervus ſitus eſt) *per ipſum liberum arbitriũ in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſsimam ſcire meruerunt.* Quod & inculcat Doctor Sanctus lib. de Bono perſever. cap. 7. his verbis: *Qui non infertur in tentationem, non diſcedit a Deo. Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc ſunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt. Poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuã Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum; nec niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, quod homo non recedat ab eo.*

22 Ergo planum eſt ex mente Auguſtini gratiam collatam prædeſtinatis ad perſeverandum in hoc ſtatu lapſus non ſolum eſſe maiorem ea, quam Adamus & Angeli mali acceperunt ad ſtandum in bono, & ad obſervandum præceptum, quod tranſgreſsi ſunt; ſed etiam maiorem & robuſtiorem ea, quam acceperunt Angeli boni, qui in veritate ſteterunt; & quam accepiſſet Adamus, ſi actu obſervaviſſet præceptum. Et ratio diſcriminis eſt, quod cum prædeſtinati premantur põdere concupiſcentiæ ex ſe valde alliciente ad quærenda commoda temporalia, & ad fugienda mortis, & dolorum incommoda, certè ad perſeverandũ vſque ad mortẽ in bono, & vincendas grãviſsimas tentationes occurrentes, præter adiutorium gratiæ habitualis indigent adiutorio validiſsimo gratiæ actualis, confortante per cęleſtem ſuavitatem ipſorũ voluntatem, ad tot difficultates vincendas. At cum Angeli, & Adamus in ſtatu fœliciſsimo innocentiæ nulla concupiſcentia invitarentur ad malum, neque vllam difficultatem paterentur ad bonum; per vires liberi arbitrij cum concurſu generali ordinario poterant vincere tẽtationes per actum honeſtum naturalis ordinis; ad vincendas autem per actum ſupernaturalem meritorium vitæ æternæ, ſufficiebat ipſius adiutorium gratiæ habitualis cum concurſu ordinario, ſine ſpeciali auxilio actuali.

24 Vt enim ait rectè P. Molina in concord. quæſt. 14. art. 13. diſp. 4. communis eſt D. Thomæ 1. 2. quæſt. 109. art. 2. 3. 4. & 8. „ atque art. 10. ad 3. Et Doctorum ſententia, „ in ſtatu innocentiæ ratione iuſtitiæ origi- „ nalis, quæ vires ſentientes coercebat, ne „ bellum adverſus rationem moverent, quęque „ in cauſa erat, ne corpus fatigaretur, vllam- „ ve moleſtiam ſuſtineret in executione ope- „ rum virtutum, atque in parendo rectę ratio- „ ni, & legi Dei, potuiſſe abſque alio auxilio „ ſpeciali implere, etiam ad longiſsimum tẽ- „ pus totam legem quoad ſubſtantiam actus; „ quæ ad nihil ſupernaturale obligaret, atque „ adeo potuiſſe ſe continere abſque omni pec- „ cato tam veniali, quam lethali, per quod- „ cumque tempus licet longiſsimum. Cum „ enim ea omnia ſine labore & tædio, ſumma- „ que cum facilitate præſtare poſſet, neque „ vllas alias tentationes haberet præter eas, „ quæ extrinſecus inferrentur, & præter inna- „ tum appetitum excellentiæ, ac laudis quoad „ voluntatem, & intellectum, quæ omnia in

tanta

„ tanta tranquillitate passionum, tanque prę-
„ claris donis præditus, facilè poterat supe-
„ rare, vtique nihil erat quominus totam le-
„ gem ad longissimum quodcumque tempus
„ suo libero arbitrio posset servare, contine-
„ reque se ab omni peccato lethali, & venia-
„ li. Communis præterea sententia Doctorum
„ est hominem in eo statu per dona superna-
„ turalia fidei spei, charitatis, & gratiæ po-
„ tuisse cum communi auxilio Dei operari
„ suam salutem, vitamque æternam promere-
„ ri absque specialibus auxilijs. Cum enim
„ ejusmodi habitus accommodati sint ad eli-
„ ciendum cum viribus naturalibus, & com-
„ muni Dei influxu actus ad quos ordinantur,
„ nullaque esset difficultas in Adamo vel in
„ illis eliciendis, vel in continuandis, & mul-
„ tiplicandis eisdem actibus, vtique cum
„ communi auxilio Dei poterat operari suam
„ salutem, vitamque æternam promereri. Ha-
„ ctenus Molina.

24 Et quamvis dicamus, hanc doctrinam esse falsam, quatenus dicit potuisse Adamum longissimo tempore absque speciali auxilio implere totam legem quoad substantiam actus propter inconstantiam ipsam, & vertibilitatem voluntatis creatæ, cui difficilè est vniformiter se exercere circa obiectum honestum, vt enim inquit Sanctus Thomas 3. contragent. cap. 115. *Omne, quod de se est variabile, ad hoc quod figatur in vno, indiget auxilio alicuius moventis immobilis: homo autem variabilis est, & de malo in bonum, & de bono in malum: ad hoc igitur vt immobiliter perseveret in bono, indiget auxilio diuino.* Quamvis, inquam, hoc diceremus, & concederemus, non potuisse Adamum longo tempore sine speciali auxilio gratiæ perseverare in observatione legis totius quoad substantiam actus; & similiter de Angelis bonis: tamen ad perseverandum in statu innocentiæ per observationem legis illius non comedendi de ligno scientiæ boni, & mali parvo illo tempore, non indiguit speciali auxilio gratiæ: nec Angeli, qui ceciderunt, brevi illa mora, quæ illis assignata est pro via, indiguerunt speciali auxilio, sed viribus arbitrij cum communi adiutorio potuerunt perseverare; sicut boni Angeli perseverarunt iuxta Augustinum dicentem: *Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate stiterunt.* Ita docet Andræas Duvalius Doctor Sorbonicus in tract. de gratia quæst. 1. art. vltimo citans pro hac sententia Driedonem, & Vegam: licet enim admittat, requiri speciale donum ad perseverandum finaliter, quãdo quis longo tempore ante mortem in gratia perseverat; secus verò quando brevi tempore post acceptam gratiam eum mori contigerit. Loquitur autem de homine iusto in hoc statu lapsus; in quo assertio maiorem difficultatem habet, quam in statu integritatis, in quo facilius erat parvo tempore perseverare sine speciali auxilio.

25 Præterea, quamvis cum Eximio Doctore libr. 10. de gratia cap. 9. num. 5. dicamus, ad perseverandum cum effectu, & infallibiliter, speciale donum gratiæ etiam in Angelis, vel in homine in statu innocentiæ necessarium fuisse: tamen adhuc verissimum est fortiori, & validiori auxilio indigere prædestinatos ad perseverandum finaliter, quam fuerit illud, quod habuerunt Angeli boni ad perseverandum; & quam foret illud, quod habuisset Adamus, si de facto perseveràsset. Vt enim inquit Eximius Doctor numer. 4. distinguendum est de gratia necessaria in statu innocentiæ ad potestatem perseverandi, si homo vellet, & de gratia necessaria ad perseverandum actu, & cum effectu vsque ad finem vitæ, & priori modo, seu quoad potestatem, dicendum est, potuisse Adam perseverare in gratia cum sola gratia habituali, & generalibus auxilijs debitis illi statui sine alio speciaiiori auxilio. Hoc testatur Sanct. Augustinus libro de Bono perseverantiæ cap. 7. vbi ex verbis Christi Math. 26. versu 41. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*, probat, donum Dei esse, quod quis non discedat à Deo succumbendo tentationi. *Siquidem, & vt non discedamus à Deo, non ostendit dandum nisi à Deo dum poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo.* NON EST HOC OMNINO IN VIRIBVS LIBERI ARBITRII, QVALES NVNC SVNT: FVERAT AVTEM IN HOMINE ANTE QVAM CADERET. *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad Deum: nec nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo inquam non recedat ab eo.*

26 Si autem quæras rationem, cur fuerit necessaria motio specialis in voluntate Adami, & Angelorum ad eliciendam

bonam illam voluntatem, ſeu amorem Dei, in quo conditi ſunt; non fuerit autem neceſſaria illa motio ad eliciendam bonam voluntatem, quâ Angeli in veritate ſteterunt, & quam Adamus ſua culpa non habuit, rationem diſcriminis petit Decamps ea diſput. 3. cap. 15. numer. 5. ex eo quod charitas habitualis ad amorem caſtum, quo Adamus, & Angeli ipſo in ortu exarſerunt, collata non ſit, ſed potius eum quaſi præviam diſpoſitionem præſuppoſuerit; vt docet Divus Thomas prim. part. quæſt. 62 art. 2. & cum eo Cajetan. 22. quæſt. 24. à num. 3. & Ferra 3. contragent. cap. 110. Sit autem collata ad poſteriores actus, qui ex ſuppoſitione illius exercendi erant. Vnde Pater Becanus de Angelis cap. 2. quæſt. 5. duplicem ponit concluſionem. *Prima, Angeli viatores prius natura, quam conciperentur habere ſupernaturales habitus fidei, ſpei, & charitatis indigebant actuali gratia excitante, vt actum aliquem ſupernaturalem exercerent.* Quam concluſionem probat, quia voluntas ſupernaturali habitu deſtituta non poteſt aliter ad actum ſupernaturalem producendum elevari: *Secunda concluſio, Angeli viatores, quatenus inſtructi erant habitibus ſupernaturalibus, poterant ſine nova gratia excitante elicere actus ſupernaturales.*

27 Hinc oritur notanda differentia, (inquit Eximius Doctor eo cap. 9. num. 14.) inter ſtatum naturæ integræ, & lapſæ; nam in priori ſtatu ipſa integritas naturæ cum gratia habituali, & generali concurſu naturæ, & gratiæ, erat ſufficiens principium perſeverandi in gratia: quia natura integra præciſe ſpectata abſque gratia principium ſufficiens erat vitandi omnia peccata contraria legi naturæ, & collectivè ſumpta, & quovis tempore, neque ex parte naturæ retardabatur, aut difficultatem patiebatur. At verò in ſtatu naturæ lapſæ neceſſarium eſt ſpeciale auxilium, quo difficultas orta ex corruptione naturæ, diù vinci poſſit. In hoc ergo auxilio maximè eſt conſtituendum diſcrimen inter vtrumque ſtatum quoad poſſibilitatem perſeverandi. Nam integritas ipſa naturæ æquivalebat ſpeciali auxilio, ſeu præveniebat neceſſitatem eius, & è contra nunc additur ſpeciale auxilium, vt integritatis defectum ſupplcat. Hucuſque Eximius Suarez.

28 Hucuſque dicta confirmantur ex Cœleſtino Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ dicente: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem, & innocentiam perdidiſſe.* Ergo ante lapſum habuit homo naturalem poſſibilitatem vivendi innocenter, ac proinde in gratia perſeverandi; ac proinde ſine ſpeciali gratia perſeverare poterat. Et ſimiliter Author Hyponoſticon, qui fuit abſdubio fideliſſimus Auguſtini diſcipulus, & meruit vt hoc opus inter opera Auguſtini computetur, lib. 3. cap. 1. ait: *Adamum ante lapſum potuiſſe per liberum arbitrium implere quod vellet, cum ſanam voluntatem haberet.* Idem docet S. Proſper contra Collatorem cap. 28. & Anſelmus de Conceptione Virginis cap. 22. dum ait: *Recepiſſe Adam tan excellentem gratiam, vt per liberum arbitrium, & ſibi & alijs illam conſervare potuiſſet.* Et idem ferè de Angelis tradit Gregorius lib. 5. Moral. cap. 28. aliàs 27. & lib. 25. cap. 4. & homil. 7. in Ezechielem dum ait: Sanctos „ Angelos pro ſua libertate ſtitiſſe, ſicut eadem cæteri corruerunt. Ergo manifeſtum „ eſt hominem in ſtatu lapſus indigere poten„ tiore, & fortiori gratia prævenienti ad „ obſervandam totam legem, & perſeveran„ dum in gratia, quam fuerit illa, qua San„ cti Angeli ſteterunt, & quam foret illa, „ quam habuiſſet Adamus ſi perſeveraſſet. Et „ ratio eſt manifeſta: quia in Angelis, & „ in Adam natura rationalis fuit ſana; in „ homine autem lapſo eſt infirma, & debi„ lis. Vnde ſicut homo ſanus minore indiget „ adiutorio ad ſublevandum pondus mag„ num, quam homo infirmus: ita ſimiliter &c.

29 Itaque homo conſtitutus in ſtatu integritatis, & iuſtitiæ originalis per vires liberi arbitrij potuit conſervare gratiam; nam præciſe ad evitandum peccatum obſervando præceptum non comedendi de ligno ſcientiæ boni, & mali non indigebat influxu ſupernaturali gratiæ habitualis; nam per hoc præciſe quod haberet rectitudinem illam naturalem, quam diſputatione præcedenti ſect. 16. defendebat Doctor Complutenſis; & quam Henricus propugnavit, vt vidimus ibi num. 1048. poſſet implere legem illam per vires naturales. Et quamvis donum iuſtitiæ originalis non foret connaturale homini condito in puris naturalibus, vt volebat Henricus; ſed eſſet donum gratuitum; ſi tamen foret habitus ſpecialis diſtinctus à gratia habituali, & caritate, vt docuit Scotus in ſecund. diſtinct. 29. quæſt. vnica §. *Poteſt dici*, & in ſolutione ad 4. Cuius munus foret facere, vt voluntas adhæreret Deo ſuo fini naturali non ſolum facilitèr & delectabiliter, ſed etiam cum maiori intenſione, & delectatione, quam appetitus ſenſitivus adhæreat

ſuo

suo obiecto delectabili, inquam, iustitia originalis esset habitus distinctus à gratia habituali, ille habitus sanis esset, vt voluntas cum concursu generali, obseruaret præceptum. Vnde quamvis cum illo simul acceperit gratiam habitualem, non fuit necessarius influxus gratiæ habitualis vt homo obseruaret præceptum non comedendi de ligno vetito, cuius obseruationi Deus alligauerat conseruationem gratiæ & iustitiæ originales; sed ad hoc sufficerent vires naturales arbitrij; dum aderat habitus iustitiæ originalis omnino cohibens rebellionem appetitus. Solumque influxus gratiæ foret necessarius vt per obseruationem præcepti mereretur gloriam. Et ideo D. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 2. in fine corporis iniebat: *Virtute gratuita superaddita virtute naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad vnum, id est, ad operandum, & volendum bonum supernaturale: sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet vt sanetur, & vlterius vt bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium, vlterius autem in vtroque statu indiget homo auxilio diuino vt ab ipso moueatur ad bene agendum.*

30 Inde licet per solas vires arbitrij non meruerit Angeli gloriam, nec per solas illas Adam potuerit visionem beatificam mereri: tamen per vires arbitrij, & Angeli Sancti stare potuerunt in veritate, libere fugientes peccatum, in quod mali Angeli per liberum arbitrium ceciderunt; & Adamus potuit evitare per vires arbitrij lapsum, & ruinam, & consequenter ponere conditionem, cui Deus alligavit conservationem gratiæ, & iustitiæ originalis: decreverat quippè Deus conservare in Adamo, & transfundere in posteros gratiam, & iustitiam originalem si obseruaret præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni, & mali, ad cuius præcepti obseruationem dederat ei plenissimam potestatem; nam per iustitiam originalem impedierat pondus concupiscentiæ, quod illam obseruationem retardaret: vnde in eo statu habeat homo liberrimam potestatem sibi à Deo per donum creationis communicatam ad non transgrediendum præceptum; nec opus habebat adiutorio gratiæ excitantis, & inspirationis diuinæ, quæ naturam confortarent, vt contingit in statu lapsus, & cum illa immediatè concurrerent ad actum obseruandi præceptum; sed supposita iustitia originali per suas vires posset arbitrium sine vlla difficultate cum solo concursu generali ponere actum obseruationis præcepti: quod non potest in statu lapsus; in quo indiget gratia adiuuante, & confortante debilitatem naturæ, & vincente pondus concupiscentiæ, sine qua non est homo moraliter potens evitare peccatum, & obseruare legem; sed solum habet potentiam physicam antecedentem adeo debilem, vt de illa Deus videat nunquam fore vt actu evitet peccatum, & obseruet legem naturalem, nisi adiuvetur per gratiam prævenientem consistentem in vocatione intellectus, & suavitate voluntatis, per quas Deus confortat debilitatem naturæ infirmæ, & debilis, & supplet defectum iustitiæ originalis, qua gaudebat Adam ante lapsum, & vi cuius redebatur promptus, & facilis ad obseruandum præcepti.

SECTIO QVINTA.

Ex mente Augustini licet auxilium prævenies collatum prædestinatis ad perseverandum sit maius, & fortius quam illud quod collatum fuit Adamo ad perseverandum in iustitia originali, & gratias non fuit tamen per se efficax, & connexum cum consensu salutari; vt frustrà contendunt Gummarus Huygens, & alij Lovanienses; atque Doctor Complutensis, & Contempson. Vbi quam stultè Ianse-nius gratiam necessitatem in statu lapsus Augustino tribuat.

§. I.

Quid Lovanienses moderni dicant; & in quo a Thomistis discriminentur.

31 GVMMARVS Huygens in Thesibus Theologicis de Doctrina Augustini circa prædestinationem, & gratiam Christi, quas publicè proposuit Lovanij die 14. mensis Ianuarij anno 1685. latè expendit mentem Augustini in cap. 11. & 12. de correptione, & gratia, & contendit, quod adiutorium perseverandi in hoc statu naturæ lapsæ est efficax per se, & non tantum ab eventu; in statu autem naturæ integræ adiutorium perseverandi foret efficax extrinsecè; quia gratia prævenies collata prædestinatis est essentialiter connexa cum actu perseverandi ad quem datur: gratia autem prævenies cum qua Angeli perseverarunt, non erat ex se connexa cum actu perseverandi, sed intrinsecè indifferens; & gratia collata Adamo ad perseverandum in iustitia originali, talis fuit, vt cum illa sine novo auxilio gratiæ prævenientis posset perse-

verare, ſi vellet. Et in Theſibus Theologicis, id eſt, articulis Theologorum Lovanienſium, propoſitis Lovanij die 12. menſis Julij anno 1685. §. 1. hæc habet: *Cum Lovanienſibus in cenſura, eiuſque iuſtificatione ſuperiori ſæculo conſcriptis, dicimus: In hoc ſtatu naturæ lapſæ, ad ſingulos actus vere bonos, ac ſaluiares requiri gratiam per ſe efficacem.* Eandem doctrinam ſequitur Ioannes Libertus Hennebel, Doctor Lovanienſis in Theſi prima Hiſtorico Theologica propoſita Lovanij die 12. menſis Maij anno 1684. in qua §. 7. teſtatur: *Facultatem Theologicam Lovanienſem gratiam per ſe efficacem deffendere.* Et ibi verſus: *Exultavimus, gratia per ſe efficax,* inquit, *illa eſt Helena, ſeu potius fructus pretioſiſſimi illius depoſiti, quod Hieroſolymis Helena reperit, pro qua hæc facultas tot annis invicte pugnavit.* Et in Theſi 2. propoſita die 8. menſis Junij eiuſdem anni 1684. §. 2. verſus: *Negare non poteſt,* ait, *facultas Theologica Lovanienſis aperte concedit hominem lapſum, ſalua eius libertate, efficaci per ſe gratia præmoveri ad bonum.*

32 Et in eadem Theſi §. 2. verſus: *Optima ſane*, exprimit, doctrinam de gratia per ſe efficaci prærequiſita ad actum ſalutarem ſecundum ſenſum facultatis Theologicæ Lovanienſis non extendi ad ſtatum naturæ integræ, vt volunt Thomiſtæ poſt Magiſtr. Bañez, ſed coarctari ad ſtatum naturæ lapſæ. Sic enim ſcribit: *Hinc neque indignatus eſt Lemos circa gratiam primi ſtatus ſibi facultatis huius repugnare doctrinã, quam num. 54. Inſtificationis Cenſuræ ſic noſtri „expreſſere maiores. Quamvis Angelis „Sanctis, & homini; vt primum condi„tus eſt, non potuerit perſeverantiæ me„ritum abſque gratiæ eſſe auxilio, non „illo tamen opus fuit auxilio, quo fieret „vt in finem uſque perſeverarent; ſed „eis cum adeſſet per gratiam vt perſe„verare poſſent ſi vellent, relictum eſt „in eorum arbitrio vt vellent ac perſeve„rarent, uſque adeo vt inter perſeveran„tes Angelos, & non perſeverantes diſ„crimen non fecerit gratia, quæ eſſet viri„que communis, ſed liberum tantum arbi„trium.*

33 Inter Thomiſtas autem, & hos Lovanienſes datur multiplex diſcrimen. Primò namque Thomiſtæ cum Magiſtro Bañez gratiam efficacem collocant in phyſica prædeterminatione; & communiter dicunt eam præſupponere potentiam proximam ad vtrũque expediram. At Lovanienſes illam ponunt cum Janſenio in delectatione victrici; quæ, vt oſtendimus diſputatione præcedenti, pag. 318. §. 9. & pag. 324. §. 10. non poteſt non actum primum conſtituere. Vnde ex hac ſententia Janſenius per bonam Logicam, ſed per peſsimam Theologiam intulit gratiam hanc neceſsitatem inferre. Secundò Thomiſtæ dicunt gratiam intrinſecè efficacem in omni ſtatu eſſe prærequiſitam ad quemlibet actum ſalutarem. At Lovanienſes dicunt eſſe prærequiſitam ſolum pro hoc ſtatu naturæ lapſæ. Tertiò Thomiſtæ dicunt ſalvari auxilium verè & propriè ſufficiens, & conſtituens proximam potentiam ad benè operandum in eo, qui caret auxilio prædeterminante. At Lovanienſes negant auxilium verè ſufficiens in eo, qui caret illa delectatione victrice, & trahitur pondere concupiſcentiæ ad peccatum; vt vidimus diſputatione præcedenti, pag. 304. toto §. 79. & in hac diſputatione ſect. 1. num. 9. & licet ſit difficillimum quod Thomiſtæ ſalvent veram rationem auxilij ſufficientis in eo, qui caret prædeterminante, ſi ſemel hoc ſit neceſſarium, vt vidimus pag. 306. toto §. 70. Tamen ipſi aſſerunt ſalvari: quod Lovanienſes non concedunt; & expreſſe dicunt ſolum ſalvari impropriè auxilium ſufficiens, aſſeruntque illud vt contra diſtinctum ab efficaci ſolum dare poſsibilitatem remotam; vnde eorum ſententia tandem relabitur in ſententiam Janſenij, qui lib. 3. de Grat. Salvatoris cap. 5. inquit: *Sufficiens gratia iuxta doctrinam Auguſtini ſolidiſſimam non eſt alia, nec vt videtur, ſine errore aliud dici poteſt, quam illa, quæ voluntatem facit facere, & in illa operatur reipſa velle, & operari, &c.* Vide quæ attulimus ſupra pag. 317. num. 911.

§. II.

Vincentius Contempſon cum Lovanienſibus ſentit, cuius ſententia impugnatur.

34 HANC Sententiam de gratia per ſe efficaci conſiſtente in delectatione victrice ſecutus eſt Doctor Cõplutenſis, vt vidimus pag. 314. §. 1. & pag. & M. Albelda, vt vidimus pag. 361. §. 3. ſed noviſsime Vincentius Contempſon hanc ſententiam ſectatus eſt, nam tom. 5. diſſert. 1. cap. 2. poſtquam pagin. 99. impugnavit reſponſionem Goneti, qui vt ſe expediret ab illo difficili textu S. Auguſtini ex cap. 11. & 12. de corrept. & grat. in quo videtur docere pro ſtatu naturæ integræ, & in Angelis non fuiſſe neceſſariam ad operandum gratiam per

ſe

se efficacem, respondit, non loqui Augustinum de quacumque gratia status innocentiæ, sed ea tantum, quæ Angelis, & protoparentibus lapsis concessa fuerat, quæ vtique fuit non auxilium *quo* perseveratur, seu efficax, sed auxilium sine quo non possumus perseverare, seu sufficiens: Postquam, inquam, nervose, & solide impugnavit hoc placitum; vt impugnatio clarior foret, à pag. 100. ad 110. in Compendium redigit singula capita illius libri de correptione, & gratia; & postea sic subiungit: *Ex iis ergo distinctè, dearticulatèque propositis evincitur, mentem Augustini, vt videtur, non attigisse, qui volunt Sanctum Patrem non comparasse, omnem gratiam adiutricem status innocentiæ cum gratia Saluatoris, sed solum adiutorium datum illi ad perseverandum, quod vtique fuit adiutorium sine quo, sive sufficiens, non quo, sive efficax. Sed oppositum demonstrat genuinus, germanus, & naturalis duodecim priorum capitum contestus, &c.*

55 Postmodum verò, pag. 111. se excusans, quod in explicanda gratia efficaci tradita ab Augustino cap. 10. 11. & 12. de correptione & gratia, à suis Thomistis discedat, inquit: „ Non possum aliquid adversus veritatem, sed pro veritate, qua vinci „ glorioſum est, qua dum vincimur, victores „ sumus; quia si nos vincit veritas, sumus nos „ victores erroris. Itaque non possum inficiari, Augustinum tribus præfatis capitibus comparare gratiam vtriusque status, & „ afferrere discrimina adiutoriorum ad illos „ status per se necessariorũ. Verum quomodo „ cum hac doctrina, cum illo discrimine per „ tria capita ab Augustino explicata, nostra „ de necessitate præmotionis in omni statu „ sententia salva constat, explicare quidem, „ hic labor hoc opus est. Id autem explicat, „ dicendo, Augustinum comparare gratiam „ per se ad vtrumque statum, sanum vel corruptum necessariam ex proprijs, vt ita dicam, meritis vtriusque status, & attenta „ conditione hominis sani, & infirmi. Et in „ hoc sensu verum est (inquit) quod licet homo lapsus, & infirmus ob perpetuam rebellis concupiscentiæ pugnam indigeat invictissimo adiutorio, ne inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa „ succumbat: attamen in statu innocentiæ „ sano, & integro, tali adiutorio per se non „ indigebat, sed ex vi illius status gratiam „ dumtaxat sufficientem sibi necessariam exigebat, qua stante cum solo concursu generali (qui verum esset prævius, vel tantum „ simultaneus, non disputat ibi Augustinus, „ sed alibi examinandum relinquit, vel à te „ traditum supponit, vel vt philosophicum; „ & ad satisfaciendum propositæ difficultati „ inutile prætermittit) poterat per seipsum si „ vellet, eadem facilitate, qua poterat ambulare, quia sicut facultatem progressivam sanam, & incolumem in creatione à Deo acceperat, ita & voluntatem Deo adhærentem, „ robustam, virtutibus omnibus, & viribus „ ad operandum in ordine supernaturali in „ structissimam fortitus erat. Hucusque Contempson. Qui postea pag. 114. & 115. varia adducit Augustini testimonia deprompta ex cap. 11. & 12. de correptione & gratia, quæ videntur innuere gratiam necessariam ad vincendas tot tentationes, & difficultates esse intrinsece efficacem.

56 Ita Contempson vtrumque vult cõponere, & à Ianseno non recedere inexplicanda gratia medicinali prærequisita ad salutariter operandum in hoc statu naturæ lapsæ; & sententiam suorum Thomistarum de necessitate gratiæ prædeterminantis non deserere. Itaque absdubio hac in parte jansenizat. Eiusque sententia difficilior est, quam sententia prædeterminatorũ. Nam duplicem gratiam per se efficacem prærequirit in hoc statu lapsus ad quemlibet actum salutarem; alteram consistẽtem in delectatione victrice sanante naturam; eiusque debilitatem roborante, & cum indeclinabili vi trahente ad consensum; alteram consistentem in concursu prævio prædeterminante. Quis autem non videat hanc gratiarum per se efficacium multiplicationem esse absurdam? Si enim per delectationem victricem Deus determinat voluntatem ad consensum, vt quid superaddet novam prædeterminationem consistentem in qualitate, vel motione non vitali, per quam voluntas reducatur de actu primo ad actum secundum? Sanè hæc secunda determinatio est essentialiter superflua. Præterea prior prædeterminatio vitalis sita in delectatione victrice ad actum primũ spectat, vt probavi disp. 4. sect. 12. §. 10. Implicat autem vt illæsa maneat libertas indifferentiæ necessaria ad merendum, & demerendum iuxta definitionem Innocentij X. vbi actus primus essentialiter est connexus cum secundo. Nam vbi est sic connexus, nulla datur potestas ad faciendum ne ille actus primus prodeat in actum secundum, ac proinde cum omnimoda necessitate antecedenti prodijt in actum secundum.

§. III.

Nullum eſt argumentum perſuadens gratiam prævenientem efficacem in ſtatu naturæ lapſæ potius quam ſanæ debere eſſe per ſe efficacem.

37 NEC Vllum eſt caput propter quod gratia efficax propria huius ſtatus naturæ lapſæ debeat eſſe per ſe efficax, potius quam gratia naturæ ſanæ; vt oſtendi diſp. 4. ſect. 12. §. 20. à pag. 353. Nam difficultates illæ provenientes à rebellione carnis contra ſpiritum, quas depingit S. Auguſtinus initio capitis 11. de corrept. & grat. cuius verba exſcripſimus ſupra num. 17. quæ difficultates non erant in ſtatu innocentiæ, probant quidem ad vincendas eiuſmodi difficultates neceſſariam eſſe gratiam robuſtiorem & validiorem ea, quæ erat neceſſaria in ſtatu naturæ integræ; non autem quod ſit neceſſaria gratia eſſentialiter connexa cum conſenſu: vt enim delectatio cœleſtis vincat delectationem terrenam inclinantem ad peccandum, ſatis eſt, quod fortior ſit illa; poteſt autem eſſe fortior, quin ſit connexa cum conſenſu ſalutari; vt oſtendi diſp. 4. ſect. 12. §. 5. 6. & 7.

38 Quare maius quidem requiritur auxilium gratiæ in ſtatu lapſus ad perſeverandum vſque ad finem in iuſtitia, & ſanctitate, quam illa, quæ fuit neceſſaria Adamo ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ per obſervationem præcepti non comedendi de ligno ſcientiæ boni & mali; in hoc enim ſtatu lapſus propter rebellionem appetitus contra rationem, & propter difficultatem virtutis maiora ſunt neceſſaria auxilia, & fortior virtus ad pugnandum, & vincendum. *Maior quippe libertas*, id eſt fortior, & copioſior gratia, (inquit Auguſtin. cap. 12. de corrept. & grat. ante medium) *eſt neceſſaria aduerſus tot & tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus; hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam, & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium libero vſus arbitrio, non ſtetit in tanta fœlicitate, in tanta non peccandi facilitate. Iſti autem non dico terrente mundo, ſed ſæviente ne ſtarent, ſteterunt infide: cum videret ille bona præſentia quæ fuerat relicturus: iſti futura, quæ accepturi fuerant non viderunt. Vnde hoc, niſi donante illo à quo miſericordiam conſecuti ſunt vt fideles eſſent: à quo acceperunt ſpiritum non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed virtutis, & charitatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſuperarent? Illi ergo ſine peccato vllo data eſt, cum qua conditus eſt voluntas libera, & eam fecit ſervire peccato: horum verò cum fuiſſet voluntas ſerva peccati, liberata eſt per illum, qui dixit: ſi vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* (Ioann. 8.) *Et accipiunt tantam per iſtam gratiam libertatem, vt quamvis quandiù hic viuunt pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſurrepant, propter quæ dicant quotidie: Dimitte nobis debita noſtra:* (Matth. 6.) *Non tamen vltra ſerviant peccato quod eſt ad mortem.* Id eſt peccato oppoſito perſeverantiæ finali, per quod ſcilicet deſeritur fides, quæ per delectationem operatur.

Et poſt pauca: *Ipſe itaque dat perſeverantiam, qui ſtatuere potens eſt eos, qui ſtant, vt perſeverantiſſimè ſtent, vel reſtituere qui ceciderint, dominus enim erigit eliſos. Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id eſt in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare, vel non perſeverare, in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habeat voluntas, quæ ſine vllo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſo concupiſcentialiter reſiſtebat, vt dignè tantæ bonitati, & benè viuendi facilitati, perſeverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præſciente quid eſſet facturus iniuſtè, præſciente tamen non ad hoc cogente, ſed ſimul ſciente quid de illo ipſe fecerit iuſtè, Nunc verò poſtea quã eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda remanſit infirmitas.*

39 Itaque iuxta Auguſtinum eſt nunc neceſſaria fortior gratia, quam illa quę fuerat neceſſaria primo homini: nam cum iſte creatus fuerit ſine peccato, & ſine concupiſcentia rebelli, quæ concupiſcit adverſus ſpiritum; & homo lapſus hanc rebellionem experiatur, & in membris ſuis ſentiat aliam legem, id eſt, pondus concupiſcentiæ, & delectationis terrenæ ipſum vehementer impellens in peccatum; maiori adiutorio gratiæ, maiorique virtute auxilij actualis indiget homo in ſtatu naturæ lapſæ ad eliciendum actum ſalutarem quando graviſſima vrget tentatio impellens ad oppoſitum, quam in ſtatu naturę integræ, in quo non pugnabat caro adverſus ſpiritum, ſed erat ſumma pax, & tranquillitas, ſummaque facilitas operandi. Hoc autem maius adiuto-

rium

rium (quod absdubio iuxta Augustinum constituit actum primum, & dat vires voluntari ad vincendam tentationem, non exiles, & debiles, sed ex se efficacissimas, quæ ex se in actu primo sunt efficaces, & in actu secundo efficaciam habebunt, nisi impediantur per resistentiam voluntatis, quæ absolutè potest illis *resistere*, vt definit Senionense Concilium, & illis *dissentire*, vt definit Tridentinum; & de quibus scit tamen Deus ita contemperatas esse arbitrio, vt quamvis possit, de facto tamē illis non sit restiturum) non debet esse connexum essentialiter ex se cum actu salutari. Nam ad vincendam pondus tentationis, quod ex se non habet secluso illo adiutorio speciali gratiæ essentialem connexionem cum peccato, non requiritur pōdus gratię, quod ex se habeat connexionem essentialem cum victoria talis tentationis, seu cum actu salutari, per quem tentatio vincatur. Pondus autem tentationis quantumvis grauissimæ, non habet metaphysicam, & infallibilem connexionem cum peccato; nam pondus tentationis est causa peccati; causa autem peccati nequit habere metaphysicam cōnexionem cum peccato, quia hoc ipso quod sit causa peccati debet esse talis naturæ, vt homo per liberum arbitrium possit ipsi resistere; vt enim inquit S. Augustinus, id tanquam rem manifestam supponens lib. 3. de liber. arbitrio cap. 18. initio: *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei cedetur: quis enim peccat in eo, quod nullo modo cauere potest?* Et vt demonstrant quæ attulimus disp. 4. sect. 3. à pagina 58. nequit voluntas resistere causæ essentialiter connexæ cum ipsius operatione: ergo pondus tentationis nequit habere essentialem connexionem cum peccato. Ad vincendam ergo tentationem per actū salutarem non requiritur pondus gratiæ essentialiter connexium cum consensu. Ad summum ergo requiretur adiutorium gratiæ prævenientis fortius impellens ad actum salutarem quam tentatio impellat ad peccatum. Ergo ex eo quod homo in statu naturæ lapsæ indigeat maiori, & validiori gratia quam foret illa, qua indigebat in statu integritatis, & innocentiæ, nequiquam inferri potest indigere nunc gratia præveniente perse efficaci in actu secundo, & ex se connexa cum actu salutari

(***)

§. IV.

Quam fuerit Ianſenius S. Auguſtino iniurioſus, dum ei attribuit gratiam efficacem neceſsitantem.

40 NEQVE Ex eo quod Augustinus verbis supracitatis num. 7. ex cap. 12. de correptione, & gratia, dicat, Deum per gratiam efficacem *indeclinabiliter & insuperabiliter* agere, seu mouere infirmitatem voluntatis nostræ ad opera salutis, vt habetur in textu Augustini correcto per Theologos Lovanienses, vel *inseparabiliter*, vt habent editiones anteriores; quarum duas apud me habeo, alteram factam Venetijs ann. 1545. alteram factam ibidem ann. 1547. & vt legunt Doctores statim citandi: Nec ex eo, inquam, quod hoc dicat, sequitur, gratiam efficacem prævenientem esse per se efficacem in actu secundo, seu per se connexam cum actu secundo; vt iam ostendi disp. præcedenti sect. 12. §. 17. à pag. 338. & §. 20. à pag. 353. & §. 21. à pag. 356. Quare ineptè Ianſenius cum Calvino, ex modo illo loquendi Augustini intulit, gratiam efficacem naturæ lapsæ necessitatem antecedentem imponere. Malè etiam Theologi Lovanienses supracitati, hinc intulerunt, gratiam prævenientem efficacem esse essentialiter cōnexam cum opere ad quod datur. Vt enim annotarunt Doctores Catholici cum Hæreticis pugnantes, nimirum Ruardus Tapper art. 7. pag. 379. Stapletonius in feriam sextam hebdomadis primæ quadragesimæ, & Cardinalis Bellarmin. lib. 6. de grat. & liber. arbitr. cap. 13. *non ex inseparabilitate, aut indeclinabilitate sequitur necessitas*, nec connexio antecedens essentialis gratiæ prævenienti, *sed tantum infallibilitas. Ex inseparabilitate*, sic enim legunt prædicti Doctores, & ita habent editiones operum Augustini factæ ante anno 1576. in quo Theologi Lovanienses magna diligentia correxerunt opera illa, laborem inter se dividentes, & septimus tomus, in quo habetur liber de correptione, & gratia, recognitus est ab Henrico Gravio Lovaniensi, Regio Professore; vt testatur Ioannes Molanus in præfatione ad editionem operum Augustini factam Parisijs ann. 1586. quæ extat initio indicis. Editiones namque factæ post illam correctionem *pro inseparabiliter*, legunt *insuparabiliter*, & in idem recidit sensus. Tantum enim significat Augustinus prædestinationem Sanctorum, ex qua oritur adiutorium illud *quo* ad perseverandum finaliter, esse indeclinabilem, & insuperabilem; ita vt chymæra sit duo illa

coniungi, nempe hominem eſſe à Deo electum & prædeſtinatum, & tamen non perſeverare finaliter; quod nullus Catholicus, negat, neque ſanæ mentis homo negare poteſt. Eſtque evidentiſsimè contra Auguſtinum illatio Ianſenij; vt evincunt teſtimonia eius adducta diſp. 4. ſect. 12. §. 17. à pag. 338. & convincitur manifeſtè ex ſequentibus Sancti Doctoris verbis lib. 5. de Civit. cap. 10. *Si neceſsitas* (inquit) *noſtra dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, manifeſtum eſt, voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam vivitur, ſub tali neceſsitate non eſſe. Multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non vtique faceremus, quo primitus pertinet ipſum velle. Nam ſi volumus eſt, ſi nolumus non eſt.* Planumque ergo eſt Auguſtinum libertatem à neceſsitate componere cum gratiæ neceſsitate, qua Deus nos adiuvat, & qua facit vt faciamus, id eſt cum gratia efficaci: *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuvatur, ſed ideo iuvatur, quia non tollitur*, vt loquitur Sanctus Doctor Epiſt. 89. quæſt. 2. & ideo ipſe Epiſt. 46. monet, vt nemo propter gratiæ prædicationem negare audeat arbitrij libertatem: *Credite* (inquit) *divinis eloquijs, quia liberum eſt hominis arbitrium.* Et rurſum Epiſt. 47. *Quantum potuimus*, inquit, *egimus cum iſtis veſtris, & noſtris fratribus, vt in fide ſana Catholicæ perſeverarent, quæ neque liberum arbitrium negat, ſive in viam malam, ſive in bonam, neque tantum ei tribuit, vt ſine gratia valeat aliquid.* Et in lib. de grat. & liber. arbit. cap. 1. *Quoniam* (inquit) *ſunt quidam, qui ſic gratiam defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari exiſtiment liberum arbitrium, hinc aliquid ſcribere ad veſtram charitatem, Valentine frater, & cæteri, qui ſimul Deo ſervitis, compellente charitate curavi.*

41 Quod ſi error foret Pelagianus, ſtatuere libertatem indifferentiæ in ſtatu lapſus vt neceſſariam admerendum, & demerendum, vt Ianſenius cum Calvino, & Lutheto ſomniavit; certè S. Auguſtinus in tot libris contra eos diſputans, id non diſſimulaſſet. At certum eſt nuſquam Auguſtinum impugnaſſe Pelagianos ex eo capite quod liberum arbitrium ad benè, & malè operandum prædicarent, ſed quod multum tribuerent libero arbitrio, concedentes ei facultatem benè operandi per ſolas ſuas vires ſine adiutorio gratiæ. Tantumque abeſt, vt Auguſtinus ponat inter errores Pelagianorum, quod liberum arbitrium concederent; quod potius lib. 4. ad Bonifac. cap. 3. eos in hoc rectè ſentire ſupponat, & inde eos imperit, quod vellent in laude legis, & liberi arbitrij delitescere: quia nimirum Pelagiani laudabant legem, & liberum arbitrium, quæ ſciebant à Catholicis non negari, & lib. 2. de nuptijs & concupiſcent. cap. 3. aiebat: *Liberũ in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem, vtrique dicimus, non hinc eſtis Cœleſtiniani, & Pelagiani.*

42 Denique idipſum inde manifeſtè evincitur, quod Auguſtinus ægrè admodum ferebat, Pelagianos dicere, ab ipſo negari liberum arbitrium: quod profectò ægrè non tuliſſet, ſi credidiſſet, hæreſim eſſe Pelagianam liberum arbitrium confiteri pro hoc ſtatu lapſus, vt Ianſenius exiſtimavit. Aſſumptum probatur ex lib. 2. de nuptijs & concupiſcentia cap. 3. vbi inquit: *Non eſt ita vt loqueris, multum falleris, vel fallere meditaris; non liberum negamus arbitrum.* Et ex lib. 1. ad Bonifac. cap. 2. vbi ait: *Quis noſtrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Et ex lib. 4. adverſus Iulian. cap. 8. vbi ait: *Multo minus dicerem, quod me dixiſſe mentiris, negari liberum arbitrium ſi gratia commendetur, & negari gratiam, ſi liberum commendetur arbitrium.*

§. V.

Certum eſt adiutorium quo, *non ſolum in natura lapſa, ſed in integra inveniri: & inde evincitur, deceptum fuiſſe Ianſenium, vel incautos decipere voluiſſe, dum aſſeruit nomine adiutorij QVO intellexiſſe Auguſtinum* delectationem victricem, *quæ in ſtatu lapſus antecedenter neceſsitet ad conſenſum ſalutarem: Infertur etiam deceptos fuiſſe Ianſeniſtas, qui docent gratiam prævenientem eſſe ab intrinſeco efficacem in natura lapſa, ſecus vero in natura integra.*

43 VT Aſſertionem probem, ſuppono, *adiutorium quo* bifariam accipi poſſe. Primò in genere cauſæ efficientis, vt ſignificet auxilium præveniens, quo Deus, vel tanquam author naturæ, vel tanquam author ſupernaturalis facit, vel elicimus actum honeſtum. Secundò in genere cauſæ formalis, vt ſignificet adiutorium quo aliquid formaliter fit. In qua acceptione amor honeſtus nobis à Deo communicatus eſt adiutorium ad amãdum, actus fidei eſt adiutorium ad credendum; & perſeverantia eſt adiutorium ad perſeverandum. Et in hoc ſecundo ſenſu oſtendemus Auguſtinum accepiſſe nomen

men *adiutorij quo*, dum comparavit adiutorium ad perseverandum in iustitia originali, quod habuit Adamus cum adiutorio perseverantiæ finalis, quod habent Prædestinati.

Hoc supposito, ostenditur assertio: quia certum est, Adamum ante lapsum exercuisse aliquos virtutum actus: nam vt docet D. Thomas 1. p. q. 94. art. 1. corp. Adam in illo statu innocentiæ *cognoscebat Deum quadam altiori cognitione, quàm nos cognoscamus*: incredibile autem est Adamum tali cognitione creatoris instructum, ipsum non amasse, nec actus virtutum exercuisse ante præcepti transgressionem. Certum est autem, primos parentes per aliquot temporis spatium conservasse innocẽtiam; & vt probat Eximius Doctor lib. 4. de opere sex dierum cap. 8. num. 12. primi parentes nõ tantùm per sex aut septem horas, vt aliqui dixerunt, vel novem aut decem, vt alij voluerunt; sed plus quam per vnum naturalem diem in Paradiso habitarunt. Id probat Eximius Doctor, quia Adam creatus creditur initio sexti diei circa ortum Solis; & paulo post translatus est in Paradisum; & in illo die non peccavit, neque in sequenti eiectus est de Paradiso, nisi prope Solis occasum; quare licèt demus peccasse, & eiectũ fuisse altero die post creationem, *necessariò dicendum est* (inquit Suarez) *fuisse in Paradiso saltem per diem naturalem cum dimidio, vel circiter*. Hinc autem deducitur saltem per integrũ diem naturalem conservasse statum innocentiæ. Quis autem credat toto illo tempore nullum virtutis opus exercuisse?

Adde eundem Eximium Doctorem lib. 3. cap. 19. num. 3. cum D. Thom. 1. p. q. 95. ar. 1. ad 5. rectè probare, Adamum in primo instanti fuisse sanctificatum non tantùm per habitus, sed per proprios actus. & num. 12. asserere Adam toto tempore ante peccatum potuisse per proprios actus in gratia crescere, eiusque augmentum & gloriam de condigno mereri, & credibile esse sæpius id fecisse, *Nã Adam non fuit* (inquit num. 13.) *otiosus toto illo tempore, quo in Paradiso vixit, quia nec hoc humanum est, vel morale, præsertim in homine sapiẽte, & perfectis virtutibus prædito, nec sine aliquo peccato fieri posset. At verò quandiu mortaliter non peccavit Adam, neque venialiter peccare non potuit, vt supra ostendimus: ergo operatus est rectè & honestè, ergo meruit & in gratia crevit.*

44 Et quamvis non sit omnino certum, Adamum creatum fuisse in gratia; tamen cùm certum fide sit, illum ante lapsum gratiã sanctificantem habuisse, vt docet Concilium Arausicanum II. can. 19. & Tridentinum sess. 5. can. 1. & aliunde probabilior & cõmunior sententia teneat, illum fuisse iustificatum in eodem instanti, in quo fuit creatus, vt probat latè P. Suarez illo lib. 3. cap. 17. à num. 9. cum S. Thoma, & B. Alberto Magno, fit consequens, esse omnino indubitatum, Adamum ante lapsum elicuisse aliquos actus salutares, laudabiles, & meritorios.

Hoc supposito, sic argumentor; quia vt ait Augustinus lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla tamen facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.* Ergo primus homo à Deo accepit omnes actus salutares, quos ante lapsum elicuit. Ergo habuit *adiutorium quo ad eiusmodi actus*. Si enim adiutorium *quo* intelligatur in genere causæ efficientis, certum est, Deum prævia sua gratia causam fuisse vt Adam eliceret illos actus; ac proinde certum est, dedisse illi gratiam efficacem ad illos actus reipsa efficiendos; nã caracter proprium gratiæ efficacis, est, quod per illã Deus facit vt faciamus, vt ostendi supra pag. 322. à num. 918. certum est autem Deum, vt authorem supernaturalem, fecisse, vt Adam eliceret actum illum dilectionis, quo ipsum Deus dilexit. Vt enim inquit Augustinus cap. 21. de bono perseverantiæ post medium, *Deum non diligeremus, nisi prius dilexisset nos, & fecisset nos dilectores suos, quoniam charitas ex ipso est.* Quod autem Deum Adamus dilexerit antequam ab innocentia & iustitia originali caderet, iam probatum est supra, & docet Augustinus ipse lib. 14. de civit. cap. 11. his verbis: *Bona voluntas est opus Dei, cum ea quippe ab eo factus est homo.* Idque evincunt ea, quæ sectione sequenti nu. dicemus: omnis namque bona voluntas nostra honesta & meritoria est donum Dei; vt enim definit Tridentinum sess. 6. cap. 16. *Dei tãta est erga omnes homines bonitas, vt eorũ velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Et vt expendit Augustinus epist. 106. cùm omne datum optimum desursum sit descendens à Patre luminum, fatendum est ipsum primi hominis meritum, quo augmentum gratię & gloriæ promeruit, à Deo descendisse: ergo si nomine adiutorij *quo* ad merendum, intelligatur ipsa actio meritoria, qua Deus facit nos mereri, necessariò concedendum est, Adamum accepisse *adiutorium quo* fuit merens; sicut sect. sequenti dicemus de perseverãtia formali prædestinatorum, quæ est *adiutorium quo* fiunt formaliter perseverantes.

45 Confirmatur, quia ratio, qua passim vtitur Augustinus cõtra Pelagium ad probandum omnem actum nostrum honestum & meritorium esse donum Dei elicitum viribus gra-

gratiæ, quod nos accipimus mediante *adiutorio quo*, militat etiam in actibus honeſtis eliciris ab Adamo in ſtatu innocētiæ; ratio enim deſumitur ex illis verbis Apoſtoli, *Quid habes, quod non accepiſti?* quæ expendit Auguſtinus lib. de ſpiritu & litt. cap. 33. vt probet, bonam voluntatem credendi eſſe donum Dei. *Si enim* (inquit) *dixerimus, eam non eſſe donum Dei, metuendum eſt, ne exiſtimemus inveniſſe nos aliquid, quod Apoſtolo increpanti, & dicenti, QVID ENIM HABES QVOD NON ACCEPISTI &c. reſponderemus poſſimus: ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus. &c.* Quo etiam teſtimonio vtitur ad idem probandum epiſt. 46. ad Valentinum prope medium; & poſtea addit: *Ego in hac epiſtola* (nempe 105. ad Sixtum Presbyterum, poſtea Pontificem Romanum) *probavi per teſtimonia Scripturarum, quæ ibi poteſtis inſpicere, & bona opera noſtra, & pias orationes, & rectam fidem nullo modo in nobis eſſe potuiſſe, niſi hæc acceperimus ab illo, de quo dicit Apoſtolus Iacobus: omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcēdens à Patre luminum.* Hinc epiſt. illa 105. paulo ante medium ſic ait: *Cui debetur vita æterna vera iuſtitia eſt. Si autem vera iuſtitia eſt, ex te non eſt, DESVRSVM EST DESCENDENS A PATRE LVMINVM:* (Iacobi 1. v. 17.) *Si tamen habes eā, profectò accepiſti. QVID ENIM HABES QVOD NON ACCEPISTI?* Ergo ex mente Auguſtini Adamus per adiutorium *quo* Dei habuit meritum ante lapſum. Quare meritò Anſelmus lib. de concordia, quæſt. 3. cap. 3. dixit: *Omnibus, EXCEPTO SOLO DEO, DICITVR: Quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

46 Textus etiam ille ex epiſtola ad Philip. cap. 2. v. 12. *Cum timore & tremore veſtram ipſorum operamini ſalutē; Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle & perficere*, quo paſſim Auguſtinus vtitur ad probandum, neceſſarium nobis eſſe adiutoriū gratiæ ad quodcumque opus meritorium vitæ æternæ, vniverſalis eſt pro omni ſtatu, ſive naturæ lapſæ ſive integræ. Audiamus ſanctum Doctorem libro de gratia Chriſti cap. 5. vbi expendens verba illa Apoſtoli, inquit: *Vt ſciremus, quia non tantum in eo quod operari poſſimus: ſed etiam in eo quod operamur, divinitus adiuvamur: non ait, DEVS EST, QVI OPERATVR IN VOBIS POSSE; tanquam ipſi iam VELLE ET OPERARI (per ſeipſos habeam, neque in ijs duobus adiutorio eius indigeamus) ſed ait: DEVS ENIM EST QVI OPERATVR IN VOBIS ET VELLE ET PERFICERE; vel ſicut in alijs & maximè Græcis codicibus legitur, ET VELLE ET OPERARI. Videte ſi non Apoſtolus gratiæ Dei futuros aduerſarios ſancto ſpiritu tanto ante prævidit, & hæc duo, id eſt, ET VELLE ET OPERARI, quæ iſte* (Pelagius) *ita noſtra eſſe voluit, tanquàm ipſa diuinæ gratiæ non adiuventur auxilio, Deum in nobis dicit operari.* Ergo ex mente Auguſtini omne bonum velle & operari, quo vitam æternam promeremur, non fit à nobis niſi cum adiutorio gratiæ, *quo* Deus in nobis operatur illa bona merita: idque verum eſt etiam pro ſtatu naturæ integræ. Vnde idem Auguſtinus epiſt. 106. circa finem aiebat: *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore non adiuvante ſervaret. Cùm igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poteſt reparare, quam perdidit?* Idem docuit in Enchiridio ad Laurent. cap. 107. vbi ſic loquitur: *Factus eſt homo rectus, vt manere in ea rectitudine poſſet non ſine adiutorio, & ſuo fieri perverſus arbitrio. Etſi peccatum* (vt dixerat cap. 106.) *in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum, non tamen iuſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi præparatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur.* Ergo ex mente Auguſtini non ſolùm in ſtatu naturæ lapſæ eſt neceſſarium *adiutorium quo* gratiæ, vt homo vitam æternam mereatur, & in bono perſeveret, ſed etiam neceſſarium fuit in natura integra.

47 Et ſanè Angeli in natura integra creati ſunt; & à Deo acceperunt bonam voluntatem, in qua creati ſunt. *Et iſtam* (inquit Auguſtinus lib. 12. de civit. cap. 9.) *quis fecerat, niſi ille qui eos cum bona voluntate id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit?* Quin etiam concludit, eos eiuſmodi bonam voluntatem, *non niſi operante adiutorio creatoris habere potuiſſe.* Sic enim ait de Angelis loquens: *Si non potuerunt ſe facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam fecit: PROFECTO BONAM VOLVNTATEM, QVA MELIORES ESSENT, NISI ADIVVANTE ADIVTORIO CREATORIS HABERE NON POSSENT.* Agnoſcit ergo Auguſtinus *adiutorium quo* in natura integra. Idque clariſſimè patet, quia Auguſtinus eo capite 9. perſpicuè docet, Deum dediſſe gratiam efficacem, ac proinde *adiutorium quo* Angelis, qui perſeverarūt: ſic enim

poſt

post multa concludit: *Vnde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est. Isti autem, qui cùm boni creati, tamè mali sunt propria voluntate, AVT MINOREM ACCEPERVNT AMORIS DIVINI GRATIAM, QVAM ILLI QVI IN EADEM PERSTITERVNT: aut si boni vtique æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, ILLI AMPLIVS ADIVTI, ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde nunquam se casuros certissimè scirent, pervenerunt.*

48 Ergo evidentissimum est, Divũ Augustinum agnovisse adiutorium *quo* gratiæ in omnibus Angelis ante lapsum, & in illis qui perseverarunt in amore accepto per adiutorium *quo* creatoris, agnovisse adiutorium *quo* ad perseverandum, quod sua culpa caruerunt mali Angeli: ergo necessitas adiutorij *quo* communis est vtrique statui, nimirum naturæ integræ, & naturæ lapsæ. Si ergo adiutorium *quo* naturæ integræ non importat gratiam prævenientem per se efficacem & essentialiter connexam cum consensu; nec illam importabit adiutorium *quo* naturæ lapsæ; sed sufficiet auxilium præveniens robustius, quod præponderet ponderi concupiscentiæ, & confortet infirmitatem voluntatis, illamque constituat in illa promptitudine operandi, quam habuit Adamus, & habuerunt Angeli in statu integritatis.

SECTIO SEXTA.

Augustinus per adiutorium quo, *nec intellexit auxilium prædeterminans, nec vllam gratiam prævenientem, sed ipsam formalẽ perseverantiam, quam Deus confert filijs Adæ, quos elegit efficaciter ad gloriam: quod adiutorium ad perseverandum in iustitia originali non contulit Adamo, quem ad ita perseverandum non elegerat.*

49 HÆC Assertio est non solùm contra Ianseniũ, & Iansenistas, qui affirmant, adiutorium illud *quo* esse delectationem victricem, quæ est causa perseverantiæ formalis, seu actus voluntatis, quo in bono Prædestinatus formaliter perseverat vsque ad mortem, quæ delectatio victrix habet in tali subiecto, in quo est victrix, essentialem connexionem antecedentem cum consensu salutari, seu cum illa perseverantia finali, & sic ad illam *indeclinabiliter & insuperabiliter* trahit; sive necessitando, vt consequenter, sed erroneè asseruit Ianseniꝰ; sive cum infallibilitate antecedenti trahendo in consensum liberum libertate indifferentiæ, vt volebat Doctor Complutensis, citatus disput. præcedẽti sect. 15. n. 1038. pag. 387. incõsequẽter quidem, sed catholicè. Sed etiam contra Thomistas Prædeterminatores, qui nomine adiutorij *quo* intelligunt physicam prædeterminationem ad actum salutarem, post Magistrum Alvarez.

50 Assertionem nostram tuetur subtilis noster Antonius Perez disp. 1. de providentia Dei cap. 3. n. 35. pag. 375. P. Ripalda contra Baium disp. 7. à num. 172. P. Anatus in suo Augustino à Baianis vindicato pag. 750. Antoninus Moraynes, id est P. Ioannes Martinon in Anti-Ianseniο disp. 14. nu. 52. pag. 237. & disp. 22. pag. 354. P. Petavius to. 1. Theologicorum dogmatum de Deo lib. 9. cap. 7. n. 6. pag. 602. & P. Stephanus Dechams lib. 3. de hæresi Ianseni. disp. 3. cap. 13. num. 2. vbi cùm præmisisset, *adiutorium quo aliquid fit*, duobus modis sumi posse, nimirum vel pro causa efficienti, vel pro formali, statim subiungit: *Fingit Ianseniꝰ, S. Augustinum primo sensu illud sumpsisse, adeoque contendere, eum agere de actuali gratia, quam Deus Sanctis impertitur ad suscipiendam perseverandi voluntatem, vel potius qua ipsam perseverandi voluntatem certò & efficaciter in eis operatur. Ego verò arbitror, vt clarissimis atque validissimis rationibus effecturum me spondeo, S. Doctorem secundo sensu illud sumpsisse; pro ipsa nimirum perseverãtia, qua homo formaliter fit perseverans, quemadmodum per beatitudinem formaliter fit Beatus.* Idque probat ex Augustini verbis adductis suprà nu. 6. desumptis ex cap. 12. de correptione & gratia.

51 Postea verò idem author cap. 25. num. 7. repetit, certum esse, & perspicuis planeque invictis rationibus ostendi posse, S Augustinum agere de adiutorio, quo formaliter aliquid fit. Idque probat. Nam sive adiutorij „ illius definitionem eo loco sæpius inculca„ tam, sive beatitudinis exemplum, quod ad „ eam illustrandam adhibetur, sive definitio„ nis ipsius ad S. Augustini propositum appli„ cationem spectemus, dubitare non licebit „ sic *adiutorium quo* ab illo vsurpari. Et pri„ mò quod ad definitionem pertinet, quam„ vis hæc verba, quibus concipitur, *adiuto„ rium quo aliquid fit*, ad efficientem cau„ sam trahi possint, formalis tamen maximè „ propria sunt: eaque hoc sensu adhiberi inde „ constat, quòd S. Doctor definitionem illam „ intra paucas lineas sic versat, & varijs mo„ dis exponit, vt ab eis vocibus cautè absti-

neat,

„ near, quæ efficientis causæ actionem clariùs „ exprimunt: eas verò seligat ac veluti conse„ ctetur, quæ formalem designant. Non ait, „ esse *id quo aliquid agitur*, quibus verbis „ adiutorium ad causam efficientem pertinens „ alio loco describit, nempe lib. de bono per„ severant. cap. 21. non efficiendi aut produ„ cendi vocibus, alijsque eiusmodi causæ effi„ cientis actionem significantibus vtitur: sed „ semper ac penè importunè illud *quo fit* in„ culcat, atque vt nemo dubitet, vocem hanc „ in formali sensu accipi, *adiutorium quo fiunt* „ perseverantes, vocat donum *per quod per„ severantes sunt*. Censet igitur idem esse, „ adiutorium *quo aliquid fit*, & adiutorium „ *quo aliquid est*: ac vocem illam *fit* forma„ liter ac eodem modo vsurpat, quo cùm in „ Psal. 147. ait: *Calidus calore calescit, frigidus frigore frigescit, velox velocitate velox fit. Quid calidius ipso calore, quo calet quidquid fit calidum? Quid frigidius ipso frigore, quo frigescit quidquid frigidum fit? Quid ergo velocius ipsa velocitate, qua velox fit quidquid velociter currit.*

52 Clarius illud ipsum ostendit, at„ que omnem penitus dubitandi occasionem „ removet exemplum illud quo S. Doctor ad „ definitionem suam perspicuè explicandam „ vtitur cap. 12 de corrept. & grat. Postquam enim initio illius capitis dixit ipsa adiutoria distinguenda esse: *Aliud est enim adiutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud adiutorium, quo aliquid fit*: postmodum exemplo vtrumque adiutorium explicat: primum quidem, exemplo alimentorum; secundum verò exemplo beatitudinis. *Nam adiutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit vt vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus: & si data nunquam fuerit, nunquam erit.* Negari ergo non potest, S. Augustinum hîc *adiutorium quo* illud appellare, non quô efficienter, sed quô formaliter aliquid fit, nam ita beatitudo nos beatos facit. Idque validè confirmat idem Dechams ad hominem contra ipsum Ianſenium, qui cùm aliud *adiutorij quo* exemplum quæreret, & interpretationis suæ oblitus vnam S. Augustini mentem intueretur, illud pariter ex causa formali desumpsit. *Nam verbi gratia*, inquit, *lux est adiutorium sine quo non videamus, visio verò est adiutorium, quo videamus.* Quod præclarè quidem, & ad Augustini mentem appositè à Ianſenio dictum est: nam *adiutorium quo* sumit Augustinus eo cap. 12. de correptione & gratia, pro causa formali, quemadmodum à nobis accipitur cùm dicimus, *Visio est adiutorium quo videmus.*

53 Tandem idem Dechams intentum persuadet, quia Augustinus clarissimè suam mentem exponit, cùm definitionem *adiutorij quo* tam perspicuis verbis & exemplo tam illustri *beatitudinis* explicatam, ad propositam de adiutorio perseverantiæ quæstionem accomodat; neque enim illud efficienti causæ, quæ in nobis perseverantiam operatur, sed ipsi potius perseverantiæ, quâ formaliter perseverantes sumus, applicat. *Primò namque homini*, inquit, *datum est adiutorium perseverantiæ, non quo fieret vt perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale, vt eis etiam perseverantia ipsa donetur: non solùm vt sine illo dono perseverantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseverantes sint.* En *adiutorium quo* respectu perseverantiæ, nempe *perseverantia ipsa*, seu donum per quod *non nisi perseverantes sunt*. Ergo Augustinus per *adiutorium quo* collatum Prædestinatis ad perseverandum intelligit ipsam perseverantiam formalem.

54 Quod inde etiam confirmatur; quia cùm S. Doctor quibusdam Christi verbis probasset, à Deo dari Prædestinatis tale adiutorium perseverantiæ, vt per illud *non nisi perseverantes sint*; adiecit: *Quibus verbis eis non solùm iustitiam, verùm etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit.* Ergo apud Augustinum ipsa formalis perseverantia est *adiutorium quo* collatum à Deo prædestinatis, vt perseverantes sint. Vnde noster Antonius Perez meritò pronuntiavit, evidens esse, quòd Augustinus comparet perseverantiam beatitudini; & quòd hanc vocet adiutorium efficax vt quis sit beatus, & illam adiutorium efficax, vt sit perseverans. Quod enim adiutorium vel auxilium potest esse efficacius, vt ego sim agens, quàm ipsa actio data à Deo? Quodnam auxilium potest esse efficacius, vt ego sim perseverans, quàm ipsa perseverantia formalis data à Deo? Certissimum namque est ex Scriptura, & ex mente Augustini, nostros actus liberos salutares esse Dei dona; vt enim inquit Augustinus lib. 1. retract cap. 9. *Quia omnia bona & magna, & media, & minima à Deo sunt, sequitur, vt ex Deo sit etiam bonus vsus liberæ voluntatis.* Et vt ait libro 14. de civit. cap. 11. *Bona voluntas est opus*

Dei:

Dei, cum ea quippe ab eo factus est homo. Et lib. 12. cap. 9. de sanctis Angelis loquens, *si non potuerunt*, inquit, *seipsos facere meliores, quam illos fecerat* (Deus) *profectò & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi mediante adiutorio creatoris habere non possent.* Et in Psal. 70. *Absit, vt meliores à seipsis, quam à Deo facti sint. Tibi debent quod viuunt: tibi debent quod iustè viuunt.* Et epist. 106. col. 4. *Ipsum*, inquit, *hominis meritum donum est gratuitum, nec a Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, boni aliquid accipere quis meretur, nisi accipiendo quod meretur*, id est, nisi accipiendo ipsum meritum. Et ibidem colum. 3. *Qui suis meritis*, inquit, *præmia tanquam debita expectant, nec ipsa merita gratiæ Dei tribuunt, sed meritis propriæ voluntatis; persequentes legem iustitiæ, in legem iustitiæ non pervenerunt.* Hinc lib. 1. ad Simplic. q. 2. tanquam quid manifestum supponit, bonam voluntatem esse Dei donum: *Si quis quærat, vtrùm donum Dei sit bona voluntas, mirum est, si negare quisquam audeat.* Consoluntur quæ diximus disp. 4. sect. 12. §. 10. pag 323. vbi ex Augustino ostendimus, ideo bonam voluntatem esse donum Dei, quia Deus media vocatione congrua facit vt faciamus bonam volũtatem, & nobiscum cooperatur ad eius elicientiam; est tamen donum Dei, quod nos liberè accipimus potentes non accipere; accipimus enim bonam voluntatem, liberè consentientes Deo vocanti, & liberè cooperantes Deo adiuvanti; vt ibi exposui.

55 Postremò, Augustinum loco citato nomine *adiutorij quo* intelligere ipsam formalem perseverantiam, quæ principaliter consistit in actu libero salutari, quo in iustitia accepta vsque ad finem perseveratur; inde efficaciter suadetur, quòd liber ille de corrept. & grat. pervenit *in quorundam Presbyterorum Massilienſium manus, eosque multum offendit*, vt referunt Prosper & Hilarius in suis epistolis ad Augustinum, quæ habentur ante libros Augustini de Prædestinat. Sanctorum, & de Bono perseverantiæ; quos libros scripsit, vt satisfaceret eorum quærellis, & ipsorum argumenta dissolveret. Illi namque Massilienses prauè intelligentes, & sinistrè interpretantes sententiam Augustini, existimabant, Augustinum nomine *adiutorij quo* intelligere aliquod auxilium gratiæ prævenientis ita validum, & robustum vt necessitatem inferret prædestinatis eliciendi perseverandi voluntatem; sicut etiam prauè intellexit Ianſenius, qui hunc textum Augustini tanquam basim errori suo supposuit. Nam vt inquit Hilarius in epistol. ad Augustinum circa medium, Massilienses ita ægrè ferebant doctrinam illam de duplici adiutorio, vt dicerent ex ea homines in quandam desperationem adduci: *Molestè* (inquit) *ferunt ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus detur, vt ille acceperit perseverantiam, non qua fieret vt perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare nõ posset: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis nõ tale adiutorium perseverantiæ detur: sed tale, vt eis perseverãtia ipsa donetur: non solum vt sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiã vt per hoc donum nõ nisi perseverantes sint. His verbis sanctitatis tuæ ita moventur, vt dicant quandam desperationem hominibus exhiberi, &c.*

56 Huic obiectioni respondet Augustinus lib. de Bono perseverantiæ cap. 6. iis vèrbis: *Noluni, vt scribitis, isti fratres ita hanc perseverantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit: vbi quid dicant parum diligenter attendunt: De illa namque perseverantia loquimur, qua perseveratur vsque in finem, quæ si data est, perseveratur vsque in finem; si autem non est perseveratum vsque in finem, non est data. Non itaque dicant homines perseverantiam cuiquam datam vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseverasse cui data est, repertus fuerit vsque in finem. Dicimus quippe castum, quem nouimus castum, siue sit siue non sit in eadem castitate mansurus, &c. Perseverantiam verò vsque in finem quoniã non habet quisquam, nisi qui perseveraverit vsque in finem: multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne fortè cùm perseveraverit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret vsque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseveraverit quisque vsque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodo enim potest amitti, per quod fit vt nõ amittatur etiam quod posset amitti.* Hactenus Augustinus.

57 Ex quibus constat, propterea S. Doctorẽ Massilienses modestè increpare quasi eius dicta non intelligentes, quia ipsi non attenderunt, S. Augustinum nomine adiutorij ad perseverandum, vel nomine perseverantiæ non intellexisse aliquod gratuitum donum antecedens, quod ex se inferret bonam voluntatem perseverandi; sed ipsam formalem perseverantiam constitentem præcipuè in ipsis actibus

bus ſalutaribus, quos homo liberè conſentiendo Deo vocanti, & excitanti elicit; quam perſeverantiam ex ſuppoſitione quòd Deus dederit, & homo acceperit, impoſsibile eſt vt homo non perſeveret; non quidem impoſsibilitate antecedenti, quæ inimica eſt libertatis, ſed impoſsibilitate conſequenti, quæ cum libertate cohæret: & qua neceſſe eſt, vt homo perſeveret ex ſuppoſitione quòd liberè perſeveret vſque in finem. Itaque Auguſtinus in verbis nuper citatis, ſatis apertè docet, ſe idcirco tantùm quandam perſeverandi neceſsitatem adiutorio *quo* fit vt perſeveremus, tribuere, quòd hoc nomine ipſam intelligeret perſeverantiam vſque in finem, quam *quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeveraverit vſque in finem: multi eam poſſunt habere, nullus amittere*: cùm impoſsibile ſit, vt non perſeveret, qui habet perſeverantiam vſque in finem, ſive à Deo donatam, & à ſe liberè acceptam, ſeu liberè ſuſceptam. Hæc enim duo rectè cohærent, nempe Deum liberè dare homini perſeverantiam formalem, & hominẽ illam libere accipere: vt enim inquit S. Auguſtinus lib. de ſpiritu & litt. cap. 33. *Miſericordia Dei in omnibus prævenit nos: conſentire autem vocationi, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat quod dictum eſt, QVID HABES QVOD NON ACCEPISTI? Verùm etiam confirmat. Accipere quippe & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo.* Vnde ipſe Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 3. meritò aiebat: *Et vtrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & vtrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.* Conſulantur quæ ſupra dixi diſp. 4. ſect. 12. §. 17. à pag. 339. Vnde meritò Anſelmus in in lib. de caſu diaboli cap. 2. aiebat: *Ille Angelus, qui ſtetit in veritate, ſicut ideo perſeveravit quia perſeverantiam habuit; ita à Deo perſeverantiam habuit quia accepit; & ideo accepit quia Deus dedit.*

58 Quapropter adiutorium *quo* ad perſeverandum finaliter propterea iuxta Auguſtinum cohæret cum noſtra libertate, quia per illud adiutorium intelligit S. Doctor ipſam formalem perſeverantiam, ſeu voluntatem liberam hominis, qua vſque in finem perſeverat; quam & ipſe liberè accipit à Deo, quatenus vocationi liberè conſentit, & Deus liberè donat, quia liberè dat vocationem congruam, cum qua novit conſenſurum.

Itaque quia Deus Adamum non elegit ad perſeverandum in innocentia, ſed vſus eſt cum illo providentia communi, non præfinivit eius perſeverantiam; ac proinde ſolùm illi conceſsit poteſtatem perſeverandi ſi vellet. Quia verò ex maſſa infecta peccato originali, quoſdam ſpecialiter elegit ad regnum cœlorum, vt ſæpe docet Auguſtinus præſertim epiſ. 106. col. 4. efficaciter præfinivit illorum perſeverantiam finalem in gratia, eamque in tempore eis tribuit media vocatione cõgrua; nam *quos prædeſtinavit, hos & vocavit*: & ideo Auguſtinus cap. illo 12. de corrept. & grat. aiebat de Prædeſtinatis: *Eis non ſolùm adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſsint perſeverare ſi velint: ſed in eis etiam operatur & velle, vt quoniã non perſeverabunt, niſi poſsint & velint, perſeverandi eis poſsibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur.* Itaque, *quoniã non perſeverabunt, niſi & poſsint & velint*, id eſt, niſi hæc duo coniungantur & poſſe antecedens, & velle conſequens, ideo eis & perſeverandi poſsibilitas, & perſeverandi voluntas divinæ gratiæ largitate donatur; & in hanc voluntatem ſeu affectum liberum perſeverandi refert Auguſtinus ſpeciale auxilium collatum Prædeſtinatis in hoc ſtatu lapſus ad perſeverandum, præ illo, quod Deus primo homini dedit. Et ideo immediatè ſubiungit: *Tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poſsint, quia ſic volunt.* Ergo ex mente Auguſtini ideo poſſunt perſeverare nunc iuſti præ Adamo, quia Spiritu ſancto accendente voluntatem eorum efficaciter perſeverare volunt; & in tale velle revocandum eſt auxilium ſpeciale eorũ. Quod in eodem cap. 12. circa medium loquens de gratia, qua Martyres perſeverarunt, præſignificaverat: *Ille Adam terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium libero vſus arbitrio non ſtetit in tanta fœlicitate, in tanta non peccandi facilitate. Iſti autem non dico terrente mundo, ſed ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in fide. Vnde hoc, niſi donante illo, à quo acceperunt non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed virtutis & charitatis, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciatia ſuperarent.* Ergo Auguſtinus victoriam Martyrum, eorumque vſque in finem perſeverantiam tribuit ſpiritui & ameri charitatis, quo Martyres erant accenſi, quem amorem eis donavit Deus media vocatione & ſancta inſpiratione, non quidem neceſsitante, neque intrinſecè & eſſentialiter connexa cum illo amore libero charitatis, ſed ad illum vehementer allicien-

te, & de qua Deus præviderat per ſcientiam mediam, infallibiliter coniungendam cum illo.

SEC-

SECTIO SEPTIMA.

Cur Augustinus de adiutorio perseverantiæ Prædestinatorum disputans, ipsam potius perseverantiam formalem nomine adiutorij quo *significaverit, quàm auxilium prævenions, quo Deus facit vt Sancti eliciant actum perseverandi.*

59 RESP. Cum P. Dechams lib. 3. disp. 3. cap. 25. n. 10. eam ob rem id fecisse; quòd cum de electorũ omnium perseverãtia loqueretur, quam his Christi verbis Ioan. 6. descriptam affirmat: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*: secundùm illud consideranda fuit, quòd in omnibus electis reperitur. Quamvis autem Sanctorum plurimi ita perseverent, vt auxilio efficaci prævenienti instructi, *non dico terrente mũdo, sed sæviente ne starent steterint in fide,* (vt loquitur Augustinus cap. 12. de corrept. & grat.) atque postea sanguinem fuderint: alij tamen iusti, quos repentina mors nihil tale cogitantes oppressit, non per actuale aliquod auxilium, quod perseverandi voluntatem in eis efficerit, perseverarunt. De quibus Sanctus Doctor ita loquitur cap. 8. eiusdẽ libri: *Deus cùm fideliter ac piè viuerent, tunc de vitæ huius periculis rapuit, nè malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum*: vt dicitur sapient. 4. & quibusdam interpositis: *Tam magnum beneficium alijs dat, alijs non dat Deus: apud quẽ non est iniquitas, neque acceptio personarũ: & in cuius potestate est, quandiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram.* Vnde concludit: *Donum Dei esse quòd finiat homo vitam, antequam ex bono mutetur in malum.* Cùm igitur multi perseverent per *hoc donum Dei*, & sine actuali auxilio perseverandi voluntatem operante, non debuit S. Augustinus, cùm de adiutorio perseverantiæ Sanctis omnibus communi disputabat, hærere in illo actuali auxilio, sed ipsam potius perseverantiam spectare, per quam omnes formaliter perseverant.

60 Iansenius verò dolosè accepit *adiutorium quo* pro auxilio actuali prævenie-te consistente in delectatione victrice, vel invocatione congrua, quæ media complacentia necessaria à se excitata voluntatem infirmam sanat, datque illi vires efficacissimas, quæ de facto consensum salutarem operantur; vt inde concluderet, *adiutorium quo* necessitatem antecedentem imponere: siquidem Augustinus sæpe significat, impossibile omnino fuisse, vt non perseveraret homo ex suppositione, quòd ei collatum sit illud *adiutorium quo* ad perseverandum. Quæ illatio esset legitima, si nomine *adiutorij quo* intellexisset Augustinus gratiam prævenientem, quæ quatenus *adiutorium quo* præcederet consensum. Iansenij autem artificium & fraus evanescit, hoc ipso quòd invictè demonstratum est, illum nomine *adiutorij quo* non intellexisse suppositionem antecedentem naturæ voluntatem ipsam actualem perseverandi, *sed* suppositionem consequentem, quæ ipsam voluntatem liberam perseverandi vel involuit, vel supponit. Si autem *adiutorium quo* non accepisset formaliter, sed causaliter, dicendum foret, ipsum nomine auxilij *quo* intellexisse vocationem, & delectationem cœlestem, non præcisè quatenus antecedunt consensum salutarem, sed quatenus cõferuntur ex præscientia conditionata futuri consensus; sub qua reduplicatione *adiutoriũ quo efficax*, quatenus connexum cum consensu, non est suppositio antecedens, sed consequens, ac proinde libertatem lædere nequit.

SECTIO OCTAVA.

S. Augustinus per adiutorium sine quo non *collatum Adamo ad perseverandum in iustitia originali ex sententia communi Theologorum intellexit dona habitualia iustitiæ originalis, & gratiæ sanctificantis cum hababitibus ipsi annexis.*

61 PATER Ludovicus Molina in cõcordia q. 14. art. 13. disp. 4. inquit: „ Augustinus lib. de corrept. & grat. „ cap. 11. & 12. proculdubio nomine adiuto„ rij, cum quo Adam in statu innocentiæ per„ severare potuit sine peccato, non aliud in„ tellexit quàm dona habitualia iustitiæ ha„ bitualis, gratiæ & Theologalium virtutum, „ per quæ & continebatur pars inferior, ne „ bellum adversus rationem moveret, & totus „ homo in naturale, & supernaturale bonum „ per eiusmodi habitualia dona propendebat, „ facileque viam mandatorum poterat curre„ re, resistereque illi ipsi tentationi, cui suc„ cubuit. Hæc ille. Et hæc est sententia communis Theologorum. Eam ex Scholasticis primus tradidit Magister Sentent. Scholasticæ Theologiæ Princeps, & sancti Augustini iàm studiosus sectator, vt ex eius potissimùm operibus quatuor sententiarum libros expresserit. Postquam enim in secundo dist. 24. litt. *A & D* reciravit illa S. Augustini verba ex cap. 11. de corrept. & grat. *Dederat Deus homini bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat rectum: dederat adiutorium sine quo nõ pos-*

poſſet in ea permanere ſi vellet: ad explicandam illius adiutorij naturam his verbis aggreditur: *Hic conſiderandum eſt, quòd fuerit illud adiutorium homini datum in creatione, quo poterat manere ſi vellet. Illud vtique fuit libertas arbitrij ab omni labe, & corruptela immunis, & omnium potentiarum animæ ſinceritas atque vinacitas.* Et in hoc ſenſu explicant mentem Magiſtri S. Bonaventura, qui dicit in explicatione litteræ Magiſtri, adiutorium datum primo homini per quod poſſet manere ſi vellet, fuiſſe liberum arbitrium. Et q. 2. illius diſtinctionis §. *Reſpondeo dicendum* affirmat, primum hominem in ſtatu innocentiæ potuiſſe reſiſtere tentationi cum adiutorio & influentia naturali, licèt non potuerit ſine ſpeciali gratia adverſarium ſuperare: *Plus enim* (inquit) *eſt, aduerſarium ſuperare, quàm eidem reſiſtere*; vt enim aliquis adverſarium ſuperet, oportet *vt oppoſitum æquetur eius ad quod aduerſarius pertrahere intendebat*; quod tantùm contingit, *quando homo non tantùm reſiſtit aduerſario voluntariè, verùm etiam meritoriè. Tunc enim vincitur diabolus, quando ex vexatione tentationis, per quam intendebat incurvare ad demeritum, homo proficit ad meritum; hoc autem liberum arbitrium facere non poteſt, niſi per gratiæ adiutorium, quam vis per ſe poſſit refugere peccatum.*

Similiter Durandus explicat mentem Magiſtri, dicens: *Hic determinat de auxilio primi hominis, quod habuit contra peccatum: quia enim hoc adiutorium fuit liberum arbitrium, primò determinat de libero arbitrio.*

Similiter Scotus intelligit Magiſtrum; ſic enim inquit: *Quæro circa diſtinctionem 24. in qua Magiſter determinat de adiutorijs ad reſiſtendum.*

Et S. Thomas dividēs textum Magiſtri, inquit: *Poſtquam determinavit de ſcientia, quam homo in primo ſtatu habuit. Hic incepit determinare de potentia naturali, per quam peccatum vitare poterat: & diuiditur in duas partes. In prima oſtendit, quòd homo habuit naturalem potentiam, per quam poterat vitare peccatum.* Itaque ex mente Magiſtri Auguſtinus per adiutorium *ſine quo* Adam *perſeverare non poſſet, & cum quo facile poſſet perſeverare in iuſtitia originali*, ſi vellet, vincendo tentationem, *fuit libertas arbitrij ab omni labe & corruptione immunis.* Magiſtrum ſequuntur Alexander 2. p. q. 90. memb. 1. ar. 2. Albertus apud Carthuſian. in 2. diſt. 24.

62 Sed ex Scholaſticis antiquis, qui hanc quæſtionem vberius, & ex S. Auguſtini mente accuratius tractavit, eſt Gregorius Ariminenſis, quem Auguſtinianæ doctrinæ perſtudioſum fuiſſe conſtat. Hic autem author in 2. diſt. 29. q. 1. art. 1. concl. 2. & 3. pluribus explicat locum illum Auguſtini ex cap. 11. & 12. de corrept. & grat. & fol. 104. colum. 3. hæc habet: *Reſpondeo, quòd poſsibilitas naturalis Adæ ad benè agendum fuit ante peccatum talis, quòd ipſe per liberum arbitrium ſuaſque vires naturales cum adiutorio habitualis gratiæ ſuis naturalibus additæ ſufficiebat ſine alio ſpeciali auxilio Dei agere bonum moraliter, ſicut patebit in ſequenti concluſione: & ſuppoſito quòd habuerit gratiam gratum facientem, potuit etiam agere meritoriè. Nunc autem propter illius prævaricationem infirmitis naturalibus viribus hominis, & vulnerato libero arbitrio, nemo per ſuas vires etiam cū habitualibus donis ſimilibus donis datis Adæ ſufficit ſine Dei auxilio ſpeciali agere quidquā benè moraliter; ſed eſt adhuc aliud auxilium ſpeciale ſibi neceſſarium, ſcilicèt quòd Deus moveat voluntatem eius faciendo eam benè velle, & conſequenter benè operari, & perficere quod bonum voluerit, ſicut alias in diſt. 26. dixi. Ex quo vtique patet, quòd quam ipſe Adam habuit, & ſi non peccaſſet nos etiam habuiſſemus, poſsibilitatem naturalem perdidimus.* Hæc Gregorius: cuius doctrina adeo placuit Ioannī Maiori Doctori Pariſienſi, vt eam in pauca contractam ſuis in Magiſtrum Sententiarum commentarijs inſerverit.

63 Sed quamquam Veteres in explicanda Auguſtini mente laboraverint; longè tamen vberiùs & accuratiùs id præſtiterunt Recentiores Theologi, qui poſt exortam hæreſim Calvini ſcripſere; & multò copioſius ij, qui contra Ianſenium calamū ſtrinxere. Cùm enim Calvinus, & eius veſtigia premens Ianſenius, celeberrimum illud ex libro de correptione & gratia teſtimonium ſemper haberent in ore, & ad evertēdam Romanæ Eccleſiæ doctrinam de libertate arbitrij perpetuò vſurparent, curam omnem atque diligentiam Catholici Scriptores, præſertim Controverſiſtæ, adhibuerunt, vt ſancti Auguſtini mentem dilucidè explanarent. Primus poſt natam Calvinī hæreſim hoc præſtit Iounnes Driedo, qui poſtquam doctrinam Auguſtini illis duobus capitibus comprehenſam recitaverat in lib. de cōcordia liberi arbitrij & prædeſt. p. 2. cap. 3. fol. 59. pag. 1. ita concludit: *Ex iis igitur liquidum eſt, quòd primus homo cùm adhuc conſtitutus eſſet in ſtatu innocentiæ, indigebat etiam adiutorio gratiæ* (habitualis, vt ſtatim explicat) *ad aſſequendam vitam æternam*

nam: quæ est principalis ipsius gratiæ necessitas. Verum quia tunc nulla talis erat in natura humana corruptio; qualis nunc est, quæ perseverandi difficultatem præstat, vt tam non quæcumque homo velit faciat, ideo nunc homo infirmus, vltra donum habitualis gratiæ dirigentis in vitam æternam, indiget auxilijs quotidianis. Hinc S. Augustin. verbis colligit, *Sanctos nunc in hoc certamine laborantes gratia indigere potentiore; quam vis Adam sub innocentiæ statu gratiam habuerit lætiorem.*

64 Idque ipsum varijs in locis explicat Bellarm. nam lib. de grat. primi hominis, vt exponat gratiam primi hominis, ponit cap. 4. hanc conclusionem: *Primus homo iustitia originali & habitu gratiæ gratum facientis ornatus, non egnit auxilio speciali, quo excitaretur ad benè operandum.* Quam assertionē explicat, quia quatuor Dei dona possunt in homine considerari. Primum est habitus gratiæ naturam perficiens, vt pars inferior superiori, & superior Deo subiecta manet. Secundum conservatio eius habitus: est enim commune omnibus rebus creatis, vt permanere non possint, nisi Deo eas perpetuo conservante. Tertium cooperatio Dei cum homine per auxilium generale in operibus naturalibus, & speciale insupernaturalibus. Nec enim possunt secundæ causæ operari, nisi cooperante cum eis prima causa. Quartum est motio quædam per Dei auxilium excitans, quæ facit hominem vti prioribus donis. Priora enim tria dona non præstant homini vt operetur, sed tantum vt possit operari si velit: quartum autem donum facit hominem velle, & operari. Id quod explicat S. Augustinus in lib. de corrept. & grat. cap. 12. & lib. 14. de Civit. Dei cap. 27. per similitudinem alimentorum. Sicut enim qui præbet homini cibos, & relinquit in eius arbitrio vt comedat si velit, non præstat ei vt vivat, sed vt possit vivere, si velit; qui verò non solum alicui cibos præbet, sed etiam eos in os eius infundit, is non tantum præstat posse vivere; sed etiam vivere: sic & Deus per habitum gratiæ infusum, & eius habitus conservationem, & per hoc quod promptus est ad cooperandum, dat homini posse benè operari si velit, non tamen dat velle; at speciali illa motione & excitatione vti faciēs habitu gratiæ, dat velle & operari.

„ Iam igitur primus homo habuit tria „ priora dona; quarto non egnit, nec illud habuit. Nos post lapsum eius indigemus omnibus, & omnia de Dei benignitate per „ Christi merita obtinemus. Ratio huius discriminis est, quia primum donum in Adamo „ non solum mentē subijciebat Deo, sed etiam „ carnem spiritui; proinde non impediebatur „ nec retardabatur Adam à bono opere, neque „ ad peccandū incitabatur per carnalem concupiscentiam: in nobis autem primum illud „ donum mentem subijcit Deo, sed non carnem spiritui; ideo propter carnales illecebras, quæ assiduè vel incitant ad peccādum, „ vel à bono retardant, decidesque ac dormitantes efficiunt, egemus auxilio excitante „ dirigente, ac protegente. Hucusque Sapientissimus Cardinalis, qui omnia illa confirmat perspicuis S. Aug. testimonijs: eandem doctrinam habet idem Card. lib. 5. de grat. & libero arbit. cap. vltim. & lib. 2. cap. 8. & cap. 17.

Docuit quoque idem M. Curiel 12. q. 19. art. 10. dub. 2. §. 4. n. 597. nam loquens de auxilio, quo indiguit primus homo ad perseverandum, ait: *Non esse hoc auxilium distinctum à dono integritatis naturæ, & gratia habituali cum habitibus infusis.* Idem docet Eximius Doctor lib. 10. de grat. cap. 9. & P. Becanus tract. de Angelis cap. 2. conclusione 2.

65 Ex Scriptoribus autem modernis, qui contra Ianſenium scripsere, eandem sententiam tuentur P. Ripalda contra Baium disp. 6. n. 36. P. Ioannes Martinon in Anti-Ianſenio disp. 22. num. 48. Sed reliquis omnibus exactius, & copiosius communem sententiam defendit P. Stephanus Decamps lib. 3. de hæresi Ianseniana disp. 3. cap. 20. sic enim ait num. 4. *Tam certa & indubitata mihi videtur hæc Doctissimorum Virorum opinio, vt si ab Augustinianæ disputationis ingressu vocis vnius obscuritatem removeas, vix eam putem ab aliquo attentius legi posse, quin continuò fateatur, adiutorium illud Adami toties à Sancto Doctore eo loci inculcatum, nihil aliud esse quam habitualem gratiam.* Id autem multis argumentis toto eo capite ostendit.

Quod si ab hoc Authore quæras, cur Aug. eo loci, nempe c. 11. & 12. de corript. & grat. nō meminerit adiutorij cognitionis, quo præter habitualem gratiam opus Adamo fuisse, dubitari non potest; cum impossibile sit vt natura rationalis actum salutarem eliciat quin dirigatur per cognitionem proportionatam. Resp. n. 12. facilem & expeditam esse responsionem: cum enim S. Doct. explicandum eo loco suscepisset, quid sit discriminis inter adiutoriū perseverantiæ, quod hoc in statu Sanctis conceditur, & illud, quod naturæ innocēti collatum est, non debuit de adiutorio intellectus agere, cuius in vtroque statu eadem necessitas fuit; sed tantum de adiutorio voluntatis, quod in statu innocentiæ habituale tantum

erat, in iſto verò etiam actuale. Qualis autem fuerit gratia, quam habuit Adamus, & qua indiguit ad perſeverandum, ſi vellet, præter dicta in hac lection. patet ex dictis ſect. 4. à pag. 401. Conſtat namque, Adamum non indiguiſſe adiutorio ſpeciali auxilij actualis ad perſeverandum vt cumque in accepta iuſtitia per obſervacionem præcepti, quia vt evitaret peccatum in tanta facultate operandi, & pro tam brevi mora ſufficiebat eius liberum arbitrium cum adiutorio concurſus generalis. Vt autem perſeveraret perſeverãtia, quæ mereretur augmentum gratiæ ſanctificantis, & conſequenter gloriam, ſufficiebat influxus gratiæ ſanctificantis, cum concurſu generali debito ipſi gratiæ; neque erat neceſſarium ſpeciale auxilium gratiæ prævenientis actualis, quod auxilium præberet vires voluntati; ſicut modo eſt neceſſarium ſpeciale auxilium gratiæ actualis indebitum gratiæ ſanctificanti, vt homo iuſtus diu conſervet gratiam per obſervantiam omnium præceptorum, propter tentationes occurrentes, & propter difficultates, quæ vincendæ ſunt.

66 Præterea poſſet aliquis dicere, vt Adam perſeveraret in iuſtitia originali, & perſeverando mereretur gloriam non opus fuiſſe actibus intrinſece ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam, ſed ſatis fuiſſe actus quoad ſubſtantiam naturales virtutum moralium, ad quos gratia habitualis non influeret efficienter, ſed ſolum ſe teneret ex parte operantis. Admodum quo Soto, Medina, Victoria, & alij apud Patrem Suarez lib. 12. de grat. cap. 10. num. 1. affirmant, omnes actus virtutum moralium acquiſitarũ eſſe meritorios de condigno in homine iuſto, etiamſi fiant ſine ſupernaturali relatione, vel motione non ſolum charitatis, ſed etiam cuiuſcumque alterius virtutis infuſæ. Actus namque illi virtutum moralium eliciti ab Adamo in ſtatu innocentiæ eſſent ſupernaturales quoadmodum; quia licet non ſupponerent gratiam, & iuſtitiam originalem vt principium per ſe influens in ipſam entitatem; ſupponerent tamen iuſtitiam illam vt conſtituentem voluntatem Adami potentem perſeverare, ſi vellet, quatenus iuſtitia illa conſtituebat naturam integram, & carentem omni rebellione, ac proinde removebat impedimenta omnia antecedentia, quæ redderent difficilem elicientiam actuum; & in hoc ſenſu gratia illa, & iuſtitia originalis erat neceſſaria vt Adam eſſet expeditus ad perſeverandum, ſi vellet. Quod facilius intelligitur in ſententia communi aſſerente rebellionem appetitus contra rationem futuram in homine condito in puris naturalibus. Nam ſicut ratione huius rebellionis eſt pro hoc ſtatu neceſſarium auxilium gratiæ ſanãns hanc infirmitatem; ita in illo ſtatu ipſa iuſtitia originalis ſanaret naturam, impediendo infirmitatem concupiſcentiæ rebellis, & in hoc ſenſu foret neceſſaria per modum removentis prohibens, ad hoc vt Adamus per actus virtutum moralium, quoad ſubſtantiam naturales conſervaret iuſtitiam, & meretur gloriam.

SECTIO NONA.

Quamvis præter adiutorium gratiæ ſanctificantis, & iuſtitiæ originalis, neceſſarium fuerit Adamo ad perſeverandum adiutorium auxilij actualis; iſtud tamen adiutorium, non fuit adiutorium voluntatis, ſed ſolius intellectus, ac proinde adiutorium actuale ſine quo non *proprium naturæ integræ continetur in ſola illuſtratione intellectus, non quidem dante vires, ad ambulandam in lege Domini, ſed oſtendente viam per quam ambulet arbitrium per vires ſuas, & per vires gratiæ habitualis.*

67 ID Probat rectè Antoninus Moraynes, ſeu P. Ioannes Martinon in Antijanſenio diſp. 22. à num. 22. quia in ſtatu integritatis egebant quidem homines, & Angeli mentis illuſtratione ad bonum cognoſcendum, quod ſincero, ſanctoque amore diligerent: ſed non motione voluntatis, qua accederentur ad amorem illius boni. Cum enim Adæ voluntas libera eſſet à motibus concupiſcentiæ per iuſtitiam originalem, ſufficiebat illi mentis illuſtratio; & cognitio boni, vt in eius amorem ſive indeliberatum, ſive deliberatum ferretur, etiam per actum ſuper naturalem, quem ope habituum ſupernaturalium, iam ſibi infuſorum, facilè poterat elicere. Quare quod poſita illuſtratione intellectus, motum complacentiæ indeliberatum, aut deſiderium boni conciperet, non erat illi nova gratia, ſed aliquid naturaliter conſequens ex præcedenti. At verò in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficit mentis illuſtratio, niſi etiam voluntas cœleſti motione rangatur, & à terrenorum amore concupiſcentiali ad ſuperiora trahatur, atque ad rectè volendum, & agendum provocetur. Idque probat ex Auguſtino lib. de ſpiritu & litter. cap. 4. dicente, illuſtrationem mentis ad bene agendum nobis non prodeſſe, *vbi non adiuvat ſpiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala, concupiſcentiam bonam.* Quod confirmare poſſumus alijs Auguſtini teſtimonijs à nobis obſervatis; nam Sanctus Doctor deſcribens gratiam neceſſariam in ſtatu naturæ lapſę ad rectè volendum,

dum, & operandum, cap. 2. de correptione & gratia ; inquit : *Intelligenda est gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, &c. Non solum vt monstrante ipsa, quid faciendum sit sciant ; verum etiam vt præstante ipsa, faciant cum dilectione quod sciunt.*

Hinc lib. 4 ad Bonifacium, seu adversus duas Epistolas Pelagian. cap. 5. Pelagianos reprehendit, quod vellent, nos *a Domino Deo adiutorium cognitionis habere, qua ea, quæ facienda sunt noverimus ; non inspirationem dilectionis, vt cognita sancto amore faciamus.* Et hoc ipsum inculcans, & Pelagianos reprehendens, quod solum concederent gratiã cognitionis, quatenus homo vel audiẽs, vel legens Dei legem, sciebat quid ipsi faciendum esset per liberum arbitrium, sic ait cap. 25. de Grat. Christi : *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius, & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus ; sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultius, ita vt non ostendat tantummodo veritatem ; verum etiam impertiat charitatem.* Pelagiani namque solum admittere volebant gratiam cognitionis, non quidem quæ adiuvaret ad ambulandum in lege Domini ; sed quæ solum ostenderet viam, in qua homo per vires solius arbitrij sine adiutorio Dei ambularet, vt constat ex cap. 29. de spiritu & littera initio, vbi sic inquit : *Nemo glorietur ex eo quod videtur habere, quasi non acceperit : aut ideo putet se accepisse, quia littera extrinsecus vel, vt legeretur apparuit, vel, vt audiretur, insonuit. Nam si per legem iustitia : ergo gratis Christus mortuus est.* Plura ad hanc differentiam inter vtrumque statum, & inter auxilia naturæ sanæ & ægræ, seu lapsæ explicandam adducit ex Augustino Petavius tom. 1. Dogmat. lib. 10. cap. 16. num. 15. & sequentibus, & cap. 18. num. 12. & tom. 3. lib. de hæresi Pelagian. præcipuè cap. 10.

68 Sed illustrius & copiosius differentiam istam statuit P. Stephanus Decamps de hæresi Ianseniana lib. 3. disp. 3. à cap. 14. vsque ad 25. exclusivè. Qui rectè vrget Ianselnium ex ipsius principijs, & apertè ostendit, frustra ipsum constituere discrimen inter gratiam naturæ sanæ & integræ, atque infirmæ & lapsæ in eo, quod auxilium actuale naturæ sanæ fuerit suapte natura indifferens, & flexibile, atque arbitrio subiectum quoad vsum & influxum ipsius ; auxilium verò naturæ lapsæ sit intrinsecè efficax, determinans, & necessitans voluntatem ; cum ex ipsius principijs deducatur, discrimen hoc petendum esse ex eo, quod Adamus in statu innocentiæ non indigueric motione prævia voluntatis indeliberata, seu cœlesti delectatione, ad eliciendum consensum salutarem, sed sola illustratione intellectus, qua supposita, natura ipsa integra, & sana erat proxime expedita per donum habituale iustitiæ originalis, & gratiæ sanctificantis elicere actum deliberatum salutarem. Siquidem Iansenius toto lib. 4. de Grat. Christi latè contendit, medicinalem Christi gratiam, sine qua homo lapsus ne tenuem quidem circa Deum, resque divinas volitionem exercere poterit, esse motionem voluntatis, seu indeliberatum motum complacentiæ, aut desiderij cœlitus immissum ; qua in re comprobanda librum penè integrum insumit : cuius primũ caput sic inscribitur : *Quid sit medicinale Christi adiutorium : secundum substantiam esse Cœlestem suavitatem, seu delectationem iuxta mentem S. Augustini.* Et postea in eodem lib. cap. 7. & 9. docet : *Necessitatem delectationis cœlestis ad bene volendũ & operandum, non ex naturæ voluntatis, sed ex eius pœna proficisci.* Quare confutatis rationibus, quæ cœlestis delectationis necessitatem aliunde repetebant, opinionem suam in hæc verba proponit, & confirmat : *Vera itaque ratio, cur cœlestis delectatio ad actus bonos necessaria sit, ex natura medicinæ, seu medicinalis adiutorij, petenda est. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinis imperium præcipitata est : ex quibus fit vt in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinosa præeunte, ac titillante, provocetur.* Cui lenocinantis concupiscentiæ malo, contraria, atque adeo cœlestis delectatio mederi debet, vt reliquo capite (inquit Decamps) clarissimis S. Augustini sententijs evincit. Idem probat cap. 7. quod ita inscribit : *Delectationis necessitas oritur ex infirmitate voluntatis, qua fit, vt nihil boni amplecti possit, nisi delectet.* Eam porrò infirmitatem in eo positam esse ait, quod voluntas originalis peccati vulnere debilitata, & terrenarum rerum delectationibus irretita, erigere se, & ad virtutem eniti non posit, nisi illius cœlestis delectationis oleo delibuta convalescat. Sentit ergo Iansenius primi hominis voluntatem nativis pollentem viribus, & nullo terrenæ delectationis visco retardatam, cœlesti illa suavitate non indiguisse.

69 Ex hoc principio, quod verissimum esse censet P. Decamps, rectè colligitur frustra Iansenium ad aliam radicem recurrisse pro assignãdo discrimine inter gratiam actualem efficacem naturæ lapsæ, & naturę integręi cum

cum conſtet naturam integram, & ſanam ad eliciendum actum ſalutarem cum habitu ſupernaturali ſibi infuſo non indiguiſſe alio auxilio & adiutorio actuali, quam adiutorio intellectus, nempe illuſtratione oſtendente obiectum, in quod feratur arbitrium, ſanum per iuſtitiam originalem & gratiam ſanctificantē, quatenus elevatum per huiuſmodi habitum, dantem ſimpliciter poſſe, & omnes vires neceſſarias: cum tamen natura lapſa vltra adiutorium habituale, ſeu habitum ſupernaturalē, indigeat adiutorio actuali voluntatis, id eſt, ſuavitate, & delectatione cœleſti, vt confortante debilitatem voluntatis, & illi præbente vires ad vincendum pondus concupiſcentiæ.

Erravit autem enormiter Ianſenius dum exiſtimavit adiutorium iſtud voluntatis, ſeu hanc delectationem cœleſtem indeliberatam ſuo pondere neceſsitare ad actum ſalutarem deliberatum; & ſub prætextu explicandi S. Auguſtinum, ipſum enormiter corrupit: evidentiſsimum eſt enim Auguſtinum libertatem indifferentiæ pro hoc ſtatu lapſus amico fœdē conciliaſſe cum gratia efficaci, qua Deus facit vt faciamus; vt ſatis oſtendimus ſupra pag. 408. & à pag. 337. vſque ad 358. ſufficitque ad hoc convincendum id quod S. Doctor diſertè pronuntiat in lib. de nat. & grat. cap. 65. vbi approbat dictum illud S. Hieronymi à Pelagianis ſibi obiectum: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, neque ad virtutes, neque ad vitia neceſsitate trahimur: alioqui vbi neceſsitas eſt, neque damnatio, nec corona eſt.* Qua ſententia relata ſubiungit tanquam de re notiſsima, certiſsimaque: *Quis non agnoſcat, quis non toto corde ſuſcipiat?*

SECTIO DICIMA.

Ex eo quod per adiutorium actuale voluntatis, ſeu delectationem cœleſtem Deus faciat vt electi in hoc ſtatu lapſus ſalutariter operentur; malè Ianſeniſtæ inferunt, illam delectationem eſſe eſſentialiter connexam in hoc ſubiecto cum conſenſu ſalutari.

70 ID Satis conſtat ex dictis ſupra diſput. 4. ſect. 12. toto §. 17. præſertim num. 959. cum tribus ſequentibus. Et facilè evincitur, quia cum delectatio illa corroboret debilitatem voluntatis, illique vires tribuat ad actum deliberatum, conſtituit actū primum ad illum; implicat autem quod actus primus proximus ad operandum libere ſit eſſentialiter connexus cum actu ſecundo, vt oſtendi numero illo 959. & vt loquar cum P. Anato in opere contra Ianſeniſtas, ſeu in ſuo Auguſtino à Baianis vindicato pag. 746. *Quærimus* à Ianſeniſtis, *vt oſtendant nobis; vbi nam dicat Auguſtinus, Deum aliter determinare liberum arbitrium, quam quia dat illi virtutem determinandi ſe; & quia monet vt ſe in bonam partem determinet, & quia ad eiuſmodi determinationem intimè cooperatur? Vbi nam, inquam, & quid aliud Auguſtinus requirit? Atqui hoc non ſignificat talem eſſe gratiam, quam dat, vt ea vti vel non vti non ſit in libero arbitrio.* Certum eſt autem non eſſe in poteſtate arbitrij vri, vel non vti delectatione prævia cœleſti eſſentialiter connexa cum conſenſu; cum impoſsibile ſit, vt arbitrium non vtatur gratia eſſentialiter connexa cum bono vſu ſui.

Immò vtrumque Auguſtinus coniungit, nempe Deum nos trahere per ſuam gratiam efficacem, & facere vt faciamus actum ſalutarem, & tamen nobis dimittere liberam electionem, qua ita ſequamur Deum trahentem, vt poſsimus eius tractioni reſiſtere, quatenus prævenit conſenſum noſtrum. Sic enim ait lib. 2. contra litteras Pitiliani cap. 84. *Quomodo attrahit Pater ad Filium, ſi dimiſit vt quis quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verum eſt, ſed intellectu penetrare pauci valent.*

71 Conſtatque ex Sanct. Auguſtino Deum per gratiam ſuam antecedentem minimè connexam cum actu ſalutari feciſſe vt Angeli Sancti perſeveraverint in bono. Nam explicans S. Doctor, illud Pſalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, id in ſenſu allegorico intelligit de Angelis, in hunc modum: *Non à ſe ſibi ſolidamentum fuerunt, nec ipſi cœli firmitatem propriam ſibi præſtiterunt: verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Non habuerunt aliquid ex ſe, & tanquam ſupplementum à Domino perceperunt: ſpiritus enim oris eius non pars, ſed omnis virtus eorum.* Et inde tranſiens ad Apoſtolos, quos etiam per cœlos *allegorice intelligit, dicit ſimili modo fuiſſe verbo Dei firmatos, & ſolidatos.* Ergo ſicut tribuit gratiæ medicinali, quod per eam ſteterint Apoſtoli, ita tribuit gratiæ ſanitatis, quod per eam ſteterint Angeli.

Præterea lib. 12. de civit. cap. 9. idem clarè docet; nam loquens de malis & bonis Angelis, inquit: *Iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſsimi fierent, perveneruntt.* Ergo boni Angeli, non ſolum acceperunt auxilium,

ſine

sine quo perseverare non possent, sicut acceperint Angeli mali, sed auxilium *quo* factum est vt perseveraverint. Ergo Deus fecit vt perseverarent, & tamen id non fecit per adiutorium præveniens per se efficax, seu per gratiam prævenientem essentialiter connexam cum actu perseverandi; quia iuxta adversarios, & iuxta veritatem adiutorium sanitatis non est per se efficax. Ergo vt Deus in statu lapsus media vocatione, & delectatione faciat vt faciamus, non requiritur quod illa delectatio sit antecedenter connexa cum consensu salutari.

72 Ratio à priori est; quia vt verificetur, Deum sua gratia prævenienti facere vt faciamus, satis est, quod ita antecedenter illustret intellectum, & inflamet voluntatem; ita excitet, & internè impellat, vt voluntas seipsa consentiat; & vtatur habitu supernaturali, quo instructa est ad actum virtutis supernaturalem eliciendum, vel vtatur viribus naturalis, quibus pollet ad actum virtutis acquisitæ ponendum; sicut inter homines, vt quis consilio & exhortatione sit causa, cur alius operetur, satis est, quod ita suadeat, vt persuadeat; & ita illum moveat, vt cum effectu sequatur admonitionem, seu exhortationem. Vt autem Deus ita suadeat, vt persuadeat actū liberum salutarem, & ita moveat ad actionem liberam ponendam, vt reipsa ponatur; non est necesse vt id præstet per vocationem & inspirationem essentialiter connexam cum consensu, immò potius est necessarium, quod hoc præstet per inspirationem non sic connexam; quia causa libera non potest moveri ad consensum liberum nisi per motionem præviam, cui ipsa possit resistere & dissentire, vt docent Concilium Senonense, & Tridentinum, & S. Thomas quod lib. 1. articulo 7. Quidquid autem cum inconveniente præstaret per gratiam prævenientē connexam; præstat sine incommodo in nostra & vera sententia per gratiam prævenientem non connexam; & insuper influit physicè efficienter Deus tanquam Author supernaturalis in actum salutarem supernaturalem, & intimè nobiscum cooperatur: totumque hoc præstat per providentiam infallibilem; quatenus cognoscens per scientiam conditionatam, voluntatem nostram si pulsetur tali vocatione, & inspiratione, reipsa consensuram liberè; ex intentione consensus liberi obtinendi confert vocationem illam atque inspirationem.

Patetque, D. Augustinum nihil aliud à Pelagio, & alijs hostibus gratiæ extorquere voluisse, quam vt faterentur, nos non solum adiuvari à Deo vt possimus; sed insuper adiuvari vt benè velimus, & benè operemur, totumque hoc nobis conferri per gratiam Iesu Christi, ita vt Deus non solum nobis det posse, sed & velle & operari: sic enim ait S. Doct. lib. de grat. Christi cap. 47. *Si ergo cōsenserit vobis* (Pelagius) *non solum possibilitatem in homine, etsi nec velit, nec agat benè, sed ipsā quoque bonam voluntatē & actionem, id est vt benè velimus, & benè agamus, quæ non sunt in homine nisi quādo benè vult, & benè agit: si, vt dixi, cenſerit etiā ipſam voluntatē & actionē diuinitus adiuvari, vt ſine illo adiutorio nihil benè velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam per Ieſum-Chriſtum Dominum N. nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantū arbitror, inter nos cōtroverſiæ erit.* Totum hoc concedit Schola Societatis: Nullus enim habet *potentiam ad benè volendum & ſalutariter operandum*, ita vt in eius potestate sit & benè velle, & benè operari; quin illa potentia compleatur per aliquod donum gratuitū, sive sit habitus, sive aliquod transiens supplens vices habitus. Deinde nullus benè vult, & operatur, quin Deus media vocatione congrua & inspiratione faciat vt benè velit, & operetur, & quin Deus immediatè & intimè cooperetur cum illo, atque adeo quin operetur in illo *& velle & operari.* Nihil amplius requirit S. Augustinus & totum hoc quod requirit salvatur sine gratia prædeterminante, seu per se efficaci: ergo gratia illa est contra eius mentem.

§. II.

Illustratur doctrina præcedens testimonio S. Francisci Salesij, qui ex diametro opponitur Ianseniſtis, & principia Societatis per omnia sectatur.

73 ILLVST. Hic & Sanctissimus Doctor doctrinam §. præced. traditam clarissimè docet lib. 2. Amoris Divini c. 12. cuius titulus est: *Que los impulſos diuinos nos dexan en perfecta libertad de admitirlos, ò deſecharlos: Quod impulſus diuini, ſeu diuinæ inſpirationes nos relinquunt in perfecta libertate ipſos admittendi, vel reſpuendi.* Vbi clarissimè docet cœlestem illam delectationem & suavitatem, in qua consistit gratia prævenies efficax, per quam Deus fortiter, & suaviter facit vt libere, & salutariter operemur, talis esse indolis & naturæ, vt ei possimus resistere. Verba Seraphici huius Doct. appendimus disp. 4. sect. 11. à pag. 111. videantur, quę ibi habet n. 179. expendens enim modum, quo Deus trahit, in hunc scopū adducit illud Oseę: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Et statim subiungit: *Non ferreis à Deo vinculis trahimus, vt ſolent tauri, aut*

bubali, ſed allectamentis, blanditijs, ſuavissimis, & ſanctis inſpirationibus: quæ demum vincula illa ſunt Adam, vincula humanitatis: hoc eſt, proportionata, & convenientia humano cordi, cui libertas cõgenea eſt. Proprium humanæ voluntatis vinculum eſt voluptas, & delectatio. Quod poſtquam probavit teſtimonio Auguſtini, mox concludit: *Hoc igitur modo, nullam arbitrio noſtro vim, nullam neceſſitatem gratia infert, ſed ſtante licet vinculo vi omnipotentis miſericordiæ manus Dei, qui tangit, circumplectitur, & illigat animam tot, ac tam diverſis inſpirationibus, vocationibus, & allectationibus, voluntas hæc humana perfectè libera permanet immunis ab omni coactione, & neceſſitate. Gratioſa Deo gratia eſt, & ſic rapit, alliciens corda gratioſe, vt voluntatis libertatem haud lædat: potenter quidem, ſed nihilominus ita molliter animi nervos perrentat, vt inde vim adigentem nullam recipiat arbitrium noſtrum. Vires habet gratia, non vt vim inferat, ſed vt alliciat. Vim habet ſanctè violentiam, non vt violet, ſed vt impenſe amantem reddat libertatem noſtram. Fortiter agit, ſed ita ſuaviter, vt non ſub operatione ſic potente voluntas noſtra opprimatur. Premit nos, ſed non opprimit libertatem, adeo vt inter impetus & impulſiones eius, motibus eiuſdem conſentire poſſimus, vel reſiſtere, vt libuerit. Sed quod mirabile æque ac verum eſt, non minus libere voluntas noſtra divinam allectationem, & motionem ſequitur, quando ei obſequitur; quam liberè eandem abijciat, cum & reſiſtit: licet conſenſus gratiæ præſtitus multo magis a gratia pendeat, quam a voluntate: & à voluntate ſola pendeat reſiſtentia facta gratiæ, &c.* Multa ibi alia valde oportuna habet toto illo cap. 12. Nobis nunc ſufficiat pro coronide addere aurea hæc Sancti Doctoris verba, quæ tum alijs legi poſſunt ſupra pag. 113. à num. 183. *Excitat* (inquit) *nos dum dormimus; adeoque prius expergiſcimur, quam cogitaverimus; at in nobis eſt ſurgere; vel non ſurgere: & quamvis ille nos excitet ſine nobis; non tamen è lecto vult nos erigere ſine nobis. Poſt excitationem verò minime ſurgere, & iterum ob dormire, id porro eſt reſiſtere excitanti; quippe qui non ad aliud excitat quam vt ſurgere faciat.* Quo nihil illuſtrius pro ſententia Societatis dici potuit.

(**)

SECTIO VNDECIMA.

Quo ſenſu direxit Auguſtinus cap. 10. de correptione & gratia: Angelis malis per liberum arbitrium cadentibus, per idem liberum arbitrium bonos ſtetiſſe?

§. I.

Quid hac in re dixerint Doct. Lovanienſes? quid Facultas Theologica Lovanienſis in iuſtificatione cenſuræ, quam tulit contra doctrinam P. Leſſij.

74 FACVLTAS Theologica Lovaniensis anno 1587. cenſuram, ſeu iudicium Scholaſticum tulit contra vnã & triginta articulos anno 1586. traditos in Scholis Patrum Societatis Ieſu Lovanij, præcipuè à P. Leonardo Leſsio; & paulo poſt in lucem emiſsit eiuſdem cenſuræ iuſtificationem; ſeu defenſionem; vt teſtatur Ioannes Libertus Hennebel Doctor Lovanienſis in Theſi 1. hiſtorico Theologica propoſita Lovanij die 12. Maij anno 1684. Quam cenſurã ſupra pag. 239. vidimus fuiſſe à Sede Apoſtolica reprobatam. In illa iuſtificatione cenſuræ dicunt Lovanienſes, Sanctos Angelos, qui perſeverarunt, per adiutoriũ gratiæ accepiſſe poſſibilitatem perſeverandi, perſeverantiam verò habuiſſe per liberum arbitrium. Vt enim teſtatur Ioannes Hennebel Doct. Lovanienſis in Theſi 2. hiſtor. Theologica citata ſupra pag. 404. n. 32. Maiores Facultates Theologicæ Lovanienſis in iuſtificatione cenſuræ n. 54. expreſſe affirmant, *Quod inter perſeverantes Angelos, & non perſeverantes diſcrimen non fecit gratia, quæ erat vtrique communis, ſed liberum tantum arbitrium.* Quam doctrinam ſectatus eſt Ianſen. lib. de grat. primi hominis c. 16. vbi aſſeruit, perſeverantiam & merita, in ſtatu innocentiæ, naturæ humanę & Angelicæ non eſſe ſpecialia Dei dona, quia non fiebant per auxilium *quo*, ſed per auxilium *ſine quo non*. Sic teſtatur P. Martinon in Antiianſenio pag. 234. n. 42. Idque indicare videntur verba S. Aug. in titulo præfixa. Nam Sanct. Doct. de primo hom. loquens, inquit: *Poſſet ergo permanere, ſi vellet, quia non deerat adiutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet, ſed quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt Angeli Sancti: qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ipſi ſteterunt.*

Verum Sanctos Angelos non habuiſſe per-

perseverantiam in bono per vires naturales solius arbitrij, sed per vires arbitrij, & per vires gratiæ, ita vt Deus in illis operatus sit perseverantiam illam; manifestum est ex doctrina Augustini; qui immediate ad verba nuper relata subiungit: *Et huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua in eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Sentit ergo S. Augustinus, Sanctos Angelos per illam mansionem, & perseverantiam in bono meruisse visionem beatificam, qua modo fruuntur. At certum est ad merendam beatitudinem supernaturalem requiri meritum supernaturale elicitum viribus gratiæ. Vnde idem Augustinus epist. 106. prope finem aiebat: *Natura humana etiam sic in illa integritate, in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adiuvante servaret, cum sine gratia Dei salutem non posset custodire, quam accepit.* Et in Enchiridio cap. 106. dicebat. *Et si peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi præparatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur.* Idque probant alia, quæ adduxi supra pag. 408 à n. 43. ad 49.

75 Vnde S. Thom. 1.2. quæst. 109. art. 2. in corp. aiebat: *Virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad operandū & volendum bonum supernaturale.* Et 1. p. q 62. art. 2. *Nulla creatura rationalis potest habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem, nisi mota à supernaturali agente, & hoc dicimus auxilium gratiæ. Et ideo dicendum est quod Angelus in illam beatitudinem voluntate converti non potuit, nisi per auxilium gratiæ.* Et Bernard. Serm. 22. *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captiuitate eruens, sicut istum à captiuitate defendens; & hac ratione fuit æquè vtrique redemptor, soluens illum, seruans istū.* Et Gregor. hom. 14. in Ezechiel. *Vnigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominū; illis fortitudo ne cadant, nobis adiutorium, vt surgamus post casum.* Item Fulgent. lib. 2. ad Trasimundum cap. 3. *Vna est in vtroque gratia operata; in hoc vt surgeret, in illo ne caderet.* Vnde patet esse evidēter falsum, quod supra n. 74. dicebant Theologi Lovanienses, videlicet, *Liberum tantum arbitrium fecisse discrimen inter perseverantes Angelos, & non perseverantes.*

§. II.

Dum Augustinus ait, Angelos bonos per liberum arbitrium stetisse, sub nomine arbitrij, quatenus liberi, gratiam habitualem comprehendit.

76 IANSENIVS Lib. de gratia primi hominis & Angelorū c. 13. ait S. Aug. eo loco per *liberum arbitrium* ipsam quoque habitualem gratiam, seu *habitum diuinæ charitatis* intelligere. *Nam Augustini phrasi* (inquit Iansenius) *liberum arbitrium Adami non erat vllo pacto liberum, nisi per illam habitualem diuini amoris gratiam; vtpotè quæ esset ipsissima libertas eius ad bonum.* Ex quibus colligit, Sanctum Augustinum cum libro de correptione & gratia cap. 10. 11. & 12. de gratia liberum arbitrium adiuvante disputat, *Non de ipso charitatis libertatem afferentis habitu, vtpote quod sub ipso arbitrio quatenus libero comprehenditur; sed de distincto & libertatem flexibilem adiuvante adiutorio intelligi debere.*

Verum P. Decamps lib. 3. disp. 3. c. 20. hac ipsa doctrina vtitur ad impugnandū Iansenium, & ad probandum, D. Augustinum, quibusdam in locis, ac præcipuè in lib. de corrept. & grat. de Adami gratia ita differere, vt solius habitualis mentionem faciat; vt inde concludat genuinū discrimen inter gratiam naturæ integræ, & naturæ lapsæ ad perseverandum necessariā in eo positum esse, *Quod Adamus cum sola habituali gratia, & adiutorio cognitionis potuerit perseverare: Sanctis verò pro hoc statu præter illa duo etiam motio voluntatis necessaria sit.* Ex quo infertur, sine fundamento vllo in Augustino Iansenium docuisse, in eo differre gratiā naturæ integræ à gratia naturæ lapsæ, quod hæc sint intrinsecè & effectialiter efficax, ac proinde necessitatē imponens arbitrio, quod determinat; illa verò sit intrinsecè indifferens, & in sua operatione dependens ab arbitrio, à quo reddi potest inefficax.

77 Probat igitur Decamps eo cap. 20. num. 9. multum roboris accedere opinioni suæ ex doctrina Iansenij nuper relata: *Certum est enim* (inquit) S. Augustinum quādoque in hac disputatione liberum Adami arbitrium sumere pro voluntate habitualis gratiæ adiutorio instructa: sed nullam prorsus ad bene agendum gratiam illi adiungit. Certum quoque, eundem hic affirmare, liberum Adami arbitrium gratiæ adiutorio ad bene agendum indiguisse: sed tunc liberum arbitrium pro sola naturali facultate accipit. Primo sensu liberum arbitrium sumit toto capite decimo, vbi sæpius affirmat Angelos *per ipsum libe-*

liberum arbitrium in veritate ſtetiſſe, & Adamũ ſtare quoque potuiſſe *per ipſum liberũ arbitrium*: toto, inquam, illo capite liberũ arbitrium ita ſumit, vt habitualem gratiam complectatur. Sed tunc alterius gratiæ ad bene agendum voluntati neceſſariæ non meminit, vt integrum illud caput legenti conſtabit. Et ſanè cum de gratia voluntati noſtræ hoc in ſtatu neceſſariâ diſputans ita loquitur epiſt. 107. *Non eſt gratia Dei in natura liberi arbitrij, quia liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati grauitate perdidimus*: manifeſtè indicat, ante primum peccatum gratiam volũtati neceſſariam, fuiſſe *in natura liberi arbitrij*: natura, inquam illa, quæ, vt rectè Ianſenius obſervat lib. de gratia primi hominis cap. 9. *ipſam gratiã habitualem* complectebatur. Docet igitur S. Auguſtinus, Angelos per liberum arbitrium ſtetiſſe, quia liberi arbitrij nomine gratiam habitualem, quæ ſola eorum voluntati ad perſeverandum neceſſaria erat, comprehendit. Secundo ſenſu, liberi arbitrij nomen vſurpat initio capitis vndecimi. Nequis enim male interpretaretur quod paulo ante dixerat, primũ hominem per liberum arbitrium ſtare potuiſſe, duo illa ſeiungit, quæ hoc nomine complexus fuerat. *Liberum arbitrium*, inquit, *ad malum ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono* Planum eſt, hic liberum arbitrium ſumi pro ſola naturali facultate; quia conſideratur, quatenus ad malum ſufficit: vnde in altero loco, qui iſti geminus eſt; ſcilicet in Enchirid. cap. 106. ait: *Etſi peccatum in ſolo libero arbitrio* (Adami) *erat conſtitutum; non tamen iuſtitiæ retinẽdæ ſufficiebat liberum arbitrium.* Cum igitur liberum Adami arbitrium hic ſumat, pro ſola naturali facultate, nihil mirum quod gratiæ adiutorium illi adiungat; habitualis nimirum, quæ, vt Ianſenius ex S. Auguſtini ſententia rectè annotat, *Erat ipſiſſima libertas eius ad bonum.*

§. III.

Quomodo Eximius Doctor exponat dictum Auguſtini, quod Angeli per liberum arbitrium ſteterint.

78 EXIMIVS Doctor in opuſculis lib. 3. de auxilijs cap. 15. num. 16. ita hunc textum exponit. Nam quod ait Auguſtinus, *Per ipſum liberum arbitrium*, non excludit gratiæ auxilium, vt certum eſt, & idem Auguſtinus inferius declarat. Vnde, ſi hoc generatim, & abſolute ſumatur, non eſt proprium Angelorum, nam homines etiam quando in veritate ſtant per liberum arbitrium ſtant, non ſolum, ſed gratia adiutum; tamen hoc eſt proprium Angelorum, quod per vnum (vt ſic dicam) plenum vſum ſuæ libertatis in bono firmantur, ita vt amplius cadere non poſſint, & de hac ſua ſtabilitate ſtatim per æternam beatitudinem certi fiant. Quod verò ſpectat ad homines ante, & poſt lapſum, duplex differentia ab Auguſtino intenditur. Prior eſt, quod homines poſt lapſum indigent gratia reparatrice, qua prius non indigebant. Poſterior eſt, quod in ſtatu naturæ lapſæ potentiori gratia indiget homo ad ſalutem conſequendam, & ad perſeverandum in bono, quam ante lapſum propter carnis pugnam, & alias difficultates huius ſtatus proprias. Ex quibus provenit, vt homo in ſtatu innocentiæ poſſet per commune auxilium gratiæ in iuſtitia accepta perſeverare ſi vellet: poſt naturæ autem lapſum præter iuſtitiam reparatam, & commune auxilium eius neceſſaria ſit ſpecialis Dei protectio, & gubernatio ad perſeverandum in bono. Hæc autem protectio non fit per determinationes voluntatis humanæ repugnantes libertati eius, ſed per internam vocationem, & inſpirationem ex ſpeciali Dei amore, & propoſito manantem.

§. IV.

Ideò perſeverantia, & merita Angelorum libero arbitrio potius quam gratiæ, noſtra verò gratiæ potius quam libero arbitrio tribuuntur, quod ad hæc fortior requiratur gratia, quam ad illa; ſeu quia ad meritã naturæ lapſæ requiritur motio voluntatis, ad merita verò naturæ integræ ſufficit motio ſolius intellectus.

79 HANC Rationem reddunt P. Deſcamps, & P. Ioannes Martinon, qui diligentius mentẽ Auguſtini perſcrutati ſunt, vt Ianſenij fundamenta everterent. Ideo enim Auguſt. lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. dicebat: *Non diſcedere à Deo non eſſe in viribus arbitrij, quales nunc ſunt: fuiſſe in homine antequam caderet.* Quia nimirum tunc non indigebat præveniente motione voluntatis; ſed cum ſola illuſtratione intellectus poterat per habitus ſibi infuſos adhærere Deo per amorem, & obedientiam. Quod ſi aliquando Deus non tantum per illuſtrationem intellectus, ſed etiam per accenſionem voluntatis eum iuvabat, vt affirmat Auguſtinus lib. 14. de civit. cap. 13. id non erat ex indigentia, & neceſsitate, ſed ex abundantia. Similiter ideo S. Doctor lib. de Prædeſtin. Sanct. cap. 15. opera facta in ſtatu inno-

innocentiæ vocat *humana merita*, eaque dicit per Adæ prævaricationem perijſſe: *Humana* hic (inquit) *merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam: & regnet, quæ regnat Dei gratia per Ieſum-Chriſtum*, videlicet, quia bona illa opera fiebant viribus liberi arbitrij, poſita mentis illuſtratione, ſine nova gratia ex parte voluntatis. Si enim erant opera virtutum moralium, ad illa ſufficiebat natura ſana, & integra per iuſtitiam originalem cum ſolo concurſu generali: ſi autem erant opera meritoria vitæ æternæ, & virtutũ infuſarum, ſufficiebat natura vt inſtructa habitus ſupernaturalibus; quæ vt eliceret actum ſalutarem ſolum indigebat mentis illuſtratione, cuius munus præciſe foret proponere obiectum, in quod ferretur voluntas elevata per habitum ſupernaturalem; quæ quia nullo impedimento concupiſcentiæ retardabatur ab elicientia actus non indigebat inſpiratione, & motione voluntatis prævia ad actum ſalutarem eliciendum. Nunc autem fieri non poſſunt, nec opera virtutum moralium, neque opera virtutum infuſarum ab homine quamtumvis iuſto, niſi voluntas ſpecialiter iuvetur contra concupiſcentiam, & præveniatur & roboretur cœleſti complacentiæ, vel deſiderij, vel alio ſimili effectu indeliberato iuvetur. In eoden ſenſu idem Auguſtin. cap. 11. de corrept. & grat. dicit, quod à Deo redditur bonis operibus, quæ nunc fiunt in ſtatu naturæ lapſæ, eſſe potius grati, quam mercedem; ſecus verò id, quod reddebatur operibus factis in ſtatu innocentiæ, quia ſcilicet maiori, & nova gratia ex parte voluntatis nunc indigent vt fiant. *Quæ* (inquit) *futura erat, & homini, ſicut & facta eſt Angelis Sanctis, merces meriti: nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factũ eſt donũ gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

80 Id pulchro exemplo explicat P. Decamps lib. 3. diſp. 3. cap. 22. Finge peritiſſimum pictorem duos habere filios, quorum alter ſanam habet manum, ac vegetam, alter infirmam, & ex vulnere debilem: vtrique penicillum colore imbutum tribuit, vtrique exẽplar, quo dirigantur, ob oculos proponit. Duplici illo adiutorio inſtructus maior natu ad opus ſeſe accingit, & obiectam oculis tabulam imitatur: alter verò præ manus infirmitate nec dum pingere poteſt. Quamobrem bonus pater maiori adiutorio opus illi eſſe intelligens, manum ſuam eius dextræ admovet, & cum eo ſingula ducit liniamenta. Manifeſtum eſt, conceſſa vtrique fuiſſe adiutoria, quæ ad pingendum requirebantur: at tantum eſſe inter illa diſcriminis, vt quod primus pingat, ipſi potius quam patri tribuatur: quia etſi pater penicillum illi dederit, & exterius pingẽtem dirigat, manum tamen eius non tangit, nec in ea, vt moveatur efficit: quod verò ſecundus pingat, patri potius quam ipſi tribuitur: quia pater non modo penicillum dedit, & externam directionem adhibet; ſed prehenſam inſuper eius manum movet, & cum ea pariter pingit.

81 Habes hic tam præclarè expreſſam vtriuſque gratiæ naturam, vt ſiquæ adiutoria pictor iſte filijs exterius adhibet, ad ea tranferas, quæ Deus innocenti, aut corrupto homini interius impertit, nullam in hac quæſtione explicanda difficultatem ſis experturus. Quemadmodum enim pictor ille maiori natu filio penicillum tantũ & exemplar, quo dirigatur, ſubminiſtrat: ita Deus rationali creaturæ nondum vitiatæ gratiam tantum habitualem, quæ inſtar penicilli eſt, & adiutorium cognitionis, quo dirigitur, ſuppeditat: nec voluntatem ipſam (quæ teſte fideliſsimo S. Auguſtini diſcipulo, per manum deſignatur) impellit, ac movet. Rurſus, quemadmodum pictor, præter illa duo adiutoria maiori filio adhibita, aliud quoddam potentius minori impertit, dum ipſe prehenſam eius manum movet, & cum ea pariter pingit; ita Deus, præter illa duo adiutoria homini innocenti conceſſa, aliud inſuper potentius corrupto adhibet, dum ipſam eius voluntatem impellit, & cum ea operatur, vt velit. Quid igitur mirum, ſi libero potius arbitrio, quam gratiæ tribuatur, quod Angelus perſeverare velit, quemadmodum maiori iſti filio potius quam patri adſcribitur quod pingat? Rurſus, quid mirum, ſi gratiæ potius, quam libero arbitrio tribuatur, quod nunc ſancti perſeverare velint, quẽadmodum quod filius alter pingat patri potius quam ipſi adſcribitur? Hæc ſunt quæ ex illa familiari ſimilitudine colligi debent. Hucuſque ille pollitiſsimus, & ſapientiſsimus Scriptor, inter debellatores Ianſenij facilè princeps; qui multis Auguſtini teſtimonijs ſimilitudinem illam illuſtrat, aſſignans præclaras rationes cur in hoc ſtatu lapſus perſeverantia potius tribuatur gratiæ, quã libero arbitrio. Ad vincendas enim tot tentationes, & ſuperandas tot difficultates multo maior, & fortior gratia requiritur, quam illa, qua indigebat Adamus ad perſeverandum in illo ſtatu fœliciſsimo; & cumulus gratiarum, quibus Deus facit vt prædeſtinati Diabolum, mundum, & carnem vincant, & perſeverantiſsimè, & conſtantiſsimè perſiſtant contra tot pericula & tentationes in obſervãtia mandatorũ, oritur ex illo æterno Dei [illegible] poſito, quo illos ante mundi conſtitutio[illegible] el[illegible]

elegit ad regnandum cum Chriſto; quæ electio eſt fons & origo omnium gratiarum, quæ in prædeſtinatos derivantur à Deo. Adamum autem noluit antecedenter eligere ad perſeverandum; ſed maluit illi gratiam donare, cum qua poſſet perſeverare ſi vellet, præſciens tamen cum illa non perſeveraturum ſua culpa; vt inde eliceret humilitatis bonũ, vt ſcilicet Adamus propria experientia edoctus non fideret proprijs viribus; ſed ad Deum recurreret per humilem orationem. Illum tamen abs dubio elegiſſet ad perſeverandum in iuſtitia originali, ſi prævidiſſet perſeveraturum cũ illo adiutorio, quod illi de facto dedit: quod autem non prævideret, non cauſa Deus fuit, ſed voluntas Adami; ſi enim perſeveraviſſet, vt potuit ac debuit; Deus id prævidiſſet per ſcientiam conditionatam; ſi autem prævidiſſet, ſanè donando illud adiutorium, quod de facto dedit, etiam donaviſſet ipſam perſeverantiam actualem.

SECTIO XII.

Infertur ex dictis falsò Lovanienſes aſſerere adiutorium naturæ integræ ſolùm dare poſsibilitatem benè operandi; non autem ipſam operationem: oſtenditurque Deum dantem auxilium ſine quo non, *ſeu auxiliũ plenè & proximè ſufficiens, quale fuit auxilium datum Adamo ad perſeverandum, dare quantum eſt ex ſe auxilium* quo.

82 IAM Supra pag. 394. nu. 8. retuli verba Gummari Huygens, dicentis, gratiam quæ per ſe non eſt efficax, & determinans voluntatẽ, ſed eſt efficax ab eventu, ſeu à voluntatis determinatione, *ex ſe ſolam poſsibilitatem præſtare.* Quod iterum reperit in theſibus ibi citatis theſi 4. vbi hæc habet: *Cùm per gratiam huius ſtatus non tantùm* perſeverandi poſsibilitas, *ſed etiam ipſa perſeverandi* voluntas *donetur; cùm etiam infirmitas voluntatis humanæ* inſuperabiliter & indeclinabiliter *per gratiam agatur; neceſſum eſt, vt iſta gratia ſit efficax per ſe; nam aliàs per iſtam gratiam nec daretur perſeverantia*, ſed perſeverare vel nõ perſeverare in eius relinqueretur arbitrio; *quod Auguſtinus tribuit in hac expreſsione adiutorio primi ſtatus.* Hæc ille.

83 Verùm hæc non verè dicuntur, nam Auguſtinus non comparat in illis verbis omnem gratiam naturæ lapſæ cum omni gratia naturæ integræ, ſed ſolùm comparat gratiam, quam in ſtatu lapſus accipiunt prædeſtinati ad perſeverandum finaliter in ſtatu gratiæ, cum gratia, quam accepit Adamus ad perſeverandum in iuſtitia originali per obſervationem præcepti non comedendi de ligno ſcientiæ boni & mali; quæ gratia dedit quidẽ de facto abſolutè ſolam poſsibilitatem perſeverandi, non tamen *ex ſe*; quia cùm eſſet ex ſe ſufficientiſsima ad obſervationem præcepti; neque vltra illam eſſet neceſſaria alia gratia prævenies vt Adamus actu obſervaret præceptum, Deus conferens illam gratiam Adamo quantùm eſt ex ſe dedit perſeverantiam in iuſtitia originali; & ſolùm ob culpam Adami non dedit abſolutè & cum effectu: ideo enim abſolutè Adamus perſeverantiam non habuit, non quia Deus noluit dare, ſed quia ipſe noluit accipere; Deus enim dans auxilium illud ad perſeverandum ſufficientiſsimum, donaſſet perſeverantiam, ſi illam Adamus voluiſſet accipere; eſt enim actus perſeverandi deliberatus ita donum Dei, vt non ſuſcipiatur ab homine niſi liberè conſentiendo vocationi & inſpirationi; vt ſæpe explicui in hoc tractatu præſertim pag. 307. & 308. Idque conſtat manifeſtè ex ipſo Auguſtino in eo ipſo loco, vnde Gũmarus argumentum ſumpſit; nam cap. 12. de corrept. & grat. ſic ait: *Poſſet Adam perſeverare, ſi vellet; quia non deerat adiutoriũ per quod poſſet; ſed quia noluit permanere; profectò eius culpa eſt.* Ergo vnicè per Adamum ſtetit, & non per Deum, quod non perſeveraverit. Deus ergo conferens Adamo illud adiutorium, contulit adiutorium efficax in actu primo, & quantum eſt ex parte ipſius adiutorij; & ideo præcisè non contulit adiutorium efficax in actu ſecundo, quia malitioſè Adamus eius efficaciam impedivit: vt enim ſtatim videbimus, liberum arbitrium licèt nõ poſsit dare efficaciam gratiæ, poteſt tamen illam impedire: nequit enim gratia efficaciã in actu ſecundo habere, quin liberum arbitrium cum illa libere cooperetur, & eidem libere aſſentiatur.

84 Quapropter quando Deus contulit Adamo *adiutorium ſine quo non*, ſeu adiutorium pleniſsimè ſufficiens ad perſeverandum, obtulit ipſi *adiutorium quo*; illudque dediſſet ex vi illius gratiæ, niſi Adamus contempſiſſet adiutorium intellectus, quo impellebatur ad vtendum gratia habituali, & habitibus ſibi infuſis à Deo, & niſi reſtitiſſet impulſui, & inclinationi charitatis habitualis, quæ ipſum inclinabat ad obſervationem præcepti. Idipſum expreſsit idem Auguſtinus in eodem libro de corrept. & grat. cap. 7. vbi docet, non fore legitimam excuſationem reproborum dicentium, ideo non perſeveravimus, quia *non accepimus perſeverantiam*; reddítque rationem: *Quoniam poteſt dici: in*

eo quod audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles. Ergo reprobi nõ ideo perseverãtiam non acceperunt, quia Deus noluit dare, sed quia ipsi noluerunt accipere: Deus enim dedisset perseverantiam per illa media, quæ de facto illis donavit, si ipsi voluissent perseverantiam accipere; vnde quòd non acceperint, profectò ipsorum culpa fuit, quia *contemnendo gratiam Dei, & resistendo vocationibus & inspirationibus divinis*, quæ ex se efficaces erant in actu primo, effecerunt vt gratia illa non obtineret effectum in actu secundo. Ideoque idem Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. dicebat: *Noluit Esau & nõ cucurrit; sed si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.*

85 Prædestinatis autem Deus non solùm dedit gratiam efficacem in actu primo ad perseverandum, sed efficacem in actu secũdo, & non solùm ipsis dedit quantum est ex se perseverantiam; sed dedit absolutè & non solùm obtulit *adiutorium quo*, sed cum effectu dedit: quia enim illos efficaciter elegerat ad gloriam & prædestinaverat, *donavit eis* eam vocationem & inspirationem, cum qua de facto novit eos perseveraturos, quod fuit maius Dei beneficium: maius est enim beneficium conferre donũ, ex quo scias donatarium magnum emolumentum collecturum, quàm conferre donum, ex quo scias non magnam vtilitatem capturum. Quod explicat optimè Pater Vazquez 1. p. q. 98. n. 37. cùm enim donum, gratia, & beneficium dicantur relatè ad subiectum, cui donantur: *Maior gratia, & misericordia, maius beneficium, & donum dicendum erit, quod magis vtile est ei, cui cõfertur. Eadem enim res, quia propter diuersas circunstantias magis commoda est, aut minus vtilis, maior aut minor gratia, & misericordia, maius aut minus donum & beneficium vocari debet.* Imò verò ob eãdem rationem res minoris valoris ob diversam circunstantiam maior gratia, & misericordia, maius donum, & beneficium est, quàm res maioris pretij: dare enim panem famelico, quando indiget, & eo famem depellere potest, maior gratia, & misericordia, maius donum, & beneficium est, quàm ei tunc auri copiam offerre: atqui vocatio congrua magis commoda, & vtilis est, quàm non congrua, siquidem hæc bonum consensum in nobis non operatur: illa verò effectum habet: ergo licèt sit in se remissior operatio, quatenus intellectio est: maior tamen gratia, & misericordia, maius beneficium, & donũ appellari debet. Cùm igitur ille, qui respondet, semper habeat congruam vocationem, eo tempore, & modo oblatam, quo Deus novit effectum in eo habituram, efficitur, eum qui respondet, maiori gratia & misericordia, maiori beneficio, & dono fuisse præventum, quàm alium qui non cõsentit, vel etiam quàm ipsummet, quando non respondet.

Hinc sequitur, Angelos, qui perseverarunt, maiorem gratiam accepisse, quàm illos, qui non perseverarunt, vt docet Augustinus lib. 12. de civit. cap. 9. vt constat ex eius verbis citatis suprà num. 47. pag. 411. quamvis enim auxilium præveniens quoad entitatem forsam fuerit æquale in ratione auxilij prævenientis, in ratione gratiæ & beneficij fuit maius in ijs, qui perseverarunt; quia Deus prævidit maius emolumentum ex illo ab eis colligendum: & absolutè illos ampliùs adiuvit; quia eos non solùm adiuvit auxilio excitante prævio, sed auxilio concomitante.

86 Quapropter licèt comparando gratiam collatam prædestinatis ad perseverãdum cum gratia collata Adamo; gratia collata prædestinatis sit multò maius donum & maius beneficium, quàm gratia collata Adamo ad perseverandum; quia prædestinati prævisi sunt ingens emolumentum ex illa capturos; quod de Adamo Deus non prævidit. Imò, quamvis gratia collata prædestinatis fuerit in se vberior antecedenter & fortior, quia complectebatur non sola adiutoria habitualia voluntatis, sed adiutoria actualia cœlestis delectationis & suavitatis, per quæ tot difficultates vincendæ erant; cùm tamen gratia collata Adamo ad perseverandum solùm complexa sit dona habitualia, & adiutorium actuale intellectus, non verò adiutorium actuale voluntatis. Tamen absolutè falsissimum est, gratiam illam collatam Adamo ex se solùm dedisse possibilitatem perseverandi; etsi enim in genere causæ formalis, & quatenus prævenit omnem actũ liberum Adami solùm contulerit possibilitatem perseverandi; in genere tamen causæ efficientis ex se efficax erat, & conferebat quantum est ex parte Dei actualem perseverantiam, quam Deus obtulit Adamo, quando dedit illud *adiutorium sine quo non*, seu illud adiutorium, quod ex se erat sufficiens ad perseverandum, quin ei adderetur novum adiutorium præveniens; illud enim adiutorium non solùm erat adiutorium sine quo non posset perseverare, sed cum quo poterat plenissimè perseverare si vellet; non enim solùm dabat possibilitatem remotam perseverandi, sed possibilitatem proximam, ita vt vnicè per Adamum steterit, quod non perseveraverit, quod esset falsum, si ad actualiter perseverandũ foret necessaria nova gratia præveniens independ[ens] à voluntate Adami

87 Si autem comparatio fiat inter gratiam omnem naturæ lapſæ, & gratiam omnem naturæ integræ; manifeſtum erit, *adiutorium ſine quo non* collatum Angelis in aliquibus fuiſſe efficax, & illis dediſſe non ſolùm perſeverandi poſsibilitatem, ſed ipſam perſeverantiam; vt enim ſupra oſtendimus, manſio illa, & permanentia in bono, quâ boni Angeli meruerunt æternam fœlicitatem, non fuit opus ſolius liberi arbitrij, ſed præcipuè opus gratiæ; & Deus donando adiutorium illud, quod prævidit fore efficax, vt Angeli perſeverarent, dedit Angelis bonis *adiutoriũ quo*, & fecit vt perſeveraverint in bono: & Adamo & Angelis malis dediſſet etiam adiutorium *quo*, ſi ipſi illud recipere voluiſſent: vt enim de Adamo inquit Auguſtinus cap. 11. de corrept. & grat. *Poſſet permanere, ſi vellet, quia non deerat adiutorium per quod poſſet; ſed quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt. &c.* Deus ergo per dona habitualia collata Angelis, & per adiutorium intellectus, quod ipſis contulit, fecit vt Angeli boni perſeveraverint, & perſeverando meruerint vitam æternam. Ergo adiutorium collatũ Angelis, quod abs dubio fuit adiutorium naturæ ſanę & integrę, non tantùm dedit poſsibilitatem perſeverandi, ſed ipſam actualem perſeverantiam: vnde, vt probatũ manet ſect. 5. §. 5. à pag. 408. clarum eſt, auxilium *quo* non ſolùm in natura lapſa, ſed in integra reperiri.

88 Nec ex eo quod per auxilium vel adiutorium *quo* infirmitas humanę voluntatis *inſuperabiliter* & *indeclinabiliter* agatur in bonum, ſequitur gratiam prevenientem naturę lapſę eſſe per ſe efficacem, vt oſtendi pag. 338. §. 17. & pag. 553. §. 20. totum enim hoc verificatur per vocationem congruam, & inſpirationem ortam ex prefinitione efficaci conſenſus: & idipſum habere potuit locum in ſtatu integritatis, in quo Deus potuit efficaciter prefinire conſenſum ſalutarem, & ex hac prefinitione *indeclinabiliter* & *inſuperabiliter* movere voluntatem per auxilium naturæ ſuæ coniungibile cum diſſenſu, de quo Deus per ſcientiam conditionatam videret infallibiliter coniungendum cum conſenſu. Nec illa duo opponuntur, & quòd Deus per auxilium efficax det perſeverantiam, & quod relinquat in arbitrio voluntatis perſeverare vel nõ perſeverare, nimirum potentia antecedenti; ſic docet Auguſtinus lib. 2. contra litteras Pelagiani cap. 8. *Quomodo attrahit Pater ad Filium, ſi dimittit vt quis quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verum eſt, ſed intellectu penetrare pauci valent.*

Quare neque auxilium *ſine quo non*, per quod relinquitur in arbitrio voluntatis perſeverare vel non perſeverare, eſt proprium ſolius naturæ integræ; nam & in natura lapſa ſæpe Deus dat hominibus auxilia, per quæ perſeverare vel non perſeverare relinquitur in eorum arbitrio, & ipſi ſua culpa non perſeverantes ſicut ſuâ culpâ non perſeveravit Adamus. Neque auxilium *quo* eſt proprium ſolius naturæ lapſæ; nam etiam Angeli habentes naturam integram acceperunt auxilium, quo perſeverarunt in bono, & Adamus ante lapſum accepit auxilia efficacia, quibus elicuit plures actus ſalutares; vt oſtendi pag. 408. cum ſequentibus.

89 Vnde eſt manifeſtè falſa doctrina Gummari Huygens in theſibus de doctrina Auguſtini propoſitis Lovanij 14. Ianuarij an. 1683. in quibus latè expendit *adiutoriũ quo*, & *adiutorium ſine quo non*, de quibus egit Auguſt. cap. 11. & 12. de corrept. & grat. ſi quidem concluſ. 6. ſic loquitur: *Cùm ex his pateat, quod ſecundùm Auguſtinum adiutorium perſeverandi in hoc ſtatu præſtet ipſam perſeverantiam, ſcilicet finalem, videns eſt, quòd illud in hoc ſtatu nunquam ſit merè ſufficiens: nam merè ſufficiens vocatur auxilium, quod ſufficiens eſt, & non efficax; iam verò omne iſtud auxilium in hoc ſtatu eſt efficax ſecundùm S. Auguſtinum, efficit enim, & quidem indeclinabiliter vt perſeverantes ſint.* Eſt inquam manifeſtè falſa hæc doctrina: nam quod Auguſtinus determinatè dicit de auxilio perſeverantiæ collato prædeſtinatis, vt patet ex illis verbis: *Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adiutorium perſeverantiæ datur, ſed tale vt eis perſeverantia ipſa donetur*: hic Doctor extendit ad omne auxilium perſeverantię datum hominibus in hoc ſtatu lapſus; quod non ſemper eſt efficax; cùm reprobis Deus det adiutorium, quo poſſent perſeverare ſi vellent; vt docet ipſe Auguſtinus cap. 7. de corrept. & grat. & ſua culpa perſeverantiam non accipiunt, vt vidimus num. 84.

SEC-

SECTIO XIII.

Ostenditur contra Ianseniſtas, in ſtatu naturæ lapſæ ſæpe dari auxilium gratiæ medicinalis per Chriſtum plenè & proximè ſufficiens, per quod in hominis arbitrio relinquitur obſervare præceptum, & perſeverare; ſeu per quod homini datur benè operari ſi velit; ſicut collatum eſt Adamo, & malis Angelis; quin tale auxilium ſit efficax in actu ſecundo.

90 IANSENIVS Lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 5. dixit: *Sufficiens gratia iuxta doctrinam Auguſtini ſolidiſſimam, non eſt alia, nec vt videtur, ſine errore aliud dici poteſt, quam illa, quæ voluntatem facit facere, & in ipſa operatur reipſa velle, & operari.* Cuius veſtigia ſequutus eſt Gummarus Huygens in theſibus propoſitis die 14. Ianuarij an. 1683. nam poſt verba relata ad finem ſectionis præcedentis, ſubdit: *Nec poteſt vlla veriſimilitudinis ſpecie dici, quod Auguſtinus præter hoc adiutorium perſeverandi, quod pro hoc ſtatu ſemper eſt efficax, admittat adhuc aliud, quod poſsit eſſe merè ſufficiens: etenim ſi efficax non foret, non præſtaret in illo perſeverantiam, ſed ſolùm perſeverandi poſsibilitatem; atque adeo famoſum diſcrimen à S. Auguſtino aſsignatum in poſteriori mẽbro non ſubſiſteret.* Antequam autem alia adiungã, noto, hunc Doctorem fucum facere, & illudere velle incautis; nam quod Auguſtinus determinatè dicit de *adiutorio quo* perſeverantiæ collato per gratiam Dei prædeſtinatis, illud contraponendo cum adiutorio perſeverantiæ *ſine quo non* collato Adamo, per quod poſſet perſeverare ſi vellet; extendit ad omne adiutorium perſeverantiæ collatum hominibus pro hoc ſtatu, in quo certum eſt Deum dare reprobis adiutorium perſeverantiæ, vi cuius perſeverarent ſi vellent.

§. I.

Demonſtratur veritas hæc apertis S. Auguſtini teſtimonijs, cuius authoritate Ianſeniſtæ ſuos volunt tegere errores.

91 VERVM Hæc doctrina negans auxilium verè & planè ſufficiens, quod non ſit efficax, ſed ob malitiam hominis reddatur inefficax, eſt manifeſtiſsimè contra Auguſtinum. Primò nã cap. 7. de corrept. & grat. dicit, reprobum non poſſe ſe excuſare dicendo, ſe non accepiſſe adiutorium perſeverantiæ; *quoniam poteſt* (inquit) *dici: in eo quod audieras & tenueras perſeverares, ſi velles.* Secundò quia iuxta D. Auguſtinum Deus dat gratiam omnibus; cui homo poteſt conſentire vel diſſentire; quæ non ſemper habet effectum, quem vult Deus, ob pervicaciam voluntatis. Id oſtendit S. Doctor primò ex eo quòd in poteſtate noſtra ſit claudere oſtium tentationi per gratiæ adiutorium. In Pſalm. 141. *Claude*, inquit, *oſtium tuum: ne tentator ingrediatur: tentator non ceſſat pulſare, vt corrumpat; ſi clauſum invenerit, tranſit. Ideo Apoſtolus, quia in noſtra poteſtate eſt oſtium claudere, oſtium cordis, non parietum; quia ergo in noſtra poteſtate eſt, oſtium claudere, NEQVE DETIS, inquit, LOCVM DIABOLO. Etenim ſi intravit, & poſsidet, attende, quia tu negligenter clauſiſti.* Et in Pſalm. 7. *Cui non conſentire in poteſtate noſtra eſſe voluit, qui nos fecit.*

Ac proinde petit, cur Diabolo potius conſentiamus, quàm Deo nos per gratiam invitanti, & parato adiuvare lib. 50. homil. 12. *Et ideo cùm per Dei adiutorium in poteſtate tua ſit, vtrùm conſentias diabolo: quarè non magis illi obtemperare debere deliberas . . . quarè elegis mortem, & deſeris vitam, & magis vis ſequi diabolum ad luxuriam, quàm obtemperare Chriſto, qui te invitat ad vitam æternam? Rogo ergo vos fratres chariſsimi, quare Satanas ſe ducit ad peccatum, cùm Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire Sathanæ? . . cur, quod inclinatur ad diabolum, quare non magis inclinatur ad Deum? non enim diabolus cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit: dat quidem ille conſilium, ſed Deo iuvante, noſtrum eſt, vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit.*

Et ibidem dicit, non eſſe excuſationem peccati. *Si enim diabolus daret conſilium, & Deus taceret, haberes, quo excuſari poſſes; dat quidem diabolus conſilium, ſed Deo auxiliante, noſtrum eſt, vel eligere, vel reſpuere.*

92 Ecce autem quomodo Deus loquatur per inſpirationes cœleſtes, noſque iuvet vbique, & in omnibus adiutorio divino, ſed quod ſæpe non obtinet effectum illum omnem, quoad gradus ſinguios, quem vult Deus. In Pſalm. 58. *Si nolis curari vulnus tuum, admonet vt cureris, aduerſum revocat, & refugientem ad ſe redire compellit, & attrahit: in omnibus implet quod dictum eſt, MISERICORDIA EIVS PRÆVENIET ME.* Et lib. de natur. & grat. c. [illegible] *Cùm vbique ſit præſens qui multis mo[illegible]*

per creaturam ſibi Domino ſervientẽ averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras, neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentẽ ſanare contemnis; unde qui peccant, & pereunt, ſibi id debent tribuere, qui improbæ voluntate, contempta vocatione Dei, eiuſque gratia pereunt. Lib. 8. 3. q. 9. 68. *ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, nec illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur: itaque nec illi ſibi debent tribuere, qui venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi: quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate.* Et lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Nemo credit non vocatus, ſed non omnis credit vocatus . . . noluit ergo Eſau, & non cucurrit, ſed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adiutorio perveniſſet, qui ei etiam velle, & currere, vocando præſtaret, niſi vocatione contempta, reprobus fieret.* Caruit igitur gratia effectu illo ex pervicacia voluntatis improbæ, quem intenderat Deus.

93 Atque hoc confirmatur ex pugna cum concupiſcentia, quam, adiuvãte Deo, vincimus, modo contumax voluntas non reſiſtat. Lib. 1. de peccat. merit. cap. vlt. *Si poſt baptiſmum (homo) vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque, adiuvante Deo, ſuperet, ſi non in vacuum gratiã eius ſuſceperit, ſi reprobus eſſe noluerit.* Vnde in Pſalm. 40. monet: *Ne dicas, non poſſum tenere, & portare, & frænare carnem, adiuvaris, ut poſſis.* Et lib. de grat. & lib. arb. cap. 5. *Noli*, inquit, *vinci a malo, ſed vince in bono malum, quod tamen, ut fiat, adiuvat gratia.* Homo ergo gratia iuvatur, ne ſine cauſa voluntati eius iubeatur.

Hanc gratiam ſufficientem ne obduratis quidem negat Deus iuxta S. Auguſtinum in Pſalm. 6. *Dedit eos in reprobum ſenſum: nã ea eſt cæcitas mentis: in eam quiſquis datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur, ſed non penitus cùm in hac vita eſt.* Vnde S. Proſper lib. 1. de vocat. gent. cap. 21. *Credimus, nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam.*

94 Vnde fideliſsimus Auguſtini interpres & diſcipulus S. Thomas 12. q. 106. ar. 2. in quo inquirit, à lex nova iuſtificet, ſecundum ita ſcribit: *Gratia Novi Teſtamenti etſi adiuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non poſsit: hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ. Et ideo ſi quis poſt acceptam gratiam Novi Teſtamenti peccaverit, maiori pœna eſt dignus, tanquam maioribus beneficijs ingratus, & auxilio ſibi dato non utens.*

Ergo evidentiſsimum eſt, Auguſtinum, eiuſque diſcipulos, agnoſcere in hoc ſtatu lapſus gratiam verè & proximè ſufficientem, quæ tamen ob reſiſtentiam & pervicatiam voluntatis effectum non habeat ad quem datur; ac proinde ſit verè ſufficiens, quin ſit efficax in actu ſecundo: licèt omnis eiuſmodi gratia ſit efficax in actu primo ex natura ſua; & futura fuiſſet efficax vel potiùs efficiens in actu ſecundo, niſi malitia & pervicacia voluntatis humanæ reſiſteret, vt dicemus §. 3.

§. II.

Oſtenditur eadem veritas: quia doctrina Ianſenij & Ianſeniſtarum aſſerentium, nullam eſſe medicinalem Chriſti gratiam verè ſufficientem ad rectè operandum & perſeverandum, quæ in actu ſecundo non ſit efficax ad effectum ad quem datur, eadem eſt cum ſecunda propoſitione Ianſenij: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur: *quam hæreticam declaravit, & ut talem damnavit Innocentius X.*

95 DAMNAVIT, Inquam, non vicum aque, ſed in ſenſu ab authore intento, id eſt in ſenſu proprio & genuino, quem verba ipſa reddunt; vt declaravit Alexander VII. in ſua conſtitutione *ad ſacram.* Senſus autem à Ianſenio intentus eſt ille, quem ipſe lib. 2. de gratia Chriſti expreſſit his verbis: *Nulla omnino medicinalis gratia effectu ſuo caret.* Et lib. 3. cap. 4. paulo poſt initium, vbi aſſerit tanquam ab Auguſtino traditum, *Nullam Chriſti gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, vlla voluntatis pervicatia fruſtrari.* Conſtat enim manifeſtè ex Scripturis, Concilijs, & communi Patrum & Theologorum ſenſu, ſæpe Deum conferre hominibus interiorem gratiam ad obſervandam divinam legem, & perſeverandum in iuſtitia, & illos huic gratiæ reſiſtere; vt evincunt ea, quæ ſuprà pag. 115. n. 189. S. Franciſcus Saleſius lib. 4. amoris divini cap. 5. produxit. Et vt planè demonſtrat P. Stephanus Dechams in peri illuſtri opere de hæreſi Ianſeniana lib. 2. tot. diſp. 8. quæ eſt de gratia ſufficienti; cuius diſputationis prœmium hic appendere libet,

libet, vt omnibus constet, quàm sit horribile illud Iansenij & Iansenistarum dogma negantium gratiam verè sufficientem, quæ pervicaciâ voluntatis suo effectu frustretur. Sic ergo habet politissimus hic & sapientissimus author in illa præfatione.

96 Tandem, inquit, ad illud Iansenij dogma aggredimur, cuius causa, vt plurimi suspicatur, Theologiâ fere omnẽ evertit suisque deque, & tã multa Catholicæ doctrinæ fundamenta labefactavit. Nam quid quid insolens, & à communi Christianorum sensu remotum hactenus protulit, eò spectare videtur, vt gratiam sufficientem, cui tanquam *Monstro* bellum indixit, & ex eius interitu triumphum sperat, profliget. Vulgarem, & omnium instiram animis liberi arbitrij notionem subtulit: quid ita? nempe vt viam sibi sterneret ad eam gratiam pernegandam, cui voluntas pro innata sibi libertate reluctatur. Gratiæ efficaci tantam vim tribuit, vt agendi necessitatem voluntati imponat: qua mente? nimirum, vt aliam omnem gratiam, quæ effectu caret suo, excludat. Malè agendi necessitate peccatores constringi, nec inde tamen à peccato excusari decernit: qua de causa? scilicèt, vt necessariam ad vitanda peccata gratiam illis nõ concedat. Deum impossibilia peccatoribus præcipere, nec eos posse huiusmodi impotentiam prætexere quominus puniantur, acerimè defendit: quo consilio? vt aliam, quâ sufficiens gratia irrumpere posset, viam obstruat. Præfracte negat, Deum, omnium saluti consulrum velle, & Christum pro singulis hominibus in ara crucis perlitasse: cur ita? vt tot reprobis gratiam sufficiẽtem adimat, quæ in eos aliunde quàm ex duplici illo fonte manare non potuit. Vides quàm arctè hæc eius opinio cum antegressis cohæreat, & connectatur.

Plures modò in partes tribuenda est, quarum aliæ alijs periculosiores sunt magisque hæresim redolent. Nam primò negat vllam prorsus hoc in statu gratiam dari sufficientem tantùm, id est quæ effectu careat suo: quia nimirum hãc esse medicinalis gratiæ naturam decernit, vt quidquid potest, necessariò efficiat. Secunda statuit iustos omnes, qui in læthale peccato labuntur, carere gratia, quâ temperare ab illo possint. Tertiò Christianis, qui etsi peccato implicentur, nondum tamen ad flagitia obdurerunt, deesse quoque gratiam sufficientem affirmat ad nova delicta vitanda necessariam. Quartò ijs gravissimè succenset, & Pelagianos esse vociferatur, qui etiam obduratis, & infidelibus gratię nonnihil concedi putant. Hæ sunt novi, vel potius Calviniani de gratia sufficienti dogmatis partes quatuor, quas nimis inconsultè Iansenius amplectitur: nam à Romanæ Ecclesiæ decretis omnes abhorrent.

97 Recolantur ea, quæ suprà pag. 103. S. Franciscus Salesius lib. 8. amoris divini cap. 3. dicebat: *Quia voluntas Dei significata per modum desiderij procedit, ac non per modum absoluti velle; possumus nos eam sequi per obedientiam, aut eidem resistere per inobedientiã. Tres enim quoad hoc suæ actus voluntatis Deus habet: vult vt possimus resistere: desiderat vt non resistamus: & finit tamẽ vt resistamus. Quòd resistere possimus, ex nostra pendet naturali conditione ac libertate. Quòd resistamus, ex nostra oritur malitia. Quòd non resistamus, iuxta desiderium est bonitatis diuinæ.*

98 Illud autem horribile dogma Iansenij sectantur hodie reipsa Doctores aliqui Lovanienses, quamvis fucum faciant, & videri desiderent longissimè se distare à propositione damnata. *Hi sunt* Franciscus van Vianẽ, & Gummarus Huygens, nam ille die 1. Augusti an. 1671. publicè Lovanij hãc thesim propugnavit: *Omnis gratia suum obtinet effectum*: iste verò in Compendio Theologiæ pag. 29. apertè docet, *singulos gradus gratiæ medicidalis semper in nobis obtinere id, quod per illos vult Deus*: eiusque mentem satis manifestant verba eius relata initio huius sectionis, & ad finem præcedentis. Quod autem horum doctrina Doctorum eadem sit cum doctrina Iansenij, & sensum à Iansenio intentum cõtineat, abundè probavimus disp. 4. à pag. 194. toto §. 67. præsertim à numero 863.

99 Quorum Doctorum sententia non solùm repugnat sacræ Scripturæ sensui litterali, Conciliorum definitionibus, Summorum Pontificum sanctionibus, & communi Sanctorum Patrum & Theologorum doctrinæ, vt ostendunt P. Dechams loco iam citato; & P. Ioannes Martinon in Anti-Iansenio disp. 25. & P. Ripalda contra Baium disp. 23. sed etiã contradicit communi Ecclesiæ & fidelium sensui: vt enim sapienter scribit Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 11. *Si nõ detur gratia aliqua verè sufficiens, QVÆ NON SIT EFFICAX, nemo poterit verè dicere se non feciſſe tantum boni, quantum potuit: nec vllus se meritò reprehenderet, quòd gratiæ Dei non sit cooperatus, quantum potuit, & debuit. Nam si nulla sit gratia, nisi efficax, nulla erit gratia, cui vlla ex parte vnquam resistatur, ac per hoc*

quiſque nihil vnquam minùs aget quàm ſit id ad quod eum diuina gratia mouet. At certè Sancti omnes ſeipſi negligentiæ, & ignauiæ accuſare ſolent, ac non ſe cooperatos eſſe gratiæ, vt par erat, cum gemitu cõfitentur: prout ſanè faciebat magnus ille Franciſcus Aſsiſias, qui fluentibus vbertim lachrymis ſe ipſum incuſabat, quòd tam ſæpe diuinæ gratiæ deeſſet. Hinc Sanctiſsimus ille Epiſcopus & peritiſsimus Theologus S. Franciſcus Saleſius lib. 2. amoris divini cap. 11. exclamare compulſus eſt: *Deus immortalis! quantos brevi in virtute progreſſus faceremus, ſi diuinis inſpirationibus ſecundùm omnem earum virtutem vteremur.*

§ III.

Ex Bulla Innocentij X. & ex doctrina Cõciliorum & Patrum, neceſſariò infertur, omnem gratiam verè ſufficientem, eſſe in actu primo efficacem; & ſolùm ex reſiſtentia voluntatis creatæ provenire, quòd non omnis gratia ſufficiens ſit in actu ſecundo efficax: ac proinde infertur non eſſe neceſſariam novam gratiam præveniẽtem à ſufficienti entitatiuè diſtinctam, ad hoc vt Deus faciat vt faciamus.

100 ILLATIO Probatur: quia poſt Bullam Innocentij X. & poſt condemnationem ſecũdæ propoſitionis Ianſenij, certum eſt de fide, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſti.* Nam vbi vna propoſitio declaratur hæretica à Romano Pontifice, & vt talis damnatur, eius contradictoria declaratur de fide certa. Contradictoria autem ſecundæ propoſitionis Ianſenij, quæ declarata eſt hæretica, & vt talis damnata, nempe huius, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, eſt hæc: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur*: ergo hæc eſt de fide: ergo omnis gratia interior, cui culpabiliter homo reſiſtit, & cui reſiſtendo peccat peccato formali, & propriè tali, eſt de ſe efficax in actu primo, & habet virturem inducendi effectum immediatè poſt ſe, niſi ei impedimentũ apponatur per reſiſtentiam & pervicaciam noſtræ voluntatis: omnis enim reſiſtentia propriè talis ſupponit virtutem, cui reſiſtit, eſſe talis energiæ, activitatis, & efficaciæ, vt victoriam obtineret, niſi ei obijceretur reſiſtentia, & niſi impetus, & activa vis eius cohiberetur per impedimentum ſibi appoſitum. Cauſa enim quæ ex ſe non habet efficaciam, & virtutem ad victoriam obtinendam, non indiget reſiſtentia vt vincatur; quia per ſeipſam eſt inermis, & vires non habet ad vincendum. Quis enim reſiſtit hoſti non habenti vires ad vincendum? ergo omnis interior gratia verè ſufficiens, & quæ ex pervicacia & malitia voluntatis manet in actu ſecundo inefficax, & ſuo effectu fruſtrata, eſt ſecundùm ſe efficax in actu primo. Ideo enim peccat homo reſiſtendo gratiæ ſufficienti, quia reſiſtit gratiæ, per quam Deus faceret vt homo eliceret actum ſalutarem, ſi per ipſum non ſtaret: nam poſita gratia ſufficienti ad obſervandum præceptum, vnicè ſtat per hominem quòd Deus non operetur in ipſo obſervationem præcepti; quia vnicè ſtat per hominem, quòd non ponatur laudabilis & ſalutaris obſervatio præcepti; idem eſt autem poni laudabilem & ſalutarem obſervationem præcepti, & Deum operari in homine illam obſervationẽ præcepti; vt enim inquit Apoſtolus, *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate*: ad Philip. 2. & ideo Auguſtinus lib. de ſpiritu & litt. cap. 2. dicebat: *Cogitare debes, quamvis ad hominem id agere pertineat, hoc quoque munus eſſe diuinum; Deus enim eſt, qui operatur*, ait Apoſtolus, *& velle & operari pro bona voluntate*: & lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 11. *Ideo hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur, vt intelligatur, quòd & nos ea faciamus, & Deus faciat vt illa faciamus.*

101 Idque à contrario efficaciter explicatur: nam ſicut homo peccat reſiſtendo gratiæ, ita laudabiliter & meritoriè operatur reſiſtendo tentationi. At nemo mereri poteſt vitam æternam, reſiſtendo tentationi, quæ de ſe non ſit efficax in actu primo ad inducendũ peccatum, ſeu ad faciendum vt homo peccet: ergo nemo poteſt mereri infernum reſiſtendo gratiæ, quæ ex ſe non ſit efficax in actu primo ad inducendam obſervationem præcepti, ſeu ad faciendum vt homo obſervet præceptum. Vnde ſicut diabolus tentans, faceret vt homo peccaret, niſi voluntas per gratiam adiuta reſiſteret tentationi: ſic Deus movens hominem per gratiam ſufficientem ad obſervationem præcepti, faceret vt homo obſervaret præceptum, niſi voluntas à concupiſcentia carnis abſtracta & illecta & à diabolo decepta reſiſteret gratiæ.

102 Quamvis autem ex vi definitionis Pontificiæ contra Ianſenium ſolùm ſit certum de fide, aliquando hominem in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtere interiori gratiæ; quia ad veritatẽ illius definitionis hoc ſufficit: tamen certum eſt, non aliquando tantùm, ſed læpiſſimè, nimirum quoties homo peccat tranſgrediendo præceptum, reſiſtere gratiæ interiori

im-

impellenti ad obseruantiam præcepti, & dari vires sufficientes ad illam: vt enim docet S. Augustinus in libris de libero arbitrio, & approbat in libro de natura & gratia cap. 67. nemo peccat in eo quod cauere non potest. *Quis enim*, inquit, *peccat in eo, quod cauere nullo modo potest?* Vnde quoties homo peccat succumbendo tentationi, habet auxilium sufficiens ad resistendum tentationi, & cauendum peccatum. Ergo habet gratiam, quæ in actu primo est efficax ad vincendam tentationem, & quæ in actu secundo victoriam obtineret, seu quæ daret homini victoriam, nisi voluntas pervicaciter resisteret. Illa tamen efficacia in actu primo aliquãdo est maior, quia gratia sufficiens est vberior; aliquando minor; semper tamen est sufficiens vt victoria obtineatur. Quam sufficientiam non haberet, si præter illam foret essentialiter & antecedenter necessaria alia gratia præueniens entitatiuè distincta: gratia enim adeo sterilis, & adeo debilis, vt ei repugnet vincere, nisi superaddatur novum auxilium independens à libero nostro arbitrio, non est gratia verè sufficiens ad victoriã obtinendã; vt latè ostẽdimus suprà pag. 224. §. 39. & pag. 306. cum seqq. §. 70.

103 Hinc deducitur, gratiam efficacem, qua Deus facit vt faciamus, & in præceptis eius ambulemus, non esse gratiam præuenientem entitatiuè distinctam ab ea per quam datur nobis vera sufficientia ad vincendum, sed esse eandem, collatam in ijs circunstantijs, in quibus Deus prævidet non restituram voluntatem eius impulsui, sed ei cessuram; vt latè ostendimus suprà pag. 324. §. 10. Idque à posteriori colligitur, nam in sensu composito gratiæ prævenientis, quâ vincimus, diabolus nos tentat ne vincamus; eius autem tentatio non tendit ad aliquid impossibile: ergo possibile est resistere gratiæ præuenienti, quâ de facto vincimus tentationem: ergo gratia illa non est prædeterminans, & essentialiter connexa cum victoria; nam huic resistere est metaphysicè impossibile: ergo gratia illa eadem est entitatiuè cum gratia sufficienti, vi cuius possumus vincere: nam per illam gratiam dat Deus ipsam victoriam, hoc ipso, quòd illam conferat quando præscit, & quia præscit, voluntatem nostram cum illa reipsa operaturam. Quod à contrario explicatur, quia quoties peccamus succumbendo ponderi tentationis, habemus potentiam antecedentem ad resistendum tentationi illi, quæ est causa peccati: vt enim docet Augustinus locis nuper citatis, quęcumque causa est pravi motus seu pravæ voluntatis, *si ei resisti non potest, sine peccato ei cedituv.* Potest ergo per gratiam mediatoris Christi resistere homo tentationi cuilibet, quamtumvis graui, cui succumbendo peccat; vt inquit sanctus Augustinus eo capite 67. de natura & gratia: *Potest ergo ei causæ, quæcumque illa est resistiꝰ Potest planè. Nam hoc adiutorium postulamus, dicentes, Ne nos inferas in tentationem: quod adiutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus.* Ergo ẽcontrariò quoties meremur gloriam acquiescendo ponderi gratiæ prævenientis, qua Deus facit vt rectè operemur, habemus potentiam antecedentem ad resistendum illi gratiæ: sicut enim quæcumque causa est pravæ voluntatis, seu pravi motus, si ei resisti non potest, sine peccato ei ceditur; ita quæcumque causa est honestæ voluntatis, si ei resisti non potest, sine merito & sine laude ei ceditur & acquiescitur.

§. IV.

Quamvis voluntas nostra sua pervicacia possit impedire efficaciam gratiæ; non tamen potest gratiæ efficaciam dare, seu quamvis possit facere vt gratia non sit efficax, non tamen potest facere vt sit efficax. Quod explicatur illustri testimonio S. Francisci Salesij: Vnde constat, gratiam non esse pedisequam naturæ; sed naturam gratiæ, & arbitrium non subijcere sibi gratiam, sed potius gratiam sibi subijcere liberum arbitrium.

104 REM Hanc iam suprà attigimus pagina 541. vbi cum Eximio Doctore diximus, gratiam non habere efficaciam in actu secundo sine cooperatione liberi arbitrij, non tamen suam efficaciam habere ab illa cooperatione, quatenus est à libero arbitrio; sed quatenus oritur ab ipsa gratia, quæ cùm sit efficax in actu primo, influit in actu secundo, nisi impediatur per resistentiam arbitrij; vnde quod ipsa actu influat, & in actu secundo faciat vt homo consentiat, à Deo est, qui dum eam gratiam tribuit ex præscientia futuri consensus adhibendi à voluntate, & ex intentione efficaci vt voluntas creata eliceat actum salutarem, sibi subijcit volũtatem creatam, & facit vt benè operetur, & benè vtatur habitibus supernaturalibus; voluntas autem creata non subijcit sibi Deum, neque facit vt Deus faciat actum salutarem, quia nihil boni se sola ponere potest, quo Deum obliget ad illi tribuendam gratiam: Deus autem se solo ponit aliquid, quo facit vt voluntas salutariter operetur: quia se solo infundit habitus & principia influentia physicè in actum salutarem; & se solo per vocationem, & salutiferam inspirationem excitat dormientem voluntatem, & facit vt [illegible] vtatur principijs sibi gratiosè donatis, &

cursu sibi oblato, & cum illa intimè cooperatur & concurrit ad actum salutarem. Vnde *misericordia eius in omnibus prævenit nos*: ac proinde gratia non est pedisequa naturæ; sed natura est pedisequa gratiæ; quia ante omnem motum honestum liberi arbitrij, quo ad vitam æternam disponitur homo, necesse est vt præcedat gratia excitans, & adiuvans in actu primo, quæ in actu secundo semper adiuvat, nisi eius influxus impediatur per resistentiam arbitrij: quæ resistentia, cùm ab illo solo sit, & non sit à Deo; arbitrium est causa cur gratia prævenies evadat inefficax in actu secundo. At dum cooperatur, non est simpliciter & absolutè causa saltè principalis, cur gratia sit efficax in actu secundo; quia illa ipsa cooperatio arbitrij est à Deo, qui media vocatione congrua & sancta inspiratione facit vt arbitrium benè vtatur principijs sibi gratiosè à Deo donatis: & propterea Augustinus citatus suprà §. 1. huius sectionis in libro 83. Quæstion. quæst. 68. de illis, qui venerunt ad cœnam, dicebat, non posse sibi tribuere, *quod venerint; quia venire non possent nisi vocarentur*; nec illos qui venire noluerunt, *debere alteri tribuere; sed tantùm sibi, quoniam vt venirent vocati, erat in libera eorum voluntate*: quapropter licèt supposita gratia sufficienti, & præparatione omnipotentiæ, voluntas nostra determinet illam gratiam ad influendum, quia actio illa salutaris orta à gratia & à libero arbitrio, non est immediatè libera Deo, sed solùm est libera immediatè ipsi arbitrio, quia non est electio arbitrij divini, sed arbitrij creati: tamen quia arbitrium ipsum non determinaret ad illam actionem, nisi Deus per gratiam prævenientem ipsum excitaret: idcircò propriè loquendo arbitrium non facit vt gratia sit efficax in actu secundo; sed solùm de *ipso verificatur*, quòd sine eius determinatione gratia non esset efficax in actu secundo. Efficacia gratiæ in actu primo, præsertim primæ gratiæ excitantis, est omnino independens à nostro libero arbitrio, quia est in nobis sine nobis liberè cooperantibus; at efficacia in actu secundo licèt non sit à nobis, non tamen est sine nobis; & licèt non pendeat à nobis vt dantibus efficaciam illam, pendet à nobis vt non impedientibus. Quod egregiè explicat S. Franciscus Salesius lib. 4. amoris divini cap. 6. cuius verba hic appendemus & lingua vulgari Hispanica, in quam è Gallica translata sunt eius scripta, & lingua Latina

TESTIMONIVM SANCTI FRANCISCI SALESII.

TITVLVS ILLIVS CAPITIS LINgua vulgari est: *Que debemos reconocer à Dios todo el amor que le tenemos.*

105 *EL Amor de los hombres para con Dios tiene su origen, su progresso, y su perfeccion, del amor eterno de Dios para los hombres: este es sentimiento vniuersal de nuestra Madre la Iglesia, la qual con ardiente zelo quiere que reconozcamos nuestra saluacion, y los medios para conseguirla, de la sola misericordia del Saluador: para q̃ en la tierra, como en el Cielo, sea à el solo la hõra y gloria.*

Què tienes, que no ayas recibido? *dize el Apostol Diuino, hablando de los dones de la ciencia y eloquencia, y otras calidades de los Pastores Ecclesiasticos*: Y si lo has recibido, porquè te glorias, como si recibido no lo huvieras? *Esto es verdad: todo lo avemos recibido de Dios, pero sobre todo los bienes sobrenaturales del amor santo: pues porquè pretẽdemos para nosotros la gloria?*

Ciertamente, si alguno se quisiere ensalçar por aver hecho algun progresso en el amor de Dios: Ay hombre miserable! le dirè yo, pasmado estàras en tu maldad, sin auer [illegible] quedado ni vida ni fuerças para

TITVLVS ILLIVS CAPITIS LINgua Latina est: Debere nos à Deo recognoscere amorem omnem, quo ipsum prosequimur.

105 AMOR Hominis erga Deum, *suum* trahit ortum, incrementum, & perfectionẽ participat ab æterna Dei adversus hominem dilectione. Hic est vniversalis Matris Ecclesiæ sensus ardenti zelo desiderantis, vt nos omnes cognoscamus, nostram salutem, sicut etiam media ad illius consequutionem proportionata, sola Salvatoris nostri misericordia, nobis exhiberi, vt sicut in cœlo, ita & in terra omnis honor, & gloria ipsi tribuatur.

Quid habes, quod non accepisti? dicit Apostolus Dei, loquens de donis scientiæ, & eloquentiæ, & alijs Ecclesiæ Pastorum ornamentis: *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis*? Quod verissimum est: omnia enim à Deo accepimus, præcipuè bona supernaturalia sanctæ dilectionis. Quare ergo nobis Dei gloriam ambire permittimus?

Certè si quis exaltare se præsumeret ex aliquo in amore Dei progressu: O miserum hominem! possemus exclamare, qui cum iniquitate obstupescens vita destitutus, & viribus, nec à peccato surgere valeres (nempe vt acci-

accidit fœminæ Principi in parabolam addu-
ctæ) Deus,ob suam infinitam bonitatem, vt te
sublevaret,accurrit, subinde clamans: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Ipse digitos suos labijs tuis inseruit, ipse dentes tuos amovit, ipse cordi tuo sanctam instillavit inspirationẽ, quam accepisti. Cùm verò vitæ sensum tibi iam impertitus esset, adhuc impulsibus,& medijs omnigenis novum animæ tuæ vigorem addere curavit, tandemque in ea charitatem suam diffudit, nempe vitæ tuæ principium, perfectamque animæ salutem.

Dic ergo, miser, quidnam ex his, quæ recensui modò,peregisti,vnde gloriari possis? Consensum præbuisti, probè scio; motus tuæ voluntatis cœlestis gratiæ motum liberè subsequutus est, fateor; cæterum hoc omne quid est,nisi tantùm divinam operationem recepisse, nec illi restitisse? Quidnam est quod ipse non acceperis? Misellum hominem! Ipsam etiam receptionem, consensumque ipsum,quo tibi places,& inaniter gloriaris,accepisti. Cur obsecro te, nondum mihi fateri vis, te nunquam Dei sensurum bonitatem, &, quod consequens est, nunquam eius dilectioni consensurum, nisi præventus ab ipso fores? Imò nec forsam minimam cogitationem erga illam habuisses. Motus eius vitam & esse tuo cõmunicavit motui, quo consensisti: & nisi liberalitas illius tuã exhorta fuisset libertatem, excitasset, & provocasset summæ suæ suavitatis lenocinijs, liberũ tuum arbitriũ, velut inutile tuæ salutis instrumentum cessavisset. Cooperasti,fateor,inspirationi consensum exhibens; cęterùm,si nescis,scire te iubeo,tuam istã cooperationem simul & à tua libera voluntate, & ab operatione divinæ gratiæ proficiscì;ita tamẽ vt si gratia Dei cor tuum non præveniisset, &, vt ita dicam, sua repleviisset operatione, nec posse, nec velle quidem aliquam cooperationem patrare, posses vnquam assequi.

Vlteriùs dic,oro te, vilis, & nullius virtutis homuncio,an non iure merito rideberis, quoties partem aliquã in tuæ conversionis beneficio tibi debitam præsumis, eo quòd inspirationi non restiteris? An non erit phantasiæ quædam deliratio,si latrones,sceleſti proditores,&tyranni se putent ijs vitam tribuere,quibus vitam non adimunt? An pariter non erit impium,& obcæcatæ mentis deliriũ, si te sanctam illam efficaciam, & vividam activitatem divinæ inspirationi cõmunicasse,similiter cogitaveris,eo quòd ipsi resistendo,non detraxeris? Benè possumus inspirationis effectum impedire; sed inspirationis efficaciã causare, nequaquã: illa enim vires suas, & virtutem à divina bonitate derivat, vnde nascitur, non autem ab humana voluntate, quo dirigitur.

ra levãtarte (como sucediò à la Princesa de nuestra parabola) y Dios por su bondad infinita acudiò en tu ayuda gritando en alta voz: Abre la boca de tu atencion,y yo la llenarè. *Puso el mismo sus dedos entre tus labios, y abriò tus dientes, destilando en tu corazon su inspiracion santa, que tu recibiste. Y siendo restituido al sentimiento, continuò con diuersos movimientos, y diferentes medios, el dar nuevo vigor à tu espiritu, hasta que derramò en èl su caridad, como tu vital y perfecta salud.*

Dime pues aora, miserable, què has hecho en todo esso, de que te puedas gloriar? Tu has consentido, yo lo sè bien; el movimiento de tu voluntad libremente ha seguido el de la gracia del Cielo; pero todo esso, què otra cosa es, mas que recibir la operacion diuina, y no resistirla? Què ay en ello, que tu no lo ayas recibido? Pobre hombre! Hasta la recepcion de que te glorias, y el consentimiẽto de que hazes vanidad, has recibido. Porquè dime te ruego, no me concederàs, que si Dios no te huviera prevenido, tu nunca huvieras sentido su bondad, ni por consiguiente, consentido à su amor? Ni quizàs huvieras tenido para èl vn solo pensamiento bueno. Su movimiẽto ha dado el ser y la vida al tuyo; y si su liberalidad no huviera animado, excitado, y provocado tu liberalidad con los poderosos atractiuos de su suavidad, tu libre albedrio huviera quedado siempre inutil à tu salud. Yo cõfiesso que has cooperado à la inspiracion con el consentimiento; mas si no lo sabes, te hago saber, que tu cooperaciõ ha nacido juntamẽte de la operacion de la gracia, y de tu libre voluntad; pero de tal suerte, que si la gracia no huviera prevenido, y llenado tu corazon de su operacion, jamàs huvieras conseguido, ni el poder, ni el querer hazer alguna operacion.

Mas dime, otra vez te ruego, hombre vil, y abatido; no eres ridiculo, quando piẽsas tener parte en la gracia de tu conversiõ, porque no resististe a la inspiracion? No es loca fantasia de los Salteadores y Tiranos, creer que dan la vida à aquellos à quien no la quitan? Y no es vn impio desvario, pensar q̃ tu ayas dado la santa eficacia, y viua actiuidad à la inspiracion diuina, porque no se la has quitado con tu resistencia? Bien podemos estorvar los efectos de la inspiracion; pero no se los podemos dar: ella trae su fuerça y virtud de la bondad diuina, que es el lugar de su origen; y no de la voluntad humana, que es el fin de su jornada.

SECTIO VLTIMA.

Exponitur alio modo doctrina Auguſtini de adiutorio quo, *& de adiutorio* ſine quo non.

§. I.

Præmittitur primò Pelagium negaſſe concurſum immediatum in noſtras actiones liberas bonas; & hoc fuiſſe præcipuũ ſui erroris fundamentum; quod præcipuè Auguſtinus, eiuſque diſcipuli expugnarẽt. Vbi error Pelagij copioſè exponitur.

106 PELAGIVM Negaſſe concurſum immediatum Dei in noſtras actiones liberas affirmat Cardinalis Bellarminus lib. 4. de grat. & libero arbitrio cap. 4. & ſubtilis noſter Antonius Perez in diſputatione de prædeſtinat. Auguſtiniana capite 1. n. 2. affirmat id eſſe certum, & apud ipſum in ea diſp. n. 14. D. Thomas in 2. diſt. 28. q. 1. ar. 3. in corpore, etiam ſentit Pelagium negaſſe cõcurſum immediatum in actiones noſtras liberas. Et quidem, qui legerit D. Hieronymum Dialogo 1. adverſus Pelagianos, & in epiſt. ad Theſiphontem, dubitare non poterit, ipſum hanc ſententiam tribuere Pelagio, & Pelagianis; & illos ita ſenſiſſe manifeſtant teſtimonia adducta à Patre Didaco Ruiz diſp. 5. de providentia ſect. 3. & verba Pelagianorum, quæ ex Hieronymo citat P. Antonius Perez vbi nuper num. 6. Eandem ſententiam tribuunt Pelagio Abulenſis in Mat. 19. q. 178. Stapletonius 4. de iuſtificat. & Cuncrus lib de gratia Chriſti cap. 9. vbi docet ſententiam Durandi (qui in 2. diſt. 1. q. 5. n. 11. aſſeruit, *quòd ea, quæ fiunt à Deo mediantibus cauſis ſecundis, non fiunt à Deo immediatè*) eſſe Pelagianam: eumque in illam incautè prolapſum eſſe iudicabit, qui contulerit ea, quæ ſtatim ex Pelagio referemus, cum ijs Durandi verbis in 2. diſt. 37. q. 1. num. 4. *Deus non eſt cauſa actionum liberi arbitrij, niſi quia liberum arbitrium ab ipſo eſt, & conſervatur.* Eandem ſententiam tribuit Pelagio eiuſque ſequacibus P. Salas 12. tract. 13. diſp. 10. ſect. 2. n. 8. item P. Martinon in Anti Ianſenio diſp. 7. ſect. 4. n. 34. Denique P. Vazquez 12. diſp. 129. n. 9. teſtatur, ex S. Auguſtino nihil nos habere contra Durandum de actu peccati: *Quinimo ei potius fauere videri.*

107 Mihi attentè legenti & medi- [illegible] paucos tractatus Auguſtini adverſus [illegible] videtur certiſsimum, quòd Pelagius negaverit cõcurſum immediatum in Dei actiones noſtras liberas, & quòd D. Auguſtinus probaverit contra ipſum omnem actionem bonam, & honeſtam immediatè eſſe à Deo, & liberum arbitrium quidquid boni agit à Deo accipere. Quod probo: nam Auguſtinus vbique contra Pelagium probat, nõ ideo præcisè Deum eſſe authorem noſtrorum bonorum operum, illaque in nobis operari, quia ipſe nobis dedit gratiosè liberum arbitrium, quo illa facimus, vt Pelagius dicebat, quia alioquĩ etiam eſſet author peccatorum, illaque in nobis operaretur. Sic arguit lib. de gratia Chriſti cap. 17. *Si quod benè agimus, loquimur, cogitamus, ideò eſt & noſtrum & Dei, quia ille hoc poſſe nobis donavit: ergo & quod malum agimus, loquimur, cogitamus, & noſtrum eſt & Dei, quia illud poſſe ad vtrumque donavit; atque ita, quod abſit, quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, ſic cum illo culpamur in malis. Poſsibilitas quippe illa, quam dedit, tam nos facit bona poſſe, quàm mala.* Eodem arguendi modo vtitur lib. 2. de peccatorũ meritis & remiſsione cap. 18. nam de Pelagianis loquens, inquit: *Sed laborant homines invenire in noſtra voluntate quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo, & quomodo inveniri poſsit, ignoro.* Idque probat ex Apoſtolo, *qui cùm de bonis hominum loqueretur* 1. ad Corinth. 5. inquit: *Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et ſtatim reſponſionem Pelagianorum dicentium: *Ideo quidquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum eſſe; quia hoc & in illo eſſe non poſſet, ſi homo ipſe non eſſet: cùm verò vt ſit aliquid atque vt homo ſit, non habeat niſi à Deo, cur non authori Deo tribuatur, etiam quidquid in illo eſt bonæ voluntatis: quod non eſſet, niſi eſſet in quo eſſet?* Et cùm hanc reſponſionem retuliſſet, ſic eam impugnat: *Sed hoc modo etiam illud dici poteſt, malam quoque voluntatem, Deo authori eſſe tribuendam. . . . Quapropter niſi obtineamus, non ſolùm voluntatis arbitrium, quod huc atque huc liberum flectitur: ſed etiam voluntatem bonam, niſi ex Deo, nobis eſſe non poſſe, neſcio quomodo defendamus quod dictũ eſt: Quid enim habes quod non accepiſti?* Hoc etiam Apoſtoli teſtimonio vtitur lib. de ſpir. & litt. cap. 33. vt probet, bonam voluntatem credendi eſſe donum Dei: *Si enim dixerimus, eam nõ eſſe donum Dei, metuendum eſt, ne exiſtimemus, invenisse nos aliquid, quod Apoſtolo increpanti, & dicenti: Quid enim habes, quod nõ accepiſti, &c. reſpondere poſsimus: Ecce ha-*

habemus voluntatem credendi, quam non accepimus, ecce vbi gloriamur. Idem argumentũ facit epist. 46. & epist. 105. 106. & 107.

108 Idque ipsum constat secundò, nam illo cap. 18. libri 2. de peccatorum meritis & remissione, & alibi sæpe; inde probat bonam voluntatem esse donum Dei, & non solùm ipsum liberum arbitrium; quia cùm per bonam voluntatem, qua iustitiam & Deum diligimus, reddamur boni, & per liberum arbitrium possimus esse mali; *sanè si bona voluntas ex nobis est; melius est, quod à nobis est, quàm quod ab illo.* Quæ argumentatio esset nulla, si bona voluntas oriretur immediatè à Deo ex mente Pelagij; Deus enim est author præcipuus per concursum generalem nostrorũ operum bonorum; magis enim influit in illa, quàm arbitrium, & omnipotentiam parat ex intentione vt opus bonum fiat. Quare si bona voluntas nostra oriatur ex mente Pelagij immediatè à Deo, immeritò ex sententia Pelagij intulisset Augustinus melius esse, quod à nobis est, quàm quod à Deo; nam voluntas bona esset à Deo vt præcipuo authore. Quis enim neget, Deum esse præcipuum authorem nostrorum operum bonorum naturalium? Et nos à Deo habere tanquam à præcipua causa non solùm bona supernaturalia, sed etiam bona naturalia; præcipuè verò actus virtutum naturalium.

109 Tertiò hoc ipsum efficaciter probatur: nam S. Augustinus libro 1. retract. cap. 9. recognoscens libros de libero arbitrio, quos ante exortam hæresim Pelagianam scripsit contra Manichæos, laudat id, quod lib. 2. cap. 19. & cap. 20. dixerat, nempe *bonum vsum nostræ voluntatis ex Deo esse*; dicitque hæresim Pelagianam iam anticipatè à se fuisse profligatam: siquidem eo cap. 20. dixerat: *Tu tantùm pietatem inconcussam tene, vt nullum tibi donum vel sentienti, vel intelligenti, vel quodam modo cogitanti occurrat quod non sit ex Deo.* Distinguit ibi S. Doctor tria bonorum genera, *magna, media, & minima*: *minima* appellat illa, sine quibus rectè vivi potest, qualia sunt species quorumlibet corporum, seu pulchritudo, diuitiæ, & alia huiusmodi. *Media* appellat ea, sine quibus rectè vivi non potest, qualia bona sunt potentiæ animæ: & hæc duo bonorum genera talia sunt, vt illis homines & benè & malè vti possint. *Magna* verò bona vocat virtutes, quibus nemo malè vti potest; siquidem *virtute nemo malè vtitur, quia opus virtutis est bonus vsus istorum, quibus etiam non benè vti possumus; nemo autem benè vtendo malè vtitur.* Sanctus itaque Doctor inde eo capite 9. libri primi retractationum probat se libro secundo de libero arbitrio Dei gratiam defendisse, *quam nefanda impietate posteà Pelagiani conati sunt auferre*, quia in eo libro dixit, omne bonum esse à Deo: *Diximus quippe in secundo libro, non solùm magna, sed etiam minima bona non posse esse, nisi ab illo, à quo sunt omnia bona, &c.* Hinc ad finem illius capitis noni sic concludit: *Ecce quàm longè antequam Pelagiana hæresis existisset, sic disputavimus, velut iam contra illos disputaremus. Cùm enim omnia bona dicerentur ex Deo, id est & magna, & media, & minima, in medijs quidem bonis inuenitur liberum arbitrium, quia & malè illo vti possumus, sed tamen tale est, vt sine illo rectè viuere nequeamus. Bonus autem vsus eius, iam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè vti nullus potest; & quia omnia bona, & magna, & media, & minima à Deo sunt, sequitur vt ex Deo sit bonus vsus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis.*

110 Planum ergo est, Augustinum tanquam errorem Pelagij agnoscere, quòd bonus vsus liberi arbitrij non fit immediatè à Deo in eo sensu in quo pulchritudo corporis, & potentiæ ipsæ animæ sunt à Deo. Atqui hæc bona sunt solùm à Deo immmediatè tanquam à causa vniversali: ergo agnoscit tanquam errorem Pelagij, quòd Deus non concurrat immediatè ad omnem bonum vsum liberi arbitrij, seu ad omnem electionem honestam boni. Ergo contra Pelagium probavit, Deum immediatè causare tanquam præcipuum authorem omnem actionem liberam honestam creaturæ: & ad hoc probandum assumpsit hoc medium: *Omnia bona sunt à Deo: sed vsus rectus liberi arbitrij est bonum: ergo vsus rectus liberi arbitrij est à Deo.* Quod argumentum esset nullum, & falsa suppositione laborans, si Pelagius admisisset cõcursum immediatũ Dei in actiones liberas honestas voluntatis creatæ, & dixisset, Deum per influentiam generalem esse authorem immediatum omnis actus boni, sicut est author omnis boni, magni, medij, & minimi. Idque inde confirmatur, quòd Augustinus cap. 18. lib. 21. de pec. mer. supra cit. num. inde probat à Deo esse nostram voluntatẽ bonam, quæ in magnis computatur bonis, quia alioqui *melius esset, quod à nobis, quàm quod à Deo*; nam à Deo est liberum arbitrium, quod in medijs computatur bonis; à nobis verò esset bonus vsus liberi arbitrij, quod inter magna bona computatur, quibus nemo malè vti potest. Quo argumento idem Augustinus vtitur lib. 12. de civitate cap. 9. ad probandum bonos Angelos à Deo accepisse bonam voluntatem, seu amorem castum, quo creatorem

dilexerunt ſtatim in ipſo inſtanti primo ſuæ creationis vel paulo pòſt: *Si non potuerunt* (inquit) *ſe facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam fecit: PROFECTO BONAM VOLVNTATEM, QVA MELIORES ESSENT, NISI ADIVVANTE ADIVTORIO CREATORIS HABERE NON POSSENT.* Ergo certum eſt, Auguſtinum cõtra Pelagium probaſſe, non poſſe liberum arbitrium à ſeipſo, & ſolis ſuis viribus ſine adiutorio immediato & influentia creatoris habere actum bonum & honeſtum. Neque enim dici poteſt, Divum Auguſtinum ſolùm loqui de actibus bonis intrinſecè ſupernaturalibus; vt oſtendi ſuprà pag. 388. §. 17. n. 1060. & 1061.

111 Quartò aſſumptum oſtenditur: nam Auguſtinus lib. de grat. Chriſti cap. 5. vt probet contra Pelagianos Deũ operari in nobis non ſolùm actum primum, ſed etiam actum ſecundum bonum, expẽdit textum illum Apoſtoli ad Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere*, in hunc modum: *Vt ſcirent quia non tantùm in eo quòd operari poſſint; ſed etiam in eo quod operãtur, diuinitùs adiuvantur*: nõ ait, *DEVS EST QVI OPERATVR IN VOBIS POSSE, tanquam ipſi iam velle & operari per ſeipſos habeant, neque in ijs duobus adiutorio eius indigeant: ſed ait, DEVS EST QVI OPERATVR IN VOBIS ET VELLE ET PERFICERE: & ſicut in alijs, maximè Græcis codicibus legimus, ET VELLE ET OPERARI.*

Quintò, quia eodem lib. de grat. Chriſti cap. 3. ſententiam Pelagij explicans, inquit: *Cùm tria cõſtituat, atque diſtinguat, quibus diuina mandata dicit impleri, poſſibilitatẽ, voluntatem, & actionem; poſſibilitatẽ ſcilicet, qua poteſt homo eſſe iuſtus: voluntatẽ, qua vult eſſe iuſtus: actionem, qua iuſtus eſt: horum trium primum, id eſt poſſibilitatem datam cõfitetur à creatore naturæ, nec eſſe in noſtra poteſtate, ſed eam nos habere etiamſi nolimus: duo verò reliqua, id eſt voluntatem & actionem, noſtra eſſe aſſerit, atque ita nobis tribuit, vt non niſi à nobis eſſe contendat.* Hæc ibi; quæ falsò ſanctus Auguſtinus, & per calumniam dixiſſet, ſi Pelagius voluntatem & actionem noſtram immediatè à Deo procedere docuiſſet; cùm ſit evidenter falſum, non eſſe niſi à nobis actionem, quæ non ſolùm à nobis, ſed etiam immediatè, & quidem principaliùs à Deo procedit. Addit Auguſtinus eo capite: *Denique gratia Dei, [illegible] duo, quæ noſtra omninò vult eſſe, [illegible]atem & actionem; ſed illã, quæ in poteſtate noſtra non eſt, & nobis ex Deo eſt, id eſt poſſibilitatem perhibet adiuvari.*

112 Si autem quæras; per quid in ſententia Pelagij Deus adiuvet poſſibilitatẽ audi Auguſtinum, qui capite ſexto eiuſdem libri de gratia Chriſti ita loquitur: *Hanc autem naturalem poſſibilitatẽ quòd adiuvari Dei gratia confitetur, non eſt hic apertum vel quam dicit gratiam, vel quatenus ea naturã ſentiat adiuvari. Sed ſicut alijs locis, in quibus evidentiùs loquitur, intelligi poteſt, NON VVLT ALIVD ACCIPI QVAM LEGEM ATQVE DOCTRINAM, QVA NATVRALIS POSSIBILITAS ADIVVETVR.*

Deſcribit paulò pòſt cap. 8. 9. & 10. alia Pelagij teſtimonia, quibus adiutorium illud poſſibilitatis cõmendabat, quibus relatis ſubdit cap. 10. *Quid manifeſtius, nihil aliud eũ dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum eſt, quam legem atque doctrinam?* Itaque Pelagius non aliam gratiam admittebat, quàm legem atque doctrinam, per quam Deus hominibus oſtẽderet, quid per naturam atque innatam arbitrij ſolius virtutem abſque aliquo immediato Dei influxu agere deberent; ac proinde ſentiebat liberum arbitrium ſolùm indigere adiutorio cognitionis dirigentis, & oſtendentis viam mandatorum, in qua liberum arbitrum per ſuam virtutem tanquam per vnicam & adæquatam rationem agendi ſine influxu immediato Dei ambulare poterat. Et quamvis Pelagius, prout refert idẽ Auguſtinus cap. 7. de gratia Chriſti, magnificè loqueretur de adiutorio gratiæ, vt imminentẽ ſibi Eccleſiæ ſententiam, & ſuorum eorũ confixionem declinaret; & diceret: *Adiuvat nos Deus per doctrinam, & revelationem ſuam dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat*: tamen in ipſius ſententia, vt ibi concludit Auguſtinus, tota hæc divina illuſtratio, *ad hoc vtique tendebat vt diuina præcepta & promiſſa diſcamus.* Vnde hanc conſequentiam deducit Auguſtinus in fine illius capitis: *Hoc eſt ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina*; quia videlicet Pelagius non ponebat illam illuſtrationem vt tãquam adiutorium neceſſariũ influeret in opera virtutis, ſed vt oſtenderet obiectum, quod liberum arbitrium amaret per actum ortum à ſola virtute ipſius. Et quamvis illam illuſtrationem appellaret adiutorium poſſibilitatis, non erat adiutorium ſimpliciter neceſſarium, quia in ipſius ſententia ad hoc ſufficiebat cognitio naturalis excitata per lectio-

nem

nem vel auditionem legis; sed erat adiutorium dumtaxat facilitans; vt explicat sanctus Augustinus in eodem libro de gratia Christi cap. 28. in fine, nam de Pelagio loquens, inquit: *Vult intelligi ad hoc esse auxilium, vt facilius fiat per gratiam, quod etsi minus facilè, tamen putat fieri præter gratiam.* Quod amplius exponit cap. 41. eiusdem libri, vbi Pelagij opinionem explicans inquit: *Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem perhibet adiuvari, in lege constituit atque doctrina &c. Vt videlicet tanquam via demonstrata, qua ambulare debemus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamvis & ipsam viam cõtendat etiam sola posse inveniri natura.* Hinc P. Ioannes Martinon in Anti Iansenio disp. 7. n. 39. concedit, Pelagianos *agnovisse gratiam internam revelationis se tenentem ex parte obiecti: at non alteram se tenentem ex parte causæ, & influentem immediatè ad meliorem intelligentiam nobiliorem̃que assensum circa obiectum propositum.*

113 Sextò assumptum comprobatur, quia S. Doctor lib. de hæresib. quem ad extremum vitæ, & post editos retractationum libros, composuit, hæresi 88. hæc verba habet: *Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni facere possumus, non esse dicunt Pelagiani nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantùm ipso adiuvante per suam legem atque doctrinam, vt discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus.* Et paulò post: *Charitatem autem negant dari, qua piè vivatur.* Hinc sic argumentor. Si Pelagius docuisset actum charitatis esse à Deo tanquam à causa immediata propriè & per se; manifesta fuisset Augustini impostura atque calumnia contra Pelagium asserere, quòd negaverit charitatem à Deo dari, cùm manifestum sit Deum nobis dare illud quod tanquam causa per se in nobis immediatè causat. Præterea, quomodo non esset aperta calumnia dicere, Pelagium non concessisse aliam gratiam ad piè vivendum præter liberum arbitrium, si concessisset, Deum vltra hoc adiuvare arbitrium per influentiam immediatam cum ipso ad opera pietatis?

114 Septimò assumptum roboratur, quia Augustinus epist. 106. affirmat, Pelagio in Palestina fuisse obiectum, *gratiam* atque adiutorium *non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege, atque doctrina, & victoriam nostram non ex Dei adiutorio esse, sed ex libero arbitrio: nõ esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio.* At hæc omnia non nisi per meram calumniã fuissent obiecta Pelagio, si ipse concederet immediatum concursum Dei, ratione cuius Deus sciens & volens est causa propria & per se immediata actus boni, qui illi vt authori tribuitur in sententia omnium Doctorum, qui contra Durandum docent, Deum concurrere immediatè cum causis secundis ad omnes earum actiones. Deinde quâ veritatis specie Augustinus eiusque discipuli Pelagianis obijcerent, liberum arbitrium æqualem potestatem ad electionem boni & ad electionem mali habere; quia ad neutram indiget adiutorio Dei? Hoc enim falsissimum esset, si iuxta Pelagium liberum arbitrium indigeret adiutorio Dei per concursum immediatum ad electionem boni. Certum ergo est, Pelagium negasse concursum immediatum Dei ad actiones liberas creatæ voluntatis; & Augustinum hanc doctrinam validissimè impugnasse, ostendendo, arbitrium nostrum nihil boni posse facere, nisi adiuveretur ab omnipotenti bono. Vnde lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. cap. 3. circa finem dicebat: *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo, qui malum non potest velle.* Et lib. de corrept. & grat. cap. 11. prope medium: *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum verò parum est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono.* Et lib. 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 9. vniversaliter dicit: *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla tamen facit homo, quæ non facit Deus vt faciat homo.*

115 Denique probatur assumptum: quia argumentum, quo Pelagius, & Cœlestius permoti sunt ad negandum necessitatem gratiæ adiuvantis liberum arbitriũ & concurrentis cum illo ad opera salutis, evincit, ipsos negasse concursum Dei immediatum, seu adiutorium Dei, vt causæ primæ & authoris vniversalis ad nostras actiones liberas: Deo enim negabant adiutorium gratiæ adiuvantis esse necessarium, quia existimabant cum hoc non componi nostri arbitrij libertatem; vt constat ex illa eorum propositione damnata in Concilio Palestino, in qua dicebant: *Nõ esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate vnusquisque habet facere aliquid vel non facere.* Hæc autem ratio vniversalis est, & omne adiutorium immediatum Dei ad opera nostra libera excludit, vel nullum; nec vllo colore titulo salvandæ libertatis potuisset Pelagius negare necessitatem auxilij specialis gratiæ, si admisisset necessitatem auxilij generalis Dei [illegible] causæ primæ ad omnes actiones liberas cre[illegible]

Auguſtinus autem optimè probavit contra Pelagium liberum arbitrium nõ tolli ex eo quòd nihil boni poſsit agere arbitrium ſine Dei adiutorio, vt vidimus ſect. 5. §. 4. vnde epiſtol. 47. dicebat: *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat ſiue in vitam malam, ſiue in vitam bonam, neque ei tantùm tribuit, vt ſine gratia valeat aliquid.* Et epiſtol. 89. *Nec enim (inquit) voluntatis arbitrium tollitur quia iuvatur, ſed ideo iuvatur, quia non tollitur.*

116 Quamvis autem hoc contra Pelagium Auguſtinus probaverit; amplius contra ipſum evicit; ſiquidem oſtendit naturam humanam vulneratam, & infirmatam per peccatum primi parentis indigere alio ſpecialiori adiutorio gratiæ medicinalis ſanantis naturam, & roborantis eius debilitatem, & adiuvantis infirmitatem ipſius, ad hoc vt declinet à malo, & faciat bonum, & per viam mandatorum Dei ambulet. Itaque duo oſtendit, nimirum vniverſaliter liberum arbitrium nihil boni poſſe agere, niſi adiuvetur immediatè à Deo, quia omne bonum creatum debet dimanare immediatè à ſummo bono. Secundò in ſtatu lapſus opus eſſe ſpeciali adiutorio gratiæ per Chriſtum ad quodcumque bonum opus moraliter efficiendum, nihilque poſſe nos efficere in vitam æternam conducens, imò nec quidquam moraliter honeſtum, ſine ſpeciali gratia per Chriſtum, vt ſupra diximus ex mẽte Auguſtini.

§. II.

Præmittitur ſecundò, probabile eſſe, quòd Auguſtinus negaverit concurſum Dei immediatum ad actum peccati.

117 PATER Salas 1.2. tract. 13. diſp. 10. ſect. 2. expendens, cur Deus non ſit peccati cauſa, nu. 11. hæc habet: *Secunda ſententia eſt, Deum, quamvis concurrat immediatè phyſicè cum voluntate noſtra ad actus bonos; non tamen ad malos, & ideo non eſſe ſimpliciter eorum cauſam; ſed cũ addito, ſcilicet permiſſiuè. Hanc ſententiam probabilem exiſtimant, licèt nõ ſequantur Altiſiodorenſis, & Gregorius: & tempore Magiſtri nonnulli eam amplectebantur, vt ipſe refert in ſecundo diſt. 37. qui tandem nihil definit.*

Hanc ſententiam ſequutus eſt Hugo Victorinus Roman. 11. q. 280. explicans enim illud Apoſtoli: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: inquit: *Quæri-peccata, in quãtum ſunt, ſint à Deo: ſi enim omnia: ergo & peccata, vel peccata non ſunt de numero omnium. Nonnulli dicunt, quòd peccata in quantum ſunt, habent eſſe à Deo: ſed Auguſtinus de natura boni dicit, tantùm ea, quæ ſunt naturaliter, debere intelligi, cũ dicitur, OMNIA ESSE A DEO; non peccata, quæ naturam corrumpunt: non ergo peccata ſunt ex Deo aliquo modo.* Hactenus hic graviſsimus author, qui non tantùm expreſsè tuetur, Deum non concurrere immediatè ad entitatem peccatis ſed hanc ſententiam tribuit S. Auguſtino.

118 Quanto autem cum fundamento ſancto Doctori hanc ſentẽtiam tribuat, paulò fuſiùs à nobis oſtendendum eſt. Et imprimis in medium proferamus formalia verba Auguſtini citata ab Hugone, in quibus exiſtimat hanc ſententiam contineri. Igitur Auguſtinus lib. de natura boni cap. 20. hæc habet: *Cùm audimus, OMNIA EX IPSO, PER IPSVM, ET IN IPSO, omnes vtique naturas intelligere debemus, quæ naturaliter ſunt; nec enim ex ipſo ſunt peccata, quæ naturam non ſervant, ſed vitiant: quæ peccata ex voluntate eſſe peccantium multis modis ſcriptura ipſa teſtatur.* Probatur ſecundò ex teſtimonijs nuper adductis nu. 114. in quibus ait: *Quòd liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum verò parum eſt, niſi adiuvetur ab omnipotenti bono.* Quod etiam docet epiſt. ad Hilarium Siracuſanum circa medium; ibi: *Valet itaque liberum arbitrium ad bona opera, ſi diuinitùs adiuvetur: deſertum verò diuino adiutorio, quamlibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit iuſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem impiæ ſuperbiæ, & exitioſum tumorem.* Item idipſum docet ſer. 12. de verbis Apoſtoli: *Prorſus (inquit) ſi adiutorium Dei defuerit, nihil boni agere poteris: agit quidem illo non adiuvante libera voluntate, ſed malè; ad hoc idonea eſt voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Cùm dico tibi, ſine adiutorio Dei nihil agis: nihil boni dico: nam ad malè agendum habes ſine adiutorio Dei liberã voluntatem.* Præterea hoc ipſum tradit libro de Prædeſtinatione divina: *Liberum verò (inquit) quod à Deo habemus, arbitrium, prono ad nequitiam lapſu ruit: & cùm ad virtutis indolem Dei adiutorio deſerente nihil poſsit, ad omne genus peccati idonea fultum virtute ſubſiſtit.* Præterea hoc docet cap. 34. de ſpiritu & littera, vbi ait: *Vocare hoc vel illo modo ſolius Dei eſt; venire autem ſemper eſt in voluntate, vel ſola ſi non venit, vel adiuta ſi venit.*

119 Hinc validum conficitur argumen-

mentum ad probandum, D. Augustinum non agnovisse concursum immediatum Dei ad actum peccati; quia posita necessitate huius concursus immediati, non videntur posse salvari locutiones illæ Augustini in proprio verborum sensu. Quomodo enim verum erit, *liberum arbitrium ad malum sufficere* sine adiutorio Creatoris; si nullum actum malum potest elicere quin Deus immediate concurrat cum ipso? Quomodo verificabitur, *hominem libera voluntate agere malè*, seu actum malum elicere, *sine adiutorio Dei*, si impossibile est, vt actum malum eliciat quin Deus cum ipso concurrat? Non enim sine adiutorio Dei agitur, id quod non agitur nisi Deo concurrente. Neque verificari potest propositio illa affirmativa; *Voluntas creata agit actum peccati sine adiutorio Dei*, quam Augustinus sæpè concedit; si verà sit propositio vniversalis negativa, *Voluntas nullum actum agit sine adiutorio Dei*; quam admittere debent omnes Doctores defendentes concursum immediatum Dei in omnes actiones causæ liberæ; nam in hac communi sententia, *Voluntas nullum actum agit sine concursu immediato Dei*; concursus autem immediatus est adiutorium Dei, qui enim nihil potest agere quin alius cum illo concurrat ad omnes ipsius actiones, nihil potest agere, quin adiuvetur ab alio. Quomodo denique verificabitur, in voluntate nostra sola esse, quod non consentiat Deo vocanti, & non veniat ad salutem; si se sola nequit efficere actum illum liberum, per quem resistit Deo vocanti, & vi cuius verificatur, *ipsam non venire* quo Deus illam vocabat, sed potius in terminum oppositum tendere?

120 Vlterius, Augustinum negasse concursum immediatum Dei in nostras voluntates pravas, seu volitiones liberas turpes, probatur satis vrgenter ex cap. 31. de spiritu, & litt. vbi hæc habet: *Nunquam legimus in Scripturis, non est Voluntas nisi a Deo* (sicut legimus: Non est potestas nisi à Deo) *& rectè non scriptum est, quia Verum non est; alioqui etiam peccatorum, quod absit, Author etiam est Deus, si non est Voluntas nisi ab illo.* Ergo iuxta Augustinum voluntas, seu volitio mala specificative sumpta non est à Deo: foret autem à Deo, si ad illam immediate concurreret; à Deo enim est omnis entitas, quæ à Deo producitur: producitur autem à Deo, non solum omne id, quod ab ipso solo fit; sed omne id quod fit ab ipso, simul cum causa secunda: ergo si actus peccati secundum totam suam entitatem oriretur à Deo immediate influente; vera esset propositio illa vniversalis, *Non est Voluntas nisi a Deo*; sicut in illa communi sententia vera est hæc propositio: *Non est entitas nisi à Deo*; cum par vtrobique sit ratio: ideo enim non est entitas nisi à Deo, quia non est entitas, quæ non dependeat immediate à Deo tanquam à causa prima: ergo si non est voluntas, quæ non dependeat immediate à Deo tanquam à causa prima, non est voluntas nisi à Deo. Ergo ideo Augustinus dixit, non esse veram illam propositionem vniversalem, *Non est Voluntas nisi a Deo*, quia censuit, malam voluntatem non pendere immediate à Deo tanquam à causa physice influente in ipsam.

121 Neque satisfacies, si dicas, propterea Augustinum dixisse, malam voluntatem non esse à Deo, quia non est ab illo quatenus mala, licet ab illo sit voluntas mala specificative sumpta. Tum quia in sententia asserente malitiam actus pravi, quo transgredimur præceptum negativum, consistere in positivo, v.g. malitiam odij Dei, non solum actus malus specificativè sumptus est immediate à Deo, sed etiam quatenus malus; quia quatenus malus est aliquod prædicatum positivum, seu aliqua formalitas positiva, omnis autem formalitas positiva immediate pendet à Deo in sententia illa communi de concursu immediato Dei requisito ad omnem actionem liberam creaturæ; non enim minus absurdum est admittere alicuius formalitatem positivam, quæ immediate non sit à Deo, quam admittere aliquam actionem creaturæ, quæ immediate non pendeat à Deo. Tum quia Augustinus eo loci non potest tantum loqui de voluntate vt mala est reduplicativè, sed de voluntate mala specificativè sumpta, ad quam consequitur, vel quam comitatur malitia formalis; distinguit enim ratione nostra voluntatem malam à peccato, & ex eo quod Deus non est Author peccati, infert, non omnem voluntatem esse à Deo; quia si omnis voluneas esset à Deo, voluntas mala esset à Deo; & cum voluntas mala sit peccatum, vtique peccatum esset à Deo, ac proinde Deus foret Author peccati, quod est absurdum. Vnde ne idem per idem probet, necesse est vt loquatur de voluntate mala specificative sumpta, quatenus est actus libere elicitus contra legem Dei. Vnde argumentum Augustini ad hanc formam reduci debet: *Deus est Author omnis rei, seu omnis prædicati, quod ab ipso est*: ergo si non est voluntas nisi à Deo, Deus erit Author omnis voluntatis: ergo etiam erit Author malæ voluntatis: sed mala voluntas est peccatum: ergo erit Author peccati. At Deus non est Author peccati: ergo voluntas mala non est à Deo: ergo ideo scriptum non est, *Non est Voluntas nisi à Deo*, quia verum non est.

122 Quod confirmatur,

Doctor lib. 5. de civit. cap. 9. eidem doctrinæ inſiſtens, inquit: *Omnium poteſtatum dator eſt Deus, non omnium voluntatum. Malè quippe voluntates ab illo non ſunt quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.* Vbi neceſſe eſt vt loquatur de voluntate mala ſpecificative, & non tam de illa vt mala reduplicative; quia in eodem ſenſu concedit eſſe datorem poteſtatis, quo negat eſſe datorem voluntatis; ſed Deus non eſt dator poteſtatis ad malum quatenus eſt poteſtas ad malū, quia potentia peccandi, quatenus formaliter eſt potentia peccandi non eſt à Deo, vt docent Theologi cum S. Thom. in ſecund. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 24. de veritat. art. 7. ad 1. & ad 5. Sed ſolum eſt dator poteſtatis, quæ eſt ad malum: ergo Deus non ſolum non eſt dator voluntatis malè vt mala eſt reduplicative, ſed nec voluntatis, quæ mala eſt ſpecificative. Et quidem illum loqui de actibus malis ſpecificative ſumptis, conſtat ex libello de articulis falſo ſibi impoſitis, art. 10. vbi hæc habet: *Deteſtanda, & abominanda opinio eſt, quæ Deum cuiuſquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit Authorem.*

123 Vltimo S. Doctorem negare concurſum immediatum Dei in actum peccati, vrgenter probatur ex libro 2. de libero arbitrio cap. 20. ſeu vltimo. Cum enim ad finem cap. 19. dixiſſet: *Voluntas averſa ab incommutabili & communi bono, & converſa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius peccat.... Ita fit, vt neque illa bona, quæ à peccantibus appetuntur, vllo modo mala ſint, neque ipſa voluntas libera, (id eſt potentia) quam in bonis quibuſdam mediis numerandam eſſe comperimus, ſed malum ſit averſio eius ab incommutabili bono, & converſio ad mutabilia bona; quæ tamen averſio, atque converſio, quoniam non cogitur, ſed eſt voluntaria, digna, & iuſta eam miſeriæ pœna ſubſequitur.* Cum inquam, hæc dixiſſet in fine illius capitis; ſic inchoat caput vigeſimum: *Sed tu fortaſſe quæſiturus es, quoniam movetur voluntas cum ſe avertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, vnde ei iſte motus exiſtat: qui profecto malus eſt, tamenſi voluntas libera, quia ſine illa nec rectè viui poteſt, in bonis numeranda ſit. Si enim motus iſte, ita eſt averſio voluntatis à Domino Deo, ſine dubitatione peccatum eſt, num poſſumus Authorem peccatum Deum dicere? Non erit ergo iſte motus ex Deo. Vnde igitur erit? Ita quærenti tibi, ſi reſpondeam neſcire me, fortaſſe eris triſtior.* Et ſequa concludit: *Omne bonum ex Deo, omnis ergo natura eſt, quæ non ſit ex Deo. Motus ergo ille averſionis, quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectiuus motus eſt: omnis autem defectus ex nihilo eſt: vide quo pertineat, & ad Deum pertinere ne dubites. Qui tamen defectus, quoniam eſt voluntarius, in noſtra eſt poſitus poteſtate.* Hæc Auguſtinus, ex quibus ſic arguo: ergo iuxta Auguſtinum motus averſionis à Deo, eſt peccatum, & ideo peccatum non eſt ex Deo, quia motus averſionis non eſt ex Deo. At omne, quod immediatè à Deo procedit, & ab eo immediate dependet, ex Deo eſt: ergo iuxta Auguſtinum motus ille averſionis non procedit immediatè à Deo, neque à Deo dependet immediate; ac proinde Deus non concurrit immediate in illum motum. Nimirum quia motus ille averſionis, defectivus motus eſt, & motus defectivus nequit pertinere niſi ad cauſam defectivam, qualis eſt ſola voluntas creata; quæ cum ſit ex nihilo, quatenus eſt ex nihilo poteſt peccare, ac proinde eſſe cauſa illius motus defectivi. Quare Deus iuxta Auguſtinum non eſt cauſa immediata, nec immediate influit niſi in illos motus voluntatis, qui ſunt ex voluntate creata quatenus cauſa efficiens eſt, non autem in illos, qui ſunt à voluntate vt à cauſa deficiente. Vnde idem Auguſtinus lib. 12. de civit. cap. 7. dicit: *Nemo quærat cauſam efficientem malæ voluntatis; non eſt enim efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio.*

124 Sed dices, abſurdum eſſe tribuere Auguſtino ſententiam, quæ erroris inſimulatur à Theologis, vt videre eſt apud P. Suarez diſp. 22. Metaphyſic. ſect. 1. num. 7. Reſpondeo ex P. Vazquez 12. diſp. 129. cap. 3. *Sententiam Durandi, qua parte aſſerit, Deum cum nulla ſecunda cauſa ad illius effectum operari, erroris nomine ab omnibus Scholaſticis iam diù cenſeri.* Non eſſe autem errorem negare, quod Deus immediate concurrat ad actum peccati. Vnde idem Author ibidem num. 10. erroris non inſimulat ſententiam Durandi, quatenus negat concurſum immediatum ad actum peccati, ſed ſolum dicit: *Durandi tamen ſententiam etiã in hoc falſam eſſe arbitramur.* Et quidem S. Thomas, qui 1. 2. quæſt. 79. art. 2. inquirit: *Vtrum actus peccati ſit à Deo*; nullam notam innurit illi ſententiæ, ſed ſolum ſimpliciter oppoſitam ſequitur, aſſerens, quod actus peccati eſt à Deo quatenus ens, & quatenus actus; & concludit: *Quod Deus eſt cauſa actus peccati, non tamen eſt cauſa peccati, quia non eſt cauſa huius, quod actus ſit cum defectu.* Quod ideo dicit, quia Deus in ſententia S. Doctoris non concurrit vt primus motor præmovendo, & inclinando voluntatem

tem ad actum peccati præ actu oppositio; sed quia vt vniversalis motor inclinat illam ad bonum incomuni, sine qua motione prævia nihil voluntas determinatè potest velle; vt ipse docet 1.2.q.9. art.6. ad 3. ijs verbis: *Deus movet voluntatem hominis sicut vniversalis motor ad vniversale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniversali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum: sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in ijs, quos movet per gratiam.* Qua authoritate fultus M. Albelda invehitur in physicam prædeterminationem ad actum peccati 1.p.disp.59. num.13. vt contrariam menti D. Thomæ, & vt facientem, quod Deus cõcurrat ad actum peccati vt specialis motor, ac proinde sit Author peccati, vt abundè ostendi tom.1. disp. 11. sect.10.

§. III.

Ideo D. Augustinus negavit Deum concurrere ad actum peccati, seu actum peccati esse à Deo: quia iuxta ipsum Deus solum adiuvat voluntatem nostram ad actum, quatenus per motionem præviam cognitionis, vel complacentiæ inclinat ad actum, & facit vt faciat illum: quod non præstat respectu actus peccati.

125 IVXTA Augustini continuam phrasim, ideo Deus operatur in nobis & velle & *operari*, & ideo facit, vt faciamus, quia media vocatione, complacentia, & delectatione ita suadet vt persuadeat, ita movet, vt reipsa consentiamus: *Vt velimus* (inquit lib. 1. q. 2. ad Simpl.) *suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo,* & vt supra vidimus pag.349. num. 977. *Quia nemo potest credere, nisi velit, nemo velle, nisi vocetur, nemo autem sibi præstare vt vocetur, vocando Deus præstat & fidem; quia sine vocatione non potest quisquã credere.* Et vt vidimus pag.346. propterea bona voluntas est donũ Dei, quia essentialiter supponit vocationẽ, quam Deus in nobis sine nobis operatur: *Quia non præcedit voluntas bona vocationẽ, sed vocatio bonã voluntatẽ, propterea vocãti Deo rectè tribuitur, quod benè volumus.* Constantissi. que est, August. semper adiutorium gratiæ explicare per motus intellectus, & voluntatis, per vocationem, & delectationem victricem; vt patet ex toto hoc tractatu, præsertim disp.4. sect.12. §.9. & 10. Pro nunc nobis sufficiat hic adducere quod S. Augustinus dicit lib. de grat. & libero arbitrio cap.16. *Certum est*, inquit, *nos mandata servare si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est vt tantum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui, quod præparatus voluntas a Domino* (Psalm. 36.) *de quo dictum est: a Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet: de quo dictum est: Deus est qui operatur in vobis, & velle & operari* (ad Philipp.2.) *certum est, nos facere cum facimus; sed ille facit vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam, vt in præceptis meis ambuletis,*

126 Estque manifestum evoluenti scripta Augustini contra Pelagianos, ipsum exponere illud Christi, *sine me nihil potestis facere.* Et illud: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, &c.* Et illud Apost. *Quid habes quod non accepisti?* Quia nihil boni possumus facere, nisi à Deo vocati, & inspirati; neque ad Christum venire, nisi trahamur mediante delectatione cœlesti, & divina illustratione; neque aliquid habemus boni, quin à Deo per vocationem, & cœlestem delectationem, seu sanctam inspirationem accipiamus. Vnde quia nostra opera libera supernaturalia essentialiter supponunt illustrationem divinam, & cœlestem suavitatem, & complacentiam nobis sine nobis à Deo infusam, ideo in phrasi Augustini Deus nos adiuvat, ideo cooperatur nobiscum; & ideo facit vt faciamus actus supernaturales. Adiutorium autem quod præstat Deus quatenus motor vniversalis, & vt Author naturalis; & vi cuius verificatur illud dictum Augustini lib. 2. ad Bonif. cap.9. *Nullum bonum facit homo, quod non facit Deus vt faciat homo*, consistere debet in motibus intellectus, & voluntatis, quos Deus vt Author naturalis excitat in nobis. *Vt enim* dicebat nuper S. Thomas 1. 2. quæst.9. art. 6. *Deus movet voluntatem hominis ad vniversale obiectum voluntatis quod est bonum, & sine hac vniversali motione homo non potest aliquid velle.*

127 Et quidem ratio, qua passim probat Augustinus, Deum in nobis operari bonam voluntatem, nullatenus extenditur ad voluntatem pravam; rationem inde petit, quod homo per actus honestos redditur bonus; & absurdum est, quod melius fit id quod facit homo, quam id quod facit Deus. Per contra[illegible] est[illegible] tem pravos homo redditur malus[illegible]

autem non est, sed potius rationi consonum, quod homo non à Deo, sed à seipso fiat malus. Quare Deus vt vniversalis motor debet facere vt homo faciat actus, quibus redditur bonus, non potest autem facere, vt faciat actus, quibus redditur malus. Quod autem illa ratione passim Augustinus probet Deum in nobis operari actus honestos, constat primo, ex dictis in hac sectione num. 107. ex cap. 33. de spiritu & litt. constat secundo, quia eandem rationem tradit S. Doctor in Psalm. 58. *Totum*, inquit, *quidquid sum, de misericordia tua est. Feci sti vt essem: & non feci sti vt bonus essem? Dedi sti mihi vt sim, & potuit alius mihi dare vt bonus sim? Si tu mihi dedi sti vt sim, & alius mihi dedit vt bonus sim, melior est ille, qui mihi dedit vt bonus sim, quam ille, qui mihi dedit vt sim. Porrò, quia nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, à quo accepi vt essem, ab illo accepi vt bonus essem: Deus meus misericordia mea.* Qua ratione probat lib. 12. de civitate cap. 9. Angelos, non ex seipsis habuisse, sed à Deo accepisse, bonam voluntatem, & amorem castum, quo Creatori adhæserunt. *Si non potuerunt*, inquit, *se facere meliores, quam illos ille fecerat, quo nihil melius quidquam fecit: PROFECTO BONAM VOLVNTATEM, QVA MELIORES ESSENT, NISI ADIVVANTE ADIVTORIO CREATORIS HABERE NON POSSENT.* Quæ ratio vniversalis est, & probat, Deum non solum vt Authorem supernaturalem facere vt faciamus actus intrinsece supernaturales, quibus condigne meremur gloriam; sed etiam vt Athorem naturalem, & vt motorem vniversalem facere vt voluntas creata eliciat amorem naturalem Creatoris, & alios actus honestos, quibus redditur melior.

128 Hac ratione vehementer impugnat S. Doctor Hæreticos Pelagianos, qui dicebant hominem viribus proprijs sine adiutorio immediato Creatoris bonum posse incipere, & in illo vsque in finem perseverare. Sic enim eos aggreditur serm. 4. & 9. de verbis Apostoli: *Qui fecit nos & homines & salvos: non si nos ille fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus salvos, aliquid illo melius fecimus: melius est enim salvus homo, quam quilibet homo. Si ergo Deus te fecit hominem, & tu te feci sti bonum hominem, quod tu feci sti melius est. Noli te extollere super Deum, subde te, Deum adora: ipse fecit nos, & non ipsi nos. Vade nunc, & vanila dialtias tuas: iactate, & dic, Dives sum dives! Si volo, iustus sum; si [illegible] iustus sum: in potestate habeo iustum esse, & iustum non esse. Non audis in Psalmo, QVI CONFIDVNT IN VIRTVTE SVA? Ergo Deus tibi carnem, Deus tibi sensum, Deus tibi animam, Deus tibi mentem, Deus tibi intelligentiam dedit; tu das tibi ipsi iustitiam? Quid est caro, quid sunt sensus, quid est intelligentia sine iustitia? Non ne omnia ista, si iustitia careant, ad pœnam valebunt? Ergo tam dives es, vt cum Deus tibi dederit inferiora, des tibi, potiora? Malè dives! Exinanientede dives! Si tamen habes, quod te dixisti habere, quid habes, quod non accepisti?*

129 Deus itaque iuxta Augustinum dat homini vt bonus sit, & tanquam Author vniversalis, & tanquam Author specialis, & per concursum generalem, & per concursum specialem. At minimè dat homini vt malus sit, neque vt Author specialis, neque vt Author generalis; ac proinde licet vt primus motor, & vt Author vniversalis faciat vt homo eliciat actus naturales honestos; minime facit vt eliciat actus turpes, quibus redditur malus; neque ad illos iuxta Augustinum immediatè concurrit, quia hic concursus fit iuxta Augustinum per motionem aliquam præviam impressam animæ, per quam illam movet ad actū bonum, nimirum per cogitationem, & indeliberatum motum voluntatis, & quia non imprimit animæ motionem directè inclinantem ad actum malum, propterea istum dumtaxat permittit; vt enim inquit S. Doctor lib. de bono perseverantiæ cap. 6. *Nihil fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri permittit.* In tantum que iuxta Augustinum omnis actio bona voluntatis creatæ procedit immediatè à Deo, quia non tantum supponit essentialiter virtutem activam voluntatis cum ipsa identificatam, sed essentialiter supponunt adiutorium Dei consistens in illa motione prævia: quia voluntas creata nihil boni potest agere nisi vt mota à Deo per motionem aliquam sibi inditam, & impressam à primo motore; ac proinde essentialiter pendet à Deo non solum in esse & conservari, sed etiam in agendo, quia nihil bonī potest agere nisi moveatur ad agendum per motionem prævium, vi cuius Deus facit vt eliciat actum bonum; & nihil mali potest agere, nisi permittatur à Deo. Motio autem illa prævia non est prædeterminans, & connexa cum actione libera voluntatis; sed est indifferens, vt contra suam inclinationem per malitiam & pervicatiam voluntatis manat sine effectu ad quem datur; vt cum Augustino docet etiam sæpe S. Thomas.

130 Vnde M. Albelda licet cum communi suorum Thomistarum defendat concursum causæ primæ cum secundis esse prævium

vium, & in ipsa causa secunda receptum; quia causa secunda nihil potest agere nisi vt mota à prima; tamen merito docet, hunc concursum prævium cum causis liberis non esse prædeterminantem, ac proinde determinantem ad vnũ sed indifferentem, & cui voluntas possit resistere, vt supra vidimus disp. 4. sect. 12. §. 13. à pag. 358. prætertim num. 999. quia concursus ille prævius tolleret libertatem; etsi daretur ad actum malum, & libertatem non lederet faceret Deum Authorem peccati. Et hæc absdubio est sententia D. Thomæ 1. 2. quæst. 10. art. 4. corp. vbi inquit: *Deus omnia movet secundum eorum conditionem. Quia igitur voluntas est actuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus illam movet, quod non ex necessitate ad vnum determinat; sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in ijs, ad quæ naturaliter movetur* Et quæst. 3. de malo art. 2. *Motus primi moventis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus, sed in vnoquoque secũdum proprium modum.* Et propter hanc rationem vt vidimus supra pag. 370. num. 1026. dicebat S. Doctor quod lib. 1. art. 7. ad 1. *Quod Deus sic movet voluntatem ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* Itaque aliud est, causam secũdam nihil posse agere nisi *vt præmotam à prima*; *aliud nihil posse agere nisi vt prædeterminatam physice.* Primum est de mente D. Thomæ; secundum est contra illum, & contra veritatem. Vnde noster Cardinalis Palluvicinus licet toto corde aversetur physicas prædeterminationes: tamen 1. 2. quæst. 6. art. 12. concedit vt quid conforme D. Thom. principijs, voluntatem præmoveri à Deo per aliquam motionem intrinsecam. Ratio disparitatis est, quia præmotio antecedens potest esse talis, vt ei voluntas resistere valeat. At prædeterminatio physica, cum iuxta suos assertores sit essentialiter connexa cum actione ad quam datur, talis est, vt ei nulla causa possit resistere; ac proinde infert necessitatem, & ad vnum determinat.

§. IV.

Exponitur, qua ratione dici valeat actum malum esse à Deo, quatenus actus est; & secundum rationem communem sibi cum actu bono: licet absolute non sit à Deo. Et explicatur quo pacto actus bonus ita sit à Deo, vt de illo non possit homo gloriari.

131 QVANQVAM Autem iuxta S. Augustinum actus pravus non sit à Deo, quia Deus adhuc vt Author & motor vniversalis non imprimit animæ motionem prævium inclinantem ipsam ad actum peccati determinate; sed imprimit motionem vnicè inclinantem ad actum oppositum honestum, & solum se habet permissivè respectu actus mali, quem non vult impedire, cum facilè posset. Tamen potest dici, quod actus malus, quatenus ens, & secundum rationem communem actus est à Deo: quia nimirum ille actus malus quatenus talis essentialiter supponit motionẽ constituentem potentiam proxime expeditam ad actum bonum; non enim voluntas creata est proxime potens peccare, quousque sit completa in actu primo ad actum bonum honestum eliciendum; ad hunc autem eliciendum completur iuxta S. Augustinum per motionem impressam voluntati à primo motore; ergo peccatum supponit essentialiter motionem & cõcursum prævium sufficientem ad actum bonũ, non quidem vt principium directe influens in peccatum, sed vt conditionem necessariam, sine qua voluntas per virtutem sibi innatam, & sibi competentem quatenus est ex nihilo, nequit se determinare ad peccatum. Vnde Deus imprimens voluntati motionem sufficientem ad actum honestum, & auferens omne impedimentum ad actum malum; necessitatem metaphysicam imponit voluntati eliciendi vel actum bonum, vel eliciendi actum malum; eo tamen fine vt eliciat actum bonum; vt enim inquit Bernardus in tract. de grat. & libero arbitrio propè medium: *Soli inter animantia datum est homini posse peccare ob prærrogativam liberi arbitrij: datum est autem non vt proinde peccaret, sed vt glorioſior appareret, si non peccaret cum peccare posset. Vnde quod actu peccet, non fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in vsum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi.* Ex eo autem quod Deus tribuens libertatem homini in actu primo proximo rectè vel pravè operandi necessitatem imposuerit vagam eliciendi, vel actum honestum, vel actum turpem; sanè quod homo agat, tribuitur Deo; sed quod agat potius actum malum, quam actum bonum, tribuitur soli arbitrio; quia motio à Deo impressa animæ vnice inclinabat ad actum bonum.

132 Quod autem agat potius actum bonum, quam malum, tribuitur quidem arbitrio, sed principalius Deo: arbitrio vt accipienti operationem illam honestum, quam Deus illi obtulit, & quantũ est ex se dedit cum impressit voluntati motionem illam effi[illegible]cem in actu primo; Deo verò vt [illegible] gloriari non potest homo quasi [illegible]

ſed principalem laudem ſui operis boni debet referre in Deum. Quis enim dicat, pauperem, cui à divite datũ eſt vnde veſtem emat ſuãque nuditatem tegat, non debere diviti illi tribuere, quod veſtitus incedat, potius quam ſibi, quamvis libere emerit, potueritque datam ab illo pecuniam in alium vſum convertere, aut veſtem ipſam ſibi ab eo datam potuerit non induere? *Velut* (inquit Anſelmus lib. de concordia præſcientiæ cum prædeſtinatione c. 3.) *cum aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullum à ſe poteſt indumentum habere, dat veſtem: non tamen quamvis ipſe habeat poteſtatem vtendi, & non vtendi accepta veſte, ſi ea vtatur, imputandum eſt indutо, quia indutus eſt, ſed danti veſtem.*

Auguſtinuſque conſtanter ſemper docet, ideo hominẽ non poſſe gloriari de bona operatione, quia illam accepit à Deo media vocatione congrua & delectatione victrice prævia. Vt enim inquit S. Doctor in Enchiridio cap. 32. exponens illud Apoſtoli: *Non eſt volentis, &c. Quomodo*, inquit, *non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, niſi quia & ipſa voluntas à Deo præparatur?* Certum eſt autem apud Auguſtinum voluntatem præparari per vocationem congruam, vt conſtat ex cap. 8. de bono perſeverant. & ſæpè alibi: & de vocatis ad vineam loco ſupra citato num. 104. docet: *Non poſſe ſibi tribuere quod venerint, quia non venirent niſi vocarentur*, ſeu quia Deus per vocationem effecit vt venerint.

133 Quapropter actus malus, adhuc ſpecificative ſumptus, & ſecundum rationem, & entitatem ſpecificam actus non eſt à Deo, adhuc vt motore vniverſali, vt faciente vt ille actus exiſtat. Quod præclare explicat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de amiſ. grat. cap. 18. §. *Objicies poſtremo*, ijs verbis. *Itaque non ſolum turpitudo peccati, ſed ipſum etiam, quod materiale Theologi vocant, ſi vt tale in ſpecie conſideretur, Deo tribuendum non eſt, cum Deus non ſolum turpitudinẽ, ſed etiam actiones ipſas turpes adverſetur, & lege ſua prohibeat.* Idque docet, quamvis ſentiat cum ſententia communi actũ peccati immediate oriri à primo ente ex determinatione voluntatis creatæ. Rationem reddit eo cap. §. *Itaque potuit. Quia Deus non efficit actionem illam peccati vt cauſa particularis, ſed vt cauſa vniverſalis, præbens vim & influxum quendam indifferentem & communem ad illam actionem, & ad contrariam, ita vt actio illa non ſit malis in ſpecie, quia à Deo fit, ſed ſolum quia fit [illegible] particulari cauſa, quæ eſt humana [illegible]. Hæc enim eſt, quæ vitio ſuo non attendens ad regulam, abutitur auxilio generali ad hanc actionem, cum eodem auxilio ad aliam actionem benè vti potuiſſet, & debuiſſet.*

134 Reddit poſtea diſcrimen inter bonas & malas actiones. *Nam actiones bonæ, ſi ſint ſupernaturales, fiunt à Deo per auxilium ſpeciale, & habent ab ipſo vt ſint tales, id eſt ſupernaturales: ſi verò ſint bonæ tantum moraliter, ſunt quidem à Deo per auxilium generale; & tamen duas ob cauſas rectiſſimè tribuuntur Deo, etiam vt tales ſunt in ſpecie. Primum quia ſunt à Deo intentæ, Deus enim ideo nobis dedit liberum arbitrium, & auxilium generale, vt eis benè vteremur ad vitam ſecundum rationem traducendam, quamvis permittat, vt ſecus etiam, ſi libuerit, faciamus, vt S. Auguſtinus docet lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. & 6. Deinde, quia Deus actiones bonas ſuadet, imperat, laudat, atque ad eas hortatur, & invitat: eadem verò ratione non poteſt actio mala Deo tribui; quia neque illam intendit: nec imperat, ſed contra potius vetat, improbat, diſſuadet, atque ab ea deterret, & avertit.* Hucuſque Magnus Bellarminus, qui non explicat, quid ſit ille influxus generalis; cæterum in illius ſententia nihil aliud erit, quam omnipotentia applicata per decretum indifferens, vnice intendens actum bonum; & permittens actum malum; quod decretum in recto importet actum neceſſarium Dei, & de obliquo motionem præviam, non quidem inclinantem æque ad actum bonum, vel ad actum malum; quia ſic Deus amaret vagè actum bonum & malum, volendo efficaciter vt fiat libere à voluntate vel actus bonus, vel actus malus; quod repugnare, probavi tom. 1. diſp. 11. num. 5. Sed vnicè inclinantem ad actum bonum libere ponendum; & permiſſive indifferentem vt coniungatur cum actu pravo, ad quem nullo pacto inclinat, neque determinatè neque vagè.

In ſententia autem iſta, illud eſt difficile, quo pacto actio peccati immediatè oriatur ab omnipotentia, & tamen Deus non habeat voluntatem amantem illam actionem quatenus eſt ab omnipotentia. Quam difficultatem latè verſavi tom. 1. diſp. 11. ſect. 3. vbi oſtendi illam actionem non terminare vllum effectum poſitivum Dei amantem aliquod ipſius prædicatum; ſed Deum permittere voluntati concurſum externum omnipotentiæ identificatum cum illa actione, & à quo ipſa impræſcindibilis eſt.

135 Verum in ſententia Auguſtini hucuſque explicata, facilè expeditur difficultas; quia iuxta S. Doctorem omnipotentia non con-

concurrit immediate ad illam actionem; quia liberum arbitrium licet non possit facere bonum nisi adiuvetur ab omnipotenti bono; ad malum tamen sibi sufficit. Ad bonum autem iuvatur quatenus Deus ipsum prævie movet vitali modo, excitando, & movendo vt eliciat actum bonum, sine qua motione impossibile est vt actum bonum naturalem eliciat; ex terminis enim repugnat, quod voluntas creata faciat aliquid boni, quin Deus faciat vt faciat illud bonum; quia bonum non facit nisi quatenus est à Deo, & sub hac ratione nequit operari, nisi adiuvetur à Deo, à quo sicut essentialiter pendet in essendo; ita essentialiter pendet in operando bonum; quia vero malum facit, quatenus ipsa facta est ex nihilo, & defectibilis est, ideo ad malum non adiuvatur à summo bono. Vnde Augustinus lib. 12. de civit. cap. 7. dicebat: *Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis; non enim est efficiens, sed deficiens.* Ad bonũ verò supernaturale, ad quod natura ex se non habet vires sufficientes in genere causæ secũdæ, debet elevari per principium supernaturale, & adiuvari non solum auxilio generali, sed auxilio speciali.

136 Totumque hoc fundatur in ipsa natura rationali, quæ sic instituta est, vt de nullo possit gloriari, quasi non acceperit à Deo, sed totum debeat tribuere ipsi vt Authori principali; & sibi solũ possit tribuere peccata, quæ à Deo non accepit. Hinc Augustinus lib. 11. de genesi ad lit. cap. 5. dicebat: *Nec arbitrandum, quod esset hominem deiecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda, vt per humilitatem peccati, quam de se falso præsumpserit, disceret. Verissimè quippè dictum est*: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. *Et huius fortè hominis vox est in Psalmo*: Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum. *Deinde iam expertus quid mali habeat superba præsumptio propriæ potestatis, & quid boni adiutorium gratia Dei*: Domine, inquit, „ in voluntate tua præstitisti decori meo vir„ tutem, avertisti faciem tuam à me, & factus „ sum conturbatus. Vnde David propria edoctus experientia didicit, quam sit periculosum propijs viribus fidere.

137 Bifariam autem potest intelligi Deum operari in homine iuxta Augustinum actum honestum ratione motionis prę viæ, qua facit vt homo actum illum eliciat; vel quia ratione illius motionis verificatur, voluntatem creatam non agere bonum nisi vt motã à Deo, & vt subordinatam creatori tanquam primo moventi, qui per motionem illam prævium consistentem in aliquo motu vitali cognitionis, non solum movet ex parte obiecti proponendo obiectum quod alliciat, sicut facit Diabolus per suggestionem dum proponit obiectum delectabile inducẽs ad peccandum; sed etiam ex parte subiecti dando vires voluntati, & complendo in actu primo eius virtutem ad operandum; quatenus ipsa non est sufficiens ad bonum nisi quatenus mota ab omnipotẽti bono intimè præsenti, quod per eam motionem applicat voluntatem complendo eius virtutem. Vel quia Deus movet voluntatem ad consentiendum, & facit vt voluntas cooperetur cum ipso, & vt sua omnipotentia concurrat simultaneè per concursum ratione nostra distinctum ab illa actione, quatenus orta à voluntate adhuc vt applicata. Quia nequit Deus velle vt omnipotentia concurrat cum causa secunda nisi ad illum motum, seu effectum, ad quem per motionem prævium potest talem causam applicare, & hoc pacto ad motum aversivum peccati neutro ex ijs modis concurrit iuxta Augustinum; quia neque potest per motionem prævium facere vt voluntas eliciat illum motum; neque potest velle vt omnipotentia concurrat cum causa secunda nisi ad illos effectus ad quos ipse potest illam impellere, & facere vt illos effectus ponat. Ex ijs duobus modis prior videtur sufficere ad salvandam dependentiam causæ secundæ, habentis in genere causæ secundæ sufficientem virtutem, à causa prima. Quia hoc ipso quod agere non possit causa secunda nisi vt mota motione prævia à prima, dependet ab illa, non solum vt dante sibi virtutem & conservante, sed ab illa vt faciente vt operetur; ac proinde dependet in mente in esse & operari, nec aliud videtur exigere Augustinus, nec alterius concursus meminisse, nisi illius, quo Deus facit vt voluntas operetur, & sic faciendo cum illa vere concurrit physicè immediatè.

§. V.

Explicatur iam adiutorium proprium naturæ integræ, vi cuius Adam posset perseverare si vellet; & ostenditur, illum fuisse liberum arbitrium cum concursu generali immediato, quem Pelagius negabat: & quem erga actus bonos Augustinus contra ipsum invicte probavit.

138 SVPPOSITIS Ijs, quæ in hac sectione hucusque dicta sunt, probabiliter dici potest: *Adiutorium sine quo Adam perseverare non potuit* in iusti[tia] originali & gratia, & cum quo p[otuit] verare si vellet, *fuisse ipsam lib*[ertatem]

curalem arbitrij ab omni labe & corruptela immunem, & omnium potentiarum animæ ſinceritatem, & vivacitatem, vt ſupra dicebat Magiſter pag. 416. num. 61. non vt cumque, ſed quatenus libertas illa ſufficienter erat mota per adiutorium primæ cauſæ, conſiſtens in cognitione, qua Deus vt Author naturæ, excitabat voluntatem Adami, illamque impellebat ad obſervationẽ præcepti, paratus cum illo ad eam concurrere: nam vi illius libertas vt ſic motæ, erat in actu primo proximo ad eliciendum actum honeſtum, quo obſervaret præceptum, & obſervando conſervaret in ſe iuſtitiam originalem, & gratiam, & illam derivaret in poſteros. Quamvis enim haberet gratiam habitualem, eius influxus non erat neceſſarius ad præcepti obſervationem, quia in illo fœliciſsimo ſtatu nullam habebat Adamus pugnam carnis adverſus ſpiritum, quæ difficilem redderet obſervationem præcepti, & exigeret concurſum gratiæ ſupernaturalis, vt victoria obtineretur. Vnde licet Deus non contuliſſet illi gratiam habitualem, nec vllum donum ſupernaturale, adhuc eſſet proxime potens obſervare præceptum: quia naturæ humanæ dum eſt innocens, qualis erat natura Adami ante lapſum, debentur vires plenè ſufficientes vt facilè poſsit implere præceptum de re naturali, quale erat præceptum non comedendi de ligno ſcientiæ boni & mali; cuius obſervationi Deus alligaverat conſervationem donorum ſupernaturalium, vt conſtat ex dictis de mente Auguſtini diſput. 4. ſectin. 16. à pag. 383.

139 Hanc expoſitionem colligo ex Auguſtino, quia dum contra Pelagium probat naturam humanam in ſtatu ſanitatis, & integritatis indigere adiutorio Dei ad non peccãdum, ſicut oculi quantumvis ſani indigent luce ad videndum; non loquitur de adiutorio ſupernaturali, neque de adiutorio habituali diſtincto à libero arbitrio & potentijs animę; ſed de adiutorio naturali Dei vt primi motoris ſuperaddito viribus innatis arbitrij, vi cuius Deus paratus eſſet dare Adamo perſeverantiam, & facile vt perſeveraret, ſi per ipſum non ſtaret. Id probatur, quia enim Pelagius dicebat: *Quod non peccare noſtrum ſit; poſſe verò non peccare, non noſtrum, ſicut videre noſtræ poteſtatis eſt, poſſe autem videre non noſtræ poteſtatis eſt, ſed in naturali neceſsitate conſiſtit*: ipſum impugnat his verbis cap. 48. de natura & gratia: *Si de integritate, & ſana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus... nec ſic rectè diceret, quod non peccare noſtrum tantummodo ſit, quamvis peccare noſtrum eſſet: poſſe eſſet adiutorium Dei; & tanquam lumen ſanis oculis, quo adiuti videant ſe præbere volentibus. Quia verò de hac vita diſputat, vbi corpus, quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrenæ inhabitatio ſenſum multa cogitantem, miror quo corde etiam ſine adiutorio medicinæ Saluatoris noſtri, noſtrum putat eſſe non peccare: poſſe verò non peccare naturæ eſſe contendat, quam ſic apparet eſſe vitiatam, vt hoc maioris vitij ſit non videre.* Ex quibus verbis colligitur primò ex mente Auguſtini, hominem exiſtentem in ſtatu integritatis indigere adiutorio generali Dei ad non peccandum, ſicut oculi quantumvis ſani indigent luce ad videndum, quia meritò abſurdum putat quod in vllo ſtatu *non peccare noſtrum tantummodo ſit*, ſiquidem in nullo ſtatu poteſt homo aliquid boni facere, quale eſt abſtinere à peccato, quin Deus illud bonum in ipſo operetur. Colligitur ſecundò, in ſtatu lapſus propter infirmitatem naturæ, neceſſarium eſſe maius adiutorium, nimirum ſpeciale adiutorium gratiæ medicinalis ſanantis infirmitatem naturæ, & per delectationem cœleſtem vincentis delectationem terrenam impellentem ad peccandum, ſicut homo habens infirmos oculos, non ſolum indiget luce ad videndum, ſed indiget remedio ſanante oculorum infirmitatem. Conſtat tertiò, in hoc ſtatu lapſus non ſolum eſſe neceſſariam gratiam medicinalem Chriſti, vt quis actu vitet pecatum, ſed vt poſsit; nam in hoc ſtatu lapſus nemo poteſt vincere gravem tentationem, & vitam tranſigere ſive peccato, niſi adſit gratia dans ſimpliciter poſſe, vt ſupra oſtendimus à pagina 318.

140 Et quod Auguſtinus in eo loco pro ſtatu integritatis, & ſanitatis ſolum requirat adiutorium generale, probatur: nam illud dumtaxat adiutorium requirit, vi cuius verificetur, *quod non peccare non noſtrum tantummodo ſit*, ſed noſtrum & præcipuè Dei facientis vt non peccemus. At vt natura ſana vitet peccatum, & eliciat actum naturalem honeſtum; ita vt hoc non tantum ſit opus hominis, ſed opus Dei, ſufficit adiutorium generale; quia certum eſt hominem in ſtatu integritatis & ſanitatis potuiſſe cum ſolo concurſu generali elicere aliquem actum honeſtũ. At iuxta Auguſtinum, & iuxta veritatem implicat, vt homo faciat bonum, quin Deus faciat vt homo faciat illud bonum; quia implicat vt homo faciat bonum quin Deus tribuat illi vires ad faciendum bonum ex intentione vt faciat bonum & quin Deus vt primus motor illum moveat ad ſic faciendum: vt enim inquit D. Thomas 1. 2. quæſt. 109. num. 1. *Manifeſtum eſt, quod ſicut motus omnes cor-*

corporales reducuntur in motum cœlestis corporis, sicut in primum movens corporale: ita omnes motus, tam corporales, quam spirituales reducuntur ad primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis perfecta ponatur, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo.

140 Quapropter dum Augustinus epist. 106. dicebat: *Natura humana etiam si in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore nō adiuvante servaret.* Et dum in Enchirid. c. 6. aiebat: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi præparatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur.* Dum, inquam, hæc dicebat, de adiutorio per concursum generalem immediatum, quem Pelagius negabat, sine incommodo intelligi potest. Doctores autem communiter intelligunt de adiutorio speciali per gratiam, quia existimant Pelagium non negasse adiutorium generale per concursum immediatum, sed in hoc decepti sunt, vt vidimus.

141 Probatur secundò, quia Augustinus lib. de Bono perse. cap. 7. inquit: *Qui non infertur in tentationem: non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt; fuerat autem in homine ante quam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo accedat ad eum: nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur. Ac per hoc sicut operatur vt accedamus, sic operatur, ne discedamus.* Ergo sentit Augustinus hominem in statu sanitatis potuisse per vires liberi arbitrij cum solo adiutorio generali Dei vt primi motoris non recedere à Deo transgrediendo præceptum, sed permanere in iustitia originali & gratia, illud præceptum observando. Probo consequentiam, quia si homo in illo statu indigeret gratia supernaturali omnino indebita naturæ ad non recedendum à Deo, falsum absolute foret, fuisse tunc in viribus liberi arbitrij, non recedere à Deo: ergo pro illo statu fœliciſsimo sufficiebat adiutorium generale, vt homo posset observare præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni & mali. Rursus cum Augustinus dicat Deū voluisse vt pro hoc statu lapsus, non nisi ad gratiam suam pertineat, quod homo non recedat à Deo per peccatum: satis indicat, quod in statu integritatis non hoc voluit: ergo voluit, vt homo per vires liberi arbitrij cum adiutorio generali haberet in sua plena potestate non recedere à Deo. Rursus ex hoc loco legitimè videtur inferri potuisse Adamum in illo statu fœliciſsimo, in quo nullo pondere concupiscentiæ retardabatur ab amore Dei, per vires liberi arbitrij cum solo concursu generali sine gratia speciali accedere ad Deum vt Authorem naturæ ipsum amando, tum amore concupiscentiæ, tum amore amicitiæ; vt docet Eximius Doctor lib. 3. de Angelis cap. 5. & cap. 11. cum enim Adamus in illo statu haberet cognitionem perfectam Creatoris, à quo cognoscebat se creatum esse in tanta fœlicitate, & cum evidenter sciret Deum esse summum, & vniversale bonum à quo totum suum esse, & omnia sua bona pendebant, proclive erat ipsi Deum amare vt bonum ipsi Angelo; deinde cum ratio naturalis dictaret Deū esse summum bonum supra omnia amabile, natura ipsa inclinabat Angelum vt dilectione naturali plus Deum diligeret quam se; vt probat D. Thomas 1. part. quæst. 29. art. 3. vbi inde impugnat opinionē eorum, qui dixerunt, voluntatem ex inclinatione naturali magis diligere se, quam Deum; quia hinc sequeretur naturam esse malè institutam, & dilectionem eius esse perversam. Adamus ergo naturali cognitione Creatoris instructus potuit in illo fœliciſsimo statu cum solo adiutorio concursus generalis elicere amorem Dei vt Authoris naturæ super omnia.

142 Dices ex P. Decamps lib. 3. cap. 15. in fine, D. Augustinum in verbis nuper citatis ex cap. 6. de Bono perseverantiæ, duo tribuere divinæ gratiæ in hoc statu lapsus, nempe, *accedere ad Deum, & non recedere ab eo*: at in statu innocentiæ posterum tantum, nimirum non *recedere a Deo*, libero arbitrio adscribere: ideoque manifestè significare, Angelos & Adamum non *viribus liberi arbitrij*, sed divinæ gratiæ primo creationis in instanti se ad Deum *convertisse*: quia vt inquit idem Augustinus lib. 12. de civitat. cap. 9. *Prima illa voluntas bona ab illo facta est, à quo & ipsi: simulque vt facti sunt, ei à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt adhæserunt.*

hoc parum vrget: tum quia licet concedamus Adamum, & Angelos in prima creatione accepiſſe à Deo amorem ſupernaturalem Dei ſuper omnia elicitum viribus gratiæ ſpecialis; hoc non probat quod non potuerint amare Deum ſuper omnia vt Authorem naturæ amore elicito viribus arbij cum adiutorio concurſus generalis. Tum quia, quod bona voluntas, cum qua Angeli creati ſunt, facta ſit à Deo, à quo Angeli creati ſunt, hoc non probat illam dilectionem fuiſſe ſupernaturalem, & elicitam viribus gratiæ: ſed ſolum probat contra Pelagium non fuiſſe factam à ſolis Angelis ſine adiutorio & concurſu immediato Dei: non enim ſolum fiunt à Deo actus ſupernaturales, ſed omnis actus naturalis honeſtus; vt enim inquit Auguſt. libro 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 9. *Multa bona facit Deus in homine, quæ non facit homo; nullum tamen bonum facit homo, quod non faciat Deus vt faciat homo*; ſolaque peccata non fiunt à Deo, neque illa à Deo accipit homo. Nihilque refert, quod Auguſtinus in eo loco ſolum dicat, fuiſſe pro ſtatu naturæ integræ in viribus liberi arbitrij non recedere à Deo: id enim ideo fuit, quia in antecedentibus Auguſtinus probaverat, non poſſe hominem abſtinere à peccato in hoc ſtatu lapſus ſine adiutorio gratiæ ſpecialis. Cæterum dum hoc dixit, etiam virtualiter ſignificavit, pro ſtatu innocentiæ fuiſſe in viribus arbitrij accedere ad Deum per actus honeſtos virtutum. Neque cum fundamento dici poteſt, hominem in ſtatu innocentiæ potuiſſe per vires liberi arbitrij abſtinere à peccato, & non potuiſſe accedere ad Deum per honeſta exercitia virtutum.

143 Satisque indicant verba Auguſtini, bonos Angelos per liberum arbitrium cum ſolo adiutorio generalis concurſus in veritate ſtetiſſe; ſicut mali Angeli per liberum arbitrium ceciderunt. Nam ſicut in ſententia Auguſtini liberum arbitrium ſe ſolo ſufficit ad malum; ita pro ſtatu innocentiæ cum adiutorio generali Creatoris ſufficit ad bonum; quamvis pro ſtatu lapſus indigeat ſpeciali adiutorio gratiæ medicinalis Chriſti ob infirmitatem naturæ, & rebellionem concupiſcentiæ. Neque enim Auguſtinus vnquam libero arbitrio eas vires tribuit ad bonum, quas tribuit ad malum; nam *ad malum* ſe ſolo *ſufficit* pro omni ſtatu viæ; *ad bonum autem parum eſt niſi adiuvetur ab omnipotente bono*, vt ipſe ait cap. 11. de correptione & gratia, & ſæpè repetit; vt vidimus ſuprà §. 2. huius ſectionis. Et quod dixerat ad cap. 7. de Bono perſeverantiæ, dixerat prius cap. 10. de correptione & gratia, propè finem, & cap. 11. poſt medium, vt patet ex eius verbis exſcriptis pag. 393. n. 5. & pag. 199. n. 19.

144 Sed occurrit ſtatim difficultas, quia Angeli boni permanendo in bono, & ſtando in veritate meruerunt æternam fœlicitatem, vt patet ex verbis Auguſtini: non poteſt autem liberum arbitrium per vires proprias ſine adiutorio gratiæ ſupernaturalis elicere actum meritorium vitæ æternæ. Sed quamquam hoc argumentum ſit valde veriſimile ad probandum adiutorium, quod acceperunt mali Angeli ad perſeverandum ſi vellent, & per quod boni Angeli defacto perſeverare voluerunt, incluſiſſe gratiam habitualem vt principium influens effective in illam perſeverantiam. Tamen probabiliter dici poteſt, neque gratiam habitualem, neque vllum principium intrinſece ſupernaturale influxum præſtitiſſe in actos honeſtos, quo boni Angeli perſeverarunt: quia licet iuxta Auguſtinum diſputantem contra Pelagium impoſsibile ſit vllum bonum meritum, quod non procedat immediatè à Deo, & ſit ab illo vt Authore faciente, vt homo habeat illud bonum meritum; tamen non eſt neceſſe in principijs Auguſtini vt omne bonum meritum, quod defacto recompenſatur præmio vitæ æternæ, ſit intrinſece, & quoad ſubſtantiam ſupernaturale; ſed ſatis erit, quod ſit extrinſece, & quoadmodum ſupernaturale, quia nimirum elicitur ab homine iuſto, & quod fiat ab homine cum adiutorio generali Dei, & à Deo liberaliter & providentia ſupernaturali ordinetur ad præmium gloriæ. Tum, quia vt dixi in hanc diſputatione pag. 418. numero 66. graves Authores affirmant actus virtutum moralium elicitos ab homine iuſto, mereri de condigno vitam æternam, quamvis ſint quoad ſubſtantiam naturales, & quamvis non referantur ad Deum per imperium alicuius virtutis ſupernaturalis. Tum, quia vt inquit Pater Antonius Perez diſput. 1. de providentia Dei cap. 5. quæſtione 10. numero 87. pag. 387. *Omne opus bonum morale eſt gratia Dei extrinſece. Ratio eſt manifeſta: omnia enim pendent ex illa voluntate diuina, qua voluit omnes homines ſaluos fieri: omnes igitur effectus huius vniuerſi pendent à prouidentia ſupernaturali Dei, quæ prouidentia finem ſupernaturalem habet, effectuſque illius neceſſario afferunt aliquam vtilitatem ſupernaturalem electis: ergo ſunt beneficium diuinum, non ſolum naturale, ſed ſupernaturale, non quidem ita vt omnes effectus huius pro-*

providentiæ sint supernaturales quoad substantiam, sed quia propter ordinationem extrinsecam ad bona supernaturalia vocari debent beneficia supernaturalia. Hæc doctrina à pluribus Theologis defenditur, & videtur esse omnium fidelium, qui omnia tribuunt gratiæ Dei. Hucusque subtilis iste Author.

145 Conformiter autem ad hanc doctrinam potest probabiliter dici, Deum condidisse Angelos in gratia, & illos ordinasse in vitam æternam; vt autem ostenderet quid in eis posset liberum arbitrium, imposuisse illis præceptum naturale eliciendi actum naturalem moraliter honestum, & dedisse omnibus adiutorium sufficiens, quo facilè possent elicere illos actus, quibus perseverarent brevi tempore viæ suæ in gratia acceptæ, cum promissione, vel saltem decreto dandi illis æternam fœlicitatem, si brevi illo tempore perseverarent in eius amore, & timore; hoc autem adiutorium erat eorum liberum arbitrium sufficientissima cognitionem instructum, & motum motione generali complente arbitrium in ratione proximè potentis perseverare, vi cuius Deus erat paratus dare illis illam perseverantiam, illos adiuvando immediate ad elicientiam actuum honestorum observandi præceptum; si per ipsos non staret. Hoc adiutorio vsi sunt boni Angeli, & observarunt præceptum; mali autem noluerunt vti hoc adiutorio, sed per suum arbitrium sine Dei adiutorio, & quin Deus faceret vt illi elicerent actum peccati, à Deo aversi sunt, & ceciderunt. Atque ita boni & à Deo acceperunt perseverantiam per adiutorium generale, & per vires liberi arbitrij steterunt, quia non indiguerunt speciali adiutorio gratiæ ad observandum præceptum in tanta facilitate operandi, & pro tam brevi tempore. Mali verò ex seipsis ceciderunt, quia liberum arbitrium per se ad malum sufficit, *ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab omipotenti bono*; ac proinde actum peccati, & motum illum aversivum ex seipsis habuerunt, & à Deo non acceperunt. Vt enim ait Augustinus lib. 2. *De Baptismo parvulorum: malam voluntatem non vtique habemus ex Deo.* Et vt ait lib. 5. de civitate cap. 9. *Malæ voluntates à Deo non sunt.*

146 Et hanc doctrinam colligo ex Augustino cap. 10. de correptione & gratia, ad medium, vbi ait: *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.* Quia nimirum cum homine primo pro statu innocentiæ, & cum Angelis vsus est quadam providentia communi, quia ita omnes ordinavit ad gloriam per infusionem gratiæ, vt neque Adamum, neque Angelos elegerit ad perseverandum in iustitia accepta, neque vllum Angelorum efficaciter elegerit ad gloriam ante prævisa merita; sed decrevit dare Adamo, & Angelis adiutorium ad perseverandum si vellent, id committendo eorum arbitrio, vt vel per adiutorium perseveraret, vel se solo caderet, si nollet vti adiutorio sibi dato. Habuitque solum antecedentem voluntatem, conservandi in Adamo iustitiam originalem, & derivandi in posteros, si observaret præceptum; & habuit voluntatem transferendi ad æternam felicitatem Angelos omnes, qui brevi illa mora perseverarent; reliquos verò omnes detrudendi in infernum. At verò postquam Adamus cecidit, & posteros omnes suo peccato infecit, propter merita Christi certum hominum numerum à massa perditionis discrevit, & ante eorum prævisa merita illos ad Regnum Cœlorum efficaciter elegit in sententia Augustini; vt latè ostendit Pater Petavius tomo 1. Theologicorum Dogmatic. de Deo libro 9. à cap. 7. & iterum libro 10. & his decrevit dare potentiora gratiæ auxilia, quibus rebellionem carnis, & omnes mundi illecebras vincerent, & sic infallibiliter in gratia finirent vitam.

147 Præterea hanc fuisse Augustini sententiam colligo ex Authore Hyponosticon, qui fuit fidelissimus eius discipulus, & in eis sex libris, quos contra Pelagianos, & Celestinianos composuit, in compendium redegit Sancti Doctoris doctrinam contra hos Hæreticos, & ideo meruit vt hoc opus inter opera Augustini habeatur. Hic namque Author in tertio libro, in quo impugnat errorem Pelagij, quatenus nimiũ tribuebat liber. arbitr. sic habet initio: *Iterum posse dicunt* (Pelagiani) *hominem per liberum arbitrium, tanquam per se sibi sufficientem, implere quod velit, vel etiam meritis operum à Deo gratiam vnicuique dari. Respondemus: Neminem posse per se sibi, id est per liberũ arbitrium sufficere implere quod velit, rectè dicimus nisi protoplastũ solum potuisse, cum voluntas liberi arbitrij fuisset sana eidem ante culpam.* Et postea non multo inferius: *Ideo liberum arbitrium dictum quod in sua positum sit potestate habens agendi quod velit possibilitatem, sed huiusmodi, vt ante iam dixi, fuit in homine protoplasto, cum ante peccatũ maneret illæsus. Nõ enim per aliud contraxit offensam, nisi per id, quo ne delinqueret resistere suadenti*

ergo malum rectè perdidit poſſe bonum, qui per poſſe bonum potuit vincere velle malum. Sentit ergo hominem primum in illo ſtatu fœliciſsimo, & ſuppoſita rectitudine naturali & ſuppoſito adiutorio generali potuiſſe obſervare præceptum, quia eius natura erat ſana; & habebat facilitatem operandi bonũ & æquilibrium arbitrium ad benè vel malè operandum. Quia verò per primum hominis peccatum natura vulnerata eſt, & manſit infirma; iam ſeclusa ſpeciali adiutorio gratię per Chriſtum eſt abſolute impotens obſervare legem, & elicere opera ſalutaria, imo opera bona moraliter, præſertim in materia difficili, & vincere tentationes, præſertim graves; non quia careat potentia phyſica antecedenti ad reſiſtendum tentationibus; (ſi enim illa potentia careret, non peccaret ſuccumbendo eiuſdem tentationibus, vt manifeſtè probavimus ſæpè ex ipſo Auguſtino) ſed quia caret potentia conſequenti: illa namque potentia antecedens ad vincendas tentationes eſt coniuncta cum tali difficultate vincendi, vt Deus videat nunquam reipſa obtenturam victoriam cum ſolo concurſu generali, niſi adiuvetur alio ſpecialiori auxilio gratiæ per Chriſtum. Vnde quamvis Adamus per velle malum perdiderit bonum poſſe, nimirum illud poſſe promptum, facile, & expeditum, quo ſine difficultate vlla poſſet elicere obſervationem præcepti; & in hoc ſenſu perdiderit liberum arbitrium; tamen non perdidit omne poſſe, nec arbitrium in eo eſt extinctum, ſed manſit ideo debilitatum, vt indegeat ſpeciali adiutorio gratiæ per Chriſtum ad ipſa opera honeſta moralia; quæ in ſtatu naturæ integræ poſſet facilè elicere cum ſolo adiutorio generali, & non ſolum ad opera honeſta ardua, ſed ad omnia, vt ſupra vidimus diſp. 4. ſect. 17. à pag. 388. perſpicuis Auguſtini teſtimonijs.

148 Idque Author Hyponoſticon libro illo tertio, loco iam citato docet ijs verbis: *Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere: ſed tantum in operibus vitæ præſentis, tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur; id eſt velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere indumentum, velle fabricare domum, vxorem velle ducere; artem diſcere diuerſarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præſentem pertinet vitam, quæ omnia non ſine diuino gubernio ſubſiſtunt, immo ex ipſo, & per ipſum ſunt, vel eſſe cæperunt. Mala verò dico, vt velle idolum colere, velle homicidium, velle adulterium facere, res alienas velle diripere, &c. Sed iſta non pertinent ad ſubſtantiam vitæ præſentis, quia non ſunt à Deo, immo malè deſiderata maculant vitam, quæ eſt à Deo. Iſta ſunt zizania animæ, carniſque, quæ inimicus homo, id eſt Diabolus dormitante Adam, Dei videlicet præceptum non conſervante, in liberum ſeminavit arbitrium, in quibus procliuior & paratior eſt, quam in proſperis vulnerata, & depravata voluntas. Iſta ſunt Diaboli opera, quæ Chriſtus Dei Patris Verbum, quod eſt gladius bis acutus, in hunc mundum veniens ex Virgine natus, de credentium libero arbitrio gratuita ſua gratia amputat, idoneam in eiſdem ad credendum præparans voluntatem, per quam poſſint, tam Dei Patris, quam ſuam Sanctique Spiritus peragere voluntatem.* Docet ergo manifeſtè Author ille, liberum arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ ſufficere quidem ad opera naturalia naturæ convenientia cum ſolo concurſu generali; ad peccata verò ſufficere ſe ſolo ſine Dei adiutorio: ad opera verò moraliter honeſta evitandi peccata, & faciendi Dei voluntatem indigere ſpeciali adiutorio gratiæ per Chriſtum.

149 Quando autem Auguſtinus gratiam appellat adiutorium illud, quo Sancti Angeli in bono ſteterunt, vtitur nomine gratiæ in largiori acceptione; & ſolum ſignificat, Angelos non ſolum accepiſſe à Deo liberum arbitrium, per quod poſſent perſeverare ſi vellent, ſed ipſammet perſeverantiam, quam Deus in ipſis operatus eſt, per adiutorium diſtinctum à ſubſtantia liberi arbitrij, & ab illa ſeparabile, per quod Deus liberum arbitrium movit vt motor vniverſalis, & fecit vt facerent Angeli bonam voluntatem perſeverandi, & cum ipſis intimè cooperatus eſt; quod Adiutorium Pelagius negavit: iſtud tamen adiutorium licet eſſet ſupernaturale quoadmodum, quia nimirum pro priori ſupponebantur Angeli elevati ad finem ſupernaturalem, & Deus hoc adiutorium dedit ex ſincero deſiderio, vt Angeli obſervando præceptum naturale conſequerentur finem ſupernaturalem; tamen in ſua ſubſtantia erat naturale, & proportionatum viribus naturalibus arbitrij.

Quæ diximus in hac lectione circa mentem D. Auguſtini, validè confirmantur authoritate D. Thomæ, qui fideliſsimus eſt Auguſtini interpres. Inquirit S. Doctor 1. 2. q. 109. art. 8. *Virum homo ſine gratia poſsit non peccare*; id eſt an ſine gratia habituali poſsit homo

homo se immunem conservare à novis peccatis mortalibus. Et postquam in argumento, *sed contra* attulit authoritatem Augustini dicentis in libro de perfectione iustitiæ: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium; sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatẽ: ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandũ esse non dubito.* Postquam, inquam, hanc authoritatẽ attulit, immediate subiungit in corpore articuli: *Dicendum quod de homine dupliciter loqui possumus: uno modo secundum statum naturæ integræ: alio modo secundũ statũ naturæ corruptæ. Secundum statum quidem naturæ integræ etiam sine gratia habituali* (& consequenter à fortiori sine speciali auxilio gratiæ actualis auxiliantis) *poterat homo non peccare mortaliter, neque venialiter: quia peccare nihil aliud est, quam recedere ab eo, quod est secundum naturam, quod vitare homo poterat in statu natuеæ integræ: non tamen hoc poterat sine auxilio Dei in bono conservantis: quo subtracto etiam ipsa natura in nihilum recideret. In statu autem naturæ corruptæ, &c.*

Ergo iuxta Divum Thomam in statu naturæ integræ solum indigebat homo auxilio Dei generali, seu concursu generali ad hoc vt vitaret peccatum. Vnde sicut in illo statu cum solo concursu Dei generali potuit elicere primo amorem Dei, ita cum solo illo concursu potuit perseverare in illo amore toto tẽpore, quod fuit necessariũ ad non comedendum de ligno vetito contra Dei præceptum. Ille autem concursus generalis, non solũ debebat esse concursus, quo Deus se solo conservabat naturam Adami, ne recideret in nihilũ; sed concursus generalis, quem Deus defacto dedit Adamo ad eliciendum amorem Creatoris, & quem obtulit ad conservandũ diu illum amorem, si Adamus vellet abstinere à peccato, & permanere in amore Creatoris. In statu autem naturæ lapsæ non sufficit concursus ille generalis, sed est necessaria specialis gratia per Christũ; vt enim inquit Caietanus in Comment. illius articuli §. *Ad evidentiam. Potentia propinqua vitandi omne malum culpæ*, reperta in Adamo pro statu naturæ integræ, *Ex duobus constabat, scilicet ex vigore rationis, & subiectionis simpliciter voluntatis ad Deũ. Perdito autem per originale peccatum rationis vigore, amissa est simul potentia vitandi omne peccatum actuale.*

DISPVTATIO SEXTA.

AN IMMVNITAS AB IGNORANTIA, CVI POST PECCATVM NASCIMVR OBNOXII, FVERIT NATVRALIS ET DEBITA NATVRÆ INNOCENTI?

SECTIO PRIMA.

Quibusdam præmissis circa statum innocentiæ, proponitur sententia Iansenij.

1 SVPPONENDVM Est tanquam res inter Scholasticos certa cum D. Thom. 1. 2. quæst. 85. art. 3. posteros Adæ per originale peccatum inter alias miserias contraxisse vulnus ignorãtiæ & erroris. Quia verò privatio cognoscitur per habitum, supponendum est secundo, humanam naturam in primo innocentiæ statu, non solum illustratam fuisse scientia iuris naturalis, sed etiam iuris divini, & omnium rerum naturalium perfecta notitia, quin vlla in re potuerit in illo fœliciori statu error contingere: sicut enim ille fœliciſsimus status fuit immunis ab omnibus malis corporeis; ita ab omni malo intellectuali, vt probat P. Suarez lib. 3. de statu innocent. cap. 9.

2 Redditque rationem D. Thom. 1. p. quæst. 94. art. 3. nam secundum ordinem naturalem perfectum præcedit imperfectum, sicut & actus potentiam, *Et quia res primitus à Deo institutæ sunt, non solum [illegible] esse, sed ipsis esse[nt], sed etiam vt esse[nt] accere[illegible]*

principium; ideo productæ ſunt in ſtatu perfecto, in quo poſſent eſſe principia aliorum: homo autem poteſt eſſe principium alterius, non ſolum per generationem corporalem, ſed etiam per inſtructionem, & gubernationem: & ideo ſicut primus homo inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantum ad corpus, vt ſtatim poſſet generare, ita etiam inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantum ad animam, vt ſtatim poſſet alios inſtruere, & gubernare; non poteſt autem aliquis inſtruere niſi habeat ſcientiam: & ideo primus homo ſic inſtitutus eſt a Deo, vt haberet omnium ſcientiam, in quibus homo natus eſt inſtrui. Et hæc ſunt omnia illa, quæ virtualiter exiſtunt in primis principijs per ſe notis, quæcumque ſcilicet homines naturaliter cognoſcere poſſunt: ad gubernationem autem vitæ propriæ, & aliorum, non ſolum requiritur cognitio eorum, quæ naturaliter ſciri poſſunt, ſed etiam cognitio eorum, quæ naturalem cognitionem excedunt, eo quod vita hominis ordinatum ad quendam finem ſupernaturalem, ſicut nobis ad gubernationem vitæ noſtræ neceſſarium eſt cognoſcere quæ fidei ſunt.

3 *Vnde & de his ſupernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quãta erat neceſſaria ad gubernationẽ vitæ humanæ ſecundũ ſtatũ illũ. Alia verò, quæ naturali hominis ſtudio cognoſci poſſunt, nec ſunt neceſſaria ad gubernationẽ vitæ humanæ, primus homo non cognovit: ſicut ſunt cogitationes hominum, futura contingẽtia, & quædam ſingularia v.g. quot lapilli iaceant in flumine, & alia huiuſmodi. Habuit autẽ primus homo ſcientiam omnium per ſpecies infuſas à Deo; nec tamen illa ſcientia fuit alterius rationis à ſcientia noſtra, ſicut neque oculi, quos cæco nato Chriſtus dedit, fuerunt alterius rationis ab oculis, quos natura produxit.*

4 Quamvis autem Adam habuerit ab initio omnium rerum ſcientiam; non idcirco pueri in ſtatu innocentiæ naſcerentur perfecti in ſcientia, ſed etiã proceſſu temporis abſque difficultate acquirerent *inveniẽdo, vel addiſcendo* vt inquit D. Thom. 1.p.q.101. a.1. Vt autem cum Pereyra docet Suar. lib.5. de opere ſex dier. c.8 filij Adæ haberẽt in ſtatu innocẽtiæ multa adiumenta, quibus brevi, & ſine labore ad ſcientiæ perfectionẽ pervenirent: potiſſima verò eſſent in primis immotalitas, & impaſſibilitas corporis, ex qua perpetua valetudo ſenſuum internorum, & externorum integritas, & firmitas virium provenirẽt. His ac-



per eſſet a ſtatu non eſſet neceſſarius corporũ cultus, aut veſtitus, nec eſſet appetitus immõderatus diuitiarũ, nam pauca eſſent ad victum neceſſaria, & illa cum ſumma facilitate obtineri poſſent. Victus etiam, & conſequenter ſomnus eſſet moderatiſsimus. Vnde fieret, vt ferè totum vitæ tempus poſſent in primis in contemplatione rerum divinarum, & deinde naturalium rerum cognitione, & ſpeculatione conſumere.

5 Præterea ex parte obiectorum haberet maximam opportunitatem ad rerum naturas inquirendas; quia & animalia illis ad nutum obedirent, & in Paradyſo haberent omnia hervarum genera, & ſic facilè poſſent earum virtutem rimari, & experiri. Deinde ſcientias non per ſolam experientiam addiſcerent, ſed per doctrinam à Parentibus acceptam. Adam namque à Deo immediatè inſtructus, filios ſuos quoad fieri poſſet ſui ſimilis in ſcientia redderet, & hi in filios ſuos eandem ſapientiam derivarent. Iuvarentur denique Angelico miniſterio, & ſingulari Dei providentia.

6 Addit Pereyra habituros fuiſſe tunc homines admirabilẽ ingenij, memoriæ, & iudicij excellẽtiam, & incredibilem ſciendi cupiditatẽ, quibus maximè ad obtinendam ſcientiam iuvarentur. Vnde omnes poſſent in vnaquaque ætate habere ſcientiam illi ætati convenientem, & quaſi debitã; ideoque nunquam eſſent propriè ignorantes: & vt inquit Suarez: *Quamvis multa non poſſent evidenter cognoſcere, nõ eſſet illa imperfectio priuatiua, ſed negatiua: quia non vt Angeli, ſed vt homines in corpore animali viuentes, in ſcientia perfecti eſſe debuiſſent. Et quamvis noſſent, quæ per opinionẽ cognoſci poſſunt, nunquam periculo deceptionis exponerentur, quia non opinando aſſentirent, ſed quod ea opinabilia eſſent, certo iudicarent. Nam* (vt inquit Auguſt. lib. 3. de liber. arb. c.18.) *approbare falſa pro veris, & incerta pro certis, vt erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed damnati.*

7 His ſuppoſitis, Ianſenius tomo 2. lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. affirmat, ignorantiam, etiam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt invincibilẽ, non carere peccato, idq; vt *dogma fidei ab antiquis traditum, & contrariũ ſolemne Pelagianorum dogma fuiſſe.* Deinde cap. 5. vt mentem ſuam clarius exponat, dicit, ignorantiam invincibilem duplicem eſſe poſſe, vnam facti, alteram iuris: hanc rurſus duplicem eſſe, vnam iuris poſitivi, alteram iuris naturalis: fateturque ignorantiam invincibilem facti, atque etiam iuris poſitivi excusare à peccato, ſecus autem iuris naturalis.

Vnde

Vnde ſi quis rixetur cum homine, à quo genitus eſt, illumque graviter percutiat, vel occidat, invincibiliter ignorans eum eſſe patrem ſuum, non erit reus parricidij; ſimiliter ſi Catholicus invincibiliter ignorans tali die carnes eſſe ab Eccleſia prohibitas, carnes comedat, non peccabit. Et vt exemplum adducam ignorantiæ iuris poſitivi divini iuxta ipſum excuſantis à culpa: non audiſſe Evãgelium Chriſti, ſatis eſt, vt excuſationem habeant de ſua incredulitate Iudæi, vt inquit Iãſenius lib. 9. de Gratia Chriſti cap. 3. At verò ſi Vir bonus, & ineruditus deceptus apparenti ratione, & alicuius viri eruditi conſilio exiſtimet per invincibilem ignorantiam, aliquando licitum eſſe mentiri; & vi huius ignorantiæ mentiatur, minimè mentiturus, ſi ſuſpicaretur id eſſe illicitum; ex ſententia Ianſenij iſte peccat, & reus eſt pœnæ.

8 Huius differentiæ rationem hanc „ reddit cap. 6. tanquam radicem arcanæ hu„ ius doctrinæ, quia ſcientia iuris naturalis „ humanæ naturæ connaturalis eſt, illique „ connaturaliter debita, eaque fuiſſent omnes „ inſtructi in ſtatu innocentiæ, ideoque eius „ ignoratio eſt vitioſa, nec potuit niſi in pœ„ nam peccati infligi. Secus autem cognitio „ factorum, aut iuris poſitivi etiam divini: lex „ enim Dei poſitiva ab ipſius libera voluntate „ dependet, quæ tot ac tales leges, eoque tem„ pore, & loco, & occaſione ferre poteſt, „ quot abſconditæ eius providentiæ, & conſi„ lio viſum fuerit. Et idcirco eius ſcientia „ neque Angelicæ, neque humanæ naturæ con„ naturalis eſt: facta verò quia ſingularia ſunt, „ ſine fine variari poſſunt: neque naturalem „ rationem eorum cognitio ita naturaliter „ perficit ſicut veritatum illarum practicarum „ quæ iuræ naturæ continetur. Vnde neque in „ ſtatu innocentiæ factorum omnium, & ac„ cidentium ſingularium primi homines cog„ nitionem habuerunt, vt ex colloquio ſer„ pentis cum muliere, & mulieris cum marito „ evidenter colligi poteſt.

9 Ita ſententiam Ianſenij proponit ex eius ſcriptis P. Martinon in Anti-Ianſenio diſp. 16. ſect. 2. quam doctrinam accepit Ianſenius à Luthero, qui in Geneſ. cap. 12. ita ſcribit: *Scholaſtici invincibilem ignorantiam dixerunt excuſſabilem, quæ ſimpliciter à toto excuſſet, ſic enim loquuntur, id eſt, peccatum prorſus tollat. Hoc ſi ſtatuamus verum eſſe, ſequitur etiam ſine Chriſto homines ſalvari, ſi faciant quod in ſe eſt. Tanta cæcitas eſt in Papæ Scholis, & Eccleſijs.* Et ibidem: *An non vides hic falſam eſſe iſtam celebrem Scholaſticorum ſententiam de ignorantia invincibili excuſante à toto. Quiſquis invincibilẽ hanc ignorantiam excuſationem mereri ſtatuit, evertit Scripturam Sacram, &c.* Accepit etiam à Calvino, qui ſcribens in caput 12. Lucæ, Catholicos quodammodo irridens, inquit: *Quaſi verò ad repellendum Dei iudicium ſufficiat ignorantiæ clypeus, &c.* Et inſtitutionis cap. 2. num. 44. impreſſ. Genev. 1550. *Eorum eſt repudianda opinio, qui conſultam malitiam, & pravitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt. Nimirum enim experimur quoties labamur cum noſtra bona intentione.* Denique Ianſen. accepit hanc doctrinã ab Hieronym. Zanchio Lutheri partim, & partim Calvini ſectatore, qui in tractatu Theologico lib. 1. cap. 12. de ignoratione Dei, poſt longam de hac re diſputationem ſic concludit: *Summa: omnis ignorantia eorum, quæ quis ſcire tenetur, peccatum eſt:* quia pugnat *cum lege, qua iubemur illa cognoſcere, ſiue ea cognoſcere iam poſsis, ſiue non. Quod enim iam non poſsis, peccato Adæ, quod & tuum eſt, quia in eo omnes peccaverunt, factum eſt. Quare falluntur Scholaſtici, qui talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo à peccato excuſant, quia invincibilis eſt, vt loquuntur: quamquã evincere etiam poſſumus, eam non eſſe ſimpliciter invincibilem, cum voluntarium Adæ peccatum ſit conſequuta.*

SECTIO SECVNDA.

Quam communis ſit hoc tempore in Lovanienſi Academia doctrina Ianſenij de ignorantia invincibili iuris naturæ non excuſante: Vbi quomodo Inquiſitio Hiſpanica, & Romana confixerint quedam opera Gummari Huygens, & Ægidij Gabrielis.

10 GVMMARVS Huygens in dictatis publicis quæſt. 19. art. 9. obſervat. 14. apud Vlicum Ionſon in opuſculo de ignorantia pag. 67. teſtatur, ſententiam de ignorantia involuntaria, ſeu invincibili iuris naturalis non excuſante, eſſe hodie communem in Schola Lovanienſi. *Quod eiuſdem cum Auguſtino ſententiæ hodie ſit Schola Lovanienſis, tam eſt evidens* (inquit) *vt neminem latere poſsit.* Falſo tamen dicit Academiam Lovanienſem quoad hoc ſentire cum Auguſtino Hipponenſi; veriſsime diceret cum *Auguſtino Iprenſi.* Et merito addidit *hodie*; nam ante Ianſenium & Baium, Academia Lovanienſis Doctores ſemper docuerunt, omnem ignorantiam invincibilem [illegible] omnino involuntariam operanti [illegible] facere

cuſare à culpa, ſive ſit iuris poſitivi, ſive iuris naturalis, vt palam facit Guillelmus le Mayre in ſtatera Saulis ex Regis ſect. 2. cap. 3. §. 2. in medium proferendo expreſſa verba inſignium Theologorum Lovanienſium, videlicet Adriani, Ruardi Taperi, Ioannis Beers, Ioannis Molani, Ioannis Vvigueri, Ioannis Malderi, Guillelmi Merceri, Gudſcalci Roſemondi, Ioannis Heleſij, & Thomæ Leonardi.

11 Si autem deſideras ſcire, quinam ſit Author Gummarus Huygens, reſpondeat *Specimen doctrinæ Theologicæ, per Belgiũ manantis ex Academia Lovanienſi digeſtam per Theologos Belgas fidei Orthodoxæ, & Apoſtolicarum conſtitutionum ſtudioſos* part. 4. cap. 25. vbi inquit: *Gummarũ Huygens S. T. D. cum nominari audis, Lector, ſic accipere te oportet ac ſi nominati eſſent multi & Doctores, & Academici Lovanienſes omnis generis, multorum inſtar ille habet, quod ille profert certum habet plauſum Lovanij apud ſummos, infimoſque.* Eſt autem Gummarus Ianſenij Sectator ſtudioſiſimus, vt oſtendunt tria egregia opuſcula contra ipſum edita anno 1681. & 1682. primum à Gerardo vanViane ſub hoc titulo: *Doctrina nova de libertate Eximij Domini Gummari Huygens, &c. in quo invictiſſime, vt mihi quidem apparet* (inquit Vlicus Ionſon in proœmio libelli de ignorantia) *demõſtratur doctrinam eius de libertate a Doctrina Ianſenij, Caluini, & Lutheri nihil admodum diſcrepare, niſi forte verbo tenus; re verò ipſa eſſe eandem, niſi quod in quibuſdam illos ipſos ſuperaverit, ea docens, quæ ipſi docere non ſunt auſi.* Secundum editum eſt ab Vlico Ionſon ſub hoc titulo: *Doctrina nova, ac mira de ignorantia Eximij Domini Gummari Huygens.* Tertium ab eodem Authore ſub hoc titulo: *Doctrina mira, ac nova, & an vera? Circa materias varias, deprompta ex Compendio Theologiæ Eximij Domini Gũmari Huygens cum digreſſione ad doctrinam Eximij Domini Franciſci vanVianen.* Qui hæc tria opuſcula legerit (quæ mihi videntur eſſe eiuſdem ingenij fœtus, ſicut & aliud præclarum opuſculum, cui titulus: *Scrupuli novi, & antiqui ex doctrina ſpeciminum moralium P. Fr. Gabrielis Leodienſis oborti Cornelio Zegers*; nam ſubtilis, acumen ingenij, facilitas res difficiles paucis explicandi, & dexteritas aggrediendi Adverſarios, id ſatis oſtendunt) clarè deprehendet quam merito Sacra & Apoſtolica Inquiſitiõ Hiſpana die 28. Auguſti anno 1682. cõfixerit *Methodum remittendi, & retinendi peccata* Gummari Huygens, *tanquam* [illegible] *eſſet alias propoſitiones temerarias, & doctrinam, quæ poſſet fideles abſtrahere à ſuſcipiendo, & Sacerdotes ab adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ.* Quam confixionem & cenſuram ægrè admodum tulerunt ipſe Gummarus, & alij Doctores Lovanienſes Ianſenianæ factionis.

12 Neque mirum: nam vt ſcribunt Authores *ſpecminis Theologiæ per Belgium manantis* part. 2. cap. 5. *Tanto plauſu, & gratulatione Academicorum Lovanienſium, cum Lovanij, tum Belgio toto acceptus eſt liber ille, ita ſumpſerunt tuendum in actibus Scholaſticis, ſacris contionibus, aliiſque conventibus publicis, & priuatis, vt non ſit obſcurum, communibus ſuffragijs approbatum eſſe, ſi non & opera plurium elaboratum.* Vnde in confixione huius libri, non privata tantum vnius Doctoris ſenſa, ſed communis ſententia Theologorum Ianſenianæ factionis damnata videntur ab Inquiſitione Hiſpanica; præſertim ſentẽtia Franciſci vanVianen Sacræ Theologiæ Doctoris, & in facultate ſtricta Collegæ, qui die 3. Ianuarij anno 1676. pro Methodo Gummari Huygens hanc poſuit Theſim: *In ſolem ſanè obliqui deprehenduntur, qui obſtrepunt doctrinæ Sancti Caroli, quam vt brevitatis cauſa hic propugnemus, Methodum remittendi, & retinendi peccata ex inſtructione Paſtorali deductam habemus velut expreſſam.*

13 In illo etiam edicto Inquiſitionis Hiſpanicę virtualiter damnata videtur doctrina Ægidij Gabrielis Theologiæ Profeſſoris magni nominis inter Lovanienſes Alumnos: nam anno poſt editam Methodum à Gũmaro Huygens, hoc eſt 1675. edidit ipſe librum illum, cui titulus: *Moralis Chriſtiana, & moralis Diabolica*, in quo evexit cõfidentius doctrinam illam de pœnitẽtia, propter quam confixa eſt *Methodus Gummariana*. Ingenti cum plauſu exceperunt hunc librum Baio Ianſeniſtæ; ſed poſt modum ab Inquiſitione Romana proſcriptus eſt; Author autem libri Romam evocatus, vix tandem poſt longam tergiverſationem, illo ſe contulit, ac multa ſubmiſſione Eminentiſſimos Dominos placavit: librum verò corrigere iuſſus, id quaqua ratione præſtitit. Is autem correctus, atque à deſignato Theologo relectus, oblatus eſt Magiſtro Sacri Palatij. Hic reviſoris fide, & authoritate fretus (quod proteſtatus eſt non ſemel) librum, vt accepit, probavit, nihil ſuſpicatus mali, tunc quidem, & permiſit, vt imprimeretur Romæ anno 1680. ſub hoc titulo: *Specimina moralia P. Fr. Ægidij Gabrielis Leodienſis in Alma Vniverſitate Lovanienſi S. T. Licentiati, &c.* Verum adhuc in hac ſecunda editione tam abſurdas de-

pre-

prehendit propoſitiones Cornelius Zegers in aureo illo opuſculo, cui titulus: *Scrupuli novi, & antiqui ex lectione ſpeciminum moralium P. F. Ægidij Gabrielis*, vt eruditiſsimus P.F.Patricius DuffiusOrdinis S.Frãciſci, & in Acad.Lovaniẽſi ſacræ Theologiæ Lector in ſua *Theologia Baio-Iãſeniana*, ſeu in *Elenco propoſitionum, quibus potiſsimũ in Belgio offenſiones, & ſcandala oriuntur*, meritò annotavit multas propoſitiones contentas in ſpeciminibus moralibus Ægidij Gabrielis, vt eas defferret ad Sedem Apoſtolicam, ad quam miſſus eſt à Rege noſtro Carolo II. ann. 1681. vt propoſitiones quaſdam Baio-Ianſenianas à Gummaro Huygens, Franciſco van Vianen, Ægidio Gabrielis, & alijs Doctoribus, vel Profeſſoribus Lovanienſibus aſſertas coram Sanctiſsimo examinandas proponeret, vt è cathedra Divi Petri declaret, an ſint erroneæ; an ſanam doctrinam contineant?

14 Et ſanè ſacra Inquiſitio Romana die 2. Septembris anno 1683. hanc ſecundam editionem ſpeciminum moralium Ægidij Gabrielis ſeveriſsimè prohibuit, vt patet ex eius decreto, cuius tranſumptum hic appendo.

FERIA V. DIE II. SEPTEMBRIS 1683.

SACRA Congregatio Eminẽtiſsimorum DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in tota Republica Chriſtiana Generalium Inquiſitorum, habita in Palatio Apoſtolico apud montem Quirinalem, poſt examen Theologorum ſpecialiter ad hoc deputatorum, ac prævie relatis Sanctitati ſuæ Eminentiſsimorum votis, & Theologorum cenſuris, de mandato Sanctiſsimi D. N. Innocentij Papæ XI. prohibuit, ac præſenti decreto damnat, & prohibet infraſcriptos libros vbicumque, & quocumque idiomate, aut verſione hucuſque impreſſos, aut in poſterũ imprimendos; ne quis, cuiuſcumque ſit ſtatus, & conditionis, eos vllo modo imprimere, aut imprimi facere audeat ſub quocumque prætextu, neque impreſſos apud ſe retinere, aut legere licitè valeat; ſed ipſis Ordinarijs locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim, & cum effectu tradere, ac conſignare teneatur, ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.

LIBRI SVNT.

SPECIMINA Moralia P. Fr. Aegidij Gabrielis Leodienſis in Alma Vniverſitate Louanienſi Sac. Theol. Licenciati, tertij Ordinis Sancti Franciſci, ſtudiorum Regentis Generalis, Definitoris Generalis Apoſtolici, & per Belgium Commiſſarij. Editio ſecunda ab Authore correcta, & aucta. Romæ typis Franciſci Tizzoni anno 1680.

Les eſſais de la Theologie Morale par le R. P. Gilles de Habriel, Licentie de l'Vniverſitate de Louain, Preſtre Religieux du Tiers Ordre de S. François, Definiteur General, & Commiſſaire Apoſtolique dans le Païs-bas. Troiſieſme edicion, reveue, corrigee, & augmentee Suivant l'original imprimè à Rome, chez Francois Tizzoni, l'annèe 1680. Avec la permiſsion du Maiſtre du Sacrè Palais.

Vyterſte deuoiren inden uyterſten noodt vandeleſte Caſuiſtique Paſquilma-Kersteghens de Recht-Simighe Theologanten, gheremonſtreert door Philippus Ianſenius: Qui titulus ex Belgico in Latinum verſus eſt: *Vltima attentata in extrema neceſsitate nouiſsimorum Caſuiſtarum, ſiue factorum Paſquinatorum, aduerſus ſenſatos Theologos demonſtrata per Philippum Ianſenium.*

Locus ✠ Sigilli.

Pro D. Franciſco Ricardo S. Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis Notario, Alexander Speronus Subſtitutus.

Die 3. Septembris 1683. ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatij S. Officij, Cancellariæ Apoſt. & in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Franciſcum Perinum S. Officij Curſorem.

Iuxta exemplar impreſſum Romæ, ex typog. Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ. M. DC. LXXXIII.

---

15 Hinc deduces, quanto zelo Rex Catholicus Carolus II. curaverit, ne Gummarus in facultatem ſtrictam Academiæ Lovanienſis admitteretur, vt Franciſcus van Viane, alijſque factionis Ianſenianæ fautores contendebant, & ne Chriſtiano Lupo in cathedra ſuccederet, vt Ianſeniſtæ optabant. Et denique comperies, quantum habeat fundamenti fama publica in Belgio, videlicet, doctrinam Franciſci van Vianen, & Gummari Huygens circa nonnullas materias Theologicas, *eſſe ipſiſſimam doctrinã Baij, ac Ianſenij, quam ſemel iterum, ac ſæpius damnavit Apoſtolica Sedes omnis veritatis Magiſtra*, vt teſtatur Vlicus Ionſon in epilogo ſui opuſculi de doctrina Gummariana circa varias materias pag. 160. qui addit, *hanc famam eſſe tã conſtantem, tam aſsiduam, vt perſuadeat multis*: & ſtatim ſubiungit: *Ego tamen famæ aſſentire nunquam volui, priuſquam certiſſimis argumentis confirmaretur: conſideravi ergo attentè doctrinam, primò Baij, deinde Ianſenij, tum veſtram: ſtudioſè examinani ſingulas, & vt candidè eloquar, quod ſentio; non videtur mihi ovum ovo magis eſſe ſimile, quam ſit doctrina veſtra ſimilis doctrinæ Baij, ac Ianſenij: vtinam fallar! ſed non fallor.*

Confirmat hoc iudicium Vlici Melchior Leydeckerus Theologiæ apud hæreticos Doctor, & Profeſſor Vltraiecti, qui die 26. Iulij [illegible] repugnavit hanc theſim: *Non defuerunt [illegible] vſque diem in vniverſitate Lovanienſi Doctores, qui Ianſenio faverent, quidquid impotens Papa fulminaverit*: vt teſtatur idem Vlicus Ionſon in eodem opuſculo pag. 146.

Specimen etiam doctrinæ Theologicæ ſupra citatum p. 3. cap. 1. §. 2. teſtatur etiam, hanc eſſe hodie in Lovanienſi Academia communem ſententiam: quia ibi nunc viget ſtudium erga doctrinam Ianſenij, quam promovent præcipuè Franciſcus van Vianen, & Gũmarus Huygens: *Certum eſt* (inquit ſpecimẽ) *in ſchola Lovanienſi communiſsimè tradi generaliter, & ſine vlla reſtrictione ignorantiam iuris naturæ non excuſare à peccato.* Citat autẽ pro hac ſententia part. 1. cap. 6. §. 1. & 3. Ioannem Sinnichium, qui, vt teſtatur Guillelmus le Mayre in ſua ſtatera Saulis Exregis Ioannis Sinnichij ſect. 2. cap. 3. pag. 144. anno 1641. vnâ cum ſuis collegis quibuſdam approbavit Auguſtinum Cornelij Ianſenij, hoc opus magnificè extollens, in quo hæc doctrina continetur, quam ipſe poſtea an. 1649. in publicis aſſertionibus defenſavit, & in ſuo Saule Exrege cap. 96. & in Vindicijs cap. 9. Citat præterea Franciſcum van Vianẽ, Iacobum Pontanum, Gerardum van Vverum, & Ioãnem Recht Doctores Lovanienſes. Item Ioannem Baduin ſacræ Theologiæ Profeſſorem Namurci, Thomam Vandem. S. T. P. Gandavi, Ioannem de Vvite, & Macharium Hevermans S. T. Profeſſores Antuerpiæ. Citat præterea §. 3. in fine Chriſtianum Lupum, & Lambertum Vincent. S. Theologiæ Doctores, & Hroznarum van Saftingen S. T. Profeſſorem in aſſertionibus publicis.

SEC;

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur contra Ianſenium omnem ignorantiam invincibilem tam facti & iuris poſitiui, quàm iuris naturalis excuſare à peccato quolibet.

16 PROBATVR Primò ex illis Chriſti verbis Ioan. 9. v. 41. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatũ: nunc vt dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.* Vt enim exponit Toletus, ſenſus eſt: *Si fuiſſetis cæci ea cæcitate, quam ego intelligo nunc, id eſt ignorantes, & idiotæ, ac ſimplices, non haberetis peccatum, nempe infidelitatis: at vos dicitis videre, id eſt eſſe de numero videntium, idcirco cæci eſtis, id eſt infideles; peccatumque infidelitatis veſtrum manet.* Illi dicebant, ſe videre corporaliter, tamen Dominus applicat verbum viſioni mentis, quia revera exiſtimabant ſe Doctores & ſapientes; & propterea excæcati ſunt, quia potuerunt cognoſcere veritatem, & noluerunt.

17 Dixerat paulò ante Chriſtus: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Id eſt meo in mundum adventu vnum hoc conſecutum eſt, iudicium nempe, & diſcretio multorum in partes contrarias, vt illi, qui non videbant, & ſimplices, ac ignorantes erant, viſum mentis reciperent credentes: qui verò videbant, quia ſcientiam Scripturarum, & legis profitebantur, cæci facti ſunt per incredulitatem. Vnde in præſenti illud, *ſi cæci eſſetis*, intelligendum eſt de numero eorum, de quibus paulò antè dixerat, *veni, vt qui nõ vident, videant.* Tales enim viſum receperunt; non verò de numero eorum, qui cùm vidiſſent, cæci facti ſunt; hi enim peccatum habent.

18 Iuxta hanc expoſitionem Toleti, quæ genuina, ac litteralis eſt, concluditur, ignorãtiam invincibilem de divinitate Chriſti excuſare à culpa infidelitatis non recipiendi illum vt Meſiam: & propterea Scribas, & Phariſæos excuſationem non habere, quia eorum ignorantia fuit vincibilis & culpabilis.

Non tamen textus iſte omnino convincit; quia aliter ad litteram illum exponit Maldonatus cum multis Patribus; ita vt ſenſus ſit, *ſi cæci eſſetis, non haberetis peccatum*: id eſt, *ſi cæci eſſetis iudicio veſtro, ſeu ſi cæcos vos eſſe verè vt eſtis, ſentiretis, non haberetis peccatum, quia peccati remedium quæreretis, quia ad ſpiritualem medicinam veniretis, quia accederetis ad Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, & à peccato vos liberaret: ſed quia dicitis apud vos, id eſt, putatis, vos videre, peccatum veſtrum manet, id eſt non curamini, ſed in cæcitate veſtra permanetis.*

19 Secundò probatur ex illis Chriſti verbis Ioan. 15. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Vt enim ait Bernardus epiſt. 77. *Non dicit ſimpliciter, & loquutus non fuiſſem, ſed interſerens, eis: & loquutus eis, inquit, non fuiſſem*: oſtendens ſine dubio nõ antè cenſeri inexcuſabiles de cõremptu, quam ad ipſorum vſque notitiam, iuſſio perveniret. Nam ſi loquutus quidem fuiſſet, ſed non eis, inobedientiæ culpam nihilominus excuſaſſet. Subiungit Chriſtus: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Vt autem exponit hic Toletus, argumentum ſumit à prædicatione ſua & ab operibus divinis, quæ fecit: his enim potuerunt Iudæi cognoſcere ipſum eſſe Dei Filium à Patre miſſum; ideoque eorum ignoratio maxima fuit culpa, & quidquid ex tali ignoratione proceſſit.

Itaque ignorantia Iudæorum de Chriſti divinitate & effectus & cauſa erat odij, vt advertit Maldonatus. Effectus, quia odium impediebat, ne cognoſcerent veritatem: cauſa, quia ipſa viciſim ignorantia impediebat, ne deponerent odium.

20 Notat autem Toletus hic annot. 22. prædicationem Chriſti ſolam ſine miraculis obligaſſe Iudæos ad credendum, & nõ credentes peccaſſe. Rationem reddit: nam Chriſtus verus Deus, & homo, quando prædicabat, & ſermonem ſuæ doctrinæ diffundebat, non ſolùm exteriùs aures & ſenſus movebat, ſed divino motu interius corda excitabat, vt qui vellent poſſent credere, neque eis deerat auxilium neceſſarium, niſi libero ſuo repugnaſſent arbitrio. Præter prædicationem autem adhibuiſſe Chriſtum opera miraculoſa tot ac tanta in confirmationem ſuæ doctrinæ, vt nullus Iudæorum cætus, & etiam turbæ ignorantes & ſimplices excuſationẽ habere poſſent de ſua in Chriſtum incredulitate, & multò minus de ſuo odio in Chriſtũ. Ante miracula autẽ viſa, ſaltem ſimplices & ignari excuſationẽ habere aliquam poſſent de ſua incredulitate. Maldonatus exponens illa verba: *Si non feciſſem opera, quæ nullus alius fecit*, dicit, non tam magnitudinem & numerum, quàm miraculorum qualitatem ſignificaſſe; nimirũ quia Chriſtus in confirmationem ſuæ divinitatis edidit miracula, qualia Propheta Chriſtum facturum prædixerant: & hæc ſunt, quæ alius fecit.

21 Sed quia hæc teſtimonia ſolùm probant ignorãtiam invincibilem de eo quòd Chriſtus ſit Meſias in lege promiſſus, ſitque verus & naturalis Dei filius, excuſare à peccato infidelitatis eum, qui in Chriſtum non credit: & quia præceptum ſit credendi in Chriſtum non eſt naturale, cuius notitia naturæ rationali innocenti ſit debita, ſed præceptum poſitivum divinum, cuius ignorantia invincibilis etiam ſecundùm Ianſenium excuſat à culpa: tranſeamus ad probandum ignorantiam invincibilem quamcumque, etiam iuris naturalis excuſare à culpa.

Id imprimis docent omnes Scholaſtici cum Magiſtro in 2. diſt. 22. & cum D. Thoma 1. 2. q. 6. ar. 8. & q. 76. ar. 3. Ipſeque Ianſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. fatetur eſſe generale Scholaſticorum pronuntiatum, *quòd quidquid ex invincibili ſit ignorantia, hoc ipſo culpa vacat*: quod ipſe nõ ſolũm in dubium revocare auſus eſt, ſed & Pelagianam labem illi affingere, & affirmare, contrariam opinionem vt dogma fidei ab antiquis eſſe traditam.

22 Probatur autem primò: quia Deus impoſsibilia non iubet: at iuberet impoſsibilia, ſi ignorantia aliqua invincibilis non excuſaret à culpa: ergo omnis ignorantia invincibilis excuſat à culpa. Maior eſt definita à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. contra Calvinum: *Deus*, inquit, *impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adiuvat vt poſsis*. Et etiam ab Innocentio X. damnante vt impiam & blaſphemam primam propoſitionẽ Ianſenij, qua aſſeruit, *aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis, volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, eſſe impoſsibilia, deeſſeque illis gratiam, qua poſsibilia fiant*. Rationem reddit Auguſtinus lib. de fide contra Manichæos cap. 9. & 10. *Quis enim*, inquit, *non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum eſſe eum dãnare, cui non fuit poteſtas iuſſa complere?* Deus enim aliquid præcipiens verè intendit, vt illud fiat, vnde vel præceptum ſupponit iam vires ſufficientes, vel illas affert; alioqui Deus ſeriò intenderet aliquid impoſsibile.

23 Hinc idem Auguſtinus libro de natura & gratia, cap. 43. ſic infert: *Non igitur Deus impoſsibilia iubet, ſed iubendo admonet & facere quod poſsis, & petere quòd non poſsis*. Et lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 16. Pelagianos ſic ex occaſione la[illegible] *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire [illegible] quando dicunt, non iuberet Deus, [illegible] non poſſe ab homine fieri: quis hoc neſciat? Sed ideo iubet aliqua, quæ non poſſumus, vt noverimus, quid ab illo petere debeamus*. Vnde iuxta Auguſtinum, & veritatem Catholicam, quoties quis vrgetur præcepto Dei, vel habet immediatam obediendi poteſtatem, vel ſaltem mediatam, quatenus per præſentes vires Deum orare, & completam divini præcepti exequendi facultatem impetrare poteſt.

24 Rem hanc & differentiam Catholicæ doctrinæ à Pelagiana hæreſi explicat egregiè D. Bonaventura in 2. diſt. 28. in expoſitione textus, dub. 3. *Dicendum*, inquit, *quòd poſſe aliquid facere, vel vitare dupliciter alicui poteſt attribui*: vno modo dicitur aliquis aliquid poſſe, quia per ſeipſum ſine aliquo alio ſuffragio poteſt illud, ſicut aliquis poteſt comedere, quando eſt ſanus, & habet cibum. Alio modo dicitur aliquis aliquid poſſe, non ſolùm quia poteſt illud per ſe & in ſe, ſed quia poteſt cum alio, qui ſibi præſto eſt, & hoc modo accipiendo *Poſſe*, omne quod Deus præcipit in noſtra poteſtate eſt; quia ipſe, qui præcipit, præſto eſt præbere gratiam adiuvãtem, per quam poſſumus perficere: primo modo accipiendo *Poſſe*, non omne quod præcipit, eſt in poteſtate noſtra. Non tamen ex hoc excuſatur aliquis: ſicut ſi præciperet Dominus ſervo, quòd daret ſibi ad bibendum, & ipſe nõ haberet aquam, ſi poſſet eam acquirere, non excuſaretur; ſic & in propoſito eſt intelligendum.

25 Iam probatur minor, nẽpe quòd Deus præciperet impoſsibilia, ſi ignorantia aliqua invincibilis non excuſaret. Ponamus fœminam per errorem invincibilem iudicare licitum eſſe abortum procurare ad ſalvandam propriam vitam. Cui fœminæ iuxta Ianſenium in ſenſu cõpoſito illius erroris præcipit Deus, vt fugiat à procuratione abortus vt mala: at impoſsibile eſt ipſũ fugere ab illa vt mala, quãdo eius malitiam non cognoſcit, neque cognoſcere poteſt: ergo præcipit illi impoſsibile. Ignoret invincibiliter quis Proximum eſſe diligendum, imò per errorem invincibilem iudicet ſibi licitum eſſe inimicum ſuũ odio habere: in hoc eventu peccat quis, quia non diligit inimicum ſuum: ergo Deus illi præcipit elicere amorem, quando impoſsibile eſt ipſũ amorem elicere. Patet conſequẽtia; quia cùm amor non feratur niſi in bonum cognitum, impoſsibile eſt, vt quis eliciat amorem erga Proximum, quando non cognoſcit bonum eſſe illum amare, imo cognoſcit malum & diſconveniens ſibi eſſe Proximum amare.

26 Vnde ex ignorantia invincibili non excuſante infertur peccandi neceſsitas, ſi enim facit quis rem malam reipſa, & prohibitam,

tam, quando invincibiliter ignorat eius malitiam, & aliunde illam, vt ſibi commodam, & conuenientem apprehendit, peccat quamvis non potuerit fugere vt malum id quod facit; ac proinde neceſsitatus peccat. Impoſsibile autem eſt, vt peccet quis in eo quod cavere non potuit, vt dicit Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. Vnde hæc propoſitio Baij damnata eſt à tribus Pontificibus: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit.*

27 Secundò probatur: nam vt inquit Auguſtinus lib. de vera relig. cap. 11. *Vſque adeo peccatum malum voluntarium eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Atqui quod fit ex ignorantia invincibili voluntarium non eſt, quia nihil volitum quin præcognitum: quomodo enim dicitur quis voluntariè amplecti malum, quod nullo modo cognoſcit, nec cognoſcere potuit, & quod ſi cognoſceret nullo modo faceret? Ergo quod fit ex ignorantia invincibili, peccatum non eſt.

Nec mirum quod Ianſenius ſequutus Lutherum, & Calvinum tam horribile dogma de ignorantia invincibili non excuſante tradiderit: quandoquidem cum eiſdem docuit, in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem à neceſsitate ad peccandum; ſed ſufficere libertatem à coactione: ſi enim docuit peccari verè, & propriè per opus factum contra legem, ad quod inſuperabilis neceſsitas hominem adigit: hinc pronum fuit aſſerere, peccari verè, & propriè, id eſt, peccato conſtituente hominem dignum æterna pœna damni, & ſenſus, per opus, ad quod inſuperabilis ignoratio abripit hominem. Sicut enim neceſsitatem peccandi excuſant, vel potiùs accuſant per libertatẽ indifferentiæ, qua præditus fuit Adã, dicentes, vt homo lapſus peccet, agendo contra legem, ſatis eſſe, quod hoc peccatum fuerit ipſi liberum in Adamo: ita ignorantiam invincibilem cauſantem peccatum accuſant per cognitionem, & voluntatem, qua malum novit, & voluit Adam. Sed quis non videat, fieri non poſſe, vt quis in ſe perſonaliter peccet ex vi cognitionis, & libertatis exiſtentis in alio? Sicut autem Ianſenius ex dogmate illo de concupiſcentia phyſicè neceſsitãte ad peccandum vbi non adeſt delectatio cœleſtis vincens concupiſcentiæ vim, & neceſsitans ad obſervandam legem, *intulit* dogma horribile de ignorantia invincibili non excuſante, ita nos ex dogmate Catholico ſtabilito ab Innocentio X. contra Ianſenium, *quod in ſtatu naturæ lapſæ ad peccandum requiratur libertas à neceſsitate*; rectè inferimus, ad peccandum requiri quòd non interveniat ignorantia invincibilis de malitia actionis; & ſperamus fore vt Sedes Apoſtolica, quæ iam damnavit dogma illud de concupiſcentia phyſicè neceſsitante ad peccandum, damnet illud aliud de ignorantia invincibili non excuſante.

28 Quapropter vt concludit P. Dechamps lib. 3. d. 5. cap. 6. in fine ex communi ſententia Patrum & Theologorum, quidquid ex ignorantia perperam cõmittitur, tunc tantum culpæ tribuitur, cùm ipſa ignorantia peccatum eſt; ignorantia verò tunc eſt peccatum, cùm præceſsit negligentia aut aliquid aliud commiſſum à nobis, à quo vt voluntarij, ita & culpæ rationem trahat: ſic prorſus, vt formalis voluntarij, ac peccati ratio primariò ac per ſe negligentiæ competat, tum ex ea refluat in ignorantiam, ac poſtremò in illud, quod ex ignorantia fit, derivetur. Atqui ignorantia invincibilis peccatum non eſt, quia vt inquit Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*: nec ex negligentia quærendi provenit, quia alioqui vincibilis eſſet. Ratioque manifeſta id evincit, quia nequit eſſe peccatum damnationem promerens, quod nullatenus ab homine caveri poteſt; neque Deus damnare valet hominem, quia ignoravit id, quod nunquam ſcire potuit: ergo quod fit ex ignorantia invincibili pecatum non eſt. Vnde meritò Auguſtinus epiſt. 105. pronuntiavit: *Ipſa ignorantia in his, qui intelligere noluerunt, peccatum eſt: in his autem, qui intelligere non potuerunt, pœna peccati.*

29 Ex his deduces, quàm turpiter Ianſenius erraverit. Nam non ſolùm aſſeruit concupiſcentiam manantem ex Adami peccato nobis neceſsitatem phyſicam imponere, ſi non adſit delectatio victrix charitatis, ad rectè operandum neceſsitans, in qua ipſe gratiam ſanativam, & medicinalem, atque efficacem conſtituit: ac proinde non ſolùm aſſeruit in ſtatu naturæ lapſæ ad peccandum non requiri libertatem à neceſsitate, ſeu libertatem indifferentiæ, ſed ſufficere libertatem à coactione: verùm etiam aſſeruit ſine ratione voluntarij poſſe peccatum conſiſtere in ſtatu naturæ lapſæ, dum aſſeruit, ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato damnabili: nam cùm voluntarium iuxta Philoſophum definiatur, *Id quod eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio*; certè ſi peccat proferendo mendacium officioſum v. g. is, qui invincibiliter ignorat mendacium eſſe malum, imputatur ei malitia, quæ [illegible] luntaria non eſt. Vtrumque autem [illegible] tum: primum ab Innocentio X. [illegible] declaravit, & vt talem damnavit [illegible] facere.

ſitionem Ianſenij: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Secundum verò dãnatum eſt à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. dum proſcripſerunt hanc Baij propoſitionem: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Item dum damnaverunt hanc aliam, quæ eſt 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit, ſeu in eo quòd vitare non poteſt,* vt eſt in Sorbonica cenſura.

30 Vt enim optimè expendit Pater Dechams lib. 2. diſp. 5. cap. 2. *Quis magis neceſſariò peccat, quis culpam vitare minus poteſt, quàm qui funditus, & ſine culpa propria ignorat diuina lege prohiberi quod facit, quique eſt ita comparatus, vt ſi id malum eſſe ſuſpicaretur, continuò omitteret? Concupiſcentia quidem, ſeu victrix illa & imperioſa vis, quam illi ad exprimendum conſenſum Ianſenius tribuit, compedes voluntati ineluctabiles injicit: at ignorantia, quæ ſuperari omnino nõ poteſt, plus aliquid facit, cùm mentem, quæ voluntati ad agendum facem præferre debet, excæcet, adeoque non peccandi poteſtatem longius removeat.* Vnde meritò D. Thomas 1.2. quæſt. 76. ar. 3. inquit: *Ignorãtia, quæ eſt cauſa actus, quia cauſat involũtarium, de ſe habet, quod excuſet à peccato.*

31 Sed obijcies ad probandum, peccari per neceſſitatem. Nam Auguſtinus lib. 1. operis imperfecti contra Iulianum cap. 103. ipſum alloquens, inquit: *Multum erras, qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis, illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt. Si enim neceſſitas nulla peccandi eſt, vt omittam vim mali eius, quod originaliter trahitur, hoc enim nullum eſſe vos vultis; quid patiebatur, quæſo, qui ſecundùm veſtrum ſenſum tanta mole malæ conſuetudinis premebatur, vt diceret, Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malũ hoc ago? Deinde cogitare te exiſtimo quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita, quãto labore diſcatur. Qui autem hoc neſciunt, ipſam boni appetendi, malique vitandi ignorantiam, patiuntur peccandi neceſſitatem. Neceſſe eſt enim vt peccet qui neſciẽdo, quid facere debeat, quod non debere facere facit; de quo genere malorum Deus rogatur vbi dicitur: Delicta iuventutis, & ignorantias meas ne memineris. Quod genus malorum ſi non imputaret Deus iuſtus, non ſibi dimitti poſceret homo fidelis.* Videndeo, ibi Auguſtinum nomine neceſſitatis intelligere neceſſitatem ſecundùm quid, id eſt, minorem ad non peccandum libertatem, vel neceſſitatem moralem, qualis oritur ex conſuetudine peccandi, quæ non tollit libertatem phyſicam ad non peccandum: vel neceſſitatem conſequentem, indirectè ſaltem voluntariam, qualis oritur ex ignorantia vincibili: vt enim ait ipſe Auguſtinus libro 1. retract. cap. 9. *Non tibi deputatur ad culpã quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* Contendebat Iulianus liberum arbitrium tam plenum eſſe poſt peccatum ac fuit antea. Hoc impugnat Auguſtinus eo lib. 1. operis imperf. cap. 89. & etiam loco nuper obiecto. Vbi per neceſſitatem peccandi intelligit id, quod vehementer ad peccandum allicit.

32 Id evidentiſsimè patet ex lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum, quem locum Iulianus ipſe allegat apud Auguſtinum lib. 1. operis imperfecti cap. 92. ait ergo Auguſtinus: *Quis autem noſtrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano? Libertas quidem periit per peccatũ, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam: propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino in Euangelio ſuo Ioan. 8. Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et poſt aliqua: *Non itaque omnes in peccatum, veluti inviti carnis ſuæ neceſſitate coguntur; ſed ſi iam in ea ætate ſunt, vt propriæ mentis vtantur arbitrio, & in peccato ſua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum ſua voluntate præcipitantur.* Quid illuſtrius ad evertendam peccãdi neceſſitatem, quam Ianſeniſtæ invehunt?

SECTIO QVARTA.

Impugnatur ad hominem eadem ſententia Ianſenij.

33 ARGVMENTOR Præterea deſtruẽdo Ianſenij fundamentum. Peccate ideo ignorantia iuris naturalis non excuſat à peccato, quia peccati originalis pœna eſt. At non ſufficit illam ignorantiam eſſe pœnam peccati originalis, vt malum, quod cum illa ignorantia fit imputetur ad culpam. Nam ſi hoc ſufficeret; mala, quæ fiunt ab amente, & frænetico, & cæco, occaſione amentiæ, frænetis, & cæcitatis corporalis, etiã eis imputarentur in culpam; vt ſi fræneticus hominem occideret, & cæcus canem ambigẽs, hominem graviter vulneraret, nam etiam amentia & cæcitas corporalis peccati originalis pœna ſunt, vt pluribus contendit Ianſenius lib.

lib. 3. de ſtatu purę naturę cap. 11. ex Divo Auguſtino. Vnde quod Ianſenius dicit de ignorantia invincibili, quam & cæcitatem vocat; & nos de cæcitate corporali dicere poſſumus. De illa autem loquens lib. 2. de ſtatu purę naturæ cap. 6. inquit: *Quia tamen pœna peccati eſt quidquid ex illa cæcitate perperam fit, ſine peccato non fit.* Idem ergo de cæcitate corporali dicere poterimus. Quis autem non videat hæc non ſolùm abſurda, ſed & ridicula eſſe, quibus iure adaptare poſſumus verba Auguſtini, ſimilem abſurditatem exprobantis lib. 1. de peccatorum meritis cap. 56. *Dicant iſta qui auſi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint.*

34 Argumentor inſuper deſtruendo rationem, quâ Ianſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. cum ſequentibus, & lib. 3. de hæreſi Pelagiana cap. 13. probat ignorantiam invincibilem facti & iuris poſitivi excuſare quidem à peccato, non tamen ignorantiam iuris naturalis. Ratio autem eſt hæc: S. Auguſtinus contra Pelagianos acriter contendit, ignorantiam malam eſſe, & quæ ex illa fiunt eſſe peccata: neque loquitur de ignorantia vincibili; ſiquidem pertæpe dicit, Pelagianos ipſos fateri, hanc ignorantiam non excuſare: multò minùs agit de ignorantia invincibili facti, aut iuris poſitivi, cùm alibi doceat hanc ignorantiam à culpa excuſare; vt conſtat ex libro 22. contra Fauſtum cap. 44. vbi docet inceſtum Loth non fuiſſe peccatum, quia ignorans fecit, aſſeritque ſolam ebrietatem fuiſſe culpabilem. Et ex lib. 2. contra Creſconium, cap. 26. vbi ait: *Qui neſciens vxorem duxerit alienam; ex illo fit adulter, ex quo didicerit, niſi diſceſſerit.* Ergo de ſola ignorantia iuris naturalis intelligendum eſt quod Auguſtinus contendit, ignorantiam malam eſſe, & quæ ex illa fiunt eſſe peccata.

35 Hæc ratio facilè deſtrui poteſt; nam Auguſtinus & Hieronymus, qui contra Pelagianos latè probarunt ſæpe per ignorantiam peccari, nunquam diſtinxerunt inter ignorantiam facti, iuriſque poſitivi, & ignorantiam iuris naturalis: imò fere omnia Scripturæ teſtimonia & exempla, quibus vtuntur ad impugnandum errorem Pelagianorum aſſerentium, ea, quæ per errorem, & ignorantiam fiunt, non eſſe peccata, de ignorantia facti, & iuris poſitivi loquuntur. Id patet primò ex eodem loco Auguſtini, quo Ianſenius præcipuè vtitur ad ſuam ſententiam firmandam, nempe ex lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. vbi inquit: *Etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda indicantur.* Nam ex his, quæ ſtatim adjecit probationis loco, & quæ doloſè Ianſenius reticuit, palam fit, eum indifferenter loqui de omni ignorantia, etiam facti: ſic enim ſubdit: *Ait enim Apoſtolus, miſericordiam cõſecutus ſum, quia ignorans feci.* Nã Apoſtolus dum Chriſtum perſequeretur, & in eius diſcipulos fureret, non ex ignorantia iuris naturalis, ſed ex ignorantia facti, aut iuris poſitivi peccabat, nimirum quia ignorabat Chriſtum eſſe Meſſiam in lege promiſſum.

36 Patet ſecundò ex Hieronymo, qui diſputaturus de peccatis ſic præfatur libro 1. adverſus Pelagianos; *Nunc mihi latiſſima Scripturarum ſpatia peragenda ſunt, vt doceam, ignorantiam, & errorem eſſe peccatum.* Quod ita facit, vt omnia ferè exempla, quæ congerit ad ignorantiam facti, & iuris poſitivi pertineant. Nam ad ignorantiam facti pertinet quod profert ex cap. 21. Exodi, dicens: *Qui occiderit per ignorantiam exilio condemnatur.* Item quod adducit ex cap. 25. Numer. inquiens: *Sex ciuitates eliguntur exilij, eorum qui non ſponte, ſed per ignorantiam, vel iactu lapidis, vel impulſione manus, vel loco vel laſciuia abſque inimicitijs infœlicitate magis quàm voluntate peccaverunt, & tamen non abſque crimine ſunt dum relegantur in perpetuum.* Ad eandem facti pertinet quod adducit ex capite 5. Levit. *Si tetigerit aliquid immundum quod non liceat tangere, & fecerit per ignorantiam, & poſtea didicerit, pronuntiabit peccatum ſuum, in quo peccaſſe ſe percipit.* Et cap. 12. *Si comederit homo de Sanctificatis per ignorantiam imputatur ei iniquitas, atque delictum.* Eodem ſpectat quod adducit ex primo Regum 11. *Ionatas*, inquit, *favum guſtavit ſceptro, & illuminatis oculis periclitatur, quod neſciens fecerit. Hoc enim Scriptura teſtatur, quod ignoravit à patre eſſe præceptum, ne quiſquam guſtaret, donec victoria Domini compleretur, in tantum autem iratus eſt Dominus, vt ſors inveniret occultum, & ipſe fateretur.*

Quare P. Dechams lib. 3. de hæreſi Ianſen. diſp. 5. cap. 6. latè probat, cùm Auguſtinus & alij Patres, & ignorantiam, & id quod ex illa fit, peccatum eſſe aiunt, de ignorantia vincibili loqui: vt enim inquit Bernardus epiſtola 77. *Multa ſcienda neſciuntur, aut ſciẽdi incuria, aut diſcendi deſidia, aut verecundia inquirendi; & quidem eiuſmodi ignorantia non habet excuſationem.* Perperam ergo Ianſenius teſtimonia Auguſtini adducit ad probandum ea, quæ fiunt per ignorantiam invincibilem iuris naturalis eſſe [illegible] damnationem mereri.

37 Præterea argumento [illegible] propterea ignorantia iuris natura[illegible] facere

non excusat, quia est pœna peccati originalis, nec etiam ignorantia invincibilis iuris positivi excusabit Gentiles, ad quorum notitiam fides Christi nunquam pervenit, à peccato infidelitatis, seu non credendi in Christum, quia etiam illa ignorantia est pœna peccati originalis. Nam vt probat Ianſenius lib. 3. de statu puræ naturæ cap. 10 & 11. nulla miseria, nullumque malum in homine reperitur, quod non sit peccati pœna: ignorantia autem Evangelij in Infidelibus magnum malum, magnaque miseria est: ergo & peccati pœna. Sequela autem est imprimis contra ipsum Ianſenium, qui expresse affirmat lib. 6. de statu naturæ lapsæ, cap. 5. *Non audisse Euangelium Christi satis esse, vt excusationem habeant de sua incredulitate Gentiles.* Est contra Augustinum tract. 89. in Ioan. & epist. 105. vbi ait, *quod in illis, qui credere noluerunt, ignorantiæ peccatum est; in illis autẽ, qui nõ audierunt, nèque potuerunt, pœna peccati est.* Est contra Bernardum epist. 77. qui loquens de præcepto credendi in Christũ & suscipiendi baptismum, inquit: *Valdè quippe iniustè exigitur obedientia, vbi non præcesserit auditio.* Et expresse docet, ignorantiam invincibilem præcepti excusare inobedientiæ culpam. Est contra D. Thomam 2. 2. q. 10. art. 1. vbi ait: *Si infidelitas accipiatur secundùm negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierũt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ: quia talis ignorantia diuinorum ex peccato primi parentis consecuta est.* Est denique contra Bullam Pontificum aduersus Baium, in qua damnata est hæc eius propositio, quæ est sexagesima octava: *Infidelitas purè negatiua in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Nec quidquam valet ratio, quâ Ianſenius probat legis positivæ ignorantiam non esse pœnam peccati ex eo quòd cùm lex illa à Dei libera voluntate dependeat, eius scientia nec humanæ naturę, neque Angelicę debita est. Hęc enim ratio solùm probat non deberi naturę innocenti notitiam legis positivę, si lex illa non imponatur; non probat autem non deberi ex suppositione quòd talis lex feratur. Imo hinc arguo: nam si in statu innocentiæ Deus legem aliquam positivam imponeret, totum genus humanum ex se obligantem: fieri non posset quòd aliqui in statu talis legis ignorantiam haberent: ergo quòd in statu naturæ lapsæ homines aliqui ignorant legem positiuam à Deo latam pro toto genero humano, [illegible] peccati. Si ergo sufficit ignorantiam [illegible] pœnam peccati, vt illa ignorantia [illegible] excuset, nulla dabitur ignorantia [illegible] à peccato excusans. Hoc autem est manifestè absurdum, & contra Augustinũ, reliquosque Patres.

38 Est sanè differentia inter legem naturalem & positivam probat quidem, difficilius esse dari ignorantiam illius, quàm istius; non tamen probat, quòd si semel detur ignorantia invincibilis iuris naturalis, non perindè excuset ac ignorantia iuris positivi: & in præsenti non quæritur, an possit dari ignorantia invincibilis iuris naturalis, sed an si semel detur, excuset. Nam potest quidem dari ignorantia invincibilis iuris naturalis, quoad quædam vniversalia principia; vt enim inquit Augustinus in Psalm. 118. *Nullus est, qui faciat alteri iniuriam, nisi qui fieri sibi nolit: & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non finitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati.* Nec item quoad conclusiones, quæ immediatè deducuntur ex hoc naturæ principio, *Quod tibi non vis alteri non feceris.* Potest tamen iuxta communem sententiam dari quoad alias conclusiones remotas, quorũ malitia non statim apparet, nisi post diligens studium. Sic sunt in Theologia morali multa, de quibus disputatur, an sint intrinsecè malæ; & de his poterit dari ignorantia invincibilis, & qui cum illa operabitur rem intrinsecè malam, & lege naturali reipsa prohibitam, excusabitur à culpa non minùs quàm qui transgreditur legem positivam.

Et quidem Ianſenius ipse *planissimè agnovit dari ignorantiam invincibilem iuris naturæ*, vt inquit Guillelmus Lemayre in statera Saulis Exregis sect. 2. cap. 3. num. 313. quod probat ex lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 5. vbi Ianſenius inquit: *Patet Augustinum, cùm toties docet hominem peccare per ignorantiam, qua non solùm se peccare non videt, sed etiam videre non potest, de illa ignorantia loqui, qua quis ignorat ea, quæ lege Decalogi, hoc est, lege naturæ prohibentur.* Sequuntur ibi alia multa in eundem scopum. Et caput sextum sic orditur: *Cur verò ista iuris naturalis invincibilis ignorantia magis culpabilem in peccãdo faciat &c.* Et infrà: *Si ista peccata invincibilis ignorantiæ, cum qua infidelis quisque nascitur, vera peccata non sunt, nulla ratio est, cur plura eorum peccata, qui diuino iudicio excæcati sunt, ab omni iniquitate purgemus.* Quæ verba Ianſenij postquam retulit Mayre, sic concludit *Manifestè non solùm supponit, sed asserit locis plurimis dari reipsa istam ignorantiam.* Vnde Theologi Belgæ fidei orthodoxæ, & constitutionum Apostolicarum studiosi in specimine doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis ex Academia Louaniẽsi p. 1. cap. 6. §. 3. inuehuntur in modernos

Ian-

Ianſenij diſcipulos, qui vt invidiam averterent à doctrina ſui Magiſtri, dixerunt, ignorantiam invincibilem iuris naturalis, ideo non excuſare à peccato, quia talis ignorantia non datur; ſed omnis ignorantia iuris naturalis eſt vincibilis, & contra eos ſic pronuntiant: *Omnem ignorantiam iuris naturalis eſſe vincibilem, eſt parum Ianſenianum: ſi ſermo ſit de vincibilitate per diligentiam cuiuſque propriam.*

SECTIO QVINTA.

Probatur aliis argumentis, ignorantiam omnem invincibilem malitiæ excuſare à peccato.

39 ARGVMENTOR Sic: hæc propoſitio tertia Ianſenij damnata eſt tanquam hæretica, & vt talis declarata ab Innocentio X. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requitur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Ergo certum eſt de fide, requiri libertatem à neceſſitate, ſeu libertatem indifferentiæ ad demerẽdum & peccandum. Ergo certum debet eſſe ignorantiam invincibilem malitiæ excuſare à peccato. Vt conſequentiam iſtam probem, ſuppono *Petrũ per errorem invincibilem iudicare*, ſe obligatum eſſe ad falsò iurandum, vt hominem à furca liberet; vel ſe obligatum eſſe ad furandum, vt pauperi ſuccurrat. Suppoſito hoc errore Petrus eſt phyſicè neceſſitatus ad peccãdum: nam eſt neceſſitatus ad furandum, vel ad omittendum furtum. Si omittat furtum, peccabit contra conſcientiam dictantem, ipſum obligatum eſſe ad furandum; vt autem docent omnes Theologi cum D. Thom. 1. 2. q. 19. ar. 5. *Voluntas diſcordans à ratione ſiue recta ſiue errante, ſemper eſt mala*: quia vbi ratio ſeu conſcientia dictat aliquid eſſe honeſtum & debitum ex præcepto, voluntas ab hac conſcientia diſcordans fertur in illud, quod à ratione proponitur vt malum, ac proinde peccat. Si autem furetur, peccabit contra legem non furandi, ſi ſemel ipſum non excuſat ignorantia ſeu error invincibilis. Ergo ſi error invincibilis, quo Petrus iudicat ſe obligatum eſſe ad furandum, ipſum non excuſat à peccato furti, dum cum illo errore furatur: Petrus in illo eventu eſt omninò antecedenter neceſſitatus ad peccandum, ſiquidem illa neceſſitas ortum non trahit ex libertate ipſius; ac proinde non eſt conſequens. Ergo in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate ad peccandum: quæ eſt propoſito damnata.

40 Argumentor ſecundò. Ignorantia invincibilis iuris naturalis non eſt peccaminoſa; tum quia ignorantia dicitur invincibilis, quia operans non habuit poteſtatem ad illam vincendam; taliſque ignorantia eſt omnino antecedens & involuntaria: omne autem peccatum debet eſſe voluntarium, & liberum, atque evitabile operanti: ergo talis ignorantia nequit eſſe peccaminoſa: tum quia Deus præcipere nequit homini vt vincat ignorantiã ab ipſo invincibilem; hoc enim eſſet præcipere homini impoſsibilia: vnde omne diuinum præceptum hominem obligans ad aliquid faciendum, vel ſupponit auxilium ſufficiens ad id faciendum, vel poteſtatem proximam acquirendi illud auxilium: vel certè auxilium, aut ſaltem poteſtatem illud acquirendi adducit: ergo per ignorantiam invincibilem nullum præceptum violatur: ergo non eſt peccaminoſa: ergo componitur ignorantia invincibilis iuris naturalis cum iuſtitia & ſanctitate. Ponamus ergo hominem iuſtum per errorem invincibilem iudicare, ſe obligatum eſſe v. g. ad procurandum abortum fœminæ nobilis, cuius vita periclitatur, ſi eius delictum detegatur. Tum ſic: homo ille iuſtus habet præceptum non peccandi: hoc autem præceptum eſt ipſi impoſsibile (ad obſervandum) ſecundùm præſentes, quas habet, vires: nam ſive procuret abortum, ſive non procuret, quorum tamen alterutrum fieri, neceſſe eſt, neceſſariò peccat: ſi non procuret, quia agit contra dictamen conſcientiæ; ſi procuret, quia agit contra legem naturalem non occidendi hominem: ergo in eo caſu præceptum non peccandi eſt impoſsibile illi homini iuſto: deeſt quoque illi gratia, qua poſsibile fiat: nam præceptum illud nequit ipſi poſsibile fieri niſi per gratiam, qua in caſu poſito poſsit ſuperare ignorantiam illam; hæc autem gratia illi deeſt; nam ſi illam haberet ignorantia ipſi non eſſet omnino involuntaria: ergo ſententia affirmans ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato eſt contra Bullam Innocentij Decimi, in qua damnatur hæc propoſitio Ianſenij: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecũdùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſsibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

41 Argumentor ſecundò: quia vt inquit Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 13. *vſque adeò peccatum malum voluntarium eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Et lib. de vera religione cap. [illegible] *ita manifeſtum eſt .... quòd nullus poſsit facere peccatum, ſi non ſit voluntarium. Facere [illegible] la Doctorum paucitas, nullu[illegible]*

turba diſſentiat. Ita docent omnes Theologi cum Divo Thoma 1. 2. q. 74. ar. 3. aſſerente, *in actu voluntario & inordinato cõſiſtere rationem peccati.* Et q. 3. de malo ar. 8. dicente, *de ratione peccati eſſe, quod ſit voluntarium.* Idemque declaratum eſt à tribus Pontificibus contra Baium: nam propoſitio 46. ex damnatis, hæc eſt: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Ergo definitum eſt à tribus Pontificibus, *Ad rationem & definitionem peccati pertinere voluntarium.* Vt autem definit ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 6. articulo 1. in fine corporis: *Voluntarium dicitur eſſe ſecundùm definitionẽ Ariſtotelis, Gregorij Nyſeni, & Damaſceni, non ſolùm cuius principium eſt intra, ſed cum additione ſcientiæ,* Ergo vt peccatum ſit voluntarium in ratione peccati requiritur, vt vel tunc quando operans agit contra legem cognoſcat malitiam, aut periculum illius vel formaliter vel interpretativè, & virtualiter; vel quod pro tempore antecedenti cognoverit, & præeunte illa cognitione elicuerit voluntatem liberam, à qua poſtea oriatur actio contra legem. Ergo implicat, vt quis peccet peccato formali reddente hominem dignum ira & diſpliçentia divina, ſi neque in illo inſtanti, in quo peccat cognoſcat, vel *cognoſcere potuerit*, neque in tempore antecedente habuerit libertatem ad cognoſcendam malitiam peccati. Quod ſi nunc eliciat actionem contra legem, quin cognoſcat malitiam ipſius; cæterum hæc ignorantia proveniat ex negligentia culpabili antecedenti. hæc ignorantia non excuſabit, quia non eſt antecedens & omnino involuntaria, ſed conſequens, & voluntaria, ſaltem indirectè: nec operans dicitur agere cum ignorantia invincibili, quia eſto nequeat illam vincere in eo inſtanti, in quo agit contra legem, illa impotentia eſt conſequens proveniens ex eius libera determinatione; ſiquidem pro tempore antecedenti potuit vincere, & non vicit, quia noluit; atque adeò illam ignorantiam voluit vel formaliter vel interpretativè; & hanc volitionem non retractavit.

42 Confirmatur: quia non minus pertinet ad rationem peccati cognitio malitiæ, formalis, vel interpretativa, præſens, vel præterita phyſicè, & moraliter præſens: quam libertas indifferentiæ. Sed implicat, vt quis peccet, quin ante actionem peccandi præceſſerit poteſtas ad non peccandum reſidens perſonaliter in ipſo peccante, vi cuius vel [illegible] potuerit impedire actionem peccandi; implicat vt quis peccet, quin ante actionem peccandi præceſſerit cognitio formalis, vel interpretativa malitiæ, vi cuius cognitionis poſsit tunc, quando ponit actionem peccaminoſam, vel potuerit antea fugere ab illa actione vt mala. Vnde non ſufficit ignorantiam *invincibilem eſſe* pœnam peccati Adami, quod fuit moraliter noſtrum, vt denominativè à cognitione malitiæ, quæ præceſſit in Adamo, dicatur nobis voluntarium peccatum, quod materialiter agimus contra legem, dum ignoramus invincibiliter legem, quin vnquam fuerit in nobis libera poteſtas ad cognoſcendam exiſtentiam legis prohibentis, & conſequenter malitiam actionis prohibitæ. Sicut non ſufficit neceſſitatem agendi contra legem eſſe effectum peccati Adami, vt actio elicita cum illa neceſſitate contra legem ſit peccaminoſa; quod in Adamo præceſſerit perfecta libertas indifferentiæ: iam enim contra Ianſenium definitum eſt, *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem à neceſſitate,* ſeu libertatem indifferentiæ, quæ nimirum intrinſecè reſideat in homine lapſo, qui poſt contractum peccatum originale, poſteà abſtractus & illectus à cõcupiſcentia, quæ ex peccato Adami ortum traxit, agit perſonaliter contra legem.

43 Vnde nihil valet artificium illud, quo Ianſenius conciliare contendebat voluntarium peccatis *commiſsis cum ignorãtia invincibili malitiæ*, & libertatem peccatis commiſsis cum pondere concupiſcentiæ, phyſicè neceſsitante in ipſius ſententia. Vt enim mitigaret duritiem ſuorum dogmatum de ignorãtia invincibili, de neceſsitate peccandi, & impoſsibilitate præceptorum, non excuſante à peccato, ſubtilem prodidit cogitationem, qua peccatis illis conatus eſt ſpeciem voluntarietatis & libertatis conciliare. Cùm enim neceſsitas illa omnis & ignorãtia dependeat à peccato originali, cuius eſt pœna; neceſſe eſt, vt ab eodem peccato dependeant peccata omnia, ſeu alia, quæ cum illa neceſsitate vel ignorantia committũtur. Libera ſunt igitur, & voluntaria ea libertate & voluntarietate, qua in Adamo liberè & voluntariè peccavimus, id eſt cum plena indifferentia ad non ponendam actionem prohibitam, & cum plena cognitione malitiæ talis actionis. Hanc argumentationem inſtituit lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 4. 5. & 6. nam inveſtigans radicem arcanæ ſuæ doctrinæ de ignorãtia iuris naturæ invincibili non excuſante, inquit col. 3. 2. *Quia tamen pœna peccati eſt* (ſcilicèt originalis) *quidquid ex illa cæcitate perperam fit, ſine peccato non fit.* Et libro quarto capite duodecimo column. 651. paucis rem obſtringit, dicens: *Vera peccata nominantur . . . . non quia ſunt voluntatis liberæ . . . . ſed quia fue-*

fuerunt voluntatis liberæ in cauſa ſua, quæ pœnam illam cæcitatis, & imbecillitatis accerſit.

44 Hanc rationem multò antea invenerat Calvinus, explicueratque lib. 2. Inſt. cap. 5. num. 1. atque vt inventam à Calvino extollit Chamierus Calviniſta tom. 3. libro 3. cap. 2. & eam acriter defendit Hieronymus Zanchius in Calvini & Lutheri diſciplina apprimè inſtitutus, Tract. Theolog. cap. 12. de ignoratione Dei theſi 1. vbi cum multis diſſeruiſſet de ignorantia, ita concludit: *Summa: omnis ignorantia eorum, quæ quis ſcire tenetur, peccatum eſt: quia cum lege, qua iubemur illa cognoſcere, pugnat; ſiue ea cognoſcere iam poſsis, ſiue non poſsis. Quod enim iam non poſsis, peccato Adæ, quod & tuum eſt, quia in eo omnes peccaverunt, factum eſt.* Et ad hanc doctrinam recurrit Gummarus Huygens in Dictatis publicis art. 8. obſervat. 4. apud Vlicum Ionſon: reddens enim Gummarus rationem, cur is, qui tranſgreditur præceptum ex ignorantia involuntaria iuris naturæ, peccet peccato formali; dicit rationem eſſe, quia vult illud, quod revera eſt inordinatum & malũ, *& quamvis velit ex ignorantia, quæ ſupponitur non eſſe voluntaria, vult tamen ex ignorantia per peccatum, originale ſcilicet, introducta.*

45 Nihil, inquam, valet artificium iſtud: ſicut enim iam certum eſt ex Bulla Innocentij Decimi contra Ianſenium, non ſufficere, quòd filij Adæ per peccatum primi parentis cum plena libertate commiſsi incurrerint tanquam pœnam concupiſcentiam trahentem ad peccandum; vt peccata illis imputetur, ſi committantur ſine libertate indifferentiæ propria ipſorum. Ita dici debet non ſufficere, quòd ignorantia iuris naturalis ſit pœna peccati commiſsi cum plena cognitione malitiæ; vt qui ex illa ignorantia tranſgreditur legem, peccet peccato formali propriè dicto, quando ignorantia eſt omnino involuntaria operanti, & independens ab omni libero exercitio perſonali ipſius.

SECTIO SEXTA.

Præcluditur evaſio Ianſeniſtarum aſſerentium, ad peccandum formaliter, requiri quidem libertatem facti, non tamen libertatem peccati.

46 ID Eſt, requiri quidem, quòd actio ipſa, qua lex violatur, ſit in ſe propriè voluntaria operanti, ſeu quod fiat ab ipſo deliberatè & cum cognitione finis, non tamen requiri, quòd fiat ab ipſo cum advertentia malitiæ; per quam advertentiam completur libertas peccati. Ita reſpõdent duo Doctores Lovanienſes, ſtudioſiſsimi Ianſenianæ doctrinæ: nimirum Franciſcus van Viane, & Gummarus Huygens. Primus quidem in theſi, quam publicè propugnavit Lovanij 24. Martij an. 1681. his verbis: *Abſurdum eſt, ad peccandum formaliter, non ſufficere libertatem facti, ſed requiri libertatem peccati, quæ ſine notitia malitiæ haberi non poteſt.* Secundus verò in Dictatis publicis ar. 8. obſervat. 4. vbi fortiter propugnat, involuntariam iuris naturæ ignorantiam non excuſare à culpa; redditque rationẽ, quia affectus operantis ex eiuſmodi ignorantia fertur in obiectum reipſa malum, quamvis eſſe malum, ignoretur funditus. Ponit exemplum in eo, qui mentitur, dum per errorem involuntarium arbitratur mendacium non eſſe peccatum; aitque illum peccare peccato formali contra legem non mentiendi, redditque rationem: *Nã in caſu poſito, vult* (inquit) *ipſum mendacium, quod eſt res revera inordinata, & legi æternæ contraria, vult, vt ait Auguſtinus, voluntate facti, non voluntate peccati, id eſt vult factum, quod eſt inordinatum, & legi æternæ contrarium.* Quare Authores iſti cenſent, ad peccatũ propriè dictum, quod homini vitio datur, illumque conſtituit ſupplicij reum, ſatis eſſe, quod ſit voluntarium *voluntate facti*, licèt non ſit voluntarium *voluntate peccati*, id eſt ſufficere, quòd factum ſit voluntarium, licèt peccatum non ſit voluntarium.

47 Sed hanc doctrinam eſſe falſiſsimam, facilè eſt oſtendere. Imprimis eſt contra omnes Theologos cum D. Thoma quæſt. 3. de malo art. 8. dicente: *Cùm aliquis neſcit fornicationem eſſe peccatũ, voluntariè quidem facit fornicationem, ſed non voluntariè facit peccatum.* Ergo ad peccandum non ſufficit libertas facti, ſed requiritur libertas peccati. Quod magis patebit in medium adducendo textum integrum ſancti Thomæ, in quo illa verba protulit: textus ſic habet: *Tollitur voluntarium, quantum ad id, quod eſt ignoratum. Vnde ſi in eodem actu aliquid ignoratum ſit, & aliquid ſcitum, poteſt eſſe voluntarium, quantum ad id, quod eſt ſcitum, ſemper tamen eſt involuntarium, quantum ad id, quod eſt ignoratum: ſive ignoretur deformitas actus (puta cum aliquis neſcit fornicationem eſſe peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, ſed non voluntariè facit peccatum) ſive ignoretur circumſtantia actus, ſicut cum quis credit uxorem ſuam alterius mulierem, quam credit eſſe ſuam, ſi ſit facere voluntariè accedit ad mulierem, ſed non*

ad non ſuam. Ergo quemadmodum certum eſt nõ peccaſſe Patriarcham Iacob, dum acceſſit ad Liam, exiſtimans eſſe Rachelem, ac proinde invincibiliter ignorans eſſe non ſuam; ita certum debet eſſe nõ peccare eum, qui voluntariè furatur ad dandam eleemoſynam, ſi id facit ignorans invincibiliter furtum eſſe peccatum.

48 Secundò oſtenditur non ſufficere libertatẽ facti ſine libertate peccati ad cõmittendum peccatum formale, & propriè tale: nam ſi quis voluntariè comedat carnes die veneris, invincibiliter ignorans prohibitum eſſe carnium comeſtionem die veneris, voluntariè quidẽ ponit comeſtionẽ carnium die veneris, non tamen voluntariè ponit peccatum; ſiquidem non comederet carnes, ſi ſciret eſſe prohibitas: & tamen quia non voluntariè ponit peccatum, non peccat: ergo ad peccandum non ſufficit libertas facti, ſed requiritur libertas peccati.

Confirmatur: vt quis peccet formaliter contra legem poſitivam humanam vel divinã, non ſufficit quòd liberè ponat actum, qui lege illa prohibitus eſt. nam ſi nunquam ſcivit, vel ſcire potuit, illum actum eſſe prohibitum; peccat dumtaxat materialiter contra legem, non tamen formaliter. Ergo vt quis peccet formaliter contra legem naturalem, non ſufficit, quòd ponat actum lege illa prohibitum, ſi illum ponat ignorans inculpabiliter & omninò involuntariè prohibitionem. Probo cõſequentiam; quia ideo primum eſt verum, quia malitia in primo caſu eſt omnino involuntaria, & inculpabilis. At pariter in ſecundo caſu eſt involuntaria, & inculpabilis: nemo enim coràm Deo accuſari poteſt eo quod ignoraverit illud quod non fuit in ſua poteſtate ſcire, ſiquidẽ Deus *impoſſibilia non iubet*, vt definit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. *Sed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuvat vt poſſis.* Vnde meritò docebat Auguſtinus lib. de nat. & gratia cap. 67. & lib. 1. de libero arbitrio cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras.*

49 Quare ſicut illa, quæ fiunt ex iuris poſitivi, aut facti ignorantia, ſi hæc ſit omnino antecedens, & involuntaria, ſunt inculpabilia; ita quæ fiunt ex iuris naturalis ignorantia erunt inculpabilia, ſi talis ignorantia fuerit omnino antecedens & involuntaria, id eſt, nec directè neque indirectè volita. Reſpondet Gummarus Huygens apud Vlicum [illegible] diſparitatem eſſe magnam; nam in [illegible] affectus agẽtis ferri poteſt in õb[illegible]fferens, vel in obiectum honeſtũ, [illegible] hominem involuntariè, putans eſſe feram, vel ſi in bello iuſto commiſſurõ, nẽ, errore involuntario perſuaſus eſſe hoſtẽ: nam in his illud ipſum eſt obiectũ affectus, quod eſt cognitionis, nimirum occidere feram, vel hoſtem. Secùs dum agitur ex ignorantia iuris naturæ, vt ſi quis mentiatur officioſè, etſi exiſtimet hoc licitum; etenim affectus obiectum eſt res ex ſe inordinata, & legi naturæ cõtraria, etiamſi inordinatio & contrarietas ad legem æternam lateat ipſum agentem; nã in caſu poſito vult ipſum mendacium, quod eſt res revera inordinata, ac legi æternæ contraria, vult, ait Auguſtinus, voluntate facti, non voluntate peccati, id eſt, vult factum, quod eſt inordinatum, & revera legi æternæ contrarium, ſed cùm neſciat eſſe peccatum, non ita propriè cenſetur velle peccatum, & quamvis velit ex ignorantia, quæ ſupponitur nõ eſſe voluntaria, vult tamen ex ignorantia per peccatum originale ſcilicèt introducta. Hucuſque Gũmarus.

50 Sed contrà: quia nulla eſt ſolida diſparitas inter violationem legis naturalis cum ignorantia involuntaria malitiæ, & comeſtionem carnium die veneris cum ignoratione involuntaria præcepti prohibentis comeſtionem carnium die veneris. Quòd enim comeſtio carnis die veneris non ſit ex ſe mala; quia potuit non prohiberi, probat quidem potuiſſe affectum comedendi carnes die veneris non eſſe malum; nempe pro caſu, in quo non daretur prohibitio. At ſi ſemel mendacium officioſum eſt verè & propriè peccatum, quãvis proferatur ab homine invincibiliter ignorante prohibitionem; quia mendacium illud revera eſt quid inordinatum & legi æternæ contrarium. Similiter comeſtio carnium die veneris erit peccatum verè & propriè, quamvis fiat ab homine invincibiliter ignorante prohibitionem: quia comeſtio illa revera eſt inordinata, & cõtraria legi Eccleſiaſticæ prohibenti. Sicut enim mendacium à parte rei eſt prohibitum, licèt mentiens hoc neſciat; ita comeſtio carnis à parte rei eſt prohibita, licèt comedens hoc neſciat. Et ſicut in eo caſu mentiens vult mendacium, quod legi æternæ eſt contrarium; ita comedens in caſu vult comeſtionem, quæ revera legi Eccleſiaſticæ eſt contraria. Et ſicut mendacium in caſu eſt voluntarium voluntate facti, licèt non voluntate peccati; ita in caſu comeſtio eſt voluntaria voluntate facti, licèt nõ voluntate peccati.

51 Neque refert, quòd mendacium non potuit non fuiſſe vetitum; comeſtio autẽ carnis potuit non eſſe prohibita. Hæc enim diſparitas ad rem non facit. Nam quamvis comeſtio carnis potuerit non eſſe prohibita, poſita tamen *prohibitione non* minus eſt prohibita,

bita, & obiectivè mala, quam mendacium, ac proinde comedens non minus fertur in rem obiectivè malã, & prohibitam, quàm mentiẽs.

Quare quemadmodum comeſtio carnis ſolùm poteſt eſſe mala formaliter, quando fit cum cognitione prohibitionis, vel cum ignorantia voluntaria, & culpabili, ſive ſit affectata & directè volita, ſive ſit indirectè tantùm volita, proveniens ex negligentia culpabili inquirendi exiſtentiam prohibitionis. Ita prolatio mendacij ſolùm poteſt eſſe mala formaliter, quando fit cum advertentia malitiæ, vel cum ignorantia voluntaria & culpabili malitiæ.

52 Tertiò oſtenditur ex doctrina Auguſtini, non ſufficere libertatẽ facti ad peccatum propriè tale, ſed requiri libertatem peccati, quæ importat vel advertentiam actualem malitiæ, vel ſupponit in operante fuiſſe poteſtatem ſciendi malitiam, & ſua culpa illam ignorare. Primò ad hoc probandum facit egregius textus ſancti Doctoris libro 1. de libero arbitrio cap. 19. vbi inquit: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* Verbum illud *quod* bifariam poteſt intelligi, vel in ratione adverbij, vt ſenſus ſit, *non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras*, id eſt non tibi vertitur vitio ignorantia, quam invitus pateris, ſeu quod labores ignorantia omninò invitus: vel poteſt intelligi in ratione nominis relativi, vt ſit ſenſus, *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras*, id eſt illud, quod invitus ignoras, ſeu illud factum, quod invitus ignoras eſſe peccatum. Certum autem apparet ex contextu intelligi hoc ſecundo modo, vt patet ex verbis, quæ immediatè ſubiungit, *ſed quòd negligis quærere, quod ignoras.* Manifeſtum eſt enim in ijs verbis particulam *quod* non referri ad ipſam ignorantiam, alioqui quærenda eſſet ipſa ignorantia, & peccaret homo eo quòd non quæreret ignorantiam. Ergo particula illa *quod* non refertur ad ignorantiam, ſed ad opus, ſeu exercitium, quod ignoratur eſſe peccatum. Et hunc eſſe ſenſum illorum verborum, confirmant verba, quæ ſequuntur: *Neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* Sicut enim in prima parte huius textus loquutus fuerat de ijs, qui ex ignorantia agebant contra legem; ita in hac ſecunda parte agit de ijs, qui ex concupiſcentia agunt contra legem. Et ſicut in priori dixerat non deputari ad culpam id, quod fit ex ignorantia invita: ita in poſteriori dicit non deputari ad culpam, quòd vulnerata membra non colligis, quando nimirum deeſt poteſtas colligendi, id eſt, non deputari ad culpam id, quod fit ex concupiſcentia neceſsitante, & auferente poteſtatem proximam reſiſtendi. Et ſicut in priori dixerat, tunc peccari ex ignorantia, quando hoc oritur ex negligentia: ita in poſteriori dicit tunc peccari ex concupiſcentia, quando poteſtas ſanitatis nobis facta eſt, & eam contemnimus; liberè ſuccumbentes tentationi, ſeu concupiſcentiæ conſentientes: ergo planum eſt, apud Auguſtinum neque eſſe peccatum ignorantiam legis, quam quis invitus patitur, neque eſſe peccatum opus illud, quod quis facit contra legem cum illa ignorantia invitâ, ergo certum eſt, apud Auguſtinum non ſufficere libertatem facti, ſed requiri libertatem peccati, ad hoc vt quis peccet peccato propriè dicto reddente hominem dignum pœna.

53 Secundò ad hoc probandum facit alius textus præclarus ex libro tertio de libero arbitrio; cùm enim Sanctiſsimus Doctor ſæpe docuiſſet, ad peccandum requiri voluntarium, requiri libertatem, requiri cognitionem malitiæ vel ſaltem proximam poteſtatem cognoſcendi malitiam; tandem cap. decimo octavo illius libri, quaſi in compendium redigens omnia, quæ dixerat, ſic Enochium Manichæum alloquitur: *Reminiſcere ſuperiorum, quæ à nobis tam multa de peccato & voluntate libera dicta ſunt. Sed ſi laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſsimum tene. Quæcumque iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei cedítur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit in cautum? Ergo caveat ne fallatur: an tanta fallacia eſt, vt caveri omnino non poſsit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt.* Ergo ex mente ſancti Auguſtini illud opus, quod quis facit contra legem naturalem, exiſtimans per errorem invincibilem, & omnino involuntarium, illud opus eſſe honeſtum & à Deo præceptum, non eſt peccatum propriè tale; hoc enim opus cavere nequit homo. Quomodo enim cavere poteſt illud, quod invincibiliter ignorat eſſe malum; & potiùs exiſtimat eſſe bonum, & ſub præcepto cadens? Fieri quidem poterit, vt homo omittat illam actionem contrariam legi naturali, quam actionem ipſe exiſtimat eſſe bonam, & ſibi ex præcepto iniungi; ita poteſt tamen non poteſt vt illam [illegible] tamen enim ſignificat, actionem cavere [illegible] facere nem omittere. Sic cæcus [illegible]

non cadere in foveam, quam penitus ignorat, nequit tamen foveam illam cavere. Poteſt non occurrere vrſo in agro commoranti, illum tamen cavere non poteſt: quomodo enim cavebo hoſtem, ſi penitus ignorem, an talis hoſtis detur, & nullum ſit mihi principium ad cognoſcendum, illum hoſtem mihi imminere? Ergo ſi ex ignorantia penitùs involuntaria certò mihi perſuadeam, furtum v. g. in certis quibuſdam circunſtantijs eſſe mihi lege charitatis præceptum, vt pauperi ſuccurram, illud cavere non potero. Quid enim me movebit vt furtum fugiam? An lex illud prohibens? At illam invitus ignoro, & mihi tanquam certum perſuadeo, non dari legem, quæ mihi in ijs circunſtantijs furtum prohibeat; ſed potius dari legem, quæ mihi furtum præcipiat: ergo furtum in eo caſu cavere non poſſum, licèt poſsim non furari. Ergo furtum in eo caſu peccatum non eſt: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* Ergo ex mente ſancti Auguſtini ad peccandum peccato formali propriè tali, non ſufficit libertas facti, ſed requiritur libertas peccati.

54 Denique ad hoc ipſum probandum facit textus Auguſtini lib. 1. retract. cap. 13. vbi ait: *Vſque adeo peccatum malum voluntarium eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* At quando quis agit cõtra legem naturalem invincibiliter ignorans, ſe in hoc peccare, ſed potiùs per errorem exiſtimans ſe obſequium præſtare Deo: peccatum non eſt illi voluntariũ; quia nequit alicui eſſe voluntarium id, quod ei nunquam in mentem venit, neque vt veniret fuit in eius poteſtate; neque enim tunc expreſsè & formaliter vult peccatum, quãdo nihil de peccato ſuſpicatur; neque interpretativè, quando ignorantia illa nullo pacto fuit ipſi voluntaria: nullo ergo pacto quis in illo eventu vult peccatum. Ergo peccatum nõ eſt tunc illi voluntarium. Solùm ergo eſt illi voluntaria illa actio materialis, quæ eſt contraria legi, non quatenus reipſa contraria legi, ſed quatenus in apprehenſione eſt bona & honeſta. Verùm quidem eſt Iudæos exiſtimantes, ſe obſequium præſtare Deo perſequendo Apoſtolos, revera peccaſſe formaliter, & peccato propriè tali, perſequendo & occidendo Apoſtolos: cæterum ideo peccarũt, quia error ille fuit in illis peccaminoſus, & voluntarius, excæcavit enim eos malitia eorum, ne viderent lucem miraculorum Chriſti, & diſcipulorum ſanctitatem vitæ, & veritatem doctrinæ, eiuſque conſonantiam cum ra- [illegible] ideo peccatum fuit illis interpretati- [illegible] effectus à p[illegible]m.

Quare ignorantia illa non fuit [illegible] vincibilis, imo craſſa in ple- riſque, ſupina, & affectata. *O error horrendus! . . . O execrabilis cæcitas!* (exclamat Auguſtinus tract. 93. in Ioan.) *obſequium ſe putant præſtare Deo, interficiendo famulos Dei.* Et ibidem tract. 89. *Qui cùm audirent, contempſerunt, vel etiam reſtiterunt, neque tantùm contradicendo, ſed & eos, à quibus audierunt, odijs perſequendo.* Quæ omnia ſatis probant, eorum errorem, quo exiſtimabant ſe obſequium præſtare Deo, perſequendo Apoſtolos, fuiſſe eis voluntarium, & peccaminoſum; & propterea non potuiſſe eos à culpa excuſare. Idque declarat egregiè Divus Thomas 3. parte quæſtione 47. articulo 5. corp. ijs verbis: *Sciendum tamen, quòd eorum ignorantia non eos excuſabat à crimine, quia erat quoddamodo ignorantia affectata, videbant enim evidentia ſigna diuinitatis ipſius: ſed ex odio & inuidia Chriſti ea pervertebant, & verbis eius, quibus ſe Filium Dei fatebatur, credere noluerunt.* Et ibidem: *Ad tertium dicendũ, quòd ignorantia affectata nõ excuſat à culpa, ſed magis videtur culpam aggravare: oſtendit enim hominem ſic vehementer eſſe affectum ad peccandum, quod vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet.* Et in eadẽ quæſtione ar. 6. c. *Principes Iudæorum cognoverunt Chriſtum; & ſi aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorãtia affectata, quæ eos non poterat excuſare.*

56 Vltimò oſtenditur non ſufficere libertatem facti, ſed requiri libertatem peccati, ad peccandum formaliter: quæ libertas ſupponat cognitionem formalẽ malitiæ, vel cognitionem interpretativam, imbibitam in ignorantia malitiæ craſſa vel affectata, qui enim ignorat malitiam, quia vult, & cum hac ignorantia operatur, perinde ſe habet ac ſi operaretur cognoſcens eſſe malum id quod facit. Probatur, inquam, vltimò ex Bulla Pontificiã contra Baium; in qua articulus 46. damnatus eſt hic: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Ergo certum eſt, *ad rationem & definitionem peccati pertinere voluntarium.* At hoc certum non foret, ſi ad peccatum formale ſufficeret libertas facti cum ignorantia omnino antecedenti & involuntaria malitiæ. Ergo certum eſt non ſufficere, ac proinde certum eſt requiri libertatẽ peccati. Probatur minor: quia ei, qui liberè profert mendacium ad liberandum hominem à morte, invincibiliter ignorans mendacium tunc eſſe malum, imò certò ſibi perſuadens, mendacium tunc eſſe honeſtum, & debitum ex præcepto, peccatum mendacij in ratione peccati nullo pacto eſt voluntarium; quia tunc nec formaliter neque interpretativè vult pec-

ca-

catum mendacij; ſed potius vult actionem mẽtiendi vt bonam & honeſtam, minimè voliturus, ſi cognoſceret eſſe turpem. Ergo ſi vera ſit ſententia Ianſenij de ignorantia invincibili non excuſante à culpa, falſa erit ſententia Pontificum definientium, *ad rationem & definitionem peccati pertinere voluntariũ.*

57 Dices, mentem Pontificum ſolùm fuiſſe declarare, nullam operationem humanam poſſe eſſe propriè peccatum, quin ſit in ratione actionis voluntaria operanti, id eſt, proveniens ab intrinſeco ex vi motivi cogniti ab operante, & ipſum impellentis ad operandum; quamvis non ſit voluntaria in ratione peccati. Sed contrà, quia Baius dum *aſſeruit, ad rationem & definitionem peccati non pertinere voluntarium*, non adeo deſipuit, vt affirmaverit, poſſe aliquam actionem eſſe peccatum, quin ſit voluntaria, id eſt proveniens ab intrinſeco ex vi cognitionis finis, ſeu motivi impellentis ad ponendam illam actionem; cùm ex terminis notum ſit, non poſſe hominem peccare in opere, quod exercet invitus, & ab extrinſeco coactus. Ergo ſolùm Baius docuit, *ad rationem & definitionem peccati non pertinere voluntarium ipſius peccati*, ſeu non requiri libertatem peccati ad peccandum formaliter, ſed ſufficere libertatem facti, id eſt, ſufficere quòd liberè ponat actionem contra legem, quamvis id præſtet ignorans invincibiliter, actionem illam eſſe malam. Quare Pontifices condemnantes illam propoſitionem Michaelis Baij, virtualiter videntur declaraſſe omnem ignorantiam antecedentem, & omnino involuntariam malitiæ, quæ propterea dicitur invincibilis, omnino excuſſare à peccato propriè tali actionẽ contrariam legi, quamvis ſit contraria legi naturali. Ergo certum debet eſſe, ſolam libertatem facti non ſufficere ad peccandum peccato formali propriè tali.

SECTIO SEPTIMA.

Oſtenditur repugnare, quod quis ex ignorantia involuntaria & invincibili peccet; quia de illo peccato non poſſet pœnitentiam agere.

58 ANTEQVAM Argumentum confi-ciam, ſuppono primò, nullum ab homine in hac vita peccatum committi, de quo pœnitere non poſsit, & per pœnitentiam eius remiſsionem obtinere: vt enim inquit D. Thomas 3. p. q. 86. ar. 1. c. *dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſsit, erroneũ eſt &c. Quod non poſsit per pœnitentiam aliquod peccatum remitti, eſt etiam erroneum.*

Suppono ſecundò, nullum à Deo peccatum perſonale & propria voluntate cõmiſſum, præſertim mortale, remitti ſine pœnitentia. Veritas hæc definita eſt in Tridẽtino ſeſſ. 14. cap. 1. his verbis: *Fuit pœnitentia vniverſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore neceſſaria.* Et c. 4. vbi docemur, *fuiſſe quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum motum contritionis neceſſarium*, nempe illum, de quo immediatè ante dixerat, contritionẽ *eſſe animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccãdi de cætero*: ſiquidem hic dolor ac deteſtatio eſt præcipuus pœnitentiæ actus.

59 Hoc ſuppoſito, iam argumentor. Ponamus Petrum in ijs circunſtantijs fornicarum fuiſſe, in quibus per errorem invincibilem iudicavit ſe ad id lege charitatis obligatum eſſe, nimirum quia fœmina, quam agnovit, ex iudicio Medicorum moritura ſtatim erat, niſi viro commiſceretur. In hoc caſu Petrus peccavit: ergo non poteſt iuſtificari, quin doleat de fornicatione in illis circunſtantijs commiſſa, prout ſic commiſſa; quia prout ſic commiſſa per ſe fuit peccatum mortale. At de illa vt ſic commiſſa dolere non poteſt: ergo non poteſt iuſtificari. Probatur minor; quia neque dolere poteſt dum perſeverat error invincibilis; quia dolor eſt actus voluntatis, & hic non poteſt ferri ſupra malum omnino latens, & reputatum bonum & quomodo fieri poteſt, quòd quis ſanctè & honeſtè doleat de actu, quẽ putat fuiſſe actum charitatis ex præcepto debitum? Nec poteſt dolere, poſtquam cognovit fornicationẽ ſimpliciter ſemper eſſe intrinſecè malam, & iure naturali prohibitam; ac proinde dum omninò deprehendit ſuum errorem præteritum, & verè iudicat, ſe erraſſe dum iudicavit, fornicationem in illis circunſtantijs eſſe actum charitatis debitum ex præcepto: quia neque dolere poteſt de illo errore tanquam de culpa, ſiquidem error ille fuit omninò involuntarius & invincibilis, atque adeo inculpabilis: neque dolere poteſt de eo, quòd ſuppoſito illo errore, fornicationẽ exercuerit: hic enim actus nequit eſſe honeſtus & ex præcepto debitus: Pœniteat me de eo, quòd fornicatus fuerim in circũſtantijs, in quibus iudicavi fornicationẽ eſſe actum charitatis ex præcepto debitum. Nam ita acceſsit ad fœminam titulo charitatis, vt nullo modo acceſſurus fuiſſet, ſi ſuſpicaretur id eſſe malum: & acceſ[illegible] habuit firmum propo[illegible] moriendi, quàm mortaliter pecc[illegible]

60 Confirmatur: qui [illegible]

ignorantia invincibili ita affici erga rem, quã per errorem iudicat eſſe honeſtam & ex charitate debitam; vt ideo præcisè faciat, quia iudicat, ſe peccaturum ſi omittat; & nullo modo facturus fuiſſet, ſi ſuſpicaretur illam eſſe prohibitam. In hoc autem eventu dolere non poteſt de re illa à ſe facta ſub illis circunſtantijs. Veriſimè enim tunc poteſt Deo dicere: *Domine rem illam feci, quia quando feci, certus ſui me peccaturum in te; niſi illam facerem.* Hoc autem ſuppoſito, non poteſt detecto errore, ſic addere ex affectu virtutis pœnitentis proprio: *Sed nunc poſtquam didici rem illam eſſe lege tua prohibitam, quod tunc nec ſuſpicare quidem potui, doleo quòd non elegerim eam partem, qua te offenſum iri indicabam.* Hæc enim non eſſet pœnitentia de peccato, ſed dolor de eo quòd non peccaverit, & Deum non offenderit, qui eſt actus vitioſus. Quis enim non videat, hunc actum eſſe pravum & peccaminoſum: *Doleo, quòd non fecerim id, quo tunc, quando operabar, iudicabam te offendendum?* Ergo impoſsibile eſt, vt quis poſsit verè & virtuosè dolere de actu à ſe facto contra legem, ſi illum fecit ignorantia invincibili, quâ ſibi perſuaſit illum actum eſſe honeſtum & ſibi præceptum, & per conſequens Deum offendendum, ſi illum omitteret.

Aliter ſe res habet, quando quis peccat ex ignorantia vincibili: quamvis enim in eo inſtanti, in quo agit contra legem, exiſtimet ſe obſequium præſtare Deo in exercendo illo opere, & nulla tunc occurrat ſuſpicio de malitia, ſed omnimoda ſecuritas de bonitate in apprehenſione ſua; ſi tamen hic error, & falſa ſecuritas ortum trahit ex negligentia culpabili antecedenti, & fuit ſaltem indirectè volitus, quando culpabiliter neglexit ſcire & addiſcere, quod ſcire tenebatur: tunc benè poſtea cõperto errore ſuo, poteſt dolere de eo opere, quia poteſt dolere de ſua negligentia præterita, quâ in errorem inductus fuit, & pœnitere, quòd per ignorantiam voluntariam egerit cõtra legem divinam; & cum Propheta clamare: *Ignorantias meas ne memineris Domine.*

61 Sed alia via validè probatur aſſumptum huius ſectionis: nam Deus nunquam remittit peccatum, quin præcedat *verus animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*; vt conſtat ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. & hoc propoſitum debet eſſe efficax, & incompoſsibile cum omni peccato actuali mortali; implicat quòd homo efficaciter proponat nõ [illegible] ſimul eliciat affectum peccandi. Ergo certum eſt dolorem requiſitum ad remiſſionem mortalium excludere voluntatem peccandi. Hinc elicitur, nõn poſſe vnquam iuſtificari hominem illum, qui iuxta Ianſeniſtas commiſsit peccatum mortale cum ignorantia involuntaria & invincibili malitiæ, imò cum perſuaſione quòd actus à ſe eliciendus erat honeſtus, & ex præcepto debitus: non poſſe, inquam, iuſtificari, ſaltim quandiu error ille involuntarius perſeverat. Probatur ſequela, quia homo ille neque per baptiſmum, neque per Sacramentum pœnitentiæ, neque per martyrium iuſtificari poteſt, quin habeat dolorem efficacem de peccatis commiſsis, qui excludat voluntatem peccandi, quatenus includit propoſitum efficax non peccandi. Hunc autem dolorem concipere non poteſt homo ille; quia ſi peccavit mortaliter contra legem naturalem dum fornicatus eſt in circũſtantijs, in quibus iudicavit ſe lege charitatis obligatum eſſe fornicari; & perſeverat in hoc errore; certè quamvis alia peccata confiteatur, quę ſcienter commiſsit, & efficaciter proponat nõ peccare deinceps, hoc propoſitum nequit excludere voluntatem fornicandi in ijs circunſtantijs, in quibus homo ille iudicat per errorem invincibilem ſe obligatum eſſe fornicari: imò contritio illa, cùm obliget ad concipiendam voluntatem adimplendi omne præceptum, eum obligat ad concipiendam voluntatem fornicandi, quando occurrant illæ circunſtantiæ: At hæc voluntas per te eſt peccatum mortale: ergo illa contritio eum obligat ad peccatum mortale; illudque ſecum affert: ergo contritio in homine per errorem invincibilem iudicante fornicationem in certis circunſtantijs eſſe actum charitatis ex obligatione faciendum, nequit eſſe ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem, ſi ſemel cum illo errore invincibili facta fornicatio ſit peccatum mortale, vt dicunt Ianſeniſtæ.

62 Quare peccator ille nunquam poteſt iuſtificari; neque per charitatem Dei ſuper omnia, neque per Sacramentum quodcumque, neque per ipſum martyrium. Non per charitatem Dei ſuper omnia, quia ex ſententia Ianſenij & Ianſeniſtarum, quam impugnamus, ſequitur non eſſe poſsibilẽ amorem Dei ſuper omnia incompoſsibilem cum omni peccato mortali actuali; nã cũ quovis actu amoris Dei etiam perfectiſsimo ſtare poteſt voluntas faciendi illud, in quo nulla apparet ratio mali, & multò magis faciendi illud in quo apparet ratio boni & charitatis At hoc per te ſæpe eſt peccatum mortale, nempe quoties cognitio illa eſt erronea, & obiectum eſt prohibitum lege naturali: ergo ex ſententia Ianſeniſtarum ſequitur, non eſſe poſsibilem amorem Dei incompoſsibilem cum omni peccato mortali, ſeu qui excludat omnem voluntatem peccãdi.

At

At homo nequit iuſtificari per charitatem Dei ſuper omnia niſi illa excludat omnem voluntatem peccandi: ergo ex ſententia Ianſenij ſequitur, hominem non poſſe extra Sacramentum iuſtificari per dilectionem Dei ſuper omnia, ſequitur etiam non poſſe iuſtificari intra Sacramentum, nec per martyrium. Nam nec intra Sacramentum neque per martyrium poteſt iuſtificari peccator, quin habeat dolorem efficacem, ſaltem attritionis, qui omnem voluntatem peccandi excludat. Atqui hic dolor non eſt poſsibilis in principijs Ianſenij, vt nuper probatum eſt, ergo &c.

63 Confirmatur: quia ſi poſsibile eſt hominem peccare per ignorantiam invincibilem, & omnino involuntariam, impoſsibile eſt, vt dum homo confitetur peccata præterita, vel de illis dolet per contritionem efficacem, ſive perfectam, ſive imperfectam; concipiat propoſitum ſerium, & efficax nunquam peccandi mortaliter: ergo impoſsibile eſt, vt iuſtificetur. Patet conſequentia, quia ſine hoc propoſito nunquam homo iuſtificatur. Aſſumptum antecedentis probatur: quia ſi poſsibile foret hominem peccare per ignorantiam invincibilem, propoſitum nunquam peccandi eſſet propoſitum nunquam comittendi peccatum etiam per ignorantiam invincibilem; hoc autem propoſitum ſerium & efficax eſt impoſsibile, quia neque homo poteſt concipere propoſitum efficax nihil deinceps ignorandi circa ius naturale; quia hoc eſt propoſitum de re impoſsibili, nemo enim poteſt vincere ignorantiam invincibilem, quæ hic ſupponitur poſsibilis: neque poteſt ſtatuere à ſe amovere ignorantiam illam, quæ ipſi accidere poteſt abſque aliqua eius culpa & omnino involuntariè, neque item poteſt virtuoſe & ſancte proponere non exequi illud quod conſcientia dictat eſſe honeſtum, & debitum ex præcepto; ne ſi forte illa conſcientia ſit erronea, exequatur illud quod reipſa eſt contrarium legi naturali: impius enim foret, qui apud ſe ſic ſtatueret: *Quoties alterutra pars eligenda mihi ſit, ſemper illam eligam, quam conſcientia id loci & temporis dictaverit eſſe malam; veritus ſcilicet, ne altera pars, quam conſcientia vt licitam & ex præcepto debitam proponit, fortaſis vetita ſit.* Ergo impoſsibile eſt propoſitum virtuoſum ſerium & efficax nunquam peccandi per ignorantiam invincibilem iuris naturalis, quę proponat vt præceptum & debitum id quod reipſa eſt lege naturali prohibitum. Atqui ad veram pœnitentiam requiritur propoſitum efficax nunquam peccandi mortaliter: ergo impoſsibile eſt peccatum mortale propriè tale, ſeu quod reddat hominem reum culpæ, & pœnæ, commiſſum per ignorantiam invincibilem, ſeu omnino involuntariam operanti.

64 Ex dictis infertur irritas eſſe omnes confeſsiones, quas durante errore illo *invincibili* fecit peccator ille nam irrita eſt omnis confeſsio, in qua non reperitur dolor efficax peccatorum excludens omnem voluntatem peccandi. Atqui quandiù homo eſt ſub illo errore, non poteſt dari dolor efficax excludens omnem voluntatem peccandi; vt probatum manet: ergo quandiù homo eſt ſub illo errore irritę ſunt ac nullæ omnes confeſsiones. Quod irrita ſit, ac nulla omnis confeſsio, quam non comitatur dolor efficax de peccatis excludens omnem voluntatem peccandi; latè à me probatur ex Tridentino tom. 3. diſp. 41. vbi oſtendo propoſitum efficax non peccandi non ſolum requiri ad fructum, ſed etiam ad valorem Sacramenti.

65 Hinc deducitur, reiterandas eſſe omnes confeſsiones, quas homo fecit, dum fuit ſub illo errore; quia omnes confeſsiones irritæ, & nullæ ſunt reiterandæ; vt demõſtravi ea diſp. 41. ſect. 13. Omnes autem confeſsiones factæ ab homine exiſtente ſub illo errore fuerunt nullæ. Idque verum eſt, ſive homo quando confitetur iam fecerit aliquid contra ius naturale per ignorantiam invincibilem; ſive nihil adhuc fecerit: quia propoſitum requiſitum ad valorem confeſsionis non ſolum debet eſſe evitandi peccata in confeſsione expoſita, id eſt non comittendi alia ſimilia; ſed evitandi omnia mortalia, etiam illa, quæ nunquam admiſsit.

66 Quod iteranda ſit confeſsio peccatoris, qui ante illam per ignorantiam invincibilem egit aliquid contra ius naturale, quando poſtea detegat illum errorem, tradunt ipſi Ianſenij Sectatores. Nam Gerardus Vanverm Sacræ Theol. Doctor Levanienſis anno 1670. hanc celebrē dedit Theſim, (vt habetur in ſpecimine doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis ex Academia Lovanienſi part. 2. cap. 5. §. 10.) *Quicumque deprehendit, ſe aliquo tempore per ignorantiam iuris naturæ contra illud graviter deliquiſſe, omnes confeſsiones ſuas, quas tempore illo durante fecit, debet reiterare. Neque talis ſibi perſuadeat, quod talia ignorantiæ peccata per generalem confeſsionem fuerint indirectè remiſſa. Neque per hoc, quod quis non ſit confeſſus aliqua, quia ea peccata eſſe neſciit, excuſatur à confeſsione eorum, vbi ea peccata mortalia eſſe reſciuit, & conſequenter non etiam à repetendis c[illegible] ſua per[illegible] nibus ob affectum erga illa int[illegible] rantem inutiliter factis.* It[illegible] ſit fatere[illegible] van Vianen Sacræ Theolog. D[illegible] tracere[illegible]

no 1671. aſſertionem eiuſdem, ſic dedit expreſſam. *Si confitens deprehendatur iam ab anno commiſiſſe peccatum grave contra naturam ex ignorantia iuris naturæ, neque clavibus illud ſubiecerit, quia peccatum eſſe ignoravit, regulariter inducì debet, vt confeſsionem faciat generalem totius temporis, quo in affectu erga illud mortale permanſit.*

Denique Macharius Hevermans Sacræ Theologiæ Profeſſor Antuerpiæ anno 1674. in ſuo *Tyrocinio* tract. 1. cap. 8. §. 4. pag. 282. & 283. aſſerit, *Valde probabile eſſe, quod peccator teneatur reiterare ſemper ſuas confeſsiones factas illo tempore, quo ex ignorantia iuris naturæ peccavit.* Clarè ergo docent Lovanienſes iſti, Ianſenij diſcipuli, omnes, qui per ignorantiam invincibilem dereliquerunt contra ius naturæ; & ideo non ſunt confeſsi, quia invincibiliter ignorant ſe peccaſſe contra ius naturæ, eo quod ignorabant opera illa à ſe facta, eſſe contra ius naturæ; reiterare debere confeſsiones omnes interea factas, cum primum cognoverint, opera illa, olim à ſe putata honeſta, fuiſſe reipſa contraria iuri naturæ: quia ones illæ confeſsiones fuerunt inutiles; immo ſacrilegæ ob affectum erga illa peccata ignorantiæ.

67 Et hinc infertur primo, quod ſi iterata confeſsione diſcat homo aliquid novi à ſe commiſſum olim contra ius naturæ, quod non eſt confeſſus, rurſus reiterandas eſſe confeſsiones omnes, etiam illam generalem; quia omnes fuerunt irritæ ob rationem ſupradictam. Infertur ſecundò: ſi aliqua ignorantia peccati cõmiſsi contra ius naturæ adhæreſcat vſque ad mortem, æternis pœnis luendum eſſe peccatum illud contra ius naturæ, quia ab illo neque indirecte quidem fuit abſolutus pœnitens, eo quod dolor extendi non potuit ad peccatum illud: luendas quoque eſſe æternis pœnis omnes confeſsiones factas durante illa ignorantia, omneſque communiones, quia omnes fuerunt ſacrilegæ, vtpote factæ in peccato. Vnde infertur nullum ſuper eſſe remedium homini illi, qui fecit aliquando opus contra ius naturæ, exiſtimans per errorem invincibilem illud opus eſſe honeſtum, & ex præcepto charitatis debitum, ſi error ille vſque ad mortem durat. Quamvis enim ardenter doleat de peccatis, quorum meminit, & ardentiſsimam dilectionem Dei eliciat; non iuſtificabitur; quia dilectio illa non excludit voluntatem committendi opus illud reipſa [illegible] legi naturali, quod pœnitens ille [illegible] pœnam æternam, & ex charitate debi[illegible] ſibi in exc[illegible] opus illud cum illo errore invin[illegible] eſſet [illegible] à pe[illegible]t peccatum mortale, dilectio illa non excludit voluntatẽ peccandi; immo includit; ſiquidem amor ille Dei ſuper omnia, qui ſtante illo errore iudicante opus illud eſſe debitum, elicitur, eſt virtualis voluntas exequendi opus illud, quando occurrat occaſio: ergo eſt voluntas faciendi peccatũ; ſiquia voluntas faciendi peccatum, eſt ipſa peccatum: ergo amor ille non diſponit ad iuſtificationem. Vnde etiam infertur, illam dilectionem Dei ſuper omnia, eſſe & non eſſe dilectionem Dei ſuper omnia: eſſe, vt ſuponitur; non eſſe, quia eſt virtualis amor peccati mortalis; amor autem virtualis peccati, nequit eſſe amor Dei, ſeu per omnia. Ergo ſententia iſta demergit homines in baratrum deſperationis; nullumque relinquit remedium homini qui mortali aliquo crimine ſe inquinavit; & perſeverat vſque ad mortem in errore involuntario, quo abſque aliqua culpa iudicat eſſe licitum opus aliquod, quod reipſa eſt legi naturali contrarium: ſiquidem homo ille nequit elicere contritionem, quæ excludat omnem voluntatem peccandi: ſine contritione autem vel attritione excludente omnem voluntatem peccandi, nequit peccator iuſtificari, & ſalvari.

SECTIO OCTAVA.

Illatio ex dictis contra Gummarum Huygens Doctorem Lovanienſem.

68 AVTHOR Iſte in ſua *Methodo remittendi & retinendi peccata* excuſſa anno 1674. quam iure meritò acri cenſura prohibuit Hiſpana Inquiſitio die 28. Auguſti anno 1682. cum acri & acerbo dolore Doctorum Lovanienſium Ianſenianæ factionis; in hac, in quam, Methodo docuit Gummarus (vt refert Vlicus Ionſon in præclaro opuſculo *Doctrinæ Gummarianæ de ignorantia invincibili*) Sacerdotem extra caſum neceſsitatis abſolutionis beneficium impertiri non poſſe, niſi moralem habeat certitudinem de pœnitentis debita diſpoſitione: ergo cum vera cordis contritio, ſaltem imperfecta, ad diſpoſitionem debitam ſit requiſita; non poterit Sacerdos pœnitentem abſolvere, niſi certus moraliter ſit, ipſum adducere veram contritionem, id eſt, *Verum animi dolorem, ac deteſtationem de peccatis cum propoſito non peccandi de cætero*; ſive ille dolor ſit perfecta contritio, ſive ſit tantum attritio. Arqui iuxta doctrinam Ianſeniſtarum aſſerentium ignorantiam involuntariam iuris naturalis non excuſare à peccato; non poteſt pœnitens adducere ad pedes Confeſſarij hanc contritionem, quandio laborat ignorantia aliqua invincibili iuris naturalis,

qua

quæ videlicet ſibi perſuadeat eſſe licitum aliquid quod eſt iure naturali prohibitum; vt ſuperiori ſect. oſtenſum eſt. Ergo Sacerdos extra caſum neceſsitatis nunquam poteſt abſolvere pœnitentem niſi certus moraliter ſit, illum non laborare aliqua ignorantia invincibili circa ius naturale. At hanc certitudinem nunquam habere poteſt: ergo nunquam poterit abſolvere pœnitentem extra caſum neceſsitatis. Minor conſtat, quis enim dicat omnes fœminas, omnes pueros, omneſque rudes, & agricolas ita penetrare ius naturale, vt in omni eventu diſcernere poſsint, quid ſibi ſit iure naturali permiſſum, quid prohibitum? Cum homines docti poſt multum ſtudium id aſſequi non poſsint. Innumeræ ſunt quæſtiones in Theologia Morali, an hic vel ille contractus ſit licitus, hæc vel illa operatio ſit contra ius naturale; & in his quæſtionibus neceſſe eſt, vt altera pars fallatur, nempe vel pars affirmantium, vel pars negantium. Nemo ergo certus eſſe poteſt, pœnitentem accedentem ad confeſsionem nullam pati ignorantiam circa *ius naturale*. Ergo *iuxta doctrinam* Gummari nullus Sacerdos extra caſum neceſſitatis poterit abſolvere pœnitentes ad ſe accedentes.

69 Sedeat Gummarus confeſsiones auditurus. Accedant ad eius Confeſſionarium Mercatores, qui multos contractus exercent, de quibus controverſia eſt inter Doctores an ſint liciti, quin poſt tot diputationes controverſia ſopiri potuerit, & veritas evidenter deprehendi. Mercatores illi in exercendis *ſui* contractibus ſecuti ſint ſententias probabiles, *quæ* veriſimiliores, & abſolutè veras exiſtimarunt. Gummarus audiens eas confeſsiones, certus eſſe non poteſt, opinionem illam, quam ſecuti ſunt, eſſe veram. Cum enim ius naturale ſit tam multiplex & tam implexum, nullus mortalium ſecluſa revelatione ſecurus eſſe poteſt, quod pœnitens accedens ad confeſsionem depulerit ignorantias omnes circa ius naturæ, & quod in omnibus aſſecutus ſit veritatem.

SECTIO NONA.

Soluuntur Iaſenij argumenta.

70 ARGVIT Primò Adverſarius. Hoc ipſo quod natura humana rationis particeps ſit, & ad Deum tanquam ad finem vltimum ordinata, debet ei talis cognitio naturaliter inſeri, qua eum vt ſuũ finem naturalem poſsit cognoſcere, omniaque ſcire, quæ ad vitam cum honeſtate tranſigendam, qualis naturæ rationali congruit, ſunt neceſſaria: ergo naturali iure vendicat ſibi earum legum cognitionem, quas ſecum affert ipſa natura, & quas homo ex ſuæ naturæ conditione ſervare tenetur. Hæc autem notitia cõplectitur ſcientiam iuris naturalis, cui ea omnia annexa ſunt: ergo ſcientia iuris naturalis connaturalis, & debita eſt naturæ humanæ: ergo non potuit ſine illa cum ignorantia iuris naturalis condi.

71 In primis hoc argumentum probaret, non poſſe hominem connaturaliter produci niſi in eo ſtatu, in quo perfectum haberet vſum rationis prout oportet, vt ſcientia iuris naturalis ei imprimatur: nec enim ei debet imprimi pro eo ſtatu, in quo naturaliter ea vti non poſsit: hoc autem eſt aperte falſum; nam in ſtatu innocentiæ per viam generationis naturalis procrearentur homines; qui tamen non haberent vſum rationis intra vterum matris, nec extra illum in infantia vſque ad determinatum tempus. Vt docent Theologi cum D. Thom. 1. part. quæſt. 101. ergo à fortiori id contingeret in pura natura: nam vt inquit D. Thomas ibi art. 1. eſt naturale homini vt ſcientiam per ſenſus acquirat, & ideo anima vnitur corpori, quia indiget eo ad ſuam naturalem operationem, quod non eſſet verum, ſi ſtatim à principio ſcientiam haberet non acquiſitam per ſenſitivas virtutes.

72 Reſpondeo ergo Deum vt Authorem naturæ non debere per ſeipſum immediate inſerere hominibus cognitionem omnium legum naturalium, ſed ſatis eſſe quod provideat media, quibus manifeſtæ fiant, partim ex lumine ipſis congenito, partim ex aliorum hominum inſtructione, partim ex propria induſtria & labore, partim ex oratione, qua à Deo poſtulent illuminari: ſic enim ſufficienter inſtruuntur, vt vitam honeſtam agant. Cum hac autem providentia connaturali homini componi poſſunt multi errores, & ignorantiæ invincibiles circa iura naturalia: vel quia multæ veritates naturales etiam practicæ, evidentes non ſunt, vel quia ſine longo diſcurſu acquiri non poſſunt, vnde citra peccatum poſſunt ignorari.

73 Quod confirmatur & declaratur: nam quamvis Deus elevaverit naturam ad finem ſupernaturalem videndi Deum vt Trinum; non tamen propterea adſtrictus eſt ad infundendum perſeipſum immediate notitiam legum ſupernaturalium, quæ cum illo fine connexæ ſunt, quales ſunt lex credendi myſterium Trinitatis, & Incarnationis, lex colendi Deum aliquo religionis & ſacrificiorum cultu, & credendi æternum præmium [illegible] ſtorum; & ſupplicium peccatorum, [illegible] tamen fuit, quòd omnibus provideret [illegible] ſit fatere[illegible] cientia per miniſterium cr[illegible]

structionem scriptam, & vocalem hominum, quibus tales leges paulatim innotescant: ergo pariter Deus vt Author naturæ non tenetur per seipsum immediate inferere homini notitiam omnium legum naturalium. Quare sicut suppositâ elevatione potest dari ignorantia invincibilis legum supernaturalium; ita in pura natura posset dari ignorantia invincibilis aliquarum legum naturalium.

74 Arguitur secundò, nam Augustinus ex ignorantia parvulorum arguit originale peccatum: ac proinde ex eius sententia ignorantia per se supponit peccatum, nec potest aliunde quam à peccato manare; nam si posset, non esset legitima argumentatio Augustini. Assumptum probatur ex lib. 3. de libero arbitrio vbi contra Manichæos negantes peccatum originale sic arguit: *Nunc autem homo non est bonus, nec habet in potestate vt bonus sit, siue non videndo qualis esse debeat, siue videndo, & non valendo esse, qualem debere esse se videt: pœnam istam esse, quis dubitet? Omnis autem pœna, si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur: si autem iniusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, iniusto aliquo denominante homini imposita est. Porò, quia de omnipotentia Dei, & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur, &c.* Ergo Augustinus tanquam certum supponit esse pœnam peccati ignorantiam illam, qua homo non habet in potestate vt bonus sit, non videndo qualis esse debeat; vnde statim concludit: *Relinquitur ergo vt hæc pœna de damnatione veniat.*

75 Quod magis confirmatur ex his, quæ immediate subiungit: *Nec mirandum est*, inquit, *quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat; vel resistente carnali consuetudine, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere: illa est enim peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque illud, quo benè vti noluit, cum sine vlla posset difficultate, si vellet, id est, vt qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectè facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit: nam sunt revera duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas; ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus afligit; sed approbare falsa pro veris, vt erret invitus, & non* [illegible] *libidinosis operibus temperare, non* [illegible] *pœna instituti hominis, sed pœna dam*[illegible]*nus ergo ex ignorantia & difficultate, quæ à peccato originali, & concupiscentia reddente difficilem legis, arguit peccatum originale, sentitque, quia Adam habuit plenissimam scientiam, & liberrimam facultatem ad operandum rectè, & nihilominus sciens peccavit, seipsum & posteros implicasse ignorantia, & difficultate. Cum enim de libera facultate rectè faciendi hic loquitur, de illa loquitur, in qua primus homo factus est, vt ipse expressè animadvertit: ergo ex mente Augustini ignorantia iuris naturalis, & difficultas rectè operandi proveniens ex concupiscentia, ex se supponunt peccatum. Ergo repugnat status puræ naturæ, in quo homo absque peccato involvatur illis ignorantiæ tenebris, & eam rectè operandi difficultatem patiatur.

76 Quod rursus confirmatur: nam idem Augustinus lib. 1. de peccat. merit. ex ignorantia parvulorum peccatum originale colligit, dicens: *In illas igitur ignorantiæ densissimas tenebras, vbi anima infantis recentis ab vtero, vtique anima hominis, vtique anima rationalis non solum indocta, verum etiam indocilis iacet: quare, aut quando, aut vnde contrusa est, si naturæ est hominis sic incipere, & non iam vitiosa est ista natura? Cur non talis creatus est Augustinus? Cur ille capax præcepti, & valens vxori & omnibus animalibus nomina imponere: iste autem nesciens vbi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit, tam reus dilecti; nec dum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine involutus & pressus, vt nec tanquam de somno excitari possit, vt hæc saltem demonstrata cognoscat &c.* Et cap. seq. reddit rationem cur talis non sit creatus Adam, dicens: *Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato, non est creatus in carne peccati: nos ideo tales, quia illius præcedēte peccato nati sumus in carne peccati.* Ergo sentit Augustinus omnino repugnare, vt quis concipiatur in tantis ignorantiæ tenebris, nisi concipiatur in carne peccati, seu nisi hoc ei contingat in pœnam peccati originalis.

77 Confirmatur tertiò, quia non videtur posse, secluſa culpa, negari hominis proli, quod ab Authore naturæ conceditur pecorum fœtibus. *Quorum pulli*, vt inquit Augustinus ibidem cap. 38. *quamvis sint parvuli, & minutissimi, & currunt & matres agnoscunt, nec sugendis vberibus cura & ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra hominem natum neque ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi ope nutrientis admotis labris papillæ vbe-*

vberis ingerantur; nec vbi ſunt ſentiunt, & iuxta ſe iacentibus mammis, magis poſſint eſurientes flere, quam ſugere. Proinde infirmitati mentis congruit hæc infirmitas corporis. Hæc Auguſtinus: ergo tanta ignorantia in infantibus, tantaque carnis infirmitas neceſſario pœnalis eſt, vt ibidem cap. 37. docet Auguſtinus dicens: *Etiam ipſa carnis infirmitas neſcio quid, quantum arbitror, pœnale demonſtrat.* Ergo tanta ignorantia, tantaque carnis infirmitas, quanta convenit infantibus in hoc ſtatu, non potuit eſſe ipſis connaturalis, id eſt, abſque vlla culpa in ſtatu puræ naturæ eis conveniens.

78 Reſpondeo, imprimis hoc argumentum ſumptum ab ignorantia parvulorum, quæ ſecundum Auguſtinum pœnalis eſt, non magis procedere de ignorantia iuris naturalis, quam iuris poſitivi & facti: nam de his omnibus ignorantijs indiſcriminatim intelliguntur verba illa Auguſtini: *Approbare falſa pro veris, vt erret invitus, non eſt naturæ inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Deinde denſiſsimæ illæ tenebræ contra Pelagianos obiectæ abſdubio ignorantiam iuris poſitivi comprehendunt. Nam in exemplum harum tenebrarum Auguſtinus ididem ponderat: *Parvulos dum baptizantur ipſis Sacramentis obſiſtere.* Vnde ſi iuxta Ianſenium peccant homines cum faciunt id, quod lege naturali prohibitum eſt, quamvis eius malitiam invincibiliter ignorent: etiam peccabunt parvuli dum reſiſtunt baptizanti, quia faciunt aliquid contra præceptum divinum de ſuſcipiendo baptiſmo.

79 Quare dicendum eſt, Auguſtinum ſolum contendere ignorantiam, & difficultatem eſſe defacto pœnam peccati, quia Adamus ante laptum eas non habuit, nec poſteri eius habuiſſent, ſi ipſe non peccaſſet: & propterea dicit, non eſſe naturam inſtituti hominis, quòd quis erret invitus, ſiquidem Deus naturam humanam in eo condidit ſtatu, in quo non poſſet invita errare: vnde ſic errare eſt pœna peccati: quia enim primus homo ſciens peccavit tranſgrediendo præceptum, quod facilè poterat obſervare, punitus eſt per ignorantiam, & difficultatem. *Vnde in præſenti ſtatu ſunt revera omni peccanti animæ pœnalia iſta duo, ignorantia & difficultas*: quæ [illegible] Adamus non peccaret, nullus haberet [illegible]antiam eorum, quæ facere debet: [illegible]item per concupiſcentiam retraheretu. ab honeſtis operibus, quia tunc omnes eius poſteri fruerentur iuſtitia originali.

80 Et quidem Ianſenius ſtatum puræ naturæ negans poſsibilem, medium non agnoſcit inter peccatum & gratiam, inter ſtultitiam, & ſapientiam. Hoc autem eſt contra Auguſtinum, qui libro 3. de liber. arbitr. cap. 23. & lib. 1. Retract. cap. 9. affirmat poſſe ſtatum quendam medium aſsignari, vt optimè expendit Annatus lib. 5. cap. 7. Quod apertius conſtat ex cap. 24. lib. 3. de libero arbitrio, vbi propoſito huic dilemmati, *Si ſapiens factus eſt primus homo, cur ſeductus? Si autem ſtultus factus eſt, quomodo non eſt Deus Author vitiorum?* Sic reſpondit: *Quæſtio verò natura humana præter ſtultitiam & ſapientiam nullam mediam recipiat affectionem, quæ nec ſtultitia, nec ſapientia dici poſsit?* Quod perinde eſt, ac dicere, non concludere illud dilemma, quia præter illa duo extrema eſt poſsibilis alius ſtatus medius, in quo nec ſapientia ſit, nec ſtultitia. Ergo ſentit eſſe poſsibilem ſtatum puræ naturæ, in quo nec homo haberet eam ſapientiam, in qua Adam conditus eſt, nec eas ignorantiæ tenebras, quas defacto patiuntur eius filij propter peccatum originale.

81 Et id ſolum intendit dum probat, peccatum originale ex denſiſsimis tenebris parvulorum: quia videlicet ſentit Auguſtinus, ſi Adam non peccaret, parvulos recenter natos in ſtatu innocentiæ ſcientiarum notitia imbuendos, & vſu rationis maturandos, immo grandes ſtatim poſt ortum efficiendos; vt enim ait ipſe eo lib. 3. de libero arbitrio cap. 27. *Euæ filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos protinus grandes efficere.* Hoc autem non vt certum, ſed cum dubitatione aſſeruit Auguſt. & cõmuniter negatur à Theol. cum D. Tho. 1. p. q. 101. art. 2. dicente, quod pueri in ſtatu innocentiæ non habuiſſent perfectum vſum rationis, ſicut habituri erant in perfecta ætate. Quamvis autem id verum ſit, habuiſſent tamen perfectiorem, quam nunc, quantum ad ea, quæ ad eos pertinebant, quantum ad ſtatum illum, vt addit ibidem D. Thomas. Item vt docet q. 99. art. 1. licet in ſtatu innocentiæ pueri mox nati non habuiſſent ſufficientẽ virtutem ad movendum membra ad quoſlibet actus; haberent tamen ad actus pueritiæ convenientes, puta ad ſugendum vbera, & alia huiuſmodi, quam tamẽ non habent in hoc ſtatu. Vnde tanta ignorantia, & debilitas, quantam patiuntur parvuli, eſt abſdubio pœna peccati originalis.

82 An vero in alia rerum providentia, in qua Deus produceret primos parentes ſine vllo dono ſupernaturali, & ipſi [illegible] ſtatum [illegible] permanentes aliquo tempore ſine pe[illegible] creaturi eſſent filios cum tanta d[illegible] movenda membra, & tanta ig[illegible] noſcendos parentes, & vber[illegible] ita vt naturaliter caren[illegible]

habent pulli brutorum, quæſtio eſſe poteſt: in qua ſive affirmes, ſive neges, nihil contra nos, nihil in favorem Ianſenij. Veriſimile eſt Auguſtinum ſenſiſſe tantam ignorantiam & debilitatem in pueris neceſſario eſſe pœnalem, & non potuiſſe Deum illas immittere niſi in pœnam peccati. Cæterum oppoſitum videtur probabilius: vt enim inquit D. Thom. 1. p. quæſt. 99. art. 1. *Manifeſtum eſt naturale hoc eſſe quod pueri mox nati non habeant ſufficientem virtutem admovendum membra, quia homo naturaliter habet cerebrum maius in quantitate ſecundum proportionem ſui corporis quam cætera animalia. Vnde naturale eſt quod propter maximam humiditatem cerebri in pueris, nervi, qui ſunt inſtrumenta motus, non ſint idonei ad movenda membra. Vnde ex eo quod quædam animalia ſtatim cum naſcuntur habeat ſufficientem virtutem ad vſum membrorum, non ſequitur quod homini, qui eſt perfectius animal, hoc etiam naturaliter competat.* Vt enim reſpondit D. Thom. ibidem ad ſecundum: *Quod quædam animalia ſtatim nata habeãt vſum membrorũ, non eſt ex eorum nobilitate, cum quædam perfectiora hoc non habeant; ſed hoc eis contingit ex ſiccitate cerebri, & quia actus proprij talium animalium ſunt imperfecti, ad quos etiam parva virtus ſufficere poteſt.*

83 Supplet autem amor & ratio matris quod deficit infanti. Et ideo Author naturæ tam vehementem amorem impreſsit matribus erga filios recenter natos, quia ipſi per ſe non poterant in illa ætate ſibi providere: & ſicut non deficit natura homini in neceſſarijs, quamvis non dederit ipſi arma & tegumenta, ſicut alijs animalibus, quia dedit ei rationem & manus, quibus poſsit hæc acquirere, vt notat D. Thom. 1. 2. quæſt. 5. ad ſecundum ad aliud propoſitum: *Ita non deficit homini recenter nato in neceſſarijs, quia ſupplet amor & providentia matris, quod parvulus per ſe quærere nequit.*

84 Quod autem ex mente Auguſtini non imputentur ad culpam ea quæ fiunt cum ignorantia invincibili quæcumque illa ſit, ſive facti, ſive iuris poſitivi, ſive naturalis, patet ex eodem lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. & lib. 1. Retract. cap. 9. vbi hominibus ſic ob murmurantibus: *Si Adam, & Eua peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, vt cum ignorantia & cæcitate naſceremur?* Quæſtionem ſolvit & ſatisfacit: *Non tibi deputatur ad culpam quæ, quod invitus ignoras, ſed ſi non exquirere quod ignoras, ſi ſtatua [illegible] ſit.* Non ſatisfaceret autem, [illegible] peccatum eſſe violare legem naturalem invincibiliter ignoratam. Statim enim poſſent ſic replicare: per te mihi deputatur ad culpam quod facio contra legem naturalem, quam invitus ignoro: quid autem ego miſer feci, vt naſceret cum hac ignorantia? Aut quomodo potui vt malum vitare quod malum eſſe nullo modo cognovi, neque cognoſcere potui? Hic ſanè obmuteſceret Auguſtinus, & fateri cogeretur ſuam reſponſionem fuiſſe inſufficientem.

85 Patet etiam ex eodem cap. 18. lib. 3. de libero arbitrio, vnde Adverſarij ſumpſerunt argumentum. Nam initio illius capitis in compendium redigens quæ in præcedentibus dixerat, inquit: *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene: quæcumque iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei creditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallatia eſt, vt caveri omnino non poſsit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt.* Sentit ergo manifeſtè Auguſtinus, neminem peccare in eo quod facit cum ignorantia invincibili malitiæ; cavere enim non potuit vt malum id, quod nullo modo cognoſcere potuit eſſe malum. Sentitque aperrè, quoties per ignorantiam peccatur, illam caveri potuiſſe, ac proinde fuiſſe vincibilem. Si ergo Auguſtinus initio capitis 18. & initio cap. 19. docuit omnem ignorantiam invincibilem excuſare à culpa; quomodo potuit in medio capitis 18. oppoſitum tradere?

86 Sed vrgebis ex Ianſenio lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 6. vbi indagans raditem arcanæ ſuæ doctrinæ de peccatis ignorantiæ, admirationem abſtergere conatur, quod in omnibus obcecatis in pœnam ſuorum peccatorum eadem difficultas eſſe videatur, ac tandem colum. 313. concludit: *Cum ergo neceſſe ſit, vt qui diuino iudicio excæcatus eſt, plus offendat, & cadendo vexetur; cur non, & ipſorum peccata propter cæcitatem ante vincibilem, iam invincibilem excuſemus, ſi ignorantia invincibilis illius naturalis iuris excuſat?* Et hac doctrina ſic arguitur: peccat peccato novo proprie tali, qui in pœnam præcedentium peccatorum excæcatus, putat licitum eſſe quod reipſa eſt prohibitum, & ſic contra legem operatur, vt ſiquis in pœnam infidelitatis, & idololatriæ, ita excæcaretur, vt exiſtimaret licitem eſſe ſimplicem fornicationem, & mollitiem, & hoc errore ductus hæc ſcelera perpetraret: ergo etiam peccat peccato proprie dicto, qui in

pœ-

pœnam ſolius peccati originalis per errorem invincibilem iudicat pollutionem voluntariam eſſe licitam, & illam exercet.

Reſpondeo primo, admiſſo antecedenti, negando conſequentiam, quia peccatum perſonale debet eſſe voluntarium, & liberum voluntarietate, & libertate propria ipſius peccantis, ſeu perſonali. Iam verò peccata commiſſa ab homine excæcato per peccata præcedentia ſunt voluntaria, & libera operanti, ſaltem mediate, & in cauſa; at opera facta contra legem ab homine ignorante invincibiliter legem, nequeunt dici voluntaria, & libera in ratione peccati ipſi operanti. Neque ſufficit libertas Adami, eiuſque cognitio, vt opera facta à poſteris contra legem cum ignorantia invincibili malitiæ, ſint ipſis voluntaria, & libera in ratione peccati. De libertate res eſt de fide poſt Bullam Innocentij X. contra Ianſenium, ex qua conſtat: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem indifferentiæ, ſeu libertatem a neceſſitate.* De voluntarietate eſſentialiter importante cognitionem malitiæ, patet: nam ſicut libertas Adami non ſufficit, vt ſit nobis libera actio facta cum neceſſitate antecedenti; ita cognitio malitiæ reſidens in Adamo non ſufficit vt ſit nobis voluntaria malitia operis à nobis facti cum ignorantia invincibili malitiæ. Quod confirmo: nam vt inquit Auguſtinus epiſt. 105. *Inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis*: ergo ad peccandum peccato actuali, & perſonali requiritur propria voluntas: ergo & propria libertas, & propria cognitio: ergo non poſſumus peccare actualiter per actionem, quæ ſolum nobis fuit libera in Adamo: vel cuius malitiam ſolus Adam cognovit; nos autem neque cognovimus, neque cognoſcere potuimus. Probatur conſequentia: quia cum tria ad peccandum requirantur, nempe voluntas, libertas, & cognitio; ſicut voluntas debet eſſe in nobis peccantibus, ita & libertas, atque cognitio.

Reſpondeo ſecundo, hominem, qui aliquando cognovit malitiam fornicationis, & aliorum criminum, nunquam ita obcæcari ob præcedentia peccata, vt non remaneat in ipſo ſufficiens lux, & poteſtas ad detegendam malitiam. Vnde hæc eſt illi voluntaria, non ſolum quatenus voluntarium fuit ipſi peccatum, ob quod obcæcatus eſt, ſed quatenus ipſa ignorantia eſt ipſi voluntaria, vel quia eſt affectata, eo quod noluit intelligere, vt benè ageret; vel quia eſt craſſa, & ſupina, vtpote orta ex negligentia culpabili.

SECTIO DECIMA.

Exponitur Auguſtini locus circa peccata facta cum ignorantia & neceſſitate.

87 LOCVS, Inquam, ille, quo præcipuè nititur Ianſenius ex illo cap. 18. lib. 3. de libero arbitrio vbi poſt verba num. 84. relata immediate ſubiungit: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda indicantur.....Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere, & non poteſt, &c.* Infertur, inquam, expoſitio huius loci. Nam quoad primam eius partem de ignorantia reſp. Auguſtinum ibi loqui de ignorantia vincibili, quæ indirecte voluntaria eſt, quatenus fuit in poteſtate peccantis diligentiam adhibere ad veritatem cognoſcendam, quam non adhibuit paſsione ſua obcæcatus, & talis fuit ignorantia Apoſtoli, quia ille prædicantes Apoſtolos, & Stephanũ pro Chriſto morientem audierat, facileque poterat ignorantiam deponere, ſi vellet ad miracula Chriſti adnimadvertere. Et ideo D. Thom. 1. 2. quæſt. 76. art. 4. ad explicandum quo pacto ignorantia, quæ indirecte voluntaria eſt, ac proinde vincibilis, peccatum extenuet, adducit illud Apoſtoli, *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Quod expendens Conradus ad eum locum D. Thomæ inquit: *Patet quod verbum Apoſtoli intelligitur de ignorantia, quæ ſit cauſa peccati, non tamen fuit invincibilis, ſed vincibilis.*

88 Quod confirmatur ex verb. Chriſti Luc. 12. *Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quem locum exponens Theodoretus in catena D. Thomæ, inquit: *Hic obijciunt aliqui, merito punitur qui ſciens voluntatem Domini, non perſequitur. Sed cur punitur ignorans? Quia cum ſcire potuiſſet, noluit, ſed pigritans ipſe fuit ignorantiæ ſuæ cauſa.*

Hinc lucem accipit alius Auguſtini locus ex lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 3. Quo Ianſenius abutitur in confirmationem ſui erroris de ignorant. invincibili non excuſante. Ibi enim expendens hunc locum Chriſti, ſubiungit: *Ecce tibi oſtendit gravius peccare hominem ſcientem quam neſcientem. Neque tamen ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quiſq; inveniat excuſationem: aliud enim eſt neſcire noluiſſe: voluntas [illegible] guitur, de quo dicitur*

[illegible] ſit fatere[illegible] ber[illegible] facere[illegible]

benè ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet; sed fortasis vt minus ardeat: non enim sine causa dictum est: effunde iram tuam in gentes, qui te non nouerunt; & illud, quod ait Apostolus, cum venerit in flamma ignis dantis vindictam his, qui ignorant Deum.

89 Lucem, inquam, accipit: nam Augustinum hic per ignorantiam simplicem intelligere ignorantiam vincibilem indirecte tantum voluntariam ob negligentiam sciendi, est communis expositio Theologorum cum Mag. in secundum dist. 22. vbi hæc habet: *Est autem ignorantia triplex, & eorum scilicet qui scire nolunt, cum possint quæ non excusat, quia & ipsa peccatum est, & eorum, qui volunt, & non possunt, quæ excusat, & est pœna peccati, non peccatum: & eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, non renuentes, vel proponentes scire, quæ neminem plene excusat, sed sic fortasse vt minus puniatur.* Vnde Augustinus ad Valentinum: *Ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed qui tanquam simpliciter nesciunt, nullum sic excusat, vt æterno igne nõ ardeat, sed fortasse vt mitius ardeat.* Et huic communi Theologorum expositioni temere se opposuit Iansenius; non probans, sed tanquam quid manifestum supponens, Augustinum loqui de ignorantia invincibili.

90 Veniamus iam ad secundam authoritatis partem. Ad quam dico, in illis verbis, *Sunt etiam necessitate facta improbanda, &c.* Non loqui Augustinum de peccato proprie tali, sed de motibus indeliberatis concupiscentiæ, qui sunt pœna peccati primi parentis omnes posteros inficientis, quos motus sæpè homo continere non potest & dicuntur facta improbanda, quia ex peccato originem ducunt, & contra rationem pugnant, & ad peccatum inclinant. Id patet 1. ex lib. 1. Retract. cap. 15. vbi recognoscens *quæ dixerat in libro illo* de duabus animabus: *Potest*, inquit, *putari falsa esse illa sententia, quã dixi, nusquam nisi in voluntate esse peccatum; quia dixit Apostolus: si autem quod nolo, hoc facio, iam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum vsque adeo non est in voluntate peccati, vt quod nolo hoc facio. Quomodo enim [illegible] nisi in voluntate peccatũ? Sed hoc peccatum, de quo Apostolus, ideo peccatum dictum est, & pœna peccati est; quoniam hoc de concupiscentia carnis dicitur, quod aperit in consequentibus dicens: Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum; velle adiacet mihi, perficere autẽ bonum non inuenio. Perfectio quippe boni est, vt nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem, quando bene viuitur, non consentit voluntas, verumtamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas. Peccatum autem, quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipue intelligendum est, quod iusta damnatio consequuta est.* Idem eodem modo explicat tract. 41. in Ioan. cap. 3.

91 Patet secundò, ex lib. 1. operis imperfecti, cap. 71. vbi ait: *Aliud est peccatum, aliud concupiscentia peccati, cui non consentit, qui per gratiam Dei non peccat, quamvis & ipsa concupiscentia peccati vocetur peccatum, quia peccato facta est, sicut scriptura quælibet manus eius dicitur, cuius manu facta est.* Quod alio exemplo explicat lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. *Nam sicut linguam dicimus, non solum membrum, quod mouemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod huiusmodi membri modum consequitur, id est, formam, tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate, & à sciente committitur, sed etiam illud, quod iam de huius supplicio consequatur necesse est.*

Patet denique, quia alioqui in eodem capite sibi aperte contradiceret, ex vna parte affirmans manifestum esse, neminem peccare in eo, quod cavere non potest, ex aliaque docens, aliquid à nobis inevitabile, & cum necessitate factum esse proprie peccatum. Loquitur ergo de peccato impropre tali. Meritoque ait, illos motus concupiscentiæ *non esse naturam hominis, sed pœnam*; quia si essent natura hominis, & à Deo vt Authore prouenirent, non peccaret homo motibus illis acquiescens, sed potius faceret quod deberet, quia faceret id, ad quod faciendum Deus illum specialiter inclinaret.

SECTIO VNDECIMA.

Exponitur quid intelligat Augustinus per peccatum, quod non tantum est peccatum, sed pœna peccati.

92 PERGIT Iansenius lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 21. & lib. 3. cap. 9. & Calvini vestigijs insistens conten-

contendit, omnia peccata, quę ab homine lapſo committuntur, neceſſariò fieri, nec eis convenire definitionem peccati traditam ab Auguſtino in libris de lib. arbitr. & in libro de duabus animabus: quia ipſe in poſtremo opere, quod contra Pelagianos iam morti propinquus ſcripſit, nempe in opere imperfecto contra Iulianum hoc docet. Quod probat: nam vt Iulianus evinceret, parvulos non naſci cum peccato, aſſumpſit definitionem peccati traditam ab Auguſtino, quod ſcilicet *peccatum eſt Voluntas admittendi, vel vetinendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere*: & oſtendens, illam definitionem non poſſe parvulis accommodari, concludit inde, eos peccatum non habere. Cui argumento reſpõdet Auguſtinus lib. 1. operis imperfecti cap. 42. ſe eo loco peccatum definiſſe, quod tãtum modo peccatũ eſt, non quod etiam pœna peccati: de hoc enim agendum fuiſſe, quando mali origo quærebatur, quale commiſſum eſt à primo homine, ante omnes homines, tũ alum. Hinc infert Ianſenius: Ergo cùm omnia peccata commiſſa ab hominibus in ſtatu naturæ lapſæ, non ſint tantùm peccata, ſed pœna peccati originalis, non debet illis adaptari definitio illa Auguſtini, *vnde liberum eſt abſtinere, &c.*

93 Verùm P. Dechams lib. 3. diſp. 4. cap. 4. planè oſtendit, S. Auguſtinum nomine peccati, quod tantummodo peccatum eſt, cuique prędictam definitionem accõmodat, Adami quidem peccatum præcipuè intelligere; at eadem voce, eademque definitione illa etiam peccata cõpleti, quæ à nobis deliberatò fiunt. Quod probatur primo: quia cum Auguſtinus ibi præmiſiſſet, aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud vtrumque, nempe id, quod eſt peccatum, & ſimul pœna peccati, & tria iſta genera explicuiſſet, ſubiungit: *Horum quidem trium generum ſi requiritur exemplum; primi generis in Adam ſine vllo modo quæſtionis occurrit. Multa enim ſunt, quæ agunt homines mala, à quibus liberum eſt abſtinere, ſed nullum tam liberum eſt, quàm illi fuit, qui Deo ſuo, à quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus adſtabat.* Sentit ergo manifeſtè, illam definitionem non ſolùm convenire Adami peccato, ſed alijs, quæ ab hominibus deliberatè fiunt.

94 Probatur ſecundo: ex eodem lib. 1. cap. . cum enim obieciſſet Iulianus Auguſtino: *Peccatum ſecundum definitionem tuam, iam nec in moribus invenitur*; Auguſtinus multis hanc calumniam depellit, ac poſtremo ita concludit: *Cum igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ cõmittuntur non neceſſitate, ſed Voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt; vnde ab eis liberum eſt abſtinere; & peccatis de ignorãtiæ, & affectionum neceſſitate venientibus, quæ non iam ſolum peccata ſunt, verum etiam pœnæ ſunt peccatorum, plenum ſit genus humanum; quomodo dicis, definitionibus noſtris peccatum nec in moribus inveniri?* Quid evidentius ad probandum, Ianſenium manifeſtè contradicere Auguſtino, aſſerendo nullum peccatum committi ab hominibus in ſtatu naturæ lapſæ vnde liberum ſit abſtinere.

95 Confirmatur: quia cùm Auguſtinus lib. de duabus animab. cap. 11. & lib. 3. de lib. arb. cap. 18. aſſeruit, omnibus manifeſtum eſſe, neminem eſſe pœna dignum propter peccatũ quod cavere nullatenus potuit. Non de primi hominis peccato ſolùm loquebatur, ſed de omnibus peccatis perſonalibus per quæ homines infernum merentur.

96 Probat deinde Dechams, Auguſtinum per peccatum, quod non eſt tantum peccatum, ſed ſimul pœna peccati, ea tantum peccata intelligere, quæ ex omnium opinione caveri non poſſunt; nimirum originale peccatũ, quod proprie peccatum eſt, & concupiſcentiam cum motibus indeliberatis, quæ ex ignorantia invincibili committuntur, quæ licet proprie peccata non ſint, vocat tamen peccata, quod primi peccati fructus ſunt & pœna. Et demonſtrative probat hic Author ibidem cap. 5. contra Ianſenium, vanam eſſe S. Auguſtini de Manichęis victoriam, & plus ſexaginta eius libros everti, ſi ab hac definitione, *peccatum eſt id vnde liberum eſt abſtinere*, alijſque id genus, ea peccata excludi debent, quæ ab hominibus ignorantia & concupiſcentia implicatis deliberato committuntur.

SECTIO XII.

Quo ſenſu Palæſtini Patres damnaverint illam Celeſtij propoſitionem, obliuionem & ignorantiam non ſubiacere peccato, quia non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem.

97 OPPONIT præterea Ianſenius lib. 1. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. ſolẽne Pelagianorum dogma fuiſſe *obliuionem & ignorantiam non ſubiacere peccato*, vt patet ex Auguſtino lib. Geſtis Pelagij cap. 18. 21. 25. & 34. & [illegible] liber primùm typis mandatum [illegible] da per[illegible] Vindel. eorum anno 1615. in [illegible] u tamen [illegible] tur P. Philippus Labbe [illegible] isit fatere[illegible] facere.

clesiasticis tom. 1. pag. 127.) vbi testatur damnatam fuisse illam propositionem in titulo præfixam. Eamque doctrinam acriter infectatur Hieronymus in tribus libris, quos aduersus Pelagianos scripsit per modum dialogi inter Atticum, qui personam Catholicorum sustinet, & Critobolum, qui agit personam Pelagianorum, ad finem primi libri sic Critobolus arguit, *Rogo quæ est iustitia, vt in peccato teneat erroris, cuius reatum nō habeat conscientia? nescio me peccasse, & eius rei, quam nescio, pœnas luo, & quid plus faciā si sponte peccavero?* Cui Hieronymus sub nomine Attici sic reponit: *Respondet stultiæ interrogationi tuæ liber sapientiæ, altiora te ne quæsieris, &c. Audi ergo breviter testimonia Scripturarum vt stulta, imo impia scisitatio tua in perpetuum cōticescat.* Et statim multa in medium produxit è veteri testamento ad probandum sæpe per ignorantiam peccari quæ supra retulimus. Et lib. sequenti post initium: *Tantis exemplis docere te volui peccare hominem per ignorantiam.*

98 Et cum vrgeretur à Critobulo vt hoc ipsum ex novo testamento comprobaret, multa hinc elicit argumenta: & post alia inquit: *Si hoc Pauli testimonio non moveris, audi aliud eiusdem, cui contradicere non potes: nihil mihi conscius sum, &c.* 1. Corinth. 4. *Qui hoc dicebat, nullus vtique peccati sibi conscius erat: sed quia legerat, Delicta quis intelligit? Et est via quæ videtur homini recta, &c.* Et iterum: *Omnis vir videtur sibi iustus, Deus autem corda hominum dirigit: temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset, maximè cū Scriptura testetur: est iustus qui perit in iustitia sua.*

99 Illum Pelagianorum errorem asserentium: *Neminem per ignorantiam peccare posse, cum omne peccatum debeat esse liberum, & voluntarium, & omne voluntarium debeat esse cognitum*, vehementer insequitur D. etiam Bernardus epist. 77. inquiens: *Veritatis testimonijs paucis, & manifestis manifestum mēdacium confutetur. Is forsitam, qui asserit, non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorātijs deprecatur, sed potius Prophetam irridet deprecantem & dicentem: Delicta iuventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Forsitam reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem.* Hæc probat, productis testimonijs ex veteri testamento: tum subijcit: *Si ignorantia nūquam sibi imputatur, cur dictum est in Epist. ad Hebræos 9. quia in secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex intraret non sine sanguine, quem offerret pro sui & populi ignorātia. Si peccatum ignorātiæ nullum est: non ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit manens in incredulitate. Bene itaque faciebat quod erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, quod erat spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini. In hoc ipso quippe abūdanter æmulator existens paternarum suarum traditionum: non ergo debuit dicere Misericordiam consecutus sum, sed mercedem recipi, quippe quam ignorantia à peccato reddebat immunem, insuper & æmulatio nemmerabilem indicabat. Si, inquā, ignorantia nunquam peccatur, quid ergo causamur aduersus occisores. Apostolorū, quoniam quidem non solum malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare Deo.* Ioann. 16. *Sed & frustrà in Cruce Saluator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus* (ipso teste) *quid facerent, & ita nequaquam peccantibus. Num quid non ex his satis apparet, in quātis iaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat interdum peccari posse per ignorantiam?*

100 Ex quibus manifeste liquet (inquit Iansenius) Pelagianos negasse peccata per ignorantiam commissa, & Synodum Palestinam eorum pestiferam sententiam damnasse, & Patres Ecclesiæ, præsertim Augustinum, Hieronymum, & Bernardum, vehementer hūc errorem confutasse. Atqui Pelagiani non negabant peccari posse per ignorantiam quando ignorantia est vincibilis: ergo solum id negabant quando ignorantia est invincibilis: ergo ex doctrina Palæstinæ Synodi, & Patrum certum est peccari posse per ignorantiam invincibilem. Minor subsumpta probatur: nam vt testatur Augustinus lib. de Natura, & Grat. 17 de Pelagio loquens: *Tractat iste de peccatis ignorantiæ, & dicit hominem prævigilare debere, ne ignoret, ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit ignorantia sua, quod adhibita diligentia, scire debuisset.* Et idem testatur de Iuliano lib. 6. contra ipsum, cap. 1. ijs verbis: *Merito reprehendisti eos & graviter, qui vel superfederunt scienda cognoscere, vel non formidant ignorata culpare.*

101 Verum in primis hoc argumentum non minus Iansenium, quam nos premit: nam iuxta ipsum ignorantia invincibilis facti, & iuris positivi excusat à peccato. At propositio Pelagij damnata in Synodo Palestina, & à Patribus reprobata, de omni ignorantia loqui-

loquitur; vt patet ex ratione Pelagianorum; probabant enim oblivionem & ignorantiam minime eſſe peccata, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſsitatem. Quæ ratio non magis comprehendit ignorantiam iuris naturalis, quam iuris poſitivi & facti.

102 Secundo patet ex ratione, quam Synodus Palæſtina dedit, cur damnaret illam propoſitionem Pelagij, *Cum in lege*, inquit, *ſacrificia pro ignorantia ſicut pro peccato offerantur.* Manifeſtum eſt autem legem loqui de ignorantia facti, vel iuris poſitivi; vt conſtat ex Numer. 35. v. 22. vbi qui fortuito occiderit hominem putans eſſe feram, (quę eſt ignorantia facti) iubetur recurrere ad ciuitates refugij. Et ex Levit. cap. 5. v. 2. vbi: *Qui tetigerit aliquid immundum per ignorantiam, iubetur offerre ſacrificium*: & tamen illa eſt ignorantia facti, quia ignoravit talem rem eſſe immundam; vel legis poſitivæ, quia ignoravit dari legem de non tangendo. Et Levit. 22. vbi dicitur: *Si comederit homo de ſanctificatis per ignorantiam, imputetur ei iniquitas atque delictum.* Quod de ignorantia facti manifeſte intelligitur. Patet tertio, ex Patribus Hieronymo, Auguſtino, & Bernardo, impugnantibus illam propoſitionem Pelagianorum, adductis exemplis de ignorantia facti, & iuris poſitivi.

103 Patet quarto ex ratione, quà ſuam propoſitionem probabant Pelagiani; eam autem rationem cõtinet querela Pelagianorum propoſita à Chritobulo apud Hieronymum: *Rogo quæ eſt iſta iuſtitia, vt in peccato tenear erroris, cuius reatum non habet conſcientia? &c.* Quæ ratio omnem ignorantiam comprehendit; probat enim neminem peccare poſſe niſi ſciat malum eſſe quod facit. Denique quia Synodus Palæſtina, & Patres decernunt oblivionem eſſe peccatum; & ſupponunt talem oblivionem ſæpe dari; & comprehendi ſub illa Davidis deprecatione, *ignorantias meas ne memineris*: ergo non loquuntur de oblivione naturalis iuris; nam vix in hominem cadere poteſt oblivio iuris naturalis, quod ſemel didicit; cum enim rem faciendam aggreditur, quam didicit eſſe iure naturali prohibitam, ſtatim ſuboritur cogitatio de malitia illius.

104 Ab omnibus ergo reſpondendum eſt: reſpondeo ergo cum Dechams lib. 3. diſp. 5. cap. 6. cum Patres probant contra Pelagianos oblivionem & ignorantiam eſſe peccatum, loqui de ignorantia vincibili, orta ſcilicet ex culpabili negligentia ſciendi, vt oſtendi ſupra: & in eo ſenſu locutam fuiſſe Synodum Palæſtinam, cum damnavit illam Pelagij propoſitionem, *oblivionem & ignorantiam non ſubiacere peccato.*

105 Nec fert quod Pelagius, & Iulianus apud Auguſtinum lib. 6. contra Iulianum cap. 1. & lib. de natura & gratia cap. 17. admiſerint ignorantiam culpabilem: inde enim tantum probatur, Pelagianos in poſteriori cum Catholicis certamine illud fuiſſe confeſſos, quod in priori pertinaciter negaverant. *Patet enim* (inquit Dechams ibidem num. 10.) *ex teſtimonijs Auguſtini & Hieronymi, Pelagianos primum negaſſe ignorantiam S. Pauli, Regis Abimelech & illorum, quibus ſacrificia pro ignorantijs imperabantur in lege, peccato ſubiacere. At illorum omnium ignorantia ex confeſſione Ianſenij Vincibilis eſt, alias enim omnem culpam abſtergeret, cum non ſit iuris naturalis: ergo fateri aduerſarius cogitur, Pelagianos primum negaviſſe, ignorantiam vincibilẽ peccato ſubiacere. Solemne enim ac familiare Pelagianis fuit, vt Catholicorum argumentis oppreſſi, cederent non nihil, atque vt erroris ſui caput tuerentur, alia quædam remitterent.*

106 Caput autem ſui erroris erat negare peccatum originale; & negare ignorantiã & difficultatem ſeu concupiſcentiam, quibus filij Adam naſcuntur obnoxij, eſſe pœnam peccati: vt enim de ipſis ait D. Auguſtinus lib. de Dono perſever. cap. 11. *Dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem* (id eſt concupiſcentiam) *ſine quibus nullus homo naſcitur, primordia eſſe naturæ.* Eoque progreſsi ſunt vt dicerent, ignorantiam & concupiſcentiam, quas ex vtero matris omnes trahimus, non modo nihil mali hãbere, ſed etiam bonas eſſe; vt conſtabit legenti Auguſtinum, lib. 3. contra Iulianum cap. 21. apud quem Iulianus dicit, *concupiſcentiæ naturalis, qui modum tenet, bono bene vti; qui modum non tenet, bono male vti.* Et legenti caput 19. in eodem lib. apud quem ſic Iulianus loquitur: *Ex hoc intelligi debet, perfectam ignorantiam iuſtitiam nominari, quia dixit Deus ad Abimelec, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quod eſſet vxor aliena: Et ego ſciebam quia in corde mundo feciſti hoc.* Quod vtrumque dictum vehementer impugnat S. Auguſtinus.

107 Itaque dum Pelagiani dicebant oblivionem & ignorantiam non ſubiacere peccato hoc intendebant, ignorantiam & oblivionem nec in ſe eſſe peccatum proprie, neque cauſam peccati; Deinde nec[illegible] da per tum improprie, id eſt effectum Pa[illegible] in tamen autem exati argumentis Ca[illegible]sit fatere admittebant ignorantiam e[illegible]niacere.

cauſam peccati ſi ſit vincibilis: nunquam tamen admittere voluerunt ignorantiam illam, cũ qua omnes naſcimur, eſſe effectum peccati originalis; vt patet ex Auguſtino lib. 6. contra Iulianum cap. 5. vbi eum ſic alloquitur: *Ecce merito reprehendiſti eos, & graviter, qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere: & hoc de his, qui ex cordes nati ſanè poteſt dicere. Nec tamen eis ſub Deo iuſto vnde hoc accidere potuerit, inventum eſt, ſi nulla ex parentibus trahuntur merita filiorum.* Patet etiam, ex loco illo Auguſtini lib. de Nat. & Grat. vbi poſtquam dixit: *Tractat iſte* (Pelagius) *de peccatis ignorantiæ & dicit, hominem pro vigilare debere, ne ignoret, ideoque eſſe culpandam ignorantiam, qua id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia, ſcire debuiſſet, immediate ſubiungit: Dum tamen omnia potius diſputet, quam vt oret & dicat Da mihi intellectum, & diſcam mandata tua: aliud enim eſt non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata, etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, & facere contra legem non intelligendo quod velit: vnde admonemur petere a Deo ſapientiam qui dat omnibus affluenter.* Quæ verba Auguſtini ſatis indicant illud quod admittebat Pelagius, priori eius ſententiæ adverſari: at eum facile iſtud, & aliud quodlibet de ſua circa ignorantiam ſententia remiſſurum, dum non cogatur fateri implorandum divinum Numẽ, expectandumque gratiæ adiutorium ad ignorantiæ tenebras depellendas: & ſatis Auguſtinus inſinuat, eſſe aliquam ignorantiam per humanam induſtriam invincibilem, quæ licet culpa non ſit, eſt tamen effectus peccati originalis.

SECTIO XIII.

Ex eo quod Concilium Palæſtinum contra Celeſtium definierit, obliuionem, & ignorantiam aliquando ſubiacere peccato, quæ vis non ſecundum voluntatem eveniant, ſed ſecundum neceſſitatem; male Ianſenius intulit peccari per ignorãtiam invincibilem: ſed ſolùm ſequitur peccari interdum contra legem ſine aduertentia actuali ad malitiam per ignorantiam, vel errorem indirectè voluntarium, ortum ſcilicet ex negligentia antecedenti culpabili.

108 QVOD id definierit Concilium Palæſtinum patet ex dictis ſect. præcedenti quia Concilij conſtitutionẽ contradicit iam nẽpe hanc: *Obliuio & ignorantia non ſubiacent peccato* (id eſt, nunquam ſubiacent peccato) *quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem.* Concilium autem condemnans propoſitionem hanc vniverſalem negativam, hoc ipſo veram eſſe declaravit propoſitionem particularem affirmativam in titulo præfixam, vtpote alteri contradictorie oppoſitam.

109 Quod autem ex hac definitione male deduxerit Ianſenius horribile ſuum dogma de ignorantia invincibili iuris naturalis non excuſante, nunc probandum eſt. Ianſenius namque aſſeruit, ſatis eſſe ad peccandum peccato formali meritorio pœnæ æternæ, quod quis eliciat actum contrarium legi naturali, quamvis nunquam cognoverit, nec vnquam liberum ipſi fuerit cognoſcere illum actum eſſe malum; quia tenet ſatis eſſe ad peccandũ peccato perſonali, quod malitia fuerit voluntaria in Adamo. At hoc minime ſequitur ex doctrina Concilij Palæſtini; ſed ad ſummum ſequitur, poſſe hominem peccare cõtra legem per errorem culpabilem, ortum ex negligentia culpabili antecedenti; quatenus potuit ac debuit ſcire illum actum eſſe malum, & ſua culpa id ignoravit, & ex hac ignorantia factũ eſt, vt poſtea peccaret contra legem ignorans omnino actum illum eſſe malum, vel potius per errorem poſitivum exiſtimans eſſe bonũ, quin eo tempore quo contra legem operabatur, haberet vllam advertentiam ad malitiam, vel aliquem ſcrupulum, vel dubitationem aliquam de malitia. Id autem libenter admittunt Doctores, qui Ianſenium ex profeſſo impugnarunt, imo affirmant, id rectè deduci ex authoritatibus à Ianſenio adductis.

§. I.

Doctores ex profeſſo impugnantes errores Ianſenij, planè docent peccari contra legem per errorem, vel ignorantiam culpabilem, quin eo tempore, quo contra legem peccatur, detur actualis aduertentia ad malitiam.

110 NAM P. Dechams, lib. 3. de hæreſi Ianſeni, diſp. 5. cap. 6. *Fatetur ignorantiam, & obliuionem ſubiacere peccato, quamvis non voluntate ſed neceſſitate eveniant*, nimirum quando quis non affectavit oblivionem, & ignorantiã per voluntatem expreſſam ignorandi, quæ dicitur ignorantia affectata; ſed per negligentiã culpabilem ſciendi pro lapſus eſt in ignorantiam eorum, quæ ſcire tenebatur, quæ eſt ignorantia tantùm indirectè volita.

Quam

Quam ob rem, vt advertit ibi numer. 9. „ Auguſtinus, & Hieronymus, qui Pelagiani „ illius dogmatis myſteria noverant, ea ex „ Sanctis Scripturis ad illud opprimendum „ exempla congerunt, in quibus de hac tãtum „ poſteriori ignorantia indirecte volita ſermo eſt, vt patet in Abimelec ex eiuſmodi „ ignorantia alienam vxorem ducente: in „ Apoſtolo Paulo ex eadem Chriſtum perſequente: & in his omnibus, quibus pro ignorantia tanquam pro peccato ſacrificia imperabantur in lege. Ignorantia ergo ortum „ ducens ex negligentia ſciendi, imputatur „ ad culpam, & facta, quæ ex hac ignorantia „ contra præceptum contingunt, culpa non „ vacant. Nam per hoc præciſſe quod ignorantia, & oblivio eorum, quæ quis ſcire tenebatur, ſint indirecte volita, imputantur „ ad culpam. Vnde Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad litteram, cap. 19. *Nec vllo modo* (inquit) *dici poſſet id, quod præceperat Deus voluiſſe mulierem: quamquam & obliuio præcepti, maxime vnius & tam neceſſarij, ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret.*

111 Eãdem doctrinã habet P. Anatus in ſuo Auguſtino à Baianis vindicato lib. 6. vbi tanquam concluſionem certam ſtatuit: *Tunc* „ ſolum culpæ tribui, quidquid ex ignorantia „ committitur contra legem Dei, quando ignorantia ipſa peccatum eſt. Quia cum ignorantia eſt prorſus in voluntaria, nequit ratione culpæ habere quod ex illa committitur: repugnat enim manifeſtè peccare eũ, „ qui nec peccati deformitatem cognovit, „ nec vllo modo cognoſcere potuit. Cùm vero ignorantia eius, quod quis ſcire tenetur, „ exiſtit ex negligẽtia voluntatis, atque adeò „ cum eſt voluntaria, per ſe eſt quidam defectus debitæ rectitudinis, & conſequentèr „ peccati rationem habet. Sic prorſus, vt formalis voluntarij ac peccati ratio per ſe negligentiæ competat, tùm ex ea refluat in „ ignorantiam, ac poſtremò in illud, quod ex „ ignorantia fit, derivetur. Id circo Magiſt. Sent. in 2. diſtinct. 22. rectè ait: *Ignorantiam vincibilem nõ excuſare à peccato, quia peccatum eſt, & invincibilem ideò excuſare, quia peccatum non eſt.*

112 Quapropter Dechams, Anatus, & alij, qui vt errores Ianſenij ex profeſſo impugnarent, diligentiſsimè expoſuerunt errorem Pelagianorum, & mentem Concilij Palæſtini, & Patrum contra ipſos diſputantium perſcrutati ſunt, admittunt peccata inadvertenter & ignoranter commiſſa, ſine vlla advertentia malitiæ tunc exiſtente, quando contra legem per errorem ortum ex negligentia culpabili antecedenti peccatur, & docent, de his locutum fuiſſe Concilium, & PP. contra Pelagium. Præcipuè verò P. Martinon in Anti-Ianſenio, diſp. 16. ſect. 4. num. 18. vbi hæc „ habet: *Quamvis Pelagiani* affirmarent, vo„ luntariam negligentiam ſciendi id, quod „ ſcire tenemur, peccatum eſſe, vt teſtatur Au„ guſtinus *lib. 6. contra* Iulian. cap. 1. & lib. de „ Natura, & Grat. cap. 17. Negabant tamen, „ ea, quę poſteà fiunt ex tali ignorantia à non „ advertentibus tunc temporis ſe culpabiliter „ ignorare, peccata eſſe: eoque ſenſu affirma„ bant, oblivionem, & ignorantiam: id eſt, ea „ quæ fiunt ex ignorantia, & oblivione, non „ ſubiacere peccato, quia non eveniunt ſecũ„ dum voluntatem, ſed ſecundum neceſsitatem, propter inadvertentiam, & ignorantiã „ tunc inevitabilem, minimeque voluntariam „ hic, & nunc. Hoc ita eſſe mihi perſuadet „ primo, ratio ſubiecta à Concilio Palæſtino „ damnante ſupra dictam propoſitionem Pelagij, velut hæreticã, & Scripturæ adverſam: *Cum*, inquit, *David dicat, delicta iuventutis meæ ne memineris, & ignorantias: & cum in lege ſacrificia pro ignorantia, ſicut pro peccato offerantur.* Nam quod David „ loquatur de ignorãtia vincibili, ſeu de pec„ catis per eam commiſsis, docet Auguſtinus „ lib. 3. de libero arbitr. cap. 18 & lib. 1. Re„ tract. cap. 9. vbi de eadem ignorantia inter„ pretatur hunc locum Davidis, & iſtum Pau„ li Apoſtoli: *Miſericordiam conſequutus „ ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* „ Eſt autem manifeſtum, Paulum, Eccleſiam „ perſequendo, laboraſſe ignorantia vincibi„ li, vt antea probavimus ex illis Chriſti ver„ bis: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*, & dubitare non ſinunt ingentia, & „ frequentia miracula, quæ à Stephano, alijſ„ que Chriſti Diſcipulis, & ab Apoſtolis fieri „ viderat in confirmationem doctrinæ Evan„ gelicæ. Item quod in lege ſacrificia offeren„ tur pro peccatis ex ignorantia vincibili „ commiſsis, docet idem Sanctus Doctor lib. „ de Natura, & Gratia, cap. 17. *Aliud eſt*, „ inquit, *non curaſſe ſcire: quæ negligentiæ „ peccata etiam per ſacrificia quædam le„ gis videbantur expiari. Aliud intelligere nolle, nec poſſe, & facere contra legem „ non intelligendo quid fieri velit.* Itaque „ vel ratio illa Concilij Palæſtini nihil fa„ ciebat ad damnandum errorem Pelagij: vel „ ille loquebatur etiam de peccatis commiſ„ ſis inadvertenter ex ignorantia vincibili. „ Quæ Pelagius nolebat dici, & [illegible] per„ per reſpectum ad voluntatem [illegible] tamen „ acceptantem culpabiliter [illegible] fatere„ fateretur, quod vrgebat [illegible]

„ modo concupiſcentiam in non baptizatis „ eſſe peccatum originale, per reſpectum ad „ voluntatem Adami.

113 „ Secundo, id mihi perſuadet, „ quod Hieronymus, & Auguſtinus, quibus ſi„ ne dubio optimè notus erat error Pelagij, „ ad illum referendũ vtuntur plurimis Scrip„ turæ teſtimonijs, quæ de peccatis ex igno„ rantia vincibili factis intelligenda ſunt: „ adeoque impertinenter fuiſſent ab illis „ producta, niſi Pelagius de illis quoque ſen„ ſiſſet, vt diximus. Hoc manifeſtum faciunt „ loca prolata ab Hieronymo lib. 1. contra „ Pelagium de occidente per ignorantiam n„ 25. Nam fatendum eſt adverſarijs vel nul„ lum illius delictum fuiſſe, vel ex ignoran„ tiæ vincibili occidiſſe: cum ſermo ibi ſit „ de ignorantia facti, quam, ſi eſt invincibi„ lis, fatentur ipſi à peccato excuſſare. Et de „ tangentibus ignoranter aliquid immun„ dum, Leviticꝰ. 15. Et de comedentibus per „ ignorantiam de ſanctificatis, Levit. 22. Vbi „ ſimiliter de vincibili ignorantia ſermo eſt: „ vel non fuit peccatum, iuxta ipſoſmet ad„ verſarios; qui negare non poſſunt ignoran„ tiam illam fuiſſe facti, aut iuris poſitivi, „ ideoque excuſaſſe à peccato, ſi erat invinci„ bilis, vt ipſi fatentur. Eiuſdem generis ſunt „ pleraque Scripturæ loca producta à D. Au„ guſtino, *& ab aduerſario nobis in conſi„ derante obiecta*, &c. Hucuſque P. Martinõ, qui latè aſſumptum proſequitur.

114 Et hanc expoſitionem eſſe legitimam inde conſtat, quod Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij cap. 18. refert, Celeſtio obiectũ fuiſſe à Patribus Concilij Palæſtini dogma illud ipſius, nimirum, *obliuionem & ignorantiam non ſubiacere peccato, quoniam nõ ſecundum voluntatem eueniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*: & immediatè ſubiungit rationem cur Concilium dogma illud tanquã erroneum reiecerit: *Cùm Dauid dicat: Delicta iuuentutis meæ ne memineris, & ignorantias: & cùm in lege ſacrificia pro ignorantia, ſicut pro peccato offerantur.* Ergo mens Concilij Palæſtini eſt, ideo obliuionem & ignorantiam eſſe peccatum, quamvis non ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem eueniant; quia illa neceſſitas non eſt antecedens, & involuntaria, ſed conſequens, & voluntaria, atque culpabilis, orta nimirum ex culpabili & peccaminoſa negligentia antecedenti: vt enim egregiè inquit Bernardus ſer. 81. in Cant. *Neſcio quo prauo & miro [illegible]a in ſibi voluntas, peccato quidem in [illegible]rata, neceſſitatem facit, vt ne[illegible]oluntaria ſit, excuſare non [illegible]at, neque voluntas cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem. Ita anima miro quodammodo, ac male libera neceſſitate, & ancilla tenetur & libera: ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magiſque miſerum eſt, eò rea, quo libera, eoque ancilla quo rea; ac per hoc eò ancilla, quò libera.* Quibus verbis Bernardus diſſerte componit neceſſitatem cum libertate, ſignificatque neceſſitatem non eſſe antecedentem & abſolutam, ſed conſequentem & ex ſuppoſitione; quia nimirum illa eſt neceſſitas, in quam voluntas libere ſe coniecit, quatenus libere & peccaminoſe prætermiſit diligentiam, quam poterat ac debebat adhibere ad detegendam malitiam actionis, vt ab ea abſtineret. Idque ipſum prius docuerat Auguſtinus lib. de Nat. & Grat. cap. 66. ijs verbis: *Quod autem ex vitijs naturæ ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque vt eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere: de neceſſitatibus meis educ me: quia & in huiuſmodi oratione certamen eſt aduerſus tentatorem, de ipſa contra nos neceſſitate pugnantem: ac per hoc opitulante gratia, & mala neceſſitas remouebitur, & libertas plena tribuetur.*

115 Poſtquam authoritate Patris Stephani Dechams, & Ioannis Martinon diſputantium contra Ianſenium, oſtendi definitionem Concilij Palæſtini contra Celeſtium non eſſe intelligendam de neceſſitate antecedenti, vt contendebat Ianſenius, ſed de neceſſitate conſequenti, quam voluntas ſibi ipſi impoſuit per voluntariam & peccaminoſam negligentiam ſciendi, quæ tenebatur ſcire: Id ipſum confirmare lubet verbis Ioannis Baptiſtæ Gonet, qui tomo 3. in diſſertatione Theologica de opinionum probabilitate art. 7. §. 3. num. 248. reſpondens argumento, quo ex definitione Concilij Palæſtini Ianſenius contendebat ignorantiam invincibilem iuris naturalis non excuſare à peccato, ſic ſcribit: *Reſpondeo ſecundo*, cum S. Auguſtinus, alijque Patres, ignorantiam, & quod ex illa fit, peccatum eſſe aiunt, de ignorantia vincibili loqui, & de ipſa pariter debere intelligi definitionem Palæſtinæ Synodi damnantis propoſitionem Celeſtij. Patet hoc ex Auguſtino libro de geſtis Pelagij cap. 18. vbi cum hanc Celeſtij propoſitionem recitaſſet: *Obliuionẽ, & ignorantiam non ſubiacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eueniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*, ad eam confutandam, ſive ex ſua, ſive ex Palæſtinorum Epiſcoporum ſententia, hæc ſubdit: *Cum Dauid dicat, delicta iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris, cum in lege ſacrificia*

pro

pro ignorantia, ſicut pro peccato, offerantur. Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. & lib. 2. retract. cap. 9. vtitur his verbis Apoſtoli: *Miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci.* Quem S. Doctoris locum ita Conradus illuſtrat: *Patet quod verbũ Apoſtoli intelligitur de ignorantia, quæ fuit cauſa peccati; non tamen fuit invincibilis, ſed vincibilis.* Ergo D. Auguſtinus, & PP. Paleſtinæ Synodi non loquuntur de ignorãtia invincibili, ſed vincibili.

Poſtea autem num. 251. hoc ipſum cõfirmans, *Non obſtat* (inquit) *quod in hac Celeſtij propoſitione, quam damnat Synodus Palæſtina: Oblivio & ignorãtia nõ ſubtracent peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem* hæc poſteriora verba ignorantiam invincibilem videantur excludere. His enim verbis excluditur quidem illa ignorantia, cuius voluntas ipſa cauſa eſt, quæque affectata, ſeu directè voluntaria appellatur, quia ſecundùm voluntatem evenit, voluntate nimirum illam procurante, & affectante; at non ea, quæ ex voluntate originem non trahit, quæque idcirco tantùm indirectè volita nuncupatur, quòd voluntas ad eam depellendam non adhibeat diligentiam omnem, quam poteſt, & debet.

116 Eodem modo explicat illum textum Vincentius Contenſon eiuſdem Ordinis Prædicatorum tomo 3. differt. 6. cap. 1. q. 5. pag. 595. Nam poſtquam dixit, Pelagium apud Auguſtinum lib. de natura & gratia cap. 17. aſſerere, *ideo eſſe culpandam ignorantiam, quia homo neſcit negligentia, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet*, ac proinde poſtquam probavit, Pelagiũ admiſiſſe ignorantiam culpabilem; ſubdit: *Loquebantur* „ Pelagiani de ignorantia iuris naturalis, cui „ aliqua boni cogitatio præluceret, & ideo „ eam culpandam affirmabant; ſi præeunte „ dictamine *aliquo ſcire officia ſua homo* „ *negligebat*. Ergo aliquid amplius voluit „ Concilium (Melivitanum) nẽpe ignoran„ tiam iuris naturalis ſubiacere peccato, etiãſi „ non ſemper præcedat aliqua de ea expellẽ„ da cogitatio; quia nimirum quod talis in„ terdum cogitatio non affulgeat, ex volun„ tario à voluntate poſito obice proficiſci„ tur: vnde ſæpe contingit, vt bonum malum, „ malum bonum dicat, vt cæcus cæco duca„ tum præſtet, & videatur ſibi via rectiſſima, „ cuius noviſſima ducunt *ad mortem.*

Et ſanè peccari poſſe contra legem Dei, quin eo tempore quo quis contra legem peccat, ſuſpicetur actionem illam, quam exercere vult, eſſe peccaminoſam; & quin vllam advertentiam pro tunc habeat ad malitiam, vel ad periculũ illius, alibi latè Deo dante oſtendam, quando agam de peccatis ignorantiæ, quæ à Catholicis Doctoribus admittuntur, & negari non poſſunt ſalva veritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum authoritate.

SECTIO XIV.

Illatio ex dictis in tota diſputatione.

Quando vnanimi conſenſu Scholaſtici Doctores contra Lutherum, Caluinum, & Ianſenium docent, ignorantiam invincibilem iuris naturalis excuſare à peccato, loquuntur de ignorantia omnino antecedenti, & involuntaria, quæ nec tunc vinci poteſt, quando contra legem peccatur, nec vinci potuit tempore antecedenti; ac proinde loquuntur de ignorantia, quæ nec in ſe, nec in cauſa ſit voluntaria operanti, ſed ſit omnino inculpabilis.

117 REM Ita ſe habere, facile eſt probare. Priùs tamen advertendum eſt, ignorantiam invincibilem non dici antecedẽtem, quia antecedat actum, qui ex tali ignorantia fit, ſeu quia antecedat actum, cuius cauſa eſt per accidens: nam in hoc ſenſu etiam ignorantia vincibilis eſt cauſa actus, qui ex tali ignorantia fit: & in hoc ſenſu ignorantia vel error culpabilis & peccaminoſus eſt cauſa peccati, quod ex tali errore contra legem committitur. Propterea ergo ignorantia invincibilis dicitur antecedens, quia antecedit omnem liberam electionem noſtræ voluntatis, tam formalem quàm virtualem; eſtque proinde omnino involuntaria operanti, quia non fuit in illius poteſtate illã præcavere, neque poſtquam illam incurrit, in ipſius arbitrio eſt illam depellere.

118 Hoc ſuppoſito, probatur aſſertio in medium proferendo verba Doctorum, qui ignorantiam invincibilem explicant. Imprimis Theologorum Princeps D. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 8. docet, *ignorantiam tripliciter ſe habere ad voluntatem, vno modo, concomitanter: alio modo, conſequenter: tertio modo, antecedenter. Comitanter quidem, quando ignorantia eſt de eo, quod agitur, tamen ſi ſciretur, nihilominus ageretur... Conſequenter autem ſe habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ignorantia ipſa eſt voluntaria, [illegible] directè, vel indirectè: de hac autem da pertia conſequente dicit, non po[illegible] tamen fãcere [illegible] pliciter involuntarium, cũ [illegible] facere [illegible]

ria: *Cauſat tamen* (inquit) *ſecundum quid involuntarium, in quantum præcedit motũ voluntatis ad aliquid agendum, qui nõ eſſet ſcientia præſente.* Et de hac ignorantia conſequente & voluntaria poſtea quæſt. 76. art. 3. docet, *non totaliter excuſare a peccato*, ſed minuere; quia minus peccat, qui peccat contra legem; quando culpabiliter ignorat actum illum eſſe prohibitum, propter negligentiam addiscendi legem, quàm qui committit illum actum, ſciens eſſe malum & prohibitum. *Antecedenter autem ſe habet ad voluntatem ignorantia, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi, quod aliàs non vellet.* Et de hac ignorantia dicit quæſt. 76. art. 3. in fine corporis totaliter excuſare à peccato. *Si vero talis* (inquit) *ſit ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt eius quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat à peccato.*

119 Hinc P. Valentia tom. 2. diſp. 2. q. 1. punct. 6. column. 149. ex communi conſenſu Theologorum cum D. Thoma inquit: *Ignorantia alia eſt voluntaria, alia involuntaria ſimpliciter. Voluntariam nominamus in propoſito eam, quã potuit quis & debuit depellere comparata cognitione.* „ *Hanc hic* vocat D. Thom. art. 8. (quæſt. 6.) „ ignorantiam *conſequentem*, quæ & *vincibilis* quoque appellari poteſt, ſive ſit iuris, „ ſive facti; item ſive ſit directè volita, quæ & „ affectata nominatur, cùm quis de induſtria „ renuit ſcire, ſive tãtùm indirectè, cùm quis „ potuit ſaltem ac debuit ſcire. Involuntariã „ verò ignorãtiam appellamus eam, quæ nul„ lo modo eſt volita. Quam idcirco D. Tho„ mas hìc ignorantiam *antecedentem* vocat, „ eo quod antevertit liberam voluntatis po„ teſtatem, neque in illam vllo modo cadit, „ cùm nec directè affectata ſit, nec etiam po„ tuerit & debuerit depelli. Vnde etiam ſo„ let hæc ignorantia nominari *invincibilis*.

„ Ex quo intelligitur (ſubdit Valentia) „ differentiam ignorantiæ antecedentis & „ conſequentis non eſſe attendendam penes „ illud, quod fit ex ignorantia (ſic enim om„ nis eſſet *antecedens*) ſed attendendam eſſe „ penes liberam voluntatem abſolutè conſi„ deratam ante factum: vt nimirum ignoran„ tia *antecedens* ſit illa, quæ veluti prævenit „ omnem liberam voluntatem, eo quod ſimi„ pliciter involuntaria eſt. *conſequens* autem „ ea, quæ voluntatem liberam directè aut in[illegible]minat, & quaſi ſequitur, quando[illegible] ſibi eſt, cur directè aut indirectè eſt voluntaria. [illegible]ia in ſecu[illegible]alentia; quam doctrinam re[illegible]6. q. 6. punct. 1. vbi diſqui„ rit, *an & quomodo ignorantia ſit cauſa* „ *peccati*; ſic enim ait: *Porrò ignorantia* „ *duplex eſt, vna invincibilis*, quæ etiam „ antecedens & involuntaria dicitur. Altera „ *vincibilis*, quæ etiam conſequens & volun„ taria dicitur. *Invincibilis* ignorantia omnino excuſat peccatum; *vincibilis* autem non prorſus excuſat, ſed tantùm minuit.

120 Eodem pacto rem hanc explicat Illuſtriſsimus Ludovicus Abelly Epiſcopus Rothenenſis in ſua *Medulla Theologica* parte 2. tract. 2. cap. 2. ſect. 7. in qua diſquirit, *qua ratione ignorantia ſit cauſa peccati, vel ab illo excuſet.* Sic enim inquit pag. „ mihi 327. *Alia eſt* ignorantia antecedens, „ alia concomitans, alia ſubſequens. Ignorã„ tia antecedens ea eſt, quæ nec directè nec „ indirectè valuntaria eſt, ideoque antecedẽs „ apellatur, quia omnem voluntatis actum an„ tecedit; & eadem dicitur *invincibilis*, & „ & probabilis, ſeu iuſta. *Invincibilis*, quan„ do nulla diligentia vinci potuit. (*potuit*, „ inquit, non, *poteſt*) Probabilis ſeu iuſta, „ quando etſi abſolutè loquendo, omni adhi„ bita diligentia, quæ adhiberi poteſt, vinci „ potuerit, non tamen debuit, quia nulla fuit „ obligatio adhibendi maiorem diligentiam „ ea, quæ adhibita eſt, cum qua tamen ſupe„ rari non potuit, ideoque dicitur moraliter „ invincibilis. Ignorantia concomitans eſt, „ quando ignoratur aliquid, quod tamen ſi „ ſciretur, nihilominus ageretur, vt quando „ quis exiſtimans ſe occidere feram, inimicũ „ occidit, ita diſpoſitus tamen, vt ſi inimicũ „ eſſe cognoviſſet, nihilominus occidiſſet.

121 Ignorantia denique conſequens „ ea eſt, quæ aliquo modo voluntaria eſt, & „ voluntatem directè vel indirectè conſequi„ tur: quæ etiam dicitur vincibilis, quia dili„ gentia aliqua adhibita, vinci potuit ac de„ buit; dividiturque in affectatam, & eã, quæ „ affectata non eſt. Affectata eſt directè voli„ ta, v. g. cùm quis expreſsè vult aliquid ig„ norare vt liberiùs peccet: ea verò, quæ non „ eſt affectata, indirectè tantùm volita eſt, v. g. „ quãdo quis refugit laborẽ alicuius ſtudij, vt „ de ignorãtia rei alicuius ſequitur. Hactenus hic gravis author. Idque ipſum in eundẽ ferè modum explicat P. Amicus tom. 3. diſp. 3. nu. 153. Præterea noviſsimè P. Richardus Arſdekin noſtræ Societatis in ſua Theologia tripartita Antuerpiæ excuſſa anno 1682. tom. 2. part. 3. tract. 1. pag. 4. ignorantiam vincibilẽ & invincibilem definiens, inquit: *Ignorantia vincibilis eſt, quæ depelli potuit ac debuit: Invincibilis, quæ pro hominis arbitrio vinci non potuit, vti cum D. Thoma tradit Vuiger. 1. 2. q. 7. art. 8. Malderus,*

alij

aliique Theologi. Hinc fit, vt quis peccet atteſtando rem falſam, quam putat eſſe veram, ſi antea neglexit veritatem inquirere: item vt delinquat omittendo ſacrum, etſi iudicaverit diem non eſſe feſtum, ſi noluit in cognitione feſtorum debitam diligentiam adhibere. Et ſic de cæteris. Hæc ille, quamvis ſit rigidus Probabiliſta, vtpote qui in cõtroverſia generali de probabilitate opinionũ à pag. 61. illius tomi latè defendit vſum licitum opinionis probabilis relicta etiam probabiliori.

122 Denique P. Suarez t. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 1. num. 20 ait duobus modis poſſe ignorantiam eſſe invincibilem, *primo modo, quia nunquam venit in mentem hominis ſe teneri ad ſciendum vel inquirendum, vel ad vtendum tali medio, ſeu tali diligentia ad inquirendam ſcientiam*; v.g. *ad non furandum, ne ponat impedimentum diuinæ illuſtrationi, quia huiuſmodi diſpoſitio reddit hominem impotentem ad facilẽdam diligentiam: & hæc propriſſimè eſt ignorantia invincibilis. Secundo modo eſt, quãdo homo dum vitans ſe ignorare, facit moralem diligentiam rei & negotio accomodatam, & nihilominus non potuit illam ignorantiam expellere; & illa dicitur ab aliquibus ignorantia probabilis, quia iam ipſe homo probabili fide in illa durat, & ideo excuſat maiorem diligẽtiam adhibere, licèt fortaſſè poſſet.*

SECTIO VLTIMA.

Repellitur ex dictis importuna calumnia eorum, qui Ianſeniſmi inſimulant communem & veriſſimam ſententiam affirmantem peccari propriè poſſe per ignorantiam vel errorem culpabilem, quin eo tempore, quo contra legem peccatur, detur vlla actualis aduertẽtia malitiæ vel periculi illius.

123 IVre merito nobis licet applicare quibuſdã importunis cẽſoribus iſtius ſententiæ id quod Vincentius Contenſon dixit de iſs, qui Ianſeniſmi inſimulabant quandam ipſius ſententiam, quæ licèt ſit multorum antiquorum Theologorum, eſt tamen parum nunc vſitata in ſcholis, & reverà difficilis: cùm tamẽ hæc noſtra ſit communis Patrum ſententia, & quæ non videtur poſſe negari, quin negentur peccata ignorantiæ. Igitur Vincentius Contenſon Ordinis Prædicatorum in ſua Theologia mentis & cordis tom. 3. diſſert. 6. cap. 1. q. 5. latè probat, non ſemper requiri prævium conſcientiæ dictamen de malitia operis, vt contra ius naturale liberè facta ſint peccata; & inſuper pag. 575. aſſerit, *nullam dari ignorantiam invincibilem iuris naturalis, ſed omnem eſſe vincibilem & culpabilem, ac proinde opera cõtra ius naturale admiſſa perperã excuſari ex eo quod nulla præceſſerit prævia malitiæ cogitatio, qua animus actu illuſtretur, & affectus vitandi peccati deſiderio extimuletur, vt quidam moderni ad excuſandas excuſationes in peccatis comminiſcuntur, quia ſemper carentia ſcientiæ iuris naturalis eſt vincibilis & voluntaria ſin directè & expreſsè, certè indirecte & in ſuis cauſis propria & perſonali culpa appoſitis.*

124 Poſtquam autem hanc concluſionem latè munire conatus eſt, eam pag. 591. confirmat, ex doctrina, quam nonnulli non ignobiles Theologi longè ante Ianſenium nati & florentes, tradiderunt, ſcilicèt Hugo de Sancto Victore, S. Bonaventura, Gerſon, Adrianus, & Guillelmus Pariſienſis, docẽtes, nullam etiam apud infideles dari iuris nedum naturalis, ſed divini invincibilem ignorantiã: „ quia, inquiunt, poſſunt recurrere ad ſupre„ mum, quem intra ſe habent Magiſtrũ Deum „ facilè exorandum, ſi veritatem ſtudio quæſi„ tam continuis precibus à Deo eflagitent, & „ ſe pœnitentiæ vitæque emendatione divina „ luce dignos efficiant: vnde fidei ignoran„ tiam eis imputandam credunt, quia Deus „ fidem nutritis etiam in ſilvis minimè nega„ ret, ſi illã adhibitis omnibus, quibus poteſt „ comparari medijs, poſtularent: & quam hic author hanc doctrinam non probet, quia non ſolùm durior & auſterior videtur, ſed etiam parum eſt Sancto Auguſtino & D. Thomæ conſentanea: illam tamen adducit ad declinandam invidiam Ianſeniſmi, quæ ipſi conflari poterat ex aſſertione nuper citata. *Quod dico* (inquit) *propter quoſdam importunos & impertinentes Recentiores, qui argumentis deſtituti ſententiam negantem dari ignorantiam invincibilem iuris naturalis Ianſeniſmi pueriliter inſimulant, & ſicut ictericis laborantibus flauus ſemper & vbique color occurrit, ita illi quamvis ſententiam ſuis laxitatum præiudicijs adverſam Ianſeniſmi, & novi dogmatis ineptiſſimè notant.*

125 Poſtea pag. 625. reſpondens ſecundo argumento accuſanti ſententiam hu[illegible] ius authoris de Ianſeniſmo: *Ad ſecun[illegible]* inquit, *dicendum, pueriliter & [illegible] noſtræ ſententiæ Authorem fi[illegible] atque impertinenter tam an[illegible] Ianſeniſmi notam inuri, facere*

cur in dicta. Nam, vt Vazquez 1.2. diſ. 122. c.1. & Paulus Comitolus lib.5. reſp. moral. cap.1. aiunt, omnes antiqui Theologi in ea fuerunt ſententia, nunquam inuincibilem, ſed ſemper vincibilem eſſe iuris naturalis ignorantiam. Forte Ianſeniſtæ fuerũt Alexander de Hales, Gratianus, Durandus, Alphonſus à Caſtro, Altiſiodorenſis, Albertus Magnus, Gabriel, Hugo Victorinus, Guillelmus Pariſienſis, Adrianus, S. Bonaventura, & ipſemet D. Thomas? Fortè Ianſeniſtæ fuit Gerſon, quia libro de vita ſpirituali, lect. 14. corol 3. ſcripſit: Quidquid ſit de ignorantia facti, aut iuris humani poſitiui, CONCORS EST SENTENTIA, NVLLAM IN IIS, QVAE LEGIS DIVINAE SVNT, CADERE IGNORANTIAM INVINCIBILEM.

126 Statimque germanum aſſignat diſcrimen inter ſententiam D. Thomæ, & antiquorum Theologorum aſſerentium non poſſe dari ignorantiam invincibilem iuris naturalis, & inter ſententiam Ianſenij; hic enim *ſupponens dari poſſe ignorantiam invincibilem iuris naturalis*, lib. 12. de ſtatu puræ naturæ diſſerte pronuntiat, ignorantiam invincibilem iuris naturalis nunquam excuſare à peccato, bene tamen ignorantiam iuris poſitiui; reddítque rationem, quia per culpam primi hominis in hominum mentes inuecta eſt, & eſt voluntaria voluntate capitis; vt ſatis conſtat ex tota hac diſputatione, præſertim, ſect. eſt autem concors omnium Theologorum cum D. Thom. in 2. diſtinct. 30. quæſt. 1. art. 2. ſententia, & communis ſenſus Patrũ cum D. Auguſtino ad peccatum perſonale nõ ſufficere, quod ſit voluntarium in capite, ſicut ſufficit ad peccatum originale, quod eſt peccatum naturæ, ſed requiri quod ſit voluntariũ ipſi peccanti, & quod potuerit ab ipſo caueri.

127 Hæc autem non ideo à me dicta ſunt, quia vniuerſaliter veram cenſeam ſententiam Contenſonis: eſt enim difficillimum, quod non poſsit dari ignorantia invincibilis iuris naturalis, ſaltem quoad concluſiones quaſdam remotas, quæ non niſi poſt multum ſtudium colligi poſſunt ex primis principijs; efficacitèr enim videtur oſtendi ea invincibiliter ignorari poſſe, circa quæ præſtantiſsimi Eccleſiæ Doctores diſſentiunt, & poſt omnem diligentiam ac ſtudium diſſentire perguut. Contingenſque eſt Sapientiſsimos & Sanctiſſimos Doctores, poſt accuratam rei inueſtiga-
[illegible] videre ſententias falſas circa ius na-
[illegible] eſſ, aut affirmare, aliquid non eſſe iure na-
[illegible] a in ſe, ſitum, quod reipſa prohibitum
[illegible] as quilibet tutò ſequi poterit,
[illegible] cum ſtudium, & citra omnẽ

paſsionem illi appareant multo veriſimiliores oppoſitis. Non enim poteſt afferri ratio efficax, qua probetur non poſſe homini volenti celebrare contractum apparere multo veriſimilior quàm oppoſita, ſententia illa, quàm vt veram multi Sapientiſsimi & Sancti Doctores ſecuti ſunt. Cur enim citra culpam non poterit ſententia valde probabilis reipſa falſa habere in intellectu hominis operantis eundem ſtatum, quem habuit in intellectu Sapientum & proborum hominum, qui illam innocenter vt veram tradiderunt, quamvis reipſa falſa ſit? Si autem poteſt, licebit vtique illam in praxi ſequi. Non, inquam, ideo à me hæc dicta ſunt, quia cenſeã non poſſe aliquando dari ignorantiam iuris naturalis circa cõcluſiones illas, quæ inter Doctores diſputantur: ſed vt præoccupem præcipitem quorundam hominum cenſurandi licentiam, qui vel ex ignorantia, vel ex præiudicio & præoccupatione, notam Ianſeniſmi inurunt ſententijs, quæ inter Patres & antiquos Theologos cõmunes ſunt, ſolum quia ipſi in doctrina contraria nutriti ſunt. Talis eſt ſententia affirmãs poſſe hominem contra legem Dei per ignorantiam, vel errorẽ peccare, quin tunc aliquid actu cogitet de malitia operis, vel de periculo illius; vix enim aliqui hoc audiunt, cum concipiunt, hanc ignorantiam eſſe illam invincibilem, quam conſtanter Theologi dicũt excuſare, & ſtatim clamant, hoc Ianſeniſmum ſapere, exiſtimantes operari cum ignorantia invincibili malitiæ illum, qui operatur rem intrinſecè malã, ſine vllo ſcrupulo & remorſu conſcientiæ: confundentes impotentiam voluntariam & conſequentem vincendi pro illo tunc illam ignorantiam cum impotentia antecedente omnino involuntaria, cum tamen longiſsime diſtent.

128 De quibus potiori iure dicere poſſumus illud quod Contenſon dixit, de illis, qui Ianſeniſmum appellant, quod non poſsit dari ignorantia iuris naturalis. Nam quod nõ poſsit dari talis ignorantia, falſum communiter reputatur à Theologis. At poſſe quem ignoranter peccare contra legem Dei, quin vllam ſuſpicionem habeat pro tunc de malitia; ſi ignorantia illa oriatur trahit ex negligentia culpabili, eſt conſtans Patrum & Theologorum ſententia, adeoque vera, vt Sapientiſsimus Theologus in eruditiſsimo manuſcripto arbitretur, oppoſitum eſſe errorem *in Theologia. Quamvis enim* ſatis communis ſententia Theologorum teneat cum P. Vazquez 1. 2. diſp. 123. num. 6. & diſp. 107. cap. 3. *illam ignorantiam legis cenſendam eſſe omnino invincibilem, cuius nulla notitia, nec ratio dubitandi in vniuerſum, aut pecu-*lia-

culiariter occurrit. Tamen hoc non debet intelligi de notitia, quæ tunc actualiter exiſtat, quando contra legem peccatur, ſed quæ extiterit antea; verbumque *Occurrit*, ibi non præſentis eſt temporis, ſed præteriti; vt conſtat ex ipſo Vazquez, qui paulo poſt verba relata ſubiungit: *Nam quod alicui imputetur, ſi neſciat legem pertinẽtem ad ſtatum ſuũ, ideo eſt, quia prius novit eſſe aliquas leges circa diſpoſitionem ſtatus ſui: quod ſi id nõ noviſſet, aut nullam de hac re habuiſſet dubitationem, eſſet ipſi ignorantia invincibilis: ſuperat enim humanam diligentiã expelliere ignorantiam illius rei, cuius nulla prorſus incidit cogitatio.* Et ibidem addit, ſe primùm docuiſſe *in noſtro Collegio Complutenſi anno 1581. tunc eſſe ignorantiam vel inconſideratiam invincibilem, quãdo nulla ſuccurrit cogitatio, aut ratio dubitandi.* Vbi, vt vides, loquitur de tempore præterito.

Hinc quamvis P. Terillus contra Cella Deum in to. de doctrina morum part. 2. quæſt. 63. allert. 4. *Acriter contendat voluntatem in opere particulari nõ peccare mõrtaliter peccato propriè ac ratione ſui imputabili, quando nulla actualis aduertentia, nec ſpecialis, nec confuſa malitiæ moralis præceſſit, vel ſaltem dubitatio aliqua, vel ſcrupulus.* Tamen poſtea in eadem quæſtione num. 60. fatetur: *Sæpè peccari, quando non aduertitur peccari, tunc ſcilicet quando ignorantia aut inaduertentia eſt culpabilis, ſeu quando & poterat, & debebat vitari.* Et addit: *Hoc probavimus nos, hoc omnes admittunt.* Et in fine illius numeri ſic cõcludit: *Siquis de præſenti non cogitet, ſed ex culpa præterita non retractata in hanc incogitantiam devenerit, peccat quidem, ſed non nova malitia, & imputabilitate.* Ergo ex confeſsione Terilli, certum eſt, eum, qui per ignorantiam vel errorem culpabilem ortum ex culpa præterita non retractata, agit contra legem naturalem, peccare verè & propriè, licet pro tunc nihil cogitet de malitia actionis, vel de periculo eius. Solùmque datur controverſia, an hoc peccatum mereatur novam pœnam diſtinctam ab illa, quæ correſpondet negligentiæ.

129 Itaque certum eſt, eum qui agit contra legem naturalem, peccare; quamvis tũc temporis quando contra legem agit, nihil de malitia ſui operis actù cogitet; imo quamvis per errorem cogitet, opus illud eſſe honeſtum; dummodo ignorantia hæc vel hic error ſit culpabilis, ortus nimirum ex negligentia culpabili addiscendi ea, quæ tenebatur ſcire: vnde ſiquis ſciens ſe eſſe Chriſtianum, & ſe obligatum eſſe ſcire, quæ lex Chriſti præcipit, vt ea faciat; & ea, quæ prohibet, vt ea evitet; ex deſidia & negligẽcia culpabili omitteret ſcire legem Chriſtianorum; & poſtea per errorẽ crederet, ſibi licitum eſſe furari ad dandam eleemoſinam, vel ſe polluere ſanitatis cauſa: vere peccaret peccato furti, & peccato mollitiei; & in inferno puniretur tanquã fur, & tãquam luxurioſus. Vnde P. Thomas Sanchez, lib. 1. ſumm. cap. 17. num. 1. meritò ſic pronũciat: *Ignorantia, inaduertentia, & obliuio quando vincibilia ſunt non excuſant actum à culpa. Hanc ſtatuit D. Thomas ab omnibus receptus, imo eſſe aliquam ignorantiam non prorſus à culpa excuſantem, ſed illam minuentem, eſt de fide.*

130 Et quidem dari peccata ex ignorantia commiſſa, ſeu quorum cauſa ſit ignorãtia culpabiliter contracta, adeo certum eſt, vt P. Valentia tom. 2. diſp. 6. quæſt. 6. punct. 1. dicat, id eſſe de fide: *Et quidem* (inquit) *quoad ignorantiam attinet, ex fide certum eſt, eã aliquo tandem modo eſſe quandoque cauſam peccati.* Omneſque Theologi cum Magiſtro in 2. diſt. 22. & 43. & cum D. Thom. 1. 2. q. 76. 77 & 78. tria genera peccatorum diſtinguunt, nempe *ex ignorantia, ex infirmitate, ſeu paſſione, & ex malitia.*

131 Vt autem rectè probat Vincentius Contenſon tom. 3. diſſert. 6. cap. 1. pagina 585. ſi nullus poſſet peccare, quin adverteret ad malitiam operis, tunc quando peccatum committit: *Sequeretur inde, etiam opus ex ignorantia craſſa factum eximi à culpa; imo nullum omnino peccatum dari ex ignorantia: omnis enim ignorantia, quamvis negligentia contracta, tollit cognitionem malitiæ actus, ſubindeque malitiæ voluntatem, cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum: ergo ſi ad omnem peccati rationem requiritur reflexia ſuper malitiam, nihil ignorantia commiſſum poterit habere rationem peccati. Quod eſt contra Eccleſiæ doctrinam orantis, ne meminerit fidelium ignorantias, & ad excuſanda innumera peccata defenſionẽ ſuppeditat, & Chriſtianos ad negligendam ſcientiam ſalutis invitat.*

132 Similiter poſtea pag. 630. in fine hoc ipſum inculcans: *Certe*, inquit, *ſi hæc argumenta quidquam efficerent, probarent, omnia etiam, quæ ignorantia vincibili fiũt, peccato eximi: nam ignorantia vincibilis tollit plenam rationis aduertentiam, tollit actualem dictaminis promulgationem, tollit cognitionem dirigentem, & [illegible] facem præferentem. Quare ſi [illegible] verſari neceſſe eſt, ſæpe tamen [illegible] peccatum ſine cognitione [illegible]*

ſua vna cauſa voluntariè extincta. Vnde non mirum, ſi opera tenebrarum edunt, qui ſponte abiciunt arma lucis.

Et CellaDeus 2. p. de recta doctrina morum lib. 1. q. 4. & 5. latè probat, eos, qui dicunt, neminem peccare, niſi advertat actu, & cognoſcat ſe peccare, revera tollere peccata ignorantiæ; quia non peccat neſcienter, & ignoranter ille, qui advertit ad malitiam operis quod contra legem facit: vnde quæſt. 5. latè oſtendit, *ſæpe peccari, quin ſciatur, neque aduertatur peccari.* Pro quo hanc rationem conficit q. 3. §. 3. *Peccatur per ignorantiam, & ex ignorantia*, vt certum eſt apud omnes: ſed qui ſcit, cognoſcit, & advertit ſe peccare; non peccat per ignorantiam, & ex ignorantia; quod videtur notum ex terminis: ergo peccatur, quin ſciatur, aut advertatur peccari. Minorem notiſſimam ſic declarat: „ Peccare per ignorantiam & ex ignorantia „ eſt ignoranter & neſciendo peccare: peccare verò cognoſcendo & advertendo peccatum, eſt ſcienter & advertenter peccare: „ at per ſe notum videtur peccare advertenter & ſcienter ſic opponi cum peccare ignoranter & neſciendo; ſicut ſcientia & ignorantia; & advertentia & inadvertentia „ opponuntur: ergo peccare per ignorantiam „ & ex ignorantia pugnat & opponitur cum „ peccare cognoſcendo & advertendo peccatum. Peccatur ergo, quin cognoſcatur, neque advertatur peccari. Hæc ille.

133 Cùm ergo certum omnino ſit, ſæpe per ignorantiam & ex ignorantia homines peccare; fatẽdum eſt, ſæpe hominem peccare, quin eo tẽpore quo contra legẽ agit, advertat actualiter ad malitiam ſui operis, vel ad periculum illius. Nimirum quando error ille vel ignorantia eſt culpabilis, orta ſcilicèt ex negligentia culpabili antecedenti ſciendi; ſi enim ignorantia ſit omnino inculpabilis, omnino excuſabit à peccato opus ex illa ignorantia factum contra legem Dei, iuxta regulam traditam à Divo Thoma lect. 7. in caput 1. epiſtolæ ad Rom. vbi ſic ſcribit: *Tunc ignorantia culpam excuſat, quando ſic procedit & cauſat culpam, quod non cauſatur à culpa. Si verò ignorantia cauſetur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam ignorantia excuſare.* Ratio autem à priori, cur opus factum contra legem ex ignorantia culpabili, ſit peccatum verè & propriè, redditur à D. Thoma q. 3. de malo ar. 8. corpo-

„ ea, *quia quod ex voluntario cauſatur, vo-*
in moralibus reputatur; in quã-
ſibus eſt, cum
tia ipſa eſt voluntaria, in tan-
hoc quod cauſet non volun-
conſequens ab hoc quod ex-
cuſet peccatum. Quapropter is, qui per ignorantiam culpabilem & liberam ſibi, agit contra legem Dei, voluntariè & liberè agit contra legem: ſed agere voluntariè & liberè contra legem, eſt peccare veré & propriè: ergo veré & propriè peccat. Quare licèt malitia operis non ſit illi voluntaria in ſe & directè; eſt tamen ipſi voluntaria indirectè, & in alio, nempe in cauſa, nempe in ignorantia cauſante peccatum.

134 Solùm ergo inter Catholicos dubitari poteſt, an opus factum contra legem ex ignorantia, non ſolùm ſit propriè & verè peccatum, ſed an ſit peccatum diſtinctum ab ignorantia culpabili, & à negligentia antecedenti, à qua procedit: an verò faciat vnum peccatum cum ipſa ignorantia & negligentia; & ſolùm denominativè ab illa ſit peccatum.

135 P. Antonius Ferillus in opere de recta regula morum ſentit, opus factũ contra legem ſine advertentia vlla vel ſuſpitione malitiæ, nullam ſuperaddere malitiam negligentiæ culpabili, ex qua ignorantia illa proceſsit: nam quæſt. 60. n. 3. & n. 6. docet, ignorantiam malitiam ſumere à negligentia per quam incurritur: *Sola negligentia*, inquit, *eſt illud in quo tota imputabilis malitia peccati ignorantiæ conſiſtit, aut à quo totaliter dependet.* Et q. 63. n. 5. inquit: *Si ignorantia, olim vincibilis & voluntaria, evadat poſtea invincibilis, quia non eſt à quo ignorans inſtrui poſsit, &c. tunc dicendum eſt, opus ex tali ignorantia factum eſſe malum & imputabile, ſed non habere peculiarem malitiam moralem aut imputabilitatem ſuperadditam malitiæ actus voluntatis, in quo directè vel indirectè fuit volitum. Ratio eſt, quia cùm ignorantia iam ſit invincibilis, opus vt iam expeditur ab ignorantia non poteſt magis imputari, quàm ipſa ignorantia. At illa ſecundùm ſe iã imputari nõ poteſt, ſed ſolùm ratione cauſæ, à qua proceſſerit. Ergo nec opus aliter imputari poteſt.* Idem docuerat q. 40. n. 37. & q. 63. n. 60. *Dicimus*, inquit, *tam abſolutam & integram ignorantiã, & incogitantiã mali, etſi vincibilem, quàm opus à tali ignorantia directum, ab vna eademque negligẽtia ſciendi verè & eſſe & denominari peccatum, nec aliam peculiarem maculam, aut reatum pœnæ aſſerre, quàm quæ dictæ negligentiæ culpabili debetur.* Et poſtmodum: *ſi quis de præſenti non cogitet, ſed ex culpa priori non retractata in hanc incogitantiã devenerit, peccare quidem, ſed non nova malitia, & imputabilitate, ſed eadem malitia & imputabilitas culpæ prioris applicatur huic operi, illudque conſtituit imputabile.*

At

136 At Cordova in ſuo quæſtionario lib. 2. q. 13. initio refert graves Doctores aſſerentes, peccata procedentia ex errore vel ignorantia culpabili, addere malitiam imputabilem ad novam pœnam diſtinctam ab ea, quæ correſpondet negligentiæ addiſcendi, quamvis eo tempore quo quis peccat, nõ poſſit ea ignorantia vinci, eo quod hæc impoſſibilitas eſt conſequens orta ex culpa antecedenti, quæ per pœnitentiam retractata non eſt. Citat autem pro hac ſententia in ſpeciali Richardum à S. Victore, & Damaſcenum. Et pag. 91. col. 2. in fine ait, hanc ſententiam ſequi multos Scholaſticos antiquos & modernos. Et pag. 95. col. 1. citat pro ea ſententia Auguſtinum de corrept. & grat. cap. 49. & de perfect. iuſtitiæ cap. 14. 15. & 16. & lib. 1. retract. cap. 13. & 15. & in epiſtola ad Sixtum ſuper illud Rom. 1. *ita vt ſint inexcuſabiles.* Citat quoque Gregorium Ariminenſem in 2. diſt. 26. q. 1. & 2.

137 Et hanc ſententiam tuetur acriter Cella Deus, & Vincentius Contenſon. Videturque efficaciter colligi ex ſententia communi Theologorum apud Thomam Sanchez lib. 1. Summæ cap. 1. nu. 12. aſſerente, eum qui per errorem culpabilem iudicat, ſe obligatum eſſe ad furandum, vt ſuccurrat indigenti, ex ſuppoſitione huius erroris (in quem ſua culpa incidit ob negligentiam culpabilem addiſcendi ea, quæ ſcire tenebatur) neceſſitatũ eſſe ad peccãdum: nam ſi furtum omittat, peccabit contra conſcientiam dictantem hic & nunc dari obligationem furandi ad ſuccurrẽdum indigenti: ſi autem furetur, peccabit cõtra præceptum non furãdi; Authores namque loquuntur de peccato, quod ſubſequitur ad errorem ipſum, & quod eſt effectus ipſius, non autem de peccato, quod antecedit errorem, & ex cauſa illius, nempe de peccato negligentiæ antecedenti. Ergo ſupponunt furtum ipſum eſſe verè in ſe peccatũ, quando oritur ex conſcientia erronea culpabili dictante furandum eſſe ad ſuccurrendum egeno.

138 Certè principium eſt apud omnes Theologos inconcuſſum, quòd ignorantia vincibilis & culpabilis non excuſat à peccato. Nomine autem ignorantiæ vincibilis non intelligunt ignorantiam, ad quam depellendam detur potentia proxima in illo inſtanti, ſed ignorantiam conſequentem, quam liberè operans ſua culpa incurrit, eo quod non adhibuit diligentiam, quam debebat, ad acquirendam ſcientiam, ſeu notitiam oppoſitam ignorantiæ: vt oſtendimus ſect. 14. ergo de omni ignorantia culpabili, & voluntariè cõtracta, dicunt non excuſare à peccato actum, qui cum illa ignorantia, & ex illa ignorantia fit contra legem divinam naturalem: ergo ſupponunt, hominem operantem contra legem ex illa ignorantia, præter malitiam negligentiæ, quæ illam ignorantiam cauſavit, & præter malitiam ipſius ignorantiæ, contrahere novam malitiam per actum, quem contra legem naturalem facit ex illa ignorantia, non quidem malitiam adæquatè diſtinctã, & nullo pacto includentem malitiam negligẽtiæ precedentis; ſed malitiam inadæquatè diſtinctam à præcedenti malitia ipſius negligentiæ, & includentem malitiam negligentiæ; cùm enim actus commiſſus contra legem naturalem, non ſit peccatum, niſi quatenus liberè & voluntariè factus eſt contra legem; & in ratione liber & voluntarium conſtituatur per negligẽtiam liberam culpabilem, conſequens eſt vt includat de obliquo illam negligentiam; non quidem tanquam formam, in qua conſiſtat tota malitia actus commiſſi contra legem, ſed tanquam conditionem eſſentialiter prærequiſitam ad hoc, vt actus ſubſecutus ſit malitia imputabilis, ſeu tanquam conſtitutivum de obliquo: vel ſi velis *includere vt formam*, includet vt formam *libertatis*, non verò vt formam malitiæ: ſic in ſententia aſſerente libertatem non eſſe eſſentialem actioni liberæ, ſed accidentalem; ac proinde actionem peccaminoſam denominari liberam ab indifferentia principij; indifferentia principij eſt eſſentialiter prærequiſita vt actio evadat mala formaliter, & eſt forma, à quâ denominatur libera; non eſt tamẽ ipſa malitia, neque forma, à qua actio denominatur mala.

139 Idque ſatis confirmatur ex D. Thoma, qui cùm non admittat ignorantiam invincibilem iuris naturalis pertinentis ad vnumquemque (vt clarè oſtendit Contenſon tom. 3. diſſert. 6. cap. 1. quæſt. 5. à pag. 575.) præſertim quoad illa vniverſalia præcepta contenta in Decalogo, vniverſaliter affirmat quodlib. 8. ar. 13. *Illud, quod eſt contra legem Dei ſemper eſſe malum, neque excuſari per hoc quod eſt ſecundùm conſcientiam:* ergo ſupponit, eum, qui per errorem culpabilem iudicat, licitum eſſe furari ad dandam eleemoſinam, peccare furando, quamvis nullo ſcrupulo tunc angatur: ergo ſupponit, præter malitiam negligentiæ in addiſcẽda lege Dei, reperiri malitiam furti; quæ licèt non imputaretur, niſi præceſſiſſet negligentia culpabilis, ex quo tamen iam præceſſit, imputatur: ac proinde ſupponit, hominem ſic furan[illegible] non ſolùm meruiſſe pœnam per [illegible] antecedentem, ſed mereri novam [illegible] commiſſionem furti.

Præterea cùm conſ[illegible]sit fater[illegible] Theologis pro dictamin[illegible] facere

ter dividitur in conscientiam rectam, & in conscientiam erroneam: & de conscientia erronea inquirunt, an excuset: & dicunt excusare à peccato actum, qui contra legem fit ex illa conscientia erronea; si talis conscientia erronea sit inculpabilis, ita vt absque sua culpa homo illam induerit; non excusare verò si sit culpabilis: id est excusare, si sit invincibilis, eo quòd homo non potuerit illam vincere: nō excusare verò si sit vincibilis, eo quod homo potuit ac debuit illum errorem non habere: ergo supponunt dictamen erroneum conscientiæ, quamvis sit firmissimum, & conceptum absque vlla ratione dubitandi in oppositum, quæ tunc occurrerit; non excusare à culpa actum, qui contra legem cum illo errore fit, si ille error contractus fuit per negligentiam culpabilem. Ergo supponunt, præter malitiam negligentiæ, novam supervenire malitiam in actu ipso contra legem, & hanc imputari, hoc ipso, quod præcesserit negligentia culpabilis; ita vt negligentia præcedens sit tota ratio libertatis, & imputabilitatis, non tamen tota malitia.

140 In eoque peccare videtur Tamillus quod ad diversitatem peccatorum, & distinctionem, videatur requirire diversitatem & distinctionem libertatum; quod tamen est falsum, nam per vnicam libertatem potest cōmitti multiplex peccatum: siquidem Sacerdos committens adulterium, vnicam exercet libertatem; & tamen triplicem contrahit malitiam, nempe malitiam incontinentiæ; sacrilegij, & iniustitiæ. Vnde ex eo, quod opus factum contra legem sine vllo scrupulo per errorem ortum ex negligentia culpabili, non sit de novo imputabile, seu ex eo quod non addat novam imputabilitatem, sive libertatem motalem; non necessariò infertur, quod non addat novum demeritum, & dignitatem pœnæ: sicut ex eo, quod certum sit opus externū non addere novam libertatem & imputabilitatem supra actum internum efficacem, à quo inducitur, non infertur esse certum quod non addat novum meritum vel demeritum; vt videre est apud Ripaldam tom. 1. disp. 68. sect. 5. imo non sequitur, non addere novam malitiam supra actum internum imperantem; vt enim inquit Cordova in quæstionario lib. 2. q. 18. pag. 94. *Sicut quis est aliquo modo melior cæteris paribus volens & faciens bonum, quam volens & non faciens, puta [illegible] non potest: ergo similiter è converso [illegible] malè volens & malè faciens, quam [illegible] tantùm.* Patet per Augustinum [illegible] Trinit. cap. 5. *Mala voluntate [illegible] efficitur, sed miserior pote[illegible]am malæ voluntatis im[illegible]*

141 Potestque à priori reddi ratio; nam mendacium secundùm se sumptum, furtum & homicidium, sunt mala & disconvenientia naturæ rationali, & lege divina primariò prohibita: nam per illa præcepta, *Non occides; non furaberis, non mentieris*, primariò prohibetur actiones externæ; & in illis primariò residet malitia; ideo enim voluntas occidēdi & furandi est mala, quia furtū & homicidium est malum, & non econverso: ergo quando actui interno additur externus, additur malitia; quæ licèt relatè ad actum imperantem sit obiectum, in se tamen est malitia formalis exercita; & sicut ab actu interno libero redditur extrinsecè libera, ita redditur imputabilis. Ergo licet non addat actio externa libertatem internæ, addit tamen malitiam; quæ imputatur hoc ipso quod procedat ab actu libero, & meretur pœnam æternam; quam non mereretur, si non procederet ab actu libero, sed necessariò fieret. Ergo actio externa contraria præcepto addit malitiam supra internam; licèt non addat libertatem & imputabilitatem.

142 Sed quāquam dicamus, actionem externam non addere meritum vel demeritum supra internam, quia vbi actus internus est ex se efficax, & toto conatu imperat externum, voluntas pro facto reputatur: non tamen idem dicendum videtur in actibus cōtrarijs legi naturali ortis ex ignorantia culpabili propter negligentiam: nam si ponamus duos mercatores eandem negligentiam culpabilem habuisse addiscendi ea, quæ sunt necessaria ad licitè exercendos contractus; ita vt in negligentia antecedenti fuerint omnino pares; postea verò ex hac negligentia vnum ex illis quatuor contractus reipsa vsurarios exercuisse, per errorem indirectè volūtarium existimando illos esse licitos; alterum verò vnum dūtaxat eiusmodi contractū celebrasse; non videtur posse tutò dici, non plus peccasse vnum quàm alium, nec maius infernum meruisse: siquidem alter commisit quatuor peccata vsuræ; alter verò vnum duntaxat. Ponamus rursùs, duos Christianos æquali advertentia agnoscere, se obligatos esse ad discendam Christianam legem; & ex desidia vel alio vitio parem omnino negligentiam voluntariè admisisse addiscendi præcepta divina, & in hac negligentia æqualiter peccare: postea verò ex hac negligentia ortum ducere, quod alter ex ijs per errorem iudicet, sibi licitū esse, se polluere sanitatis causa, & furari ad dādam eleemosinam, & lucrum recipere ex mutuo, & pretium accipere pro præsentatione ad beneficiū, ac iurare falsum ad liberādum proximū: alter verò solùm per errorem ortum ex illa ne-

negligẽtia iudicet ſibi licitum eſſe falſum iurare ad liberandũ hominem à ſupplicio mortis: & vterque committat peccata ſuo, vel ſuis erroribus correſpondentia. Sanè in hoc eventu alter committeret peccatum luxuriæ contra naturam, peccatum furti, peccatum vſuræ, & peccatum ſimoniæ, & peccatum periurij: alter verò duntaxat peccatum periurij cõtra ſecundum præceptum Decalogi. Ergo alter committeret quinque peccata ſpecie diſtincta, alter verò vnum duntaxat. Quis autem dicat, non plus in inferno puniendum, qui commiſsit quinque peccata diverſa, quàm qui commiſsit vnum duntaxat ex illis?

143 Falſa ergo videtur ſententia Terilli, quod tota malitia peccatorum, quæ fiunt per ignorantiam, conſiſtat in negligentia culpabili: negligentia enim addiſcendi legem Chriſtianam eſt quoddã peccatum, quod nec eſt furtum, nec ſacrilegium, nec ſimonia, aut vſura: opera autem illa facta ex illo errore culpabili, ſunt peccata in his ſpecibus: ergo hæc facta addunt aliquam malitiam: ergo negligentia non eſt tota eorum malitia; quare falſa videtur ſententia Terilli, ac proinde videtur præferenda ſententia oppoſita, dicens, opera facta per errorem contra legem, non poſſe eſſe peccatum, quin procedat error ille ex negligentia culpabili; cæterum hic non intervenire ſolam malitiam negligentiæ; ſed opera illa addere aliquam malitiam ſupra negligentiam; quæ malitia non imputaretur homini, ſi non præceſſiſſet negligentia; quia tunc non foret libera & voluntaria: ex quo tamen præceſſit negligentia culpabilis, illam ſufficere, vt imputetur opus pravum ex ipſa ortum: quia quamvis nequeat opus eſſe peccatum quin ſit liberùm; poteſt tamen creſcere malitia, quin creſcat libertas: quia eadem libertas negligentiæ ſufficit ad informãda peccata diſtincta & ſpecie diverſa per errorem facta contra legem.

144 Præterea ſententia Terilli inde difficilis apparet, quia ex illa videtur ſequi, nullam dari revera culpam per ignorantiam contractam, ſed omnem culpam eſſe vel ex paſsione & fragilitate, vel ex malitia: nam ſi opus factum per errorem ſine vllo ſcrupulo contra legem, eſt malum purè denominativè ab ignorantia, ſeu errore; & ignorantia vel error eſt malus purè denominativè à negligẽtia: ergo in toto hoc negotio & progreſſu tota malitia moralis ſita eſt in ipſa negligentia. Ergo non datur peccatum ignorantiæ, ſeu malitia moralis per ignorantiam ſeu ignoranter contracta. Probatur hæc conſequentia: quia negligentia ipſa non eſt peccatum ignorãtiæ; ſed eſt peccatum ſcienter admiſſum; qui enim cognoſcit ſe eſſe obligatum ad addiſcendam doctrinam Chriſtianam, & legem Dei, & ob vitandum laborem, vel ob verecundiam interrogandi negligit ſcire quod tenetur, ſcienter incurrit peccatum negligentiæ.

145 Vnde merito Cardinalis Eſforcia in libello de actibus humanis nu. 84. obſervavit, nunquam dari peccatum ex ignorantia, quin detur aliud ex malitia, ſeu advertenter commiſſum: *Nam hoc ipſo*, inquit, *quod ignorãtia eſt culpabilis, committitur peccatum ex malitia circa neglectum ſcientiæ, ad quam procurandam operans videt ſe teneri.* Vnde peccatum ignorantiæ nequit eſſe primum, ſed eſſentialiter ſupponit aliud commiſſum ſcienter, & per malitiam. Ergo ſi tota malitia peccatorum, quæ neſcienter fiunt, conſiſtit in neglectu ſcientiæ; nulla aſſignatur malitia per ignorantiam incurſa, ac proinde de medio tolluntur peccata ignorantiæ, & nomine tenus conceduntur.

146 Ad hominemque videtur probari poſſe contra Terillum, poſſe quem peccare contra legem naturalem, quin tempore illo, quo contra legem peccat, vllum ſcrupulum vel ſuſpitionem habeat de malitia illius operis, ſed potiùs firmiſsimè iudicet per errorem culpabilem, ſibi licitum eſſe ſic operari: nam hic author in tomo de doctrina morum q. 63. n. 33. conqueritur de Cella Deo, quod falsò quibuſdã Doctoribus tribuat ſententiam affirmantem, neminem vnquam contra legem peccare poſſe, quin eo tempore, quo contra legem peccat, advertat ad malitiam operis, vel ad periculum illam incurrendi. Sic enim ſcribit: *Qui dicunt neminem vnquam peccare in vllo inſtanti, in quo non habeat actualem cognitionem peccati, citandi erãt vt impugnarentur: ego certè tales nullos novi, neque exiſtimo vllos eſſe, qui ita crudè ſentiant de omnibus, etiam de illis, qui ſcientes, volenteſque in ſcelera conſentiunt. Quis enim eos à peccato immunes facit, eo quod pro aliquo inſtanti actionis pravæ, de malitia illius actu non cogitent.* Vnde hic author ibi num. 2. aſſerit, *eum, qui legem, cuius actualiter conſcius eſt, ex vehementi paſsione violat, & liberè proſequitur opus inchoatum, toto tempore peccare imputabiliter, quamvis ſingulis inſtantibus libertatis actu non aduertat ſe peccare.*

147 Hinc ad hominem contra Terillum poteſt confici argumentũ: ſi legem peccat contra legem, toto tempore [illegible] liberè exercet opus contra legem, tamẽ tempore advertat ad malitia[illegible] ſupereſt difficultas in aſſignacere peccet toto tempore ex

tra legem liberè facit, licèt in nullo instanti illius operis advertat ad malitiam, dum modo error, seu ignorantia, quæ est causa operis, oriatur ex negligentia antecedenti, quæ moraliter influat in opus, quia non est retractata per pœnitentiam.

148 Vnde cum Divus Thomas 1.2.q. 76. art. 2. dixit, *ignorantiam eorum, quæ quis scire tenetur, esse peccatum propter negligentiam*, non docuit ignorãtiam solùm purè denominativè à negligentia esse peccatum, ita vt tota malitia sita sit in ipsa negligentia, vt contendit Terillus; sed hoc dixit, quia ignorantia nequit esse peccatum, quin procedat ex negligentia, ratione cuius illa ignorãtia redditur libera, & imputabilis. Quod egregiè explicuit P. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 12. quæst. 4. *Ego*, inquit, *existimo, ignorãtiam esse peccatum, hoc est malum rationi contrarium, & nihilominus negligentiam requiri, sine qua culpa non esset: non quia negligentia sit ratio, qua ignorantia peccatum sit rectæ rationi dissentaneum, sed quod sine ea culpa esse non possit, quia ignorantia sine ea voluntaria nõ est.* Vnde ly *propter* in propositione D. Thomæ non reduplicat rationem formalem peccati ignorantiæ, sed conditionem sine qua eiusmodi peccatum non daretur.

149 Quando autem S. Doctor dixit, *propter negligentiam ignorantiam eorum, quæ quis scire tenetur, esse peccatum*, non loquitur de negligentia formaliter existente in eodem instanti, in quo quis culpabiliter ignorat. Nam ipsa negligentia culpabilis non datur, quin pro aliquo instanti talis negligentiæ quis advertat ad obligationem sciendi, non est autem opus, vt toto eo tempore, quo quis culpabiliter ignorat ea, quæ scire tenetur, habeat advertentiam ad obligationẽ sciendi legem propriã suæ professionis, status sui, vel officij; sed satis est, quod illa negligentia præcesserit, & non sit retractata, & sit causa ignorantiæ tunc existentis, quando quis contra legem peccat. Nam si quis advertat se esse Christianum, & habere obligationem sciendi legem Christianorum, & negligat eam addiscere, & ex hoc neglectu oriatur, quòd per errorem sine vllo scrupulo iudicet, se licitè posse accedere ad solutam; sanè peccabit sic accedendo, quamvis eo tempore, quo accedit, non advertat ad obligationem [illegible] sciendi legem. Illa enim negligentia culpabi[illegible] præcessit, facit, vt error ille, quando [illegible] solutè liber & voluntarius, atque [illegible] & error peccaminosus facit vt [illegible] mplex fornicatio, quæ existi[illegible] vt tota malitia fornicationis sit absolutè voluntaria, nimirum indirectè & in causa: quia qui cognovit se habere obligationem sciendi legem Christianorũ, habuit principium ad sciendum, simplicem fornicationem esse malam. Vnde si non novit, & ideo absque vllo scrupulo illam exercuit, sibi imputare debet; & quamvis arbitretur se in fornicando non peccare, revera peccat, & tanquam fornicarius in inferno punietur: & quamvis illud peccatum sit minus, quàm foret si committeretur à sciente; est quodammodo deterius, quia est difficilioris curationis; vt enim inquit Augustinus lib. 5. confessionum de se ipso loquẽs, *eo insanabilius peccabam, quò me non peccare arbitrabar.*

150 Hinc reijcienda est vt absurda falsa persuasio aliquorum, qui arbitrantur, neminem peccare, dum facit id, quod sine vllo scrupulo & remorsu conscientiæ firmiter iudicat esse honestum; hæc enim cogitatio excusat grauissima peccata obstinatissimorum hæreticorum, qui eò sua culpa deveniunt, vt firmissimè credant suos errores esse veritates certissimas à Deo revelatas, & ideo pugnacissimè illa defendant; tales fuerunt Arriani, & Nestoriani, qui sine vllo remorsu existimabant se veram & Catholicam doctrinam defendere; tales nunc sunt multi obstinati Iudæi, qui existimant se obsequiũ præstare Deo, dùm Christum Dominum blasphemant; tales erant illi, qui persequebantur Apostolos, *arbitrantes se obsequium præstare Deo*: tales multi discipuli Lutheri, quos ipse non libenter in sua castra admittebat, quousque vermẽ conscientiæ penitùs extinctum circa veritatem Ecclesiæ Romanæ in se experirentur. Idque constat ex illo Prov. 16. v. 25. *est via, quæ videtur homini recta, & novissima eius ducunt ad mortem.* Et ex illo Isaiæ 5. v. 20. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonũ malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Item ex illo Christi Ioan. 16. *Venit hora, in qua omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*: vt videre est apud Toletum in commentario huius textus. Cõstat etiã ex alijs pluribus Scripturæ testimonijs adductis à D. Bernardo epist. 77. cuius verba supra attulimus: item ex cõmuni consensu Patrum, antiquorum Theologorum, Magistrorum vitæ spiritualis, & Expositorum sacræ paginæ; quos alibi, Deo dãte, citabo, dum ex professo disputem de peccatis ignorantiæ.

151 Quapropter hæc propositio: *Omnis existimans se in aliquo actu nõ peccare, non peccat*, solùm est vera, si homo ille *nihil prætermiserit eorum, quæ debuit*; non autem sumpta absolutè, & sine vlla limitatio-

nc;

ne: nam Mahumetani exiſtimant ſe obſequiũ præſtare Deo, ſi bona Chriſtianorũ diripiant, eorumque perſonas in ſervitutem redigant; & tamen abs dubio peccant: vt enim inquit Auguſtinus epiſt. 154. *Si quis bonum putaverit, quod malum eſt, hoc putando vtique peccat: ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, cùm quis benè fieri putat, quod malè ſit.*

152 Ex dictis conſtat primò, non niſi per ignorantiam vel præcipitationem accuſari poſſe de Ianſeniſmo ſententiam affirmantem poſſe quem peccare verè & propriè, agendo contra legem Dei, quamvis dum ſic agit, ſine vllo remorſu conſcientiæ, & ſine vlla ratione dubitandi in contrarium, firmiſsimè ſibi perſuadeat, ſe obſequium præſtare Deo, ſic operando. Accuſaret enim de Ianſeniſmo ſententiam ſtabilitam à Patribus Concilij Paleſtini contra Celeſtium; vt ſupra oſtendimus ſect. 14. Ianſeniſtas facerẽt D. Auguſtinum, D. Hieronymum, D. Bernardum, cæteroſque Patres; Ianſeniſtam facerẽt D. Thomam, qui vniverſaliter affirmat quodlib. 8. art. 13. *illud quod eſt contra legem, ſemper eſſe malum, nec excuſari per hoc quod eſt iuxta conſcientiam*: ſi enim quod eſt contra legem ſemper eſt malum, quãvis fiat ſecundùm conſcientiam; ergo eſt malum, quamvis fiat ſine vllo remorſu & ſine vlla advertentia malitiæ, vel periculi, ſecundùm conſcientiam firmiſsimè & ſine vlla formidine dictantem eſſe honeſtum id, quod eſt intrinſecè in ſe malum; nam ſecundùm D. Thomam conſcientia erronea dictans eſſe licitum aliquid lege naturali prohibitum, ſemper eſt mala, ſiquidem S. Doctor non admittit ignorantiam antecedentem & omnino involuntariam iuris naturæ, quæ abſolutè appellatur ignorantia invincibilis, vt explicui ſect. 13. non admittit, inquam, ſaltem quoad præcepta Decalogi, imò vt contendit Contenſon to. 3. diſſert. 6. cap. 12. quæſt. 5. à pag. 573. nullam iuris naturalis videtur admittere ignorantiam inculpabilem & omniño antecedentem; ſiquidem quodlib. 8. art. 15. hæc habet S. Doctor: *Quando duæ ſunt opiniones Doctorum de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam, & qui facit contra veram opinionem, cum faciat contra legem Dei, non excuſatur a peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam.* Quam ſententiam multi antiqui ſecuti ſunt apud Vazquez 1. 2. q. 122. cap. 1. licèt ſit ſatis difficilis.

152 Conſtat ſecundò ex dictis, non poſſe ſine iniuria & præcipitatione notari de Ianſeniſmo ſententiam affirmantem errorem culpabilem ortum ex negligentia culpabili antecedenti non excuſare à novo peccato diſtincto à peccato negligentiæ actum, qui contra legem naturalem fit ſine vlla advertentia actuali ad malitiam vel periculum illius; à novo, inquam, peccato, non quidem novitate totali, ſed partiali, ideſt non novitate libertatis ad peccandum, ſed novitate malitiæ, quæ imputatur ratione libertatis præcedẽtis, quæ cauſavit negligentiam. Vt enim conſtat ex dictis in tota hac ſectione probabile eſt & in ſententia D. Thomæ, & cõmuniori à theologorum abſolutè verum, cum, qui per conſcientiam erroneam culpabilem, id eſt, in quã ſua culpa incidit, firmiter ſibi perſuadet ſibi licitam eſſe fornicationem ſimplicem, quin pro tunc aliquo ſcrupulo pungatur, peccare fornicando peccato inadæquate diſtincto à peccato negligentiæ antecedentis, cui ſcilicet correſpondeat in inferno pœna diſtincta à pœna, quæ correſpondet peccato negligẽtiæ addiſcendi legem Dei. Vt enim detur novum peccatum, non eſt neceſſe, vt detur nova libertas peccati, ſed ſatis eſt, quòd detur nova actio cum pleno iudicio rationis, & deliberatè contra legem commiſſa, quæ imputetur ratione libertatis præcedentis, & ſit voluntaria indirectè in cauſa liberè poſita, & non retractata.

153 Idque à fortiori conſtat ex ijs, quæ docet D. Thomas de peccatis ebriorum q. 3. de malo art. 8. ad 3. 12. q. 76. ar. 4. ad 4. 22. q. 150. ar. 4. & lect. 7. in caput 1. epiſtolæ ad Romanos: vt enim inquit S. Doctor: *Ebrius, qui facit homicidium, meretur duplices maledictiones, quia duo peccata admiſit: minus tamen peccat in homicidio ſi ſobrius occideret.* Quod optimè Caietanus in fine commentarij illius art. 4. ex quæſt. 150. 2. 2. vbi ſic ait: *Sed ad ſonorem pro opinione omnino excuſante peccata omnia ebriorum, quia mentis inopes ſunt de novo peccare: Reſpondetur quòd mentis inopes non poſſunt de novo totaliter, vt peccare; ſed bene poſſunt ex antiqua voluntate de novo peccare, exeundo in peccatum exterius. Dicitur enim in littera, quòd quens peccatum redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus.*

154 Dixi à *fortiori*, quia difficilius eſt reperiri duo peccata in homine peccaminoſè ſe inebriante, & poſtea ſine iudicio rationis occidente hominem; quàm in homine peccaminoſè negligẽte ſcire legem & poſtea cum pleno iudicio rationis, deliberatè exercente actum [illegible] cum ignorantia malitiæ fornicationis, [illegible] pag. [illegible] a ſua pe[illegible] in hoc ſecundo caſu, licèt [illegible] non tamẽ[illegible] tatem peccati, quia ex [illegible] poſsit facere [illegible] culpabilis, quo exiſtit poteſt facere [illegible]

nicari, neque cognoſcit malitiam fornicationis, nec cognoſcere poteſt, imporentia ſcilicet conſequenti: habet tamen libertatem facti præſentis, quia liberè & deliberatò exercet fornicationem. At in priori caſu ex ſuppoſitione ebrietatis non ſolùm caret libertate peccati, ſed libertate facti; quia homicidium committit indeliberatè, & ſine iudicio rationis.

155 Quare ad peccandum de novo novitate non totali, ſed patriali, ſatis erit, quòd de novo quis deliberatè & cum pleno iudicio rationis ponat actionem reipſa contrariam legi naturali, quamvis de præſenti nõ habeat ob ſuam culpam advertentiam malitiæ, ſeu contrarietatis eiuſmodi actionis ad legem naturalem; ſed ſufficit, quod antecedenter habuerit illam advertentiam vel formaliter, vel virtualiter. Atque aded ad peccandum per ignorantiam ſatis erit libertas facti præſens, & libertas peccati præterita moraliter perſeverans. Qui enim ſua culpa de præſenti caret advertentia malitiæ, perinde ſe habet, vt ei abſolutè imputetur actio reipſa contraria legi deliberatè poſita, ac ſi haberet de præſenti illam advertentiam; licèt abſolutè minùs peccet. Vnde quamvis (vt ſuprà oſtendi contra Ianſeniſtas) ad peccandum nõ [illegible] facti in eo, qui nec habet de [illegible]rtatem peccati, nec habuit de [illegible]; quià nec cognoſcit de præſenti [illegible] peccati, nec vnquam habuit liber[illegible]erſonalem ad cognoſcẽdam malitiam; [illegible]orantia illa malitiæ eſt in ipſo omni [illegible] antecedens & inculpabilis: tamen ad pec[illegible]dum formaliter per ignorantiam ſatis eſt [illegible]i præſens, & libertas peccati per[illegible]terita, moraliter perſeverans, dum [illegible]egligentiæ non retractatur. Et in [illegible]ntelligendus eſt Auguſtinus, dum [illegible]ct. cap. 15. ad peccandum per ignorantiam requirit libertatem facti, nõ verò libertatem peccati; loquitur enim de libertate præſentis planè ſentiens, ad peccandum per ignorantiam ſatis eſſe, quòd quis ſua culpa ignoret eſſe peccatum id, quod contra legem committit.

156 Conſtat tertiò & vltimò ex dictis, ſolùm poſſe de Ianſeniſmo accuſari, qui diceret, ad peccãdum neque requiri quod quis actu cognoſcat malum eſſe opus quod exercet contrarium legi, neque requiri quòd habeat, vel habuerit in ſe ipſo potentiam liberam ad id cognoſcendum; ſed ſatis eſſe, quòd habuerit illam potentiam in Adamo. Conſtãs enim eſt inter omnes Doctores Catholicos, ad peccandum peccato perſonali requiri voluntarium perſonale, quod non ſtat ſine aliqua cognitione malitiæ vel diſtincta, vel confuſa, vel formali, vel virtuali, vel immediata erga malitiam in ſe, vel mediata erga malitiam in alio; vt enim ſapienter ſcribit Theologorum Princeps D. Thomas ab omnibus Theologis receptus in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2. *Ex hoc aliquis culpatur, quòd deficit in eo, quòd per ſuam voluntatem habere potuit. Vnde oportet, quòd ſecundùm quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarij in ipſo reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam; & quoddam, quod reſpicit perſonam; ita eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ. Vnde ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur. Ad culpam verò naturæ non requiritur niſi voluntas in natura illa*: nimirum voluntas capitis naturæ. Quam doctrinam accepit Angelicus Doctor à S. Auguſtino in lib. de duabus anim. cap. 11. *Vbi illam* expreſsè tradit his verbis: *Nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam iuſtè poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate.*

DISPVTATIO SEPTIMA.

AN IMMVNITAS A MORTE, SIT DEBITA NATVRAE INNOCENTI?

AFFIRMAT Ianſenius lib. 3. de ſtatu puræ naturæ cap. 6. Negat verò communis & vera omnium [illegible]um ſententia, cum D. Thoma 1. [illegible] quæ probatur primò ex Bulla [illegible] Baium: in qua damnantur *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis eius conditio.* 72. *Omnes afflictiones iuſtorum ſunt vltiones peccatorum ipſorum, &c.* 55. *Deus non potuiſſet talem ab initio hominem condere, qualis nũc naſcitur.* Secundò ex Auguſtino lib. 6. de Geneſ. ad litt. cap. 25. *Primus creatus eſt homo*

mo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Et paulo post: *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.*

2 Tertiò ratione, quia homo in se habet principium intrinsecum corruptionis, & mortis non minùs, quàm reliqua animalia, cùm constet qualitatibus contrarijs non minùs quàm illa, & necesse sit calorem naturalem tandem abiumi: cùm enim homo diu vivere non possit, nisi per sumptionem cibi & potus reparet damnum illatum à calore naturali, & agendo in cibum naturaliter repatiatur, necesse est vt & mutua actio & repassio ipsum deducant in senectutem, & mortem. Et ideo, vt observat D. Thomas 1. p. q. 98. art. 4. videmus, quòd in principio virtus activa speciei est adeo fortis, quòd potest convertere de alimento non solùm quod sufficit ad reparationem deperditi, sed etiam quod sufficit ad augmentum: postmodum verò quod aggeneratur non sufficit ad augmentum sed solùm ad restaurationem deperditi: tandem verò in statu senectutis, neque ad hoc sufficit: vnde sequitur decrementum, & finaliter dissolutio corporis.

3 Dices, posse Deum, vt Authorem naturæ, talia homini alimenta providere, illumque tali cognitione, & inclinatione instruere, vt non plus sumeret, quàm calor naturalis posset sine sui diminutione in substantiam aliti convertere: vnde posset homo in perpetua iuventute conservari. Respondeo, hoc esse naturaliter impossibile, quia vt declarat D. Thomas ibidem ex Philosopho, necesse est, vt calor naturalis diminuatur propter admixtionem humidi extranei ex ciborũ vsu accedentis: imminuitur enim virtus activa speciei, per id, quod generatur ex aliquo extraneo, & adiungitur humido præexistenti, sicut aqua adiuncta vino primò quidem convertitur in naturam vini, sed quò magis additur, eò magis minuitur fortitudo vini, donec tandem evanescat, & in aquã degeneret. Ideo quamvis primi parentes in Paradyso temperatissimè comederent, tandem senescerent, nisi per fructum arboris vitæ repararent damnum calori naturali adveniẽs ex coctione ciborum.

4 Denique probatur conclusio, quia B. Virgo mortua est, quãvis peccatum actuale nunquam commisserit, neque originale contraxerit: ergo naturæ humanæ innocenti non est debita immunitas à morte.

Sed obijcit nobis Ianſenius canonem secundum Concilij Arausicani secundi, vbi asserit*ur*, *iniustitiam Deo dare, qui putat Adamum, eiusque posteros morituros, quãvis ipse non peccasset.* Respondeo, Concilium loqui de morte prout secundum statum illum, in quo condita est natura humana, erat illi extranea, & non nisi per peccatum introducenda: in quo statu vi pacti, & promissionis tenebatur Deus sive ex iustitia stricta, sive ex lata, non inferre mortem, nisi præcedente culpa: hoc enim ipso quod Deus donum immortalitatis concesit Adamo pro se & posteris, voluit mortem non advenire homini nisi in pœnam.

5 Secundò obijcit authoritatem Augustini lib. 13. de civit. cap. 15. dicentis: *Constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam corporis mortem non lege naturæ, sed meritò inflictam esse peccati.* Respondeo, Augustinum solùm affirmare, de facto mortem non fuisse inflictã lege naturæ, sed meritò peccati, quia de facto primus homo accepit donum immortalitatis gratuitum pro se & posteris, quod ratione peccati sibi & illis amisit: potuisset tamen Deus condere naturam in eo statu, in quo mors necessariò obveniret ex necessitate naturæ.

6 Vltimò obijcit fundamentum à ratione: nam cùm anima rationalis sit immortalis, & simul forma corporis, debetur ei corpus immortale, id est corpus quod non possit corrumpi, nisi in pœnam delicti: vt ideo corpus ex necessitate subijciatur morti corporali, quia anima voluntariè se subiecit morti spirituali, hoc est peccato mortali. Verum hoc argumentum sibi obiecit & solvit Sanctus Thomas 1. p. q. 96. art. 5. vbi explicat quo pacto animæ immortali congruat corpus, quod ob imperfectionem materiæ sit obnoxium morti, quamvis hanc Author naturæ nõ intendat: sicut gladius ferreus obnoxius est rubigini ob conditionem materiæ, cùm tamẽ artifex eam non intendat. Respondeo ergo, vt anima sit immortalis non requiri, quòd corpus eius sit immortale, cùm ipsa habeat operationes intelligendi, & amandi independentes ab organo corporali, quas exercere potest in statu separationis. Imo cùm ipsa sit non solùm rationalis, sed sensitiva & vegetativa, postulat corpus in hac vita vegetabile, ac nutribile, ac proinde mortale; licèt simul postulet vt post mundi generationes reddatur i[illegible] immortale, & non ampliùs [illegible] corpore in æternum ferat præmium [illegible] vel supplicium vitij, prout in co- [illegible] tutem, vel vitium exercuit [illegible] ex disp. 1. sect. [illegible] non tamẽ [illegible] posit fatere [illegible] potest facere [illegible]

DISPVTATIO OCTAVA.

AN IMMVNITAS A CAETERIS MALIS CORPOREIS, QVIBVS POST peccatum affligimur, naturalis sit, & debita creaturæ innocenti?

SECTIO PRIMA.

Describitur ex Augustino status, quem haberent homines in Paradyso, si Adam non peccasset.

1 ILlum statum graphicè describit Augustinus lib. 14. de Civitat. cap. 26. *Vivebat itaque homo in Paradyso sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus iusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bonus erat bonus: vivebat sine vlla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum vitæ, ne illum senectus dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas molestias vllis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in aere serenitas, in corpore tota tranquillitas, sicut in Paradyso nullus æstus, aut frigus, sic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lętum: gaudium verum perturbatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & cõscientia bona, & fide non ficta, atque inter se coniugum fida ex amore honesto societas, concors mentis, corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitũ. In tanta facilitate rerum, & fœlicitate hominum, absit vt suspicemur, non potuisse prolem seri sine libidinis morbo, &c.*

2 Si autem fœlicitatem illius status comparemus cum innumeris miserijs, quas homo in præsenti statu patitur, & quas S. Augustinus describit lib. 14. de Civit. cap. 15. & lib. 22. cap. 22. & lib. 4. contra Iulian. cap. 16. & 25. clarè comperiemus, omnia mala corporea, omnesque calamitates, & miserias, quæ opponuntur bonis, quibus homo fruebatur in statu [illegible] de facto esse effectus peccati indi- [illegible] Adam non peccavisset, eius filij [illegible]ro con- [illegible]on nascerentur obnoxij. Solùm [illegible]sum teni- [illegible]an miseriæ istæ ita sint effe- [illegible] quæ pr[illegible]fligi non potuerint à Deo, [illegible] Baiu[illegible]an potius tales sint, vt

Imm[illegible]

natura ipsa humana eas secum afferret, si destitueretur omni dono supernaturali in debito, & relinqueretur in puris naturalibus?

SECTIO SECVNDA.

Proponitur sententia Iansenij, eiusque fundamentum ex Augustino.

3 IAnsenius (apud Anatum lib. 5. cap. 6.) lib. 1. de statu puræ naturæ, cap. 1. & lib. 2. cap. 4. *Tanquam principium statuit, non posse pati Diuinam iustitiam in creatura rationali, & innocenti miseriam vllam, proindeque non posse illam condere, nisi vel cum perfecta beatitudine, quæ in clara Dei visione consistit, vel cum imperfecta, &, vt loquuntur, de coloratiore, quæ tamen ad perfectam ducit.* Et lib. 3. cap. 21. ait: *Diuinam legem æternã veritate sancitam nullo pacto sinere, vt Deus creaturam, sine vlla culpa, miseram faciat: hoc enim nõ esse domini, sed tyranni. Ex quo fit, vt hoc tam impossibili sit, ac Deum non esse Deũ.* Et demum lib. 3. cap. 10. *Affirmat, nullam pœnam, quantumvis exiguam, inferri posse innocenti, & Augustinum non minus leuissimas, quam grauissimas pœnas innocentibus infligendas à Diuina potestate, & æquitate submouere. Neque loqui Augustinum de pœna vt pœna est, sed vt est malũ: & velle, malum infligi non posse, nisi sub ratione pœnæ, seu non posse non esse pœnã, & contendere, huiusmodi pœnas non posse, nisi peccatoribus infligi.* Ita verba Iansenij refert Anatus in suo Augustino à Baianis vindicato lib. 5. cap. 6. *Quare ex mente Iansenij miseriæ huius vitæ sunt per se, & directe effectus peccati, ita vt omninò repugnet, eas à Deo infligi creaturæ innocenti.*

4 Hæc autem opinio Iansenij non modicum habet fundamentum in Augustino. Attente legi opus imperfectum contra secũdam Iuliani Episcopi Capuani, & Pelagij fautoris responsionem, in quo vltimam manum contulit cum Pelagianis, quodque scripsit, dum morti proximus, libros retractationum com-

pos

ponebat, quod opus per multa ſæcula delituerat, donec anno 1616. à Claudio Menardo inventum typis mandatum eſt, & habetur ad finem tomi ſeptimi in editione Pariſienſi operum D. Auguſtini ann. 1635. eſtque abſque controverſia legitimus Auguſtini fœtus. Ibi paſsim probat, peccatũ originale ex miſerijs, quas filij Adam patimur, Pelagianos ad hoc deducens, vt vel fateantur pueros in peccato nasci, vel concedant, Deum eſſe iniuſtum, qui tot malis ſubiecit creaturas rationales innocentes. Ex his, quæ obſervavi, nonnulla ſeligam.

5 Libro namque 1. illius operis num. vel cap. 4. *Miſeria generis*, inquit, *humani, à quo nullum hominum ab exitu vſque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad omnipotentis iuſtum iudicium, ſi non eſt originale peccatum.* Idem docet num. 23. vbi cum probaſſet peccatum originale ex illo Apoſtoli: *Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum*, &c. Subdit: *Quod ſi probare idem cogeretur Apoſtolus, ipſam humani generis miſeriam talem daret: nullo enim modo ſub cura omnipotentis, & iuſti eadem tam magna miſeria naturæ irrogaretur humanæ, niſi in duobus hominibus tota de Paradyſi fœlicitate in hanc infœlicitatem peccati meritò pelleretur.* Et num. 25. *Ex hac æquitate Dei graue iugum eſt ſuper filios Adam ... quod omnino aſſeris iniquum, qui negas originale peccatum.* Et num. 33. contra Iulianum negantem peccatum originale: *Dic ergo*, inquit, *qua iuſtitia retributum ſit parvulis graue iugum tam magnæ, manifeſtæque miſeriæ?* Et num. 37. *Neque enim ſub Deo iuſto miſer eſſe quiſpiam, niſi mereatur, poteſt.* Et num. 118. Pelagianos alloquens: *Vos autem, qui Deum omn potentiſsimum non negatis, in graui iugo parvulorum credi vultis iniuſtum, niganao peccatum originale.* Item lib. 2. eiuſdem operis num. 13. *Iuſtitia clamat, nõ ad ſe pertinere, vt Adam filij graui iugo a die exitus de vtero matris ſuæ ſine vllo merito peccatorum premantur.* Et ſæpe in hoc opere; præſertim lib. 2. cap. vltimo.

Quod antea ſæpe docuerat, præſertim in prima reſponſione contra Iulianum lib. 6. cap. 1. vbi eum alloquens: *Ita ne vero tanta in parvulis mala, tu, qui non invides, non vides? Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus, extranea prorſus mali nulla eſt natura, quæ noſtræ naturæ ſecundum Manichæos credatur admixta. Vnde ſunt, non dico in moribus, ſed in ipſis ingenys, cum quibus naſcuntur tanta hominum mala, ſi non eſt humana origo vitiata, ſi non eſt maſſa damnata?*

SECTIO TERTIA.

Refellitur ſententia Ianſenij.

6 SED illa Ianſenij opinio valide refellitur, primo ratione. quia, vt conſtat ex diſp. præced. potuit à Deo creari homo innocens obnoxius morti corporis, quæ eſt omnium malorum terribiliſsimum: ergo & alijs moleſtijs, & afflictionibus. Sic Beatam Virginem innocentiſsimam ſubiecit Deus ab infantia vſque ad mortem ærumnis, & afflictionibus. Ratio à priori eſt: quia non eſt contra Dei iuſtitiam, quod immittat, vel permittat creaturæ rationali innocenti corporales moleſtias, & afflictiones, vt exerceatur in omni genere iuſtitiæ, humilitatis, patientiæ charitatis & ſpei; & vt per malorum temporalium tolerantiam æternę fœlicitatis pręmiũ conſequamur: bona enim æterna talia ſunt, vt merito contemni debeat omnis temporalis moleſtia, quæ ad illa obtinenda deſervit. Et ſicut iniuſtus non eſſet, qui tibi obulum tolleret, vt aureum redderet, vel qui tibi entem leniter premeret, vt perfectam ſanitatem reſtitueret: ita iniuſtus non eſt Deus erga homines innocentes, eis immittens, vel permittens temporalia mala, vt tribuat æterna & ſumma bona: *non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et quamvis infantes infantiæ tempore nequeant mereri per afflictionum tolerantiam, ob defectum libertatis; quia tamen naturaliter non poſſunt in ętate grandiori pati, quin paſsibiles nati ſint, ideo defectus iſte connaturalis homini, contra Dei iuſtitiam non eſt. Et quamvis multi parvuli in ſtatu puræ naturę morerentur, quin eis illæ moleſtiæ corporales prodeſſent ad æternam fęlicitatem, hoc eſt per accidens reſpectu authoris naturæ. Deinde etiam illorum moleſtiæ prodeſſent parentibus ad meritum, & omnibus ad humilitatis documentum.

7 Secundo refellitur ſententia Ianſenij ex propoſitione 72. Michaelis Baij damnata à ſummis Pontificibus: *Omnes omnino afflictiones iuſtorum ſunt vltiones peccatorum ipſorum: Vnde Iob & Martyres quæ paſsi ſunt, propter ſua peccata paſsi ſunt.* Ergo certum eſt, poſſe Deum immittere creaturæ rationali innocenti aliquam afflictionẽ corporalem: ac proinde ſententia Ianſenij poſitum aſſerens, proſcripta, & reiecta ex deciſsione Pontificum non minus illa propoſitio Baij. [illegible] is, pag. [illegible]

8 Refellitur tertio ex ſua pet[illegible] 58. eiuſdẽ Michaelis Baij non tamẽ [illegible] poſsit fac[illegible] Deus non potuiſſet, poteſt facere [illegible]

hominem, qualis nunc nascitur, quæ propositio vera esset, & immeritò à tribus Pontificibus damnata, si vera foret sententia Iansenij sect. præced. relata. Itaque, vt mentem Pontificum exposuit Facultas Lovaniensis, sententiam Baij redarguens: *Homo talis fieri potuit, qualis nunc nascitur, non quod peccator, aut vitiosus, prævusque, qualis nunc nascitur, institui à Deo potuerit; sed quia corpore quidem fragili, & mortali, animo vero tardo, hebeti, atque ad percipiendum veritatem difficili; facili autè ad errorem, & in voluptatem, seu sensuum delectamenta labili, & prono.*

9 At contra hanc decisionem Pontificum, vt eam enervet, insurgit Iansenius: nam cum Deus ab initio non potuerit hominem cum peccato condere, sanè quando Pontifices decernunt: *Deum non potuisse talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, excipiendum est peccatum. Hoc verum est. Pergit deinde: At si peccatum, inquit, excipitur: ergo & concupiscentia excipi debet, propter coniunctissimum cum peccato nexum; atque ita non est verum, potuisse hominem nasci cum concupiscentia, cum qua iam nascitur. Quod si concupiscentia excipitur, nulla est ratio cur non omnes illæ pœnæ mortalitatis, quas parvulos pati cernimus, excipiantur.

10 Sed contra primo: quia ex eo quod non potuerit Deus hominem cum peccato condere, frustra deducit Iansenius, non potuisse condere cum concupiscentia, nimirum cum appetitu sensitivo potente concupiscere contra spiritum: nam ille appetitus non habet connexionem cum peccato: quamquam enim cum homo pervenit ad adultam ætatem, necessario per occursum obiectorum resultent ex appetitu motus indeliberati contra rationem, nisi Deus speciali privilegio formitem figet; tamen illi motus proprie peccatum non sunt, vt definitum est in Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali, nisi voluntas eis deliberate consentiat. Nec motus illi indeliberati habent Deum vt authorem, sed duntaxat ad illos concurrit vt motor vniversalis determinatus à causis secundis, & ad exigentiam illarum; appetitusque ipse, & concupiscentia in actu primo non est producta à Deo ad eos motus eliciendos contra rationē, [illegible] ad hoc vt concupiscat obiectum delectabile contra imperio rationis; quamquam hanc [illegible] habere nequeat, quin illam immixtam quoque habeat, sicut [illegible] errarem, quin habeat potestatem Baium: [illegible] verum est, hominem [illegible] Immo [illegible] in ea concupiscentia, cum qua nunc nascitur: nunc enim non nascitur cum concupiscentia actuali adversus rationem: cum enim nascatur sine vsu rationis, impossibile est vt nascatur cum concupiscentia actuali adversus dictamen rationis, sed nascitur cum concupiscentia radicali de se ordinata ad concupiscendum ex imperio rationis; potenti tamen concupiscere contra rationem ex Dei permissione.

11 Contra secundo: quia Iansenius eò tendit latenter, vt probet, decisionem Pontificum condemnantium illam Baij propositionem, fuisse iniustam, quia iuxta Iansenium verissima est illa Baij propositio: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nascitur*: ergo iuxta Iansenium falsum est quod Summi Pontifices decernunt, siquidem decernunt oppositum eius, quod Baius asseruit in illa propositione; & oppositum propositionis veræ falsum est: ergo falsum decernunt. Quid dicis ad hoc Iansēni? *Hæreo*, inquit: & statim: *sed quid ad doctrinam Augustini clarissimam, constantissimamque, quam toties probavit, & sequitur, sequendamque monuit Apostolica Sedes? Nam si fundamentalis illæ contra Pelagianam hæresim doctrinæ proscribendæ sunt: non inter Magistros optimos semper haberi à Pontificibus, sed inter ignavissimos debuit.* Hæc eò dolosè dirigit Iansenius, vt ostendat, vel erasse Pontifices damnantes illam Baij propositionem, quam ipse clarissimam existimat esse Augustini doctrinam, vel erasse Augustinum, & cum eo Sedem Apostolicam, quæ per novem Pontifices suos, partim doctissimos, partim sanctissimos, nempe Innocentiū, Zozimum, Bonifacium, Sixtum, Celestinum, Leonem, Gelasium, Hormisdam, Ioannem secūdum, D. Augustini tanquam Magistri optimi cœlestem doctrinam adversus Pelagianam hæresim imploravit, probavit, laudavit, & ita suā fecit, vt de fide fluctuantes ad eius scripta mitteret, ex quibus discerent quid Catholicæ sequatur, & asseruerit Ecclesia. Atqui nefas est dicere, erasse Augustinum, totque Pontifices eius doctrinam approbantes: *Hoc enim* (inquit Iansenius) *nihil aliud est, quam Pelagianos cineres suscitare redivivos, Ecclesiæ victoriam redarguere, tot sanctos Pontifices temerariæ credulitatis, & ignorantiæ condemnare: fidem denique ipsam eius eruditione stabilitam novitate concutere.* Ergo errarunt Pontifices, qui damnaverunt illam Baij propositionem, quæ est ipsissima Augustini doctrina à tot Pontificibus approbata. Vel ita exponenda est eorum mens, vt contraria non sit veritati illius propositionis Baianæ. Quare Iansenius, ne aperta fronte vi-

de-

deretur oppugnare illam decisionem Pontificum contra Baium vt falsam; eam conatus est interpretari.

12 Ait ergo, censuram illam, seu prohibitionem fuisse prudentiæ directricis, & non ob falsitatem; sed ob novitatem prohibitam esse illam propositionem: *Cum enim cernerent Pontifices, propositionē illam, Deus ab initio potuit talem creare hominem, qualis nunc nascitur; communi Scholasticorum consensu certo sensu in scholis receptam esse, ne contraria lites, offensiones, & scandala sua novitate generaret; sicut iam generare cœperat, illam tantisper* (verba sunt Jansenij) *vetandam censuisse; non tanquam falsam, sed tanquam pacis inimicam; aliud vero consilium initurus fuisse, si potuisset ostendi, hanc propositionem ab Augustino tam intrepide traditam; atque à tot sæculis, refragante nemine, sed Ecclesia Romana per diversos Pontifices applaudente.* In hāc responsionem acriter invehitur P. Anatus in suo Augustino à Baianis vindicato lib. 3. cap. 5. & P. Ripalda disp. 1. proœmiali sect. 2. vbi latè exagitat eam Baianorum responsionem, qua vim Bullæ infringere conabantur, asserentes, propositiones Baij non fuisse in perpetuū proscriptas vt falsas; sed tantùm ad tempus propter offensionem Theologorum.

13 Contra illam primo insurgo: quia si ista interpretatio esset tolerabilis, quæcunque ex illis propositionibus impunè posset vt vera defendi, quod esse manifestè contra Bullam, statim patebit ex eius verbis. Secundo: quia cum Ecclesia sit columna, & firmamentū veritatis, sanè si olim per novem Pontifices propositionem illam: *Deus ab initio non potuit talem creare hominem, qualis nūc nascitur*, vt Catholicam approbavit, & vt germanam Augustini doctrinam habuit, vt Jansenius dicit, non potuit postremis temporibus eandem, vt scandalosam, & piarum aurium offensivam prohibere, sed potius debuit Scholasticos comprimere, & eorum doctrinam, vtpote contrariam doctrinæ D. Augustini à Sancta Sede per tot Pontifices approbatæ, exterminare.

14 Tertio: quia certum est, Pontificē Romanum errare non posse circa doctrinam, quam, tanquam iudex causarum fidei, fidelibus proponit vt sanam. At tres Pontifices, Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. prohibentes illam propositionem Michaelis Baij, hoc ipso propositionem contradictoriam, quæ ex confessione Jansenij communis erat inter omnes Scholasticos, proposuerunt fidelibus vt sanam doctrinam: ergo sana est doctrina communis Scholasticorum, quæ asserit, Deum talem potuisse condere hominem, qualis nunc nascitur: ergo est vera: nam doctrina falsa, & erronea sana non est. Ergo doctrina opposita à Baio, & Jansenio asserta est falsa, & consequenter nunquam fuit ab Ecclesia approbata tanquam vera, nec vt germana Augustini doctrina suscepta.

15 Quarto: quia Pontifices non ad tempus, & tantisper, vt Jansenius loquitur, propositiones illas vetuerunt, sed in perpetuū: nam si ad tempus duntaxat prohiberent, id vtique foret, dum in examen vocaretur earum fundamentum; at non ita res se habet: nam potius postquam illas Pontifices diligenter examinarunt, eas proscripserunt, vt constat, tum ex ipsa Bulla, in qua relatis illis propositionibus, sic inquit Gregorius XIII. *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, &c. præsentium auctoritate damnamus, circunscribimus, & abolemus, deque eisdem, & similibus post hac quocūque modo loquendi, scribendi, & disputādi facultatem quibuscunque interdicimus.* Tum ex eo quod Gregorius XIII. duodecim annis post editam Bullam Pij V. cōtra Baium easdem propositiones denuo damnavit: & demum Vrbanus VIII. suorum prædecessorum mentem declarans ad perpetuam rei memoriam, eorum constitutiones confirmavit, hæc verba interserens: *Hac perpetuò valitura constitutione eiusdem Pij, & Gregorij prædecessorum cōstitutiones, &c. perpetuo confirmamus.* Tum demùm: quia Pontifices non prohibent tantùm illas propositiones, sed damnant: & sane cum propositio illa 55. Baij nullam contineat censuram contra Doctores oppositum asserentes, vt continent aliquæ ex illis 79. propositionibus damnatis, constat, illam non esse damnatam propter aculeatam censuram: ergo est damnata propter doctrinā: ergo est declarata vt erronea, & falsa. Est quidē sententia gravium Theologorum, aliquas ex propositionibus Michaelis Baij interdictas fuisse non ob doctrinam, sed ob immem[inis] ad censuras, quibus sententiæ probabiles ab [illis] infamantur; licet P. Ripalda disp. 1. proœm[ialis] sect. 4. contendet, omnes ob doctrinam notā[m] at propositio illa Baij, *Deus non potuit [ab] initio talem creare hominem, qualis [nunc] nascitur*, nullam continet censuram: ergo [non] est damnata ob censuram: ergo ob doctri[nam] ergo falsa est doctrina Baij asserentis, [Deum] non potuisse ab initio creare [hominem] talem, obnoxiū morbis, doloribus, [mortalitati] quibus nunc vexamur. [Sanctus Augustinus, pag.]

16 Quare vel propositra sua pe[culiaria] lis Baij non est doctrina [Augustini]; non tamen illa necessario deduc[enda] [non] posset facere, [quod] potest facere [Augustinus].

Augustini, quod hanc partem non fuit doctrina Augustini à Sede Apostolica approbata vt vera: etsi enim Ecclesia per multos Summos Pontifices approbaverit, & vt dogmata fidei proposuerit fidelibus conclusiones omnes, quas vt veritates Catholicas Augustinus contra Pelagianos probavit; non tamen omnes rationes, quibus Augustinus ad eas veritates comprobandas vsus est, veras esse Ecclesia definivit. Vnde quamvis Augustinus ad evincendum parvulos nasci cum peccato originali, argumentum conficiat ex miserijs, & calamitatibus parvulorum, contendens tanta mala corporalia non posse à iusto, & omnipotenti Deo infligi creaturæ rationali innocenti; ac proinde, inde inferens, has miserias essentialiter supponere peccatum; tamen Ecclesia numquam definivit, hoc argumentum Augustini esse legitimum. Id clarissimè patebit legenti articulos 25. quos Concilium Arausicanum secundum ex doctrina Augustini contra Pelagianos stabilivit, de cuius Concilij authoritate videndus P. Suarez prolog. 6. de grat. cap. 1. à num. 16. inter quos non reperitur, quod calamitates, & miseriæ huius vitæ nō possint convenire naturæ innocenti. Patebit etiam legenti librum Augustini de gestis Pelagij, quem habes apud P. Suarez ad finem prologomen. 6. & Acta Synodi Diospolitanæ apud eundem Suarez eo prologom. 6. cap. 3. Patebit etiam legenti epistolam Celestini Papæ ad Episcopos Galliæ, quæ habetur in fine tomi 7. operum D. Augustini, & inter opera D. Prosperi, in qua declaravit capita illa de gratia, libero arbitrio, quæ ex doctrina Augustini Ecclesia sancivit, quæ capita videri possunt apud P. Dechams lib. 3. disp. 1. cap. 5. num. 5. & apud Martinon in Anti-Iansenio disp. 12. sect. 6. Ibi recenset Dechams Augustinianæ contra Pelagianos doctrinæ capita, quæ à Concilijs, & Romanis Pontificibus ita probata sunt, vt ab eis discedere Catholico non liceat, in quibus non continetur [illegible] doctrina Baij tantoperè commendata à [illegible] denio: quæ si doctrina est Augustini, certe [illegible] illa discesserunt S. Thomas, S. Bonaven- [illegible]ter Sententiarum, & omnes Scho- [illegible] à quingentis annis scripserunt. [illegible]echams libr. 3. disp. 1. cap. 4. [illegible]onstrat, falsum esse quod Iansenia- [illegible]ant, ea omnia Catholicam ad fidem [illegible], quæ S. Augustinus advetsus Pela- [illegible] impetens affirmavit. Hinc enervatus [illegible]em Syllogismus, quo Iansenius in [illegible] propositiones Michaelis Baij [illegible], vt testatur Dechams ibi- [illegible] Quidquid à S. Augustino [illegible]rtum est, pertinet ad Catholicā fidem; at plurimæ opinionēs Baij, quas damnarunt Summi Pontifices, à S. Augustino contra Pelagianos statutæ sunt: ergo plurimæ propositiones, quas damnarunt Summi Pontifices, pertinent ad fidem Catholicam. Et sanè si Ecclesia definivisset primis temporibus, calamitates, & miserias, quibus parvuli obnoxij nascuntur, non posse à Deo immitti creaturæ innocenti: oppositum definivisset vltimis temporibus contra Baium; sibique ipsi contraria foret, & in altera ex illis definitionibus omnino erraret, quod est omnino impossibile: ergo cum constet de posteriori definitione contra Baium, fit consequens, vt prior definitio non exiterit; sed sit merum somnium, & figmentum Iansenij.

Quod si objiciat Iansenius, hinc saltem fieri, doctrinam aliquam Augustini contra Pelagianos disputantis damnaram esse à tribus Pontificibus: respondeo, hoc argumentum persuadere, Augustinum non esse intelligendū eo modo, quo illum intellexit Iansenius, sed alio potestea à nobis assignando. Quod si doctrina Augustini aliam expositionem non haberet præter illam traditam à Iansenio, potius dicendum esset, Augustinum ęsu quodam disputationis abreptum in libris contra Julianum, aliosque Pelagianos adhibuisse argumentum, quo veritas Catholica ad sui stabilimentum non egebat, dum eos adigit fateri vel Deum esse iniustum, vel parvulos infectos esse peccato originali, propter quod miserijs huius vitæ afficiantur; ac proinde ardore disputationis excessisse, vt ingenuè fatetur Antoninus Moraynes in suo Anti Iansenio disp. 13. num. 124. potius, inquam, hoc dicendum esset, quam concedere, Ecclesiam deceptam fuisse in damnandis Michaelis Baij propositionibus, quod tacite concedit Iansenius: nam Ecclesia errare non potest in ijs, quæ omnibus fidelibus sectanda proponit; Augustinus autē, vt homo decipi potuit, & propterea ipse lib. 3 de Trinit. cap. 1. sic Lectorem suum affatur; *Noli meis litteris quasi Scripturis Canonicis, inservire.* Et lib. de dono perseverantiæ cap. 21. *Neminem*, inquit, *velim sic amplecti omnia mea, vt me sequatur, nisi in ijs, in quibus, me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, vt neque me ipsum in omnibus sequutum fuisse demonstrem.*

17 Quare tantopere authoritatem Augustini extollere, vt Pontificum sanctionibus præferenda sit, non est Augustini spiritus, sed hæreticorum. Vt enim præclarè observat Claudius Saincles Episcopus Ebroicensis in Atheismis Calvini fol. 199. *Malitia Calvini*

fuit

fuit seligere ad fidei articulum conficiendū singularem aliquam opinionem, aut obscurum locum antiqui alicuius Doctoris, ac præcipue S. Augustini, quem cōmuni totius Ecclesiæ, Patrumque consensui opponat. Vnde nihil magis potest esse contrarium præstantissimi Doctoris menti, quam eius opinionem quamcunque communi reliquorum Doctorum Catholicorum, ipsiusque Ecclesiæ sensui anteponere: *Neque enim* (vt ipse Augustinus ait epist. 111.) *quorumlibet disputationes, quantumvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere deb. mus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint quam veritas habet, Diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Tales, ego sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum.* Vnde in epist. 19 ad Hieronym. *Solis*, inquit, *eis Scripturarū libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, vt nullum eorum Authorem, scribendo aliquid, errasse, firmissime credam ... alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, nō ideo verum putem, quia ipsi scripserint, sed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat persuadere potuerit.*

18 Falsissimumque est, quod Iansenius dicit, nempe, omnia, quæ Augustinus, contra Pelagianos scribens, asseruit ad fidem Catholicam pertinere. Nam Cardinalis Hosius lib. 3. de authoritate scripturæ pag. 543. testatur, *S. Augustinum contra Pelagianos scribentem necessariam infantibus Eucharistiam censere.* Et constabit legenti illum lib. 1. de pec. merit. cap. 20. & lib. de prædest. Sanctorum cap. 3. & lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum cap. 19. cui tamen opinioni Concilium Tridentinum sess. 21. Canon. 4. anathemat. denuntiat. Et vt diximus disp. 2. Augustinus contra Pelagianos scribens, docuit, pueros decedentes sine Baptismo torqueri pœna ignis; ex qua tamen sententia S. Thomas, S. Bonaventura, & omnes Scholastici decesserunt. Consulatur Gabriel Pennotus Augustinianus lib. 5. Propugnaculi cap. 11. qui postquam aliquas maculas huius Solis obserbavit, subdit: *Hæc autem omnia ideo adnotavi, non vt doctrinæ Sanctissimi Patris Augustini detraham vllo modo, sed ne quis doctrinæ Augustini adeo studiosus esse velit, vt arbitretur, omnem sententiam ex libris Augustini facere authoritatem irrefragabilem, iuxta illud D. Pauli ad Roman. 3. Est autem Deus verax; & omnis homo mendax, &c.* Similia habent Canus de locis lib. 7. cap. 3. numer. 7. Alphonsus à Castro lib. 1. contra hæret. cap. 7. Sixtus Senensis in præfat. ad librum 5. Bibliothec. Cornelius à Lapide Canon. 1. in epist. D. Pauli, Gilberrus Genebrardus epist. ad Carolū præfixa editioni Originis anni 1574, vt Nicolaus Romçus lib. de libero arbitr. contra Calvinum pag. 689. & alij apud Martialium in Anti-Iansenio disp. 12. sect. 5. & disp. 40. sect. 6. præsertim videndus est Tostatus in defensorio part. 2. cap. 81. & P. Dechams lib. 3. disp. 1. cap. 4.

Quāquam autem Ecclesia non omnia, quæ Augustinus contra Pelagianos scripsit, approbaverit; hæc est summa laus: *quod nihil contra eosdem hæreticos decreverit, quod à Sancto Augustino non sumpserit. Conciliorum sanctiones, & Romanorum Pontificum edicta, quibus Pelagiana hæresis iugulata occubuit, ex S. Augustini libris petita sunt; S. Augustini doctrinam continent, S. Augustini verbis exprimuntur*, vt ait P. Dechams lib. 3. disp. 1. capit. 5. num. 1. & capit. 6. apud quem videri possunt huius præclarissimi Doctoris elogia, præsertim illud, quod Augustinus fuerit Ecclesiæ armamentarium, ex quo tela sumpsit ad configendas hæreses.

Quare Michaeli Baio, & Iansenio accidit, quod Baronius narrat ad annum 430. n. 17 de quibusdam tempori Augustini vicinis: *Post Sancti Augustini obitum prodierant quidam, qui ex eius scriptis male percepti complures inuexerunt errores, quos Statum Augustini nomine, & authoritate defendere conabantur.*

19 Ex ijs omnibus constat, quod si propositio illa Michaelis Baij, *Deus non potuisset talem ab initio hominem condere, qualis nunc nascitur*, est doctrina Augustini, hac in parte deserendus est Augustinus, ne deseramus definitionem Ecclesiæ per tres Pontifices, & ne discedamus à communi [illegible] Scholasticorum consensu cum Mag[illegible] illam esse tentiarum, cum D. Thoma, & D. [illegible]entem ad in actu se[illegible]tura, quorum authoritas præferendatur, ea Augustini authoritati: nam si ita *nteriori g*[illegible]ctus Doctor, excesit, scilicet ferve[illegible]quam he[illegible]tionis abreptus, & odio hæresis Pel[illegible]ntius X[illegible] oppositum extremum declinavit, [illegible]doctrin[illegible] parte doctrinam eius approbavit. F[illegible]esficacem[illegible] notat P. Martinon in suo Aatæ pro[illegible] disp. 13. num. 106. [illegible]n actu sec[illegible] sect. 5. & di[illegible] necessaria[illegible] [illegible]nti entitat[illegible] sect. 6. [illegible]amus, pag.[illegible] [illegible]ntas nostra sua pe[illegible] [illegible]gratia: non tamē[illegible] eu quāvis possit facer[illegible] mē potest facere[illegible]

SECTIO QVARTA.

Quænam fuerit Augustini mens, dum ex miserijs corporalibus, quibus filij Adæ nascuntur obnoxij, probat peccatum originale.

SEd ne dicamus, damnatam esse ab Ecclesia doctrinam illam, qua tam frequenter vsus est Augustinus, etiam in postremis libris ad probandum peccatum originale contra Pelagianos, exponenda nobis est eius mens. Dicimus ergo, Augustinum, dum ex miserijs corporis probat peccatum originale in parvulis, non arguere exterminis, quasi repugnet iustitiæ Dei esse authorem parvulorum, qui absque culpa tot miserias patiantur; sed arguere, suppositæ providentia erga genus humanum, quæ ex libris sacris, quos Pelagiani non negabant, recte colligitur. De facto enim, iuxta leges à Deo latas, non possunt parvuli innocentes (vt inquit Ripalda disp. 12. num. 44.) miserijs corporeis sine iniustitia subiacere: quia Deus promisit generi humano à miserijs corporis immune ipsũ cõtervare, dũ immune à peccato conservaretur, qua fœlicitate in statu innocentiæ primi parentes ante peccatum potiti sunt: quare Deus suæ promissioni, & iuri hominum ex illa parte contradiceret, vbi parvulum innocẽtem afflictionibus corporeis torqueret, sub qua hypothesi arguit Augustinus contra Iulianum Episcopum Pelagianum, ex miserijs infantilis ætatis colligens peccatum originale; illa de que Augustinus loquitur suppositæ Divinæ providentia, qua natura humana de facto condita fuit in Paradyso iniustitia, & sanctitate, & cum immunitate à morte corporis, si abstinere vellet à comestione fructus veriti, cui Deus comminatus est mortem: hac enim providentia suppositæ, non posset Deus sine iniustitia filios Adæ innocentes tot miserijs subijcere, nisi illi ex parente peccatum trahe-

[illegible] eis denio: qu[illegible] Si autem loquamur in alia providelij illa discessa Deus naturam conderet puram dur[illegible] M[illegible] stemni dono supernaturali, infantes salis[illegible] tab[illegible] ãer obnoxij multis miserijs, & calagent, nunc [illegible] ech ob imperfectionem naturæ, quæ pisce nõ [illegible] or quod corporea, & passibilis sit, po- Deo [illegible] nant, [illegible] entibus extrinsecis per nimium ca- d [illegible] qua nimium frigus immutari: & sicut ab [illegible] imperus [illegible] obnoxia morti, vt probavimus [illegible] em in Syllog. st obnoxia alijs miserijs mi- [illegible] propoſen minus quam reliqua ani- [illegible] filium [illegible] , vt mortem violentam perpeti, [illegible] qu[illegible] Quidquid impedire; sed vniver- [illegible] Ba[illegible] rsum etiam permittat, vt explicat ipse Augustinus lib. 1. contra epistolam fundamenti cap. 40. vbi docet, iustissimũ & ordinatissimum esse quod Deus permittat alias creaturas ab alijs vsque ad corruptionem pati: *Quia id iustissimum, & ordinatissimum pro rerum gradibus iudicat*; nimirum quia variæ sunt, atque contrariæ naturæ rerum, aliæque alijs perfectiores, atque fortiores, &, continua vicissitudine sibi succedentes, mirabilem pulchritudinem constituunt, sicut harmonia Musicæ componitur ex vocibus silentio interemptis, & ex alijs succedentibus.

22 Multaque bona superioris ordinis Deus elicit ex ijs molestijs puerorum: tum quia illa mala sunt materia magni meriti parentibus, qui illorum curam gerunt; tum quia homines iam adulti, hanc sui originis imperfectionem contemplantes, magnum inde humilitatis, aliarumque virtutum hauriunt documentum; tum quia cum his molestiæ, quas pueri sine merito patiuntur, in adulta ætate sint leges abundantissima æternorum bonorum, nequeũt esse iniustæ cum naturaliter homo innocens in adulta ætate pati nequeat, quin in infantia passus sit.

SECTIO QVINTA.

Peculiaris nostra expositio de mente Augustini, dum ex molestijs corporalibus, quasi ex terminis videtur probare peccatum originale.

23 SEcundo potest responderi, Augustinũ quidem ex innumeris molestijs, & miserijs, quas patiuntur pueri, arguere peccatum originale, quasi ex terminis repugnet, imaginem innocentem Dei tanta pati mala sine peccato in ea ætate, in qua illa mala non possunt ei immitti à Deo ad meritum, & exercitium virtutis; cum hoc tamen recte cõponi, falsam esse propositionem illam Baij, *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*: nam per hãc propositionem intendit Baius Deum non potuisse creare hominem in adulta ætate obnoxium morti, & ærumnis, & miserijs, quibus nunc sunt obnoxij mortales. Et hoc falsum est: quia absque vlla iniustitia, & credulitate potuit Deus imaginem suam innocẽtem producere in eo rerum statu, in quo per ærumnarum, & miseriarum tolerantiam mereretur æternam coronam: homo autem conservans innocentiam, in qua conditus esset, quamvis necessario deberet mori, si tamen nulla ante mortem præcessisset culpa, non esset mors ita

*Sect.*2. Demõstratur, Ianſenium manifeſte erraſſe, dum pronũtiavit, ciacim ad intelligentiam doctrinæ S. Auguſtini, vnice pendere ex doctrina *adiutorij quo* tradita ab Auguſtino cap. 11. & 12. de corrept. & grat. quaſi ibi docuerit gratiam efficacé naturæ lapſæ conſiſtere in delectatione victrice antecedenter cõnexa cum conſenſu, & neceſsitante ad ipſum, p. 395.

Sectio 3. Ianſenius, & Ianſeniſtæ veriſsime docent, ex mente Auguſtini gratiam naturæ integræ, vi cuius Angeli ſancti in bono perſeveraverunt, & vi cuius Adam perſeveraret, ſi vellet, non eſſe ab intrinſeco efficacem, ſed intrinſece indifferentem: vnde contra Auguſtinum ſentiunt aſſertores gratiæ prædeterminantis, pag. 397.

*Sect.*4. Ex mente Auguſtini non ſolùm eſt fortius auxilium gratiæ præuenientis, cum quo prædeſtinati in ſtatu naturæ lapſæ obſervant legem, & perſeverãt, quàm fuerit auxilium, quo Adam potuit perſeverare, & non perſeveravit; ſed etiam, quam foret auxilium, quo actualiter perſeveraret, ſi vellet, & quo de facto perſeverarunt Angeli boni, pag. 399.

Sect 5. Ex mente Auguſtini licet auxilium præueniens collatum prædeſtinatis ad perſeverandum ſit maius, & fortius, quam illud, quod collatũ fuit Adamo ad perſeverandum in iuſtitia originali, & gratia; non fuit tamen per ſe efficax, & connexũ cũ conſenſu ſalutari, vt fruſtra contendunt Gummarus Huygens, & alij Lovanienſes, atque Doctor Complutenſis, & Contempſon. Vbi quam ſtulte Ianſenius gratiam neceſsitantem in ſtatu lapſus Auguſtino tribuat, p. 403.

§. 1. Quid Lovanienſes moderni dicant, & in quo à Thomiſtis diſcrimineutur. Ibidem.

§. 2. Vincentius Contempſon cum Lovanienſibus ſentit, cuius ſententia impugnatur, pag. 404.

§. 3. Nullum eſt argumentum perſuadens, gratiam præuenientem efficacem in ſtatu naturæ lapſæ potius quàm ſanæ debere eſſe per ſe efficacem, pag. 406.

§. 4. Quam fuerit Iãſenius S. Auguſtino iniurioſus, dum ei attribuit gratiã efficacem neceſsitaté, p. 407.

§. 5. Certum eſt, *adiutorium quo*, non ſolùm in natura lapſa, ſed in integra inueniri: & inde euincitur, deceptum fuiſſe Ianſenium, vel incautos decipere voluiſſe, dum aſſerunt, nomine adiutorij *quo* intellexiſſe Auguſtinum *delectationem victricem*, quę in ſtatu lapſus antecedenter neceſsitet ad conſenſum ſalutarẽ: infertur etiam, deceptos fuiſſe Ianſeniſtas, qui docent gratiam præueniẽtem eſſe ab intrinſeco efficacem in natura lapſa; ſecus vero in natura integra, pag. 408.

*Sect.*6. Auguſtinus per adiutorium *quo* nec intellexit auxilium prædeterminãs, nec vllam gratiam præuenientem, ſed ipſam formalem perſeverantiam, quã Deus confert filijs Adæ, quos elegit efficaciter ad gloriam: quod adiutorium ad perſeverandum in iuſtitia originali non contulit Adamo, quem ad ita perſeverandum non elegerat, pag. 411.

*Sect.*7. Cur Auguſtinus de adiutorio perſeverantiæ Prædeſtinatorum diſputans, ipſam potius perſeverantiam formalem nomine *adiutorij quo* ſignificaverit, quam auxilium præueniens, quo Deus facit, vt ſancti eliciant actum perſeverandi? pag. 415.

*Sect.*8. S. Auguſtinus per adiutorium, *ſine quo non* collatum Adamo ad perſeverandum in iuſtitia originali, ex ſententia communi Theologorum intellexit bona habitualia iuſtitiæ originalis, & gratiæ ſanctificantis cum habitibus ipſi annexis. Ibidem.

*Sect.*9. Quamvis præter adiutorium gratiæ ſanctificantis, & iuſtitiæ originalis, neceſſarium fu[illegible] mo ad perſeverandum, adiutorium auxi[illegible] iſtud tamen adiutorium non fuit adiutori[illegible] tis, ſed ſolius intellectus, ac proinde adiutori[illegible] le, *ſine quo non* proprium naturæ integræ co[illegible] in ſola illuſtratione intellectus, non quidem[illegible] res ad ambulandum in lege Domini, ſed o[illegible] viam, per quam ambulet arbitrium per vire[illegible] per vires gratiæ habitualis, pag. 418.

Sect. 10. Ex eo quod per adiutorium actuale v[illegible] tatis, ſeu delectationẽ Cœleſtem Deus faciat, v[illegible] ẽti in hoc ſtatu lapſus ſalutariter operentur; male [illegible] ſenſtæ inferunt, illam delectationẽ eſſe eſſentialit[illegible] connexã in hoc ſubiecto cũ conſenſu ſalutari, p. 420.

§. 2. Illuſtratur doctrina præcedens teſtimonio S. Franciſci Saleſij, qui ex diametro opponitur Ianſeniſtis, & principi Societatis per omnia ſectatur, p. 421.

Sect. 12. Quo ſenſu dixerit Auguſtinus cap. 10. de corrept. & gratia: *Angelis malis per liberũ arbitriũ cadentibus, per idem liberũ arbitrium bonos ſtetiſſe*? Ibidẽ.

§ 1. Quid hac in re dixerint Doctores Lovanienſes, quid Facultas Theologica Lovaniẽſis in iuſtificatione cenſuræ quã tulit contra doctrinam P. Leſij? pag. 422.

§. 2. Dum Auguſtinus ait, Angelos bonos per liberum arbitrium ſtetiſſe, ſub nomine arbitrij, quatenus liberi, gratiam habitualem comprehendit, pag. 423.

§. 3. Quomodo Eximius Doct. exponat dictũ Auguſt. quod *Angeli per liberũ arbitrium ſteterint*? p. 424.

§. 4. Ideo perſeverantia, & merita Angelorum libero arbitrio potius quam gratiæ; noſtra verõ gratiæ potius quam libero arbitrio, tribuuntur, quod ad hæc fortior requiratur gratia quam ad illa; ſeu quia ad me[illegible] rita naturæ lapſæ requiritur motio voluntatis; ad me[illegible] rita vero naturæ integræ ſufficit motio ſolius intellectus. Ibidem.

Sect 12. Infertur ex dictis, falsó Lovanienſes aſſerere adiutorium naturæ integræ ſolùm dare poſsibilitatem bene operandi; nõ autem ipſam operationem: oſtenditurque Deum dantem auxilium *ſine quo non*, ſeu auxilium plene, & proxime ſufficiens, quale fuit auxilium datum Adamo ad perſeverandũ, dare quantum eſt ex ſe auxilium *quo*, pag. 426.

Sect. 13. Oſtenditur contra Ianſeniſtas, in ſtatu n[illegible] naturæ lapſæ ſæpe dari auxilium gratiæ medicinalis p[illegible] Chriſtũ plene, & proxime ſufficiens, per quod inf[illegible] minis arbitrio relinquitur obſervare præceptum[illegible] perſeverare; ſeu per quod homini dãtur bene ope[illegible] ſi velit, ſicut collatum eſt Adamo, & malis Ang[illegible] quam tale auxilium ſit efficax in actu ſecundo, p.[illegible]

§. 1. Demonſtratur veritas hæc apertis S. Augu[illegible] teſtimonijs, cuius authoritate Ianſeniſtæ ſuos vo[illegible] regere errores. Ibid.

§. 2. Oſtenditur eadem veritas: quia doctrin[illegible] ſenij, & Ianſeniſtarum aſſerentium, nullam eſſe [illegible] cinalem Chriſti gratiam vere ſufficientem ad [illegible] operandum, & perſeverandum, quæ in actu ſe[illegible] non ſit efficax ad effectum, ad quem datur, eac[illegible] cũ ſecunda propoſitione Ianſenij: *Interiori g[illegible] ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: quam hẽ[illegible] declaravit, & vt taliẽ damnavit Innocentius X[illegible]

§. 3. Ex Bulla Innocentij X & ex doctrin[illegible] liorum & Patrum, neceſsario infertur, omnes[illegible] vere ſufficientem, eſſe in actu primo efficacem[illegible] lùm ex reſiſtentia voluntatis creatæ pro[illegible] non omnis gratia ſufficiẽs ſit in actu ſecu[illegible] ac proinde infertur non eſſe neceſsaria[illegible] tiam præueniẽtem à ſufficienti entitat[illegible] ad hoc vt Deus faciat vt faciamus, pag.[illegible]

§. 4. Quamvis voluntas noſtra ſua per[illegible] ſe pedite efficacem gratiæ: non tamẽ[illegible] tiam dare, ſeu quãvis poſsit fatere[illegible] icax; non tamẽ poteſt facere[illegible]

illustri testimonio S. Francisci Salesij: vn-
, gratiam non esse pedisequam naturæ, sed
atiæ, & arbitrium non subijcere sibi gra-
potius gratiam sibi subijcere liberum arbi-
ne pag. 433.

eo vltima. Exponitur alio modo doctrina Au-
de adiutorio *quo*, & adiutorio *sine quo non*,
436.

1. Præmittitur primo, Pelagium negasse concur-
immediatum in nostras actiones liberas bonas; &
hoc fuisse præcipuum sui erroris fundamentum, quod
precipue Augustinus, eiusque discipuli expugnavere.
Vbi error Pelagij copiose exponitur. Ibidem.

§. 2 Præmittitur secundo, probabile esse, quod Au-
gustinus negaverit concursum Dei immediatum ad
actum peccati, pag. 440.

§ 3. Ideo D. Augustinus negavit Deum concurre-
re ad actum peccati, seu actum peccati esse à Deo:
quia iuxta ipsum Deus solùm adiuvat voluntatem no-
stram ad actum, quatenus per motionem prævíam
cognitionis, vel complacentiæ inclinat ad actum, &
facit vt faciat illum: quod non præstat respectu actus
peccati, pag. 443.

§. 4. Exponitur, qua ratione dici valeat actum ma-
lum esse à Deo, quatenus actus est; & secundum ra-
tionem communem sibi cum actu bono: licet absolu-
te non sit à Deo. Et explicatur, quo pacto actus bonus
ita sit à Deo, vt de illo non possit homo gloriari. 445.

§. 5. Explicatur iam adiutorium proprium naturæ
integræ, cuius Adam posset perseverare, si vellet; &
ostenditur, illud fuisse liberum arbitrium cum con-
cursu generali immediato, quem Pelagius negabat, &
quem erga actus bonos Augustinus contra ipsum in-
victè probavit, pag. 447.

to

DISPVTATIO SEXTA.

**An immunitas ab ignorantia, cui post peccatum nas-
cimur obnoxij, fuerit naturalis, & debita naturæ
innocenti? Vbi examinatur horribile dog-
ma Iansenij de ignorantia invin-
cibili non excusante.**

pag. 453.

1. Quibusdam præmissis circa statum inno-
proponitur sententia Iansenij. Ibidem.

2. Quam communis sit hoc tempore in Lo-
Academia doctrina Iansenij de ignorantia
uris naturæ non excusante: vbi quomodo
Hispanica, & Romana confixerint quædã
nari Huygens, & Agidij Gabrielis. 455.
tendit ur contra Iansenium, omnem ig-
ncibilem tam facti, & iuris positivi,
lis excusare à peccato quolibet. 459.
gnatur ad hominem eadem sententia
.
atur aliis argumentis, ignorantiam
em malitiæ excusare à peccato, pa-
.
ur evasio Iansenistarum asseren-
ad peccandum formaliter, requiri quidẽ liber-
gnoratamen libertatem peccati, pag. 467.
Ostenditur, repugnare, quod quis ex ig-
luntaria, & invincibili peccet; quia de
non posset pœnitentiam agere, p. 471.
latio ex dictis contra Gommarum Huy-
em Lovanienlem, pag. 474.
olvuntur Iansenij argumenta, pag. 47
Exponitur Augustini locus circa p
norantia, & necessitate, pag. 479.

Sectio 11. Exponitur quid intelligat Augustinus per peccatum, quod non tantum est peccatum, sed pœna peccati, pag 480.

Sectio 12. Quo sensu Palæstini Patres damnaverint illam Celestij propositionem, *oblivionem & ignorantiam non subiacere peccato, quia non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*, pag. 481.

Sectio 13. Ex eo quod Concilium Palæstinum contra Celestium definierit, *oblivionem & ignorantiam* aliquando *subiacere peccato, quamvis non secundum voluntatem eveniant, sed secundum necessitatem*; malè Iansenius inferat peccati per ignorantiam invincibilem, sed solùm sequitur, peccari interdum contra legem sine advertentia actuali ad malitiam per ignorãtiam, vel errorem indirectè voluntarium, ortum scilicet ex negligentia antecedenti culpabili, pag. 484.

§. 1. Doctores ex professo impugnantes errores Iansenij, planè docent, peccari contra legem per errorem vel ignorantiam culpabilem, quin eo tempore, quo contra legem peccatur, detur actualis advertentia ad malitiam. Ibid

Sect. 14. Illatio ex dictis in tota disputatione. Quãdo vnanimi consensu Scholastici Doctores cõtra Lutherum, Caluini, & Iansenium docent, ignorantiam invincibilem iuris naturalis excusare à peccato, loquuntur de ignorantia omnino antecedenti, & involuntaria, quæ nec tunc vinci potest, quando contra legem peccatur, nec vinci potuit tempore antecedẽti; ac proinde loquuntur de ignorantia, quæ nec in se, nec in causa sit voluntaria operanti, sed sit omnino inculpabilis, pag. 487.

Sectio vltima. Repellitur ex dictis importuna calumnia eorum, qui Iansenistæ insimulãt communem & verissimam sententiam affirmantem peccari propriè posse per ignorantiam vel errorem culpabilem, quin eo tempore, quo contra legem peccatur, detur vlla actualis advertentia malitiæ vel periculi illius, pag. 489.

DISPVTATIO SEPTIMA.

An immunitas à morte sit debita naturæ innocenti?
pagina 494.

DISPVTATIO OCTAVA.

**An immunitas à cæteris malis corporeis, quibus post
peccatum affligimur, naturalis sit, & debita
creaturæ innocenti? pag. 496.**

Sectio 1. Describitur ex Augustino status, quam haberent homines in Paradyso, si Adam non peccasset, pag. 497.

Sectio 2. Disponitur sententia Iansenij, eiusque fundamentum ex Augustino, pag. 498.

Sectio 3. Refellitur sententia Iansenij, pag. 500.

Sectio 4. Quænam fuerit Augustini mens dum ex miseriis corporalibus, quibus filij Adæ nascuntur obnoxij, probat peccatum originale. pag. 502.

Sectio 5. Peculiaris nostra expositio de mente Augustini, dum ex molestijs corporalibus quasi ex terminis videtur probare peccatum originale, pag. 504.



D